


R. P.

# PETRI ALOIS NEAPOLITANI


E' SOCIETATE IESV

SACRÆ SCRIPTVRÆ

IN NEAPOLITANO COLLEGIO

Professoris

## COMMENTARII IN EVANGELIA QVADRAGESIMÆ.



R. P.

# PETRI ALOIS NEAPOLITANI


E SOCIETATE IESV

SACRÆ SCRIPTVRÆ IN NEAPOLITANO COLLEGIO Professoris

# COMMENTARII IN EVANGELIA QVADRAGESIMÆ.


## TOMVS I.

Complectens expositionem Literalem, & Moralem.










LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographi, & GABRIELIS CRAMOISY, viâ Iacobæâ, sub Ciconijs.

M. DC. LVIII.

*CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.*



S. D. N.

# ALEXANDRO VII.

# PONT. MAX.



EXTINCTIS

QVOS FLAGITIOSA NOVITAS ACCENDERAT

# IGNIBVS:

HOSTE CHRISTIANÆ GENTIS OTTOMANO

TERRA MARIQVE DEBELLATO:

# MVSIS

POST DIVTVRNVM EXILIVM

VENETIAS REVOCATIS:

ECCLESIÆ REGNORVM LITTERARVM

VINDICI ASSERTORI RESTAVRATORI

CATHOLICÆ PACIS,

TAMDIV EXPECTATÆ

TAMDIV EXPETITÆ

FVTVRO PARENTI,

HOS RECENTES IN EVANGELIA

COMMENTARIOS,

POST DEVOTA SACRORVM PEDVM OSCVLA

DICAT OFFERT CONSECRAT

*SEBASTIANVS CRAMOSIVS,*

*REGIS CHRISTIANISSIMI*

*ARCHITYPOGRAPHVS,*

*REGIÆ TYPOGRAPHIÆ CVRATOR,*

*NEC NON*

*VRBIS PARISIENSIS. EXCONSVL.*



# INDEX COMMENTARIORVM IN EVANGELIA QVADRAGESIMÆ

Qui hoc Tomo primo continentur.


## *SVMMA PRIVILEGII*
### *Regis Christianissimi.*

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in regno eius, aliisve locis ditioni suæ subditis, librum qui sic inscribitur, R. P. PETRI ALOIS *Commentarij in Euangelia Quadragesimæ, tribus Tomis diuisi*, quouis charactere, aut forma excudere, alióve quolibet modo distrahere possit, intra annos septem, computandos à die absolutæ primæ Editionis, præter SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis ac Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon Vrbis Exconsulem. Qui secus fecerit, mulcta est indicta, prout fusiùs in diplomate regio continetur. Datum Parisijs die 23. Decembris 1656. Sic signatum,

De Mandato Regis, CRAMOISY.

*Hæc prima Editio absoluta fuit die 22. Septembris 1657.*

R. P. PETRI



# R. P. PETRI ALOÏS NEAPOLITANI E SOCIETATE IESV, COMMENTARII IN EVANGELIA QVADRAGESIMAE.

## FERIA QVARTA CINERVM.

### Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, &c. Matthæi, VI.

*Euangelij nexus, & ordo.*

1. COPVS huius Euangelij, quod quadrageſimali tempore aliorum caput conſtituitur, eſt iter oſtendere, quo ad cæleſtem patriam, vnde peccando excidimus, regredi poſſimus. Duo in eo præcipuè habentur; primò hypocriſis deteſtatio: *Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunãtes:* deinde hortatio ad piè ieiunandũ ſpe præmij propoſitã: *Tu, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua; ne videaris hominibus ieiunans; ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Hæc autem duo aptiſſimè coniunguntur: peccatum enim in primis parentibus duo habuit initia: primò hypocriſim; nempe deſiderium per humanam naturam ſimulandi Diuinitatem, dicente diabolo: *Eritis ſicut Dij:* (Gen. 3.) *Quiſquis ſe vult videri quod non eſt, hypocrita eſt;* ait Auguſtinus: (Ser. Domini, in monte l. 2. c. 3.) Secundò guloſam vetiti pomi comeſtionem: *Vidit mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum; & comedit, deditque viro ſuo.* (Gen 3.) Æquum igitur erat, vt peccati A pœnitentiæ oppoſita haberet exordia; ſcilicet hypocriſis deteſtationem, & ieiunij proſecutionem. (Hom 16. in Euang.) Quare de ieiunio loquens Gregorius ait: *Qui à Paradiſi gaudijs per cibum cecidimus, ad hæc, in quantum poſſumus, per abſtinentiam reſurgamus.*

2. Sed quia, vt bene monet S. Leo: *Non in ſolâ abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma ieiunij; aut fructuosè corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate reuocetur:* & iniquitas eſt nimia temporalium diuitiarum præ cæleſtibus bonis cupiditas: hinc enim Lucæ 16. Diuitiæ, *mammona iniquitatis* à Domino appellantur: ideo poſt traditum ieiunandi modum à Domino ſubditur: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra; theſaurizate vobis theſauros in cælo:* elargiendo ſcilicet pauperibus eleemoſynã; (Ieiunium tum corporale, tum ſpirituale triſtitiã excludere debet.) juxta id, quod Matth. 19. Dominus dixit: B *Da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* In hoc ſpirituali ieiunio, quo à poſſidendi pecuniam cupiditate abſtinemus, etiam triſtitia prohibetur; ſicut & in corporali ieiunio: de hoc enim dicitur. *Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes:* de illo ſimiliter dicitur 2. ad Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Dominus:* (Auaritia hypocriſi coniungitur.) & ad Rom. 12. commendatur is, qui proximo

miſeretur in hilaritate. Rurſus quoniam cum hypocriſi auaritia coniungi ſolet, vt indicatur Iob. 27. *Quæ eſt ſpes hypocritæ, ſi auarè rapiat?* Ideo Dominus damnatâ hypocriſi, auaritiam etiam ab humano animo arcendam eſſe præcipit, dicens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra.*

3. Periti medici partes ſunt, cauſas, ex quibus morbus prouenit, cognoſcere, vt illis oppoſitam medelam adhibeat. Cum igitur cæleſtis medicus generi humano ægrotanti tum cibum, tum ventum noxios fuiſſe cognoſceret, cibum, quód ijdem ventoſæ ſuperbiæ flatibus tumidi Diuinitatis imaginem affectauerint: propterea humano generi cœleſtis medicus à cibo, ventoque cauendum præcipit: à cibo, pium ieiunij modum proponendo: *Tu cum ieiunas*, &c. à vento, prohibêdo noxiam ventoſæ hypocriſis auram: *Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* Bene igitur Auguſtinus de genere humano loquens, ait: *Iacet toto orbe terrarum ab oriente vſque ad occidentem grandis ægrotus: ad ſanandum grandem ægrotum deſcendit omnipotens medicus.* Sed quoniam ad ægrotantis medelam venæ inciſio, noxijque ſanguinis emiſſio ſalubris eſſe ſolet: cumque à mundanis diuitiæ ſecundus ſanguis appellari ſoleant; ideo cæleſtis medicus ad ægrotantis hominis medelam addit ſecundi huius ſanguinis emiſſionem, nempe diuitiarum largitionem, erogando pauperibus eleemoſynam. Et quoniam, vt ait Ambroſius: *Febris noſtra auaritia eſt*, vt pernicioſa hæc febris ab humano corde eijciatur, bene prædicti ſanguinis emiſſio à cæleſti medico commendatur, dicente. *Theſaurizate vobis theſauros in cælo*; pauperibus ſcilicet diuitias impertiendo.

Ser. 59. de verb. Dñi.

l. 4. in Luc c. 4

Auaritiæ febris inciſione venæ, foras ſcilicet in pauperes, velut ſecundum ſanguinê emittendo, curatur.

4. Præterea alia methodo ad vniuerſam vitiorũ colluuiem delendam, tria in hoc Euangelio habentur; ſcilicet cohortatio ad ritè ieiunandum; deteſtatio hypocriſis; & ſuaſio ne theſaurizetur in terra, ſed in cælo: quæ tria deſtruunt quicquid culpæ, & malitiæ eſt in mundo. Nam ex Ioanne ep. 1. c. 2. *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Ieiunium opponitur carnis concupiſcentiæ; deteſtatio hypocriſis ſuperbiæ vitæ; ſuaſio ne theſaurizetur in terra, ſed in cælo, opponitur concupiſcentiæ oculorum, per quam ad viſibilia terræ bona trahitur appetitus.

5. Porrò hoc modo Iſaiæ gratulatio adimpletur, qua Chriſto Domino, & cuilibet iuſto de diabolo, vitijſque omnibus reportatâ victoriâ dicitur: *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti: Habet Diabolus*, inquit Hugo Cardin. *iugum, virgam, & ſceptrum: iugum diaboli luxuria eſt: Eccleſ. 26. ſicut boum iugum, quod mouetur; ita eſt mulier nequam. Virga diaboli ſuperbia: Ezechiel. 7. Floruit virga, germinauit ſuperbia: Prouerb. 14. In ore ſtulti virga ſuperbiæ. Sceptrum diaboli auaritia, exactor diabolus: Zachariæ 9. Non tranſibit ſuper eos vltra exactor, ideſt auaritiæ ſtimulus.* A ieiunio iugum diaboli excutitur, reijciendo carnis illecebras hypocriſim fugiendo, diaboli virga frangitur: ſtudio tandem theſaurizandi in cælo, non in terra, ſceptrum à diaboli manibus extorquetur.

Iugum Diaboli luxuria. Virga Diaboli ſuperbia ſceptrum Diaboli auaritia.

*Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.*

6. HOc eodem capite Dominus dixerat: *Cum facis eleemoſynam, noli tubâ canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt.* Per tubam, qua hypocritæ ſuarum operationum buccinatores ſunt, æmulatur diabolus tubas, quarum ſonitu Ierichuntina

Eleemoſyna hypocritæ tubæ Ierichuntina mœnia diruenti ſimille.

A mœnia corruerunt. Ioſue 6. *Clangentibus tubis poſtquam in aures multitudinis vox, ſonituſque increpuit, muri illico corruerunt.* Nam murus, quo anima Iuſti, veluti Dei ciuitas cuſtoditur, Spiritus ſanctus eſt: Zachar. 1. *Ego ero ei murus ignis in circuitu:* huius muri munimentum amittunt hypocritæ, teſtante Domino Sap. 1. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum*, ideſt fictionem, & hypocriſim. Quare *cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te*; ait hic Chryſologus, *bene tuba, quia talis eleemoſyna hoſtilis eſt:* hoſtilem eleemoſynam vocare poſſumus, qua ſpiritualis ciuitatis mœnia deuaſtantur.

B 7. Porrò Spiritus ſanctus, qui animæ eſt ſpiritualis murus, ob duplicem rationem hypocriſim abominatur. Primò, quia hypocrita ſpiritum obliquum habet; dum enim in cælum tendere videtur, terram amplectitur: Contra verò Spiritus ſanctus tanquam diuinus ignis ſurſum tendens, per rectam intentionem, ſemper ad cæleſtia humanos animos dirigit. Confirmatur hoc ex pſal. 50. vbi, cum Dauid, vt in ſuo corde Spiritus ſanctus permaneret efflagitaſſet: *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me*; præmiſit antea: *Spiritum rectum innoua in viſceribus meis*, ideſt Spiritum non ex hypocriſis fictione diſtortum. Secundò hypoC crita gaudium momentaneum quærit: Iob 20. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti:* contra verò ex Paulo, ad Galat. 5. *Fructus Spiritus ſancti gaudium eſt*; qui quidem fructum ſuæ radicis participat æternitatem: de eo enim dictum eſt Ioan. 16. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Spiritus ſanctus cur hypocriſim abominetur?

Hypocritæ ſpiritum obliquum habent.

8. Matthæi 23. Cum Dominus octies exprobraſſet Phariſæis, & Scribis eorum hypocriſim: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ*: ita vt in tota Euangelica hiſtoria longior obiurgatio non reperiatur; tandem vniuerſam exprobrationem concludit vocando eos ſerpentes. At ad hypocriſim ſignificandam Simiæ potius, quam Serpentes D Phariſæi, & Scribæ erant vocandi. *Simiæ*, inquit Hugo Cardinalis, *hypocritas ſignificant; quod anterius ſicut homines videantur, ſed poſterius beſtiæ.* Nihilominus à Domino ſerpentes ſunt appellati; ad inſinuandum hypocriſim à ſerpente ſeductore, nempe à diabolo originem duxiſſe; cum primis parentibus ſimulandi Diuinitatem deſiderium ingeneraſſet, dicens: *Eritis ſicut Dij.* Aptè autem diabolus tamquam hypocriſis auctor ſub ſerpentina ſpecie apparuit; cùm ſerpens ſub lucida, pictaque pelle venenum abſcondat; cumque ſerpens diabolus non virtutis luce, ſed vmbra delectetur, ibique conquieſcat; vt propterea de eo dixerit Iob 4. *Sub vmbra dormit; protegunt vmbræ* E *vmbram eius.* Bene autem vmbra hypocriſis appellatur; ſicut enim hominis vmbra interdum manus extendere, labia mouere, pectus percutere, genua flectere videtur; cum tamen nihil horum re vera faciat: ſic hypocrita extendere manum ad eleemoſynam largiendam, preces fundere, diuinum cultum humiliter exercere videtur; cum re vera in eo iuxta diuinos oculos eleemoſyna nulla, preces nullæ, Dei cultus nullus reperiatur. *Vmbra*, inquit Hugo, *ſpeciem corporis habet, ſed non veritatem: ita ſpeciem ſanctitatis tenet exterius, ſed interius rem veritatis non habet.*

Hypocritæ ſimiles ſimijs.

Hypocritæ ſerpentibus ſimiles.

Hypocriſis vmbræ ſimilis.

9. Porró vel ex hoc intelligi poteſt, quàm infirma diaboli ſit vis, dummodo ei per Diuinam gratiam reſiſtamus: quamuis enim loco citato Iob de tartareo ſerpente, ſeu dracone dixerit: *Oſſa eius velut fiſtulæ æris; cartilago illius quaſi laminæ ferreæ:* nihilominus licet vndequaque tam bene munitus ſit, adhuc tamen vmbrarum protectione indiget: *Sub vmbra dormit; protegunt vmbræ vmbram*

Diabolus tam imbecillis vt vmbræ protectione indigeat.

*Diabolus non armorum conflictu, sed ipso tantum armorum fulgore superatur.*

*tius.* Quàm inanis fortitudo illa est, quæ vt secura reddatur, vmbrarum exigit munimenta! Procul dubio valde imbecillis hostis ille foret existimandus, qui non armorum conflictatione, sed eorum tantùm fulgore superaretur: talis diabolus est, cum enim vmbris muniatur ad vmbras fugandas, lucida tantùm arma Christiano militi sunt induenda, vt propterea Apostolus dixerit: *Induamur arma lucis*: ad Rom. 13.

*Infernus præcipuè simulatorum locus.*

10. Adeò est Deo abominabilis hypocrisis, vt cùm vellet Christus Dominus damnationem, æternámque pœnam exprimere, impœnitentẽ peccatorem communẽ locum, communemque reatus sententiam habiturum diceret, non cum auaris, non cum lasciuis, non cum ferina rabie iracundis, non cum gulosis epulonibus, non cum peruersè inuidis, non denique cum dæmonibus; sed cum simulatoribus hypocritis: Matth. 24. 51. *Veniet Dominus, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus, & stridor dentium.*

*Hypocrisis virtutis fucatum aedific.*
*o. Offic. cap. a. 8.*

11. Quàm bene de hypocrita dici potest illud Isaiæ 40. *Omnis gloria eius quasi flos agri!* Nam, vt bene Ambros. ait: *Simulatum, & fictum diuturnum esse non solet. In principio vernat; in processu tamquam flosculus dissipatur, & soluitur: quod autem verum, & sincerum est, alta radice fundatur.* Subdit Isaias: *Exsiccatum est fœnum,* nempe hypocrita; *& cecidit flos;* nempe fucata virtutis imago, & gloria. Huiusmodi ergo *fœnum hodie est, & cras in clibanum mittitur; in clibanum scilicet æterni incendij.* De hypocritis benè Psal. 128. dicitur: *Fiant sicut fœnum tectorum, quod prius quàm euellatur exaruit.* De quo Gregor. 8. Moral. c. 28. ait: *Fœnum ædificij in alto nascitur, sed nequaquam pingui radice solidatur: quia & hypocrita summa quidem agere cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur. Quod nimirum fœnum non euulsum citius arescit; quia videlicet hypocrita in præsenti adhuc vita subsistit, & iam sanctitatis opera quasi viriditatis speciem amittit. Quia enim sine intentionis recta cogitatione, bona studuit agere, hæc amittens indicat se sine radice floruisse.* Quàm bene Chrysostomus hypocritam arguit dicens: *si bonum est esse bonum, vt quid vis non esse, quod vis apparere? Nam quod turpe est apparere, turpius est esse: quod autem formosum est in apparentia, formosius est in existentia; aut ergo esto quod appares; aut appare quod es.*

*Matth. 6. 30.*

12. Quàm detestanda sæuities esset, si quis cogeret aliquem in seipsum gladium conuertere, suáque dextera seipsum interimere! talis est hypocrisis, teste Chrysologo, qui ait: *Hypocrisis crudeli arte virtute: truncat mucrone virtutum, ieiunium ieiunio perimit; oratione orationem euacuat; misericordiam miseratione prosternit.*

*Ser. 7.*

13. Christus Dominus, vt cæcum illuminaret, Ioan. 9. *Fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.* Adhibuit ergo ad oculorum illuminationem remedium, quod certè ex natura sua magis aptum foret ad illuminatos oculos obturandos, & excæcandos. Contra verò diabolus per hypocrisim opera, quæ alioquin ægram, & sordidam peccatis animam sanare, ac mundare deberent; ad eam imbecilliorem, fœdioremque reddendam adhibet. Propterea de hypocrisi loquens bene nos hortatur Chrysologus. *Fratres, fugiendum est virus, & pestilentia cauenda, quæ de remedijs creat morbos; conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen; placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Hypocrita facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede dispendium, de remissione peccatum.* Quare sicut pium ieiunium, teste Ecclesia, animis, corporibúsque curandis salubriter Deus instituit; ita animis, corporibúsque infirmandis ieiunium ex hypocrisi instituit diabolus.

*Hypocrita diabolica metamorphosi virtutem in vitium mutat.*

14. Vt primum ieiunium, quale Christianos decet, à simulato ieiunio distinguamus, pios illos Israëlitas imitari debemus, de quibus dicitur Iudicum 20. 26. *Omnes filij Israël venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino; ieiunaueruntque die illo vsque ad vesperam, & obtulerunt ei holocausta.* Cum ieiunio holocaustum obtulerunt: in holocausto autem tota victima suis cum interioribus in Diuinum cultum absumebatur. Vt pium ergo ieiunium holocaustum comitetur, debet ieiunans suis culpis veniam impetraturus, non solùm gustus mortificationem per ciborum abstinentiam; sed etiam aliquos sensus, & animæ potentias coërcendo, & mortificando Deo se totum offerre. Ideo bene Bernardus ait: *Si gula sola peccauit, sola quoque ieiunet, & sufficit. Si verò peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipsa? Ieiunet ergo oculus, qui deprædatus est animam: ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet & anima ipsa. Ieiunet oculus à curiosis aspectibus, & omni petulantia; vt bene humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis, & rumoribus, & quæcumque otiosa sunt, & ad salutem minime pertinentia. Ieiunet lingua à detractione, & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque scurrilibus verbis: interdum quoque ob grauitatem silentij, & ab ipsis, quæ videri poterant necessaria. Ieiunet manus ab otiosis signis; & ab operibus omnibus, quæcumquè non sunt imperata. Sed & multo magis anima ipsa ieiunet à vitiis, & propria voluntate: etenim sine ieiunio hoc cætera à Domino reprobantur.*

*Ieiunium, vt Deo placeat, sit velut holocaustum.*

*Serm. 3. de ieiunio.*

15. Pium hoc ieiunium Pharisaico contrarium, quale à S. Bernardo describitur, efficiet procul dubio, vt facilè Pauli monitum exequamur: *Deponite vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis. Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Ad quod exequendum serpentis prudentiam imitari debemus, de quo ait S. Hieronymus: *Anguis quando senuerit, perdit aspectum; & si voluerit redire ad iuuentutem, ieiunat quadraginta diebus, vt laxetur pellis eius: & sic angustum foramen perquirit, vt dum nititur inde exire, pellem senectutis dimittat.* Similiter Christianus quadraginta dierum quadragesimale ieiunium, angustæque vitæ disciplinam eò dirigere debet, vt amissum peccati excitate mentis aspectum iterum acquirat: vt veteris hominis sordidam culpis figuram expoliat; vt nouum hominem per Christi Domini imitationem induat. Rursus sicut serpens ex ieiunio restitutà iuuentute pulchrior, & vegetior apparet, ita piè ieiunans ex ieiunio non hypocritæ tristitiam, sed spiritualis iuuentutis hilaritatem præferre debet. Quoad quadragesimale ieiunium, bene monet S. Epiphanius in Physiologo c. 7. dicens: *Vultur cunctis auibus voracior est; quadraginta enim diebus cibo abstinet; quem cum inuenerit, totidem se ex illo libris ingurgitat; itaque quadragenariam abstinentiam quadragenaria ingluuie compensat. Tu igitur spiritualis homo, qui in quadragesimali ieiunio Dominicam Resurrectionem expectas, noli ventri sæpe indulgere, ne quadragesimalis abstinentiæ meritum perdas.*

*Ad Coloss. 3. ad Ephes. 4.*

*Serm. 9. de regula Monachorum.*
*Ieiunat serpens 40. dies, vt renouetur, & sanguine corrigatur.*

*Ieiunat Vultur 40. dies, deinde plurimo se ingurgitat.*

16. Porrò quàm horribilem vitæ exitum pertimescere debeat, qui ex hypocrisi ad sanctitatis

ostentationem fictè ieiunat, habetur apud S. Gregorium 4. Dialogor. Sed ante vitæ exitum in hac ipsa vita pœna hypocritæ est, vt dum ad alios decipiendos simulationem dirigit; seipsum sua ipsa fraude decipiat; vt verè de eo dici possit: *Incidit in foueam quam fecit.* *Hypocrita*, ait S. Basilius, *dicitur histrio, qui in theatro personam sustinet alienam, sæpè heri, cum sit seruus; aut Regis, cùm sit priuatus. Itidem in hac vita plerique vitam suam veluti è proscenio ad ostentationem componunt, aliud in corde gerentes, aliud in specie hominum oculis præseferentes.* At quàm demens, quàm ridiculus histrio foret, qui quòd Regis personam sæpè referret, tandem se Regē esse crederet! Quod in theatris histrioni non accidit, accidit hypocritę in huius vitæ fabula; scilicet vt se virtute præditum credat, eò quòd virtute præditi fictam personam gerat. Hinc bene Gregorius 8. Moral. c. 32. ait: *Multa hypocritæ in occulto mala faciunt, quædam vero bona in publico: cùmque ex bonis patentibus laudes recipiunt, ab occultis malis considerationis oculos auertunt; talésque se æstimant, quales foris audiunt, non quales intus nouerunt.* Bene ergo hypocritæ decepto, & deceptori dicitur Apocalyps. 13. 17. *Dicis, quòd diues sum, & locupletatus*, scilicet virtutibus iuxta Ambros. & Gregorium, *& nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Quasi diuitem se asserit, qui per arrogantiam sanctitatis extollitur; sed pauper, cæcúsque, & nudus arguitur. Pauper vtique, quia virtutum diuitias non habet: cæcus, quia nec paupertatem, quam patitur, videt: nudus, quia primam stolam perdidit; sed peius, quia nec perdidisse se cognoscit:* ait Gregorius 34. Mor. c. 3.

Ps. 7. 16.

Hom. de ieiunio.

Hypocrita non alios solum, sed se ipsum ridicule decipit.

30 Mor. c. 1.

17. *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Qui ieiunando tristem se ostenderet, is parum se mortificatum, adeoque minimè sanctum probaret; eo quòd nondum gulæ propensionem vicisse se ostenderet. Cur igitur hypocrita sanctitatem simulans, tristitiam præsefert? vel quia per tristitiam hypocrita peccata populi se dolere indicat: vel quia mœstitia tamquam externo signo internam ieiunij afflictationem insinuare vult, quæ alioqui humanis oculis ignota remaneret: vel quia per tristitiam laudabilem seueritatem ostentat, vt placet Hieronymo: vel quia quamuis ieiunans hypocrita tristitiam ex electione non intendat; ea tamen necessariò ad hypocritæ ieiunium consequitur; quandoquidem non ex interna temperantia libenter ieiunium seruat, sed inanis gloriæ desiderio, veluti coactus, à cibis abstinet. *Hypocritæ voluntariè non ieiunant*, ait Origenes. Vel denique, quia si ex Apostolo *Hilarem datorem diligit Deus*; datorem tristem expetit diabolus; idque ex odio in genus humanum; conatur enim frequentius, vt in peccante homine ipsa culpa pœna reddatur. Quod videre est in Amano, qui ex superbiæ culpa eam pœnam experiebatur, vt cum largis opibus redundaret, Regíque esset maximè gratiosus, excruciatus tamen superbia, nihil se habere putaret.

Hypocrita cur tristis?

Culpa ipsa fit peccatorum pœna.

tom. 1 hom. 4. ex diuersis. 2. ad cor. 9.

Esther c. 5.

18 Porrò ex allatis verbis: *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes, Dominus*, vt ait S. Bernardus, *non omnimodam nobis tristitiam interdicit, sed quæ in facie est coram hominibus. Alioqui cor sapientis, vbi tristitia: & Paulum quoque discipulos contristasse non piguit, pro eo, quòd contristati sunt ad salutem. Non est talis tristitia hypocritarum; quæ non in corde, sed in facie est.* Tristitia ergo ex vera pœnitentia; culparúmque dolore, & sensualis appetitus mortificatione proueniens laudabilis est; cum Dominus non modo tristes, sed etiam in hac vita

ser. 1. de ieiunio. Eccles. 7. Tristitia quædam laudabilis. 2. ad cor. 2.

A lugentes diuina consolatione dignos esse dixerit Matth. 1. & Malach. 3. reprehenduntur, qui huiusmodi tristitiam apud Deum vanam fuisse existimarunt dicentes: *Vanus est, qui seruit Deo; & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius; & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum?* Quo in loco, vbi Vulgata habet: *Tristes*, Pagninus legit, *humiles*; Septuaginta legunt *supplices*; Chaldæus *in depressione spiritus*. Bona igitur tristitia est, quæ superbiæ spiritus deprimit, non autem extollit, vt in hypocrita tristi: laudabilis tristitia est, quæ supplices, & humiles nos coram Deo tamquam humanæ miseriæ bene conscios reddit.

*Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.*

B

19. EXterminant facies, id est destruunt; terminus enim faciei est connaturalis figura; quam destruebant hypocritæ maciem, & pallorem inducendo. Porrò cum pallor, & macies non ex libertate ieiunantis, sed ex ieiunij necessitate inducatur; cur hæc tamquam peculiaris malitia in hypocritis à Domino reprehenditur; & iusti edocentur, cum ieiunant, ne videantur ab hominibus ieiunantes; quasi pallor, & macies naturaliter à ieiunio proueniens vitari possit? Respondetur primò, quia fucato aliquo artificio hypocritæ pallorem inducebant, faciémque vt macilenta ex ieiunijs videretur, exsiccabant: Hæc explicatio probari videtur ex Origene, &

C Chrysostomo, cum ex occasione pallentis hypocritæ, faciémque exterminantis fucatas fœminarum facies reprehendant: *Quidnam*, inquit hic Chrysostomus, *dicendum est de fucis, atque picturis corrumpentibus facies fæminarum?* Probari etiam potest, quia huic hypocritarum malitiæ opponit Dominus infra: *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Respondetur secundò, in hypocrita faciei exterminationem speciatim culpabilem esse; quia, vt habetur Prou. 17. *Spiritus tristis exsiccat ossa:* quare si quis non ex hypocrisi tristis, sed ex virtute hilaris ieiunaret; pallorem sibi, & maciem non induceret: vt videre est in Daniele, socijsque ieiunantibus: *Post dies decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores.* Moses post quadraginta dierum ieiunium non modo pallorem nullum, sed splendorem tantum facie prætulit;

Orig. c. 1. tom. 4 ex diuersis.

Dan. 1.

D *vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius*, 2. ad Cor. 3. Hinc Chrysost. ser. 166. ait: *Moyses quadraginta dierum ieiunio, ita humano defæcatus est, & exinanitus à corpore, vt totus Diuinitatis mutaretur in gloriam; & adhuc in nostri corporis obscuro, toto fulgeret lumine Deitatis; neque intueri eum mortalium visus posset.* Similiter de Iudith frequentissimo ieiunio assueta, & ad Holofernis exercitum itura legitur: *Cui etiam Dominus contulit splendorem.* c. 10. Respondetur tertiò in hypocritis faciei exterminationem reprehensibilem esse non ex effectu ipso, sed ex affectu, & intentione; cum in faciei macie, & pallore sibi maximè complaceant, vt appareant hominibus ieiunantes. Ideo Gregorius ait: *Plerumque se hypocritæ mira abstinentia affligunt; omne*

8. Mor. c. 10

E *robur corporis atterunt; & carnis vitam funditus in carne viuentes extinguunt; sicque per abstinentiam morti appropiant, vt penè quotidie morientes viuant. Sed ad hæc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expetunt, veritate attestante, quæ ait: exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur;*

*pectus interrumpentibus suspirijs vrgetur. Sed interdum ab ore proximorum sermo admirationis quaeritur; nihilque tanto labore aliud, nisi aestimatio humana cogitatur.* Quanta dementia est futilem popularem auram cordis anhelitu, suspirijsque mercari?

20. *Exterminant facies suas:* *Bene dixit, exterminant*, ait Origenes, *hoc est immaculatas maculant, incoinquinatas coinquinant, mundas sordidant; propterea digna illos exterminatio in hoc saeculo expectat.* Quae exterminatio? Respondetur hic ex Hieronymo: *Exterminantur exul. s, qui extra terminos mittuntur:* homo autem à Deo creatus est, vt Deum ipsum facie ad faciem intueatur. Hypocrita ergò dicitur faciem suam veluti in exilium exterminare; cum eam exulem extra terminos coelestis patriae, vbi Deus videndus est, mittat. Quare 1. ad Corinthios 1. vbi de peccatoribus dicitur: *Perierunt ab exterminatore*; exterminatoris nomine diabolus intelligitur iuxta Hugonem. Exterminat enim peccatores diabolus, exulesque à coelesti patria, & beatifica Dei visione procul amandat; quibus meritò dicitur Psal. 55. *Fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.*

Origenes supra.

Hypocritae exterminant facies, hoc est, facies in exilium relegant, ne in patria Deum facie ad faciem videant.

21. Externa hypocritae facies exterminata, non ipsa solùm deformis est; sed insuper internam animae faciem diuinis oculis deformem reddit. S. Bernardus ser. 40. in sponsi verba Cantic. 1. *Pulchrae sunt genae tuae*, ait: *Cogita animae faciem mentis esse intentionem; ex qua nimirum rectitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis aestimatur. Est sine dubio causa, cur pluraliter genas maluerit, quam singulariter faciem dicere. Duo quaedam in intentione, quam faciem animae esse diximus, necessaria requiruntur, res, & causa; id est quid intendas, & propter quid. Et ex his sanè duobus animae, vel decor, vel deformitas indicatur. Intendere quasi in Deum, sed non propter Deum, hypocrita planè animae est: cuius etsi vna facies decora videtur, quod ad Deum qualicunque intentione respiciat, ipsa tamen simulatio omne decorum in ea exterminat; & magis per totum ingerit foeditatem: ergo solum inquirere Deum propter ipsum solum, hoc planè est vtramque bipartitae intentionis faciem habere pulcherrimam; atque id proprium ac speciale Sponsae; cui merito singularis praerogatiua audire conueniat: Pulchrae sunt genae tuae.*

22. *Vt appareant hominibus ieiunantes.* Quàm demens esset agricola, qui suaderi sibi fineret ad arbores candidas, pulchrioresque oculis reddendas, vt ijs rudis cortex detraheretur. Hinc enim fructiferae arbores foecunditatem amitterent, & ariditatem subirent. Huiusmodi dementia in hypocrita inanem gloriam captante reperitur. Quare de daemonum malitia per hypocrisim hominem seducente, bonorumque operum fructu priuante à Deo dicitur Ioëlis 1. *Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticauit; nudans spoliauit eam, & proiecit; albi facti sunt rami eius.* Vbi Gregorius ait. *Insidiantibus spiritibus Dei vinea in desertum ponitur; Cum plena fructibus anima humanae laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista* (nempe daemonum turba) *decorticat; quia seductam mentem in fauoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen ei humilitatis tollit; nudans expoliat; quia quousque in bonis suis absconditur, quasi propriij corticis tegmine vestitur. Cum verò mens hoc quod egerit, videri ab alijs concupiscit, quasi expoliata ficus, eum, qui se texerat, corticem amisit. Vbi aptè subditur: Albi facti sunt rami eius; quia ostensa humanis oculis eius opera candescunt, & de sanctitate nomen sumitur, cum recta actio diuulgatur. Sed quoniam subducto cortice rami fici huius arescunt; solerter intuendum est, quia factum arrogantium humanis oculis ostensa, vnde placere appetunt, inde siccantur. Mens ergo, quae per iactantiam proditur, decorticata rectè ficus vocatur; quia candida est per hoc, quod cernitur; & siccitati proxima per hoc, quod tegmine corticis nudatur.*

Hypocrita se velut decorticatam arborem, adeòque sterilem reddit.

Gregor. 8. Mor. c. 17.

23. Quàm bene ijs, qui per opera extrinsecè bona apud homines inanem gloriam, & tamen aucupari student, Isaiae 55. dicitur: *Non viae vestrae viae meae, dicit Dominus.* Nam cum ad mensam Christus Dominus inuitaretur, & cum hominibus manducaret, & biberet; id in vrbis frequentia fieri voluit: cum verò ieiunaret id in deserto loco fecit, vt habetur Matth. 4. *Locus secretus eligitur, quia solius Dei iudicio ieiunia sunt agenda*, ait Cyprianus ser. de Christi ieiunio, scilicet, vt hinc nos doceremur ieiunijs, alijsque bonis operibus non ambiendam hominum frequentiam, vt ab eorum oculis gloriam aucupemur. Similiter humilitatis magister, cum recens natus Angelorum choros è coelo delapsos suum in obsequium, & honorificentiam haberet; cumque à pastoribus, & Orientalibus Regibus esset adorandus, remotam Bethlemiam speluncam elegit: Cum verò crucis opprobrium subire deberet, in celeberrima Ierosolyma vrbe id exequi voluit: *Bethleem praelegit natiuitati, Ierosolymam passioni*, ait S. Leo ser. 1. de Epiphan.

*Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

24. QVam mercedem? Respondet Origenes: *Breuissimam ab hominibus laudem, temporalem à mortalibus adulationem: sed super terram hanc acceperunt mercedem; de coelis autem magnum cos expectat iudicium, sicut Deo, & hominibus mentientes.* Gregorius explicans verba illa Iob 8. *Spes hypocritae peribit*: explicat simul quàm fugacem mercedem hypocrita consequi studeat: *Quid in cunctis suis operibus hypocrita sperat, nisi honoris reuerentiam, gloriam laudis, à melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari? sed permanere spes hypocritae non valet, quia aeternitatem non quaerens, fugit quod tenet, Nequaquam mentis eius intentio in illa gloria figitur, quae sine fine possidetur: sed cum transitorijs fauoribus inhiat, perdit percipiendo, quod laborat, veritate attestante, quae ait: Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam: Sed hac spes recipiendae mercedis diu teneri non potest; quia pro ostensis operibus honor tribuitur; sed vita ad terminum vrgetur. laudes resonant; sed ad finem cum laudibus tempora festinant: & quia nequaquam animus in aeternitatis amore radicatur, cum ipsis profectò rebus, quas diligit, labitur. Nemo namque valet mobilia diligere, & ipse immobilis stare; qui enim transeuntia amplectitur, eo ipsò ad cursum ducitur, quo decurrentibus implicatur. Magna vecordia est laboriosè agere, & aurae laudis inhiare; forti opere praeceptis coelestibus inseruire, sed terrenae retributionis praemium quaerere. Qui pro virtute, quam agit, humanos fauores desiderat, rem magni meritis vili pretio venalem portat. Vnde coeli regnum mereri potuit, inde nummum transitorij sermonis quaerit. Vili ergo pretio opus vendit, quia magna impendit, sed minima recipit.*

tom 1 hom. 1. ex diuersis.

Hypocritarum merces.

25. *Receperunt mercedem suam.* Mercedem profectò non absimilem aranearum mercedi: quae animalcula, vt pensile rete ad muscas capiendas texant, se euiscerant. Quid enim sunt fugacis gloriae laudes, nisi volantes muscae; quae mox pereuntes bonorum operum fructum, odoremque perdunt? *Muscae morientes perdunt suauitatem vnguenti*, dicitur Ecclesiastae 10. Sed quod peius

Hypocritae araneis similes.

est, ventorum flatu dissipato rete, aranearum labor muscarum prædæ spe sæpè frustratur. Quare, eo quod simile quid ei accidat, qui bona opera ad inanem gloriam dirigit, Iob 8. dicitur: *Sicut tela aranearum fiducia eius.* vbi Gregorius ait:

Mor. c. 19.

*Bene hypocritarum fiducia aranearum telis similis dicitur; quia omne quod ad obtinendam gloriam exudant, ventus vitæ mortalis dissipat. Nam quoniam æterna non quærunt, bona temporalia cum tempore amittunt. Pensandum quoque, quòd fila aranea per ordinem ducunt; quia sua hypocritæ quasi sub discretione opera disponunt. Aranearum tela studiosè texitur; sed subitò venti flatu dissipatur: quia quicquid hypocrita cum labore peragit, aura humani fauoris tollit; & dum in appetitu laudis opus deficit, quasi in ventum labor euanescit:* Subdit deinde Gregorius verba valde ponderanda, cum ad falsos concionatores spectent, qui cum animas ad salutem reuocandi munus se gerere profiteantur, nihilominus popularem plausum, laudemque doctrinæ, & eloquentiæ sibi ab auditoribus aucupari student: *Plerumque sacræ legis eruditione fulciuntur; doctrinæ verba proferunt; omne, quod sentiunt, testimonijs accingunt: nec tamen per hæc vitam audientium, sed proprios fauores quærunt: quia nec proferre alia nouerunt, nisi quæ auditorum corda ad rependendas laudes excitent; non autem ad lacrymas accendant. Mens quippe concupiscentijs exterioribus occupata igne diuini amoris non calet: & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur: neque enim res, quæ in seipsa non arserit, aliud accendit. Vnde fit plerumque, vt hypocritarum dicta, & audientes non erudiant, & eosdem ipsos, qui ea proferunt, elatos laudibus deteriores reddant.* Non per fucatum, sed per efficacem sermonem diuinum ignem subiiciendo, ab auditorum corde, veluti è stillatorio, lacrymæ sunt eliciendæ: propterea Psal. 118. 40. Dei *eloquium ignitum* dicitur: quod cum inanes concionatores non feruent, auditorum corda ad lacrymas non accendunt, vt benè Gregorius ait.

Ignitum sit Concionatoris eloquium, vt ex auditorum corde, velut è stillatorio pœnitentię fletum eliciat.

26. *Receperunt mercedem suam.* Quam mercedem? Humanas laudes veluti paleas excusso frumento prorsus inanes. Propterea de eo, qui humanæ gloriæ studet, mysticè dicitur Oseæ 10. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Vitula enim, quæ ararri iugum detrectat, trituræ laborem libenter subit; eo quòd ibi largè paleatum escam habeat. Sic hypocrita in reliquis diuinæ legis iugo se subtrahens; ea tantùm opera prosequitur, quibus humanas laudes aucupari possit. Ideò benè Gregorius ait: *Amant peruersi homines pro huius mundi gloria etiam tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter seruiunt, & grauium laborum iugo deuotissimè colla submittunt. Quod benè Ephraim specie, Osea prophetante, describitur, qui ait: Ephraim vitula docta diligere trituram:* quia scilicet in tritura paleas inuenit. Has tamen ipsas paleas, nempè humanæ gloriæ laudes detectâ simulatione hypocritis diabolus non diu concedit, dicens cum Pharaone: *Non do vobis paleas.* Sed esto paleæ istæ dentur; esto populares laudes peccator fictis operibus consequatur; dicamus cum Ieremia: *Quid paleis ad triticum?* Quid paleis ad frumentum electorum, quod est Deus ipse, qui se in præmium bene, & sincerè operantibus exhibet hîc, & in æterna patria; bonorumque operum, vt ait Apostolus, vera *Laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Contra humanam gloriam ex bonis operibus captandam plura dicentur sequenti Feria 6. & Feria 3. post Dom. 2.

20. Mor. 16.

Hypocrita animalibus stat veluti paleis se pascit.

Ex. 5. 10.

23. 10.

Ad Rom. 2. 29.

*Tu autem cum ieiunas, Vnge caput tuum, & faciem tuam laua.*

27. Caput potius odorifero liquore perfundendum, faciesque lauanda à piè ieiunante dicitur; vt faciei nitore potiùs ieiunium celet, quàm pallore ad inanem gloriam manifestet; potiusque hilaritatem, quàm tristitiam præseferat. Consuetum erat apud veteres, præsertim Hebræos hilaritatis tempore, maximè in conuiuijs, odoriferis perfundi liquoribus: qui liquores olei, & vnguenti nomen in sacris litteris habent: tale verò oleum non זית Zaith naturale oleum significans dicitur, sed שמן scemén, quo artificiale odoriferum vnguentum, seu potius liquor non crassus, sed tenuis, & limpidus ex odoratis herbis, & floribus expressus significatur. Hinc Ecclesiastæ 9. dicitur: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat:* Isaiæ 61. *Darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu:* Ps. 44. *Oleum lætitiæ* dixit Dauid; & Psal. 103. *Vt exhilaret faciem in oleo:* Sap. 2 qui se ad delicias, & crapulam hortantur, aiunt: *Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.* Porro cum ex Athanasio lib. de Virginitate: *Ieiunium Angelorum sit cibus:* ideo piè ieiunanti ieiunia conuiuia sunt Angelica; quare bene illi tamquam conuiuanti à Domino dicitur: *Vnge caput tuum.* De odoriferis huiusmodi vnguentis plura habentur in Euangelio Magdalenæ pœnitentis, vbi Domini pedes vnxisse dicitur.

Oleum in scriptura duplex, vel ex oleis liquor expressus; vel ex odoriferis herbis stillatus liquor.

28. Sanctus Chromatius Episcopus in Orthographia ait: *Opus ieiunij, & ipsius corporis, & animæ afflictionem vultus hilaritate velemus: cuius rei exempla etiam secundum historiam in sanctis præterito tempore legimus præostensa. Nam sanctissima Iudith cum magno mærore pro populo esset afflicta, post solemnitatem triduani ieiunij capite vncto, & lota facie, ita internæ afflictionis tristitiam texit, vt simulato gaudio letari hostibus videretur; & sic dum per lætitiam vultus ieiunium texit, de hoste triumphum victoriæ reportauit. Similiter Esther sanctissima lota facie, & capite vncto, post triduanum ieiunium Aman illum populi sui inimicum nequissimum interemit.*

Iudith. 10.

Esther cap. 4. & sequentibus.

29. Quidquid sit de supra allata consuetudine apud Hebræos, Chrysologus tamen bene nos in Euangelica lege sic monet: *Cum dicit: Vnge caput tuum, & faciem tuam laua; non vt coma capitis illecebroso relundet vnguento Cerius magister iniungit; neque faciem nitere e solito vult lauacro; sed habitu prandentis vult celari ieiunium Christiano: quia Christianum vendicare non vult artifici mærore ieiunium. Vnge caput tuum* (mysticè ait S. Bernardus) *refundens in eum, qui supra te est, quicquid in te est deuotionis, quicquid delectationis, quicquid affectionis. Vnge caput tuum, vt si qua in te est gratia, referatur ad ipsum; nec tuam quæras gloriam, sed ipsius. Vngit enim Christum, qui bonus eius odor est in omni loco: Hypocrita vngit potius semetipsum, vt propriæ fragrantiam opinionis respergat. Faciem tuam laua:* subdit ibidem Bernardus: *Est facies, quæ in facie est conuersatio: hanc fidelis Christi seruus lauat, ne quod offendiculum præbeat intuenti. Limpidam, & sine offensione animæ nostræ faciem omni tempore conseruemus in conspectu Dei, vt simus limpidi, & sine offensa ante Dominum in sempiternum,* ait Origenes hom. 4. ex diuers. *Vnge caput tuum: spiritualiter per oleum designatur misericordia, per caput mens: manifestat hoc Salomon, cum dicit Ecclesiastæ 9. Oleum de capite tuo non deficiat; id est misericordia*

Ser. 7.

Ser. de ieiun.

Oleo caput vngitur, vel cum ad Dei gloriam bonum opus dirigitur; vel cum mentem ad Misericordię opera incendimus. 2. ad Cor. 2.

Hom. In die Cinerum.

*opus à capite tuo non recedat*, ait Haymo Albcistatensis Episcopus.

30. Rurius *faciem tuam laua*, hoc est dele, & absterge fucatum hypocrisis colorem. Nam vt Nazianzenus ait: *Sicut meretrix, cum natiua pulchritudine destituta est, ad colores, pigmenta, & fucos confugere solet; ita hypocrita, cum specie solida, perfectaque virtutis careat, adumbrationem quamdam pietatis externam simulat; qua eorum oculos retinet, qui adumbratâ virtutis simulatione capiuntur.* Similiter ait S. Basilius: *Non silebo Polypi dolos, ac furacitatem. Is cuicumque saxo adhaeserit, illius colorem subit; vt piscium complures ad ipsum de improuiso nantes, tamquam ad saxum appellant, paratamque se prædam illi offerant. Tales sunt hypocritæ, qui sobrietatem cum sobrijs laudant, intemperantes sunt cum intemperantibus, quos euitare facilè nemo potest; propterea quod pietatis prætextu prauitas eorum fucata, & adornata profundè latet.* Ad huiusmodi igitur fucos, simulatósque colores reijciendos, spirituale sanctæ simplicitatis, & sinceritatis lauacrum adhibendum esse Dominus præcipit dicens: *Faciem tuam laua.*

Tom. 1. Orat. [illegible]
Hypocrita Polypo similis.
Hom. 7. Hexam.

*Ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

31. DEus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, dicitur à Ioanne. Quia tamen, vt Apostolus ait: *Lucem inhabitat inaccessibilem*; ideo respectu nostri, qui in vita mortali sumus, ab Isaia dicitur: *Verè tu es Deus absconditus*: & hic Pater noster cælestis in abscondito esse dicitur: & à Dauide: *Posuit tenebras latibulum suum*: vbi Chaldæus Paraphrastes ait: *Collocauit maiestatem suam in caligine.* Si ergo Deus maiestatem suam, suamque gloriam celat, eamque in cælesti patria reuelandam reseruat: similiter Dei imitator suis in operibus temporalem gloriam in hac mortali vita quærere non debet; eamque tantùm gloriam, quæ in vita beata reseruetur, debet expetere: *& tunc laus erit vnicuique à Deo.*

Io. ep. 1. c. 1. 1. ad Tim. 6. 16.
Is. 45: 15.
Ps. 17. 12.
1. ad Cor. 4.

22. *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Benè monet Gregor. *Intus sunt seruanda, quæ agimus, si ab interno arbitro vicem recipere nostri operis expectamus. Hinc est, quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: Omnis gloria eius, filiæ regis ab intus. Hinc Paulus ait: Omnis gloria nostra hæc est; Testimonium conscientiæ nostræ. Gloriam suam Paulus testimonium conscientiæ suæ memorat; quia fauores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo, quæ agimus; ne in huius vitæ itinere incautè portantes latrocinantium spirituum incursione perdamus. Et tamen Veritas dicit: Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Sed aliud profectò est, cum in ostentatione operis gloria quæritur largitoris; aliud cum laus priuata concupiscitur de dono largientis. Valdè perfectorum est sic ostensô opere auctoris gloriam quærere, vt de illata laude priuata nesciat exultatione gaudere. Tunc solum innoxiè hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur.*

Ps. 44.
2. ad Cor. 1.
Matth. 5.

33. De inani gloria egregiè disserit S. Thomas 2. 2. q. 131. per quinque articulos. Præcipuè articulo primo ad 3. vbi respondens ad Ecclesiastici 41. sententiam: *Curam habe de bono nomine*; & ad illud Apostol. ad Rom. 12. *Prouidentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*, ait: *Ad perfectionem boni hominis pertinet, quòd ipse agnoscat; sed quod ipse ab alijs cognoscatur, non pertinet ad eius perfectionem; & ideo non est per se appetendum. Potest tamen appeti in quantum est vtile ad aliquid, vel ad hoc, quòd Deus ab hominibus glorificetur: vel ad hoc, quòd homines proficiant ex bono quod in alio cognoscunt: vel ex hoc, quòd ipse homo ex bonis, quæ in se cognoscit, per testimonium laudis alienæ studeat in eis perseuerare, & ad meliora proficere: & secundùm hoc laudabile est, quòd curam habeat aliquis de bono nomine; & quòd prouideat bona coram Deo, & hominibus; non tamen quod in hominum laude inaniter delectetur.*

34. De peccatoribus dixit B. Iudas Apostolus: *In via Cain abierunt.* Ad fratricidij peccatum adiecit Cain sacrilegum scelus Deo respondens: *Nescio; numquid custos fratris mei ego sum?* tamquam Deus ipsius peccati nescius foret. *Negat quasi apud ignorantem. Quid miraris, si pietatem non agnouit, qui non agnouit auctorem*, ait Ambrosius. Caini perfidiam imitantur, qui captantes humanam gloriam bona opera coram hominibus exercent; ab ijsdem tamen cessant, cum humanos oculos testes non habent; tamquam Deus planè inscius, bonorum operum inspector non foret, & in conscientiæ abscondito non videret. *Hi nimirum, cum rectè operari appetunt; prius mente sollicita eiusdem operis sui testes quærunt; & tacita cogitione pertractant, si sunt, qui gerenda videant; si dignè hæc eloqui, qui viderint, possint; Si verò eorum facta nullum fortasse hominum contingat aspicere, hæc se procul dubio æstimant perdidisse: & interni arbitri oculos, quasi absentes deputant, quia ab eo vicem sui operis recipere in posterum recusant*, ait Gregor. 8. Moral. cap. 35.

Gloriæ humanæ cupidi Caino similes.
Gen. 4.
l. 2. de Cain & Abel c. 9

*Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.*

35. CVm prius superbiam humanæ gloriæ cupidam ab humano corde reijciendam Dominus docuisset: auaritiam insuper reijciendam docet dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Subdit hoc loco Origenes: *Nihil in terra firmum, nihil stabile, nihil tutum: omnia infirma, omnia caduca, omnia temporalia, & transitoria. Vita pertransit, iuuentus senescit, honor aufertur, diuitiæ fugiunt, diuertentes ab alio ad alium transeunt; meretricio more amorem fingentes, & nulli fidem seruantes.* Quod egregiè exemplis Pharaonis, Nabuchodonosoris, & Baltassaris probare pergit, tom. 2. hom. 4 ex diuersis. Ne in terra thesaurizemus, vtque aurum, diuitiasque contemnamus, documenta habemus tum ex cœlesti, tum ex terrestri Paradiso. Cœlestis quidem Ierosolymæ platea auro constrata dicitur Apoc. 21. *Platea ciuitatis aurum mundum*; quod quidem dicitur, tum ad pulchritudinem cœlestis patriæ significandam; tum etiam mysticè, vt intelligamus cœlesti via incedere, qui pedibus, hoc est affectu aurum contemnendo conculcat. Phison verò terrestris Paradisi fluuius, terram auriferam circuire dicitur extra Paradisum; vt significetur intra Paradisi septa aurum non nasci. Æquum enim erat, vt vbi spinæ non nascebantur, germinantibus in Paradiso rosis sine spinis; neque nasceretur aurum; cum par ratio sit de vtrisque: spinas enim diuitias, atque adeo aurum significare Lucæ 8. in parabola de semente Dominus interpretatur, ibique Gregorius. Porro rosas sine spinis in Paradiso germinasse inter cæteros testatur Tertullianus l. 5. contra Marcionem cap. 24. *Rosis*, inquit, *atque herbis nostrum peccatum nocuit*;

Aurum conculcans cœlesti via incedit.
Gen. 2.
Aurum vt contemnatur, spinæ, & aurum extra terrestrem Paradisum fuere.

Spinæ extra terrestrem Paradisum natæ, in nobiliori Paradiso, nempè in Domini capite locum habuerunt.

*quantùm nocebit animis?* Basilius in Hexameron homil. 5. *Sunt*, inquit, *spinæ post peccatum rosis additæ; sed id probabilius extra Paradisum.* Quamquam spinis alius deliciarum locus terrestri Paradiso multò nobilior parabatur, nempe Domini caput; idque in auri opprobrium, quippe quod vndique amandatum, & à terrestri, & diuino Dominici capitis Paradiso fuit procul exclusum: cum tamen spinæ in Domini capite locum habuerint: *Cœlestis sponsus coronatus est non auro, non gemmis, sed spinis*; ait Bernard. tract. *Ego sum vitis vera*, c. 4.

36. *Vtinam posset è vita in totum abdicari aurum, sacra fames, procissum conuicijs ab optimis quibusque, & ad perniciem vitæ repertum.* Sic Plinius, quamuis ethnicus, exclamat lib. 33. initio. Porro in auri contemptum ad eius cupiditatem auertendam, non solùm Deus intra Paradisum aurum non admisit; sed illud intra terræ penetralia in longinquas regiones ab hominum consortio semotas, immò in insulas à reliquo orbe diuisas, & à feris immanibus frequentatas relegauit & custodiendum veluti reum sæuis belluis tradidit; ne apud homines plurium scelerum auctor, & adiutor foret. Quare, vt cum Isidoro docet Abulensis: *In India sunt Chryse, & Argyria insulæ auro, argentoque refertæ, in quibus montes aurei esse dicuntur, quos Gryphes, & leones custodiunt.* Si Indici leones aurum, ne homines illud habeant, custodiunt; è contrario Tartareus leo è terræ latebris erutum aurum humanis oculis exponi curat. Nam vt Apostolus Petrus ait: *Diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*: vt deuoret autem, auro tamquam esca, qua humanum cor capiatur, vaferrimus prædo vtitur.

Aurum leones intra remotas insulas custodiunt: Tartareus leo Diabolus ad homines capiendos exponit.

Isid. Etym. 15. Abulens. Gen. 2.

Ep. 1. 5.

37. Plinius lib. 7. cap. 2. ait: *Arimaspis vno oculo in fronte media insignibus, assiduum bellum est circa metalla cum Gryphis eruentibus ex cuniculis aurum; mira cupiditate & feris custodientibus, & Arimaspis rapientibus.* Barbaros Arimaspos imitantur auri cupiditate capti, & ad thesaurizandum intenti: suntque Arimaspis etiam planè similes, vt monoculi; cum vnum tantùm mentis oculum habeant, quo terrena respiciunt; altero verò mentis oculo, & obtutu careant, quo cœlestia intueantur.

Auri cupidi similes monoculis Arimaspis

38. Eodem Plinio teste lib. 11. cap. 31. *Indicæ formicæ aurum ex cauernis egerunt. Ipsis color felium, magnitudo Ægypti luporum. Erutum hoc ab ijs tempore hyberno, Indi furantur æstiuo feruore conditis in cuniculos formicis: quæ tamen odore sollicitatæ prouolant, crebroque lacerant, quamuis præuelocibus camelis fugientes. Tanta pernicitas, feritasque est cum amore auri.* Hinc benè Hesychius Episcopus Ierosolymitanus terrenas opes thesaurizandi cupidos, cœlestiumque bonorum oblitos iusto titulo *formiculosos* appellauit; cum Indicas formicas auri tenacissimas imitentur. Porrò sicut immanes huiusmodi belluæ auri custodes, ipsius auri tenacissimæ sunt; cum tamen ijs aurum, quod alijs vetant, nulli vsui esse possit: ita auari sunt & ipsi tam auri, opumque tenaces, vt diuitias nec egenis impertiantur, nec ipsi earum vsu fruantur. Ideo de auaro dixit Ecclesiastes 4. n. 8. *Non satiantur oculi eius diuitijs; nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* Non satiantur oculi eius diuitijs, quia oculorum tantùm obtutu, non alio vsu auarus animus thesauris fruitur; nec tamen illas inspiciendo cupidi oculi expleri possunt. Verè insuper ab auaro dici potest: *Et fraudo animam meam bonis*: non solùm ob spirituale damnum animæ illatum; sed

Auri cupidi formicis Indicis similes, quæ effossò auro, eius tenacissimæ sunt, nec eo vtuntur.

In Leuit. c. 23.

A etiam ob corporale, quod mortali vitæ infertur; cum ad diuitias cumulandas auarus parcissimo, & sæpè noxio victu vtatur. Antiquum dictum est ait Hieronymus: *Auaro deest tam quod habet, quàm quod non habet.*

Epist. ad Paulinum.

39. *In Septentrionali Tigris alueo oppidum Bobytace. Ibi mortalium solis aurum in odio; contrahunt id, defodiuntque, ne quo cui sit in vsu*, ait Plinius lib. 6. cap. 27. Si ad Tigris ripas incolæ aurum odio habent; quantò magis illud abominari, & aspernari deberet Christianus animus, cuius conuersatio in cœlis esse debet; ita vt ad ripas beatissimi illius amnis assideat, de quo dicitur: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: & Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Qui felicissimi illius torrentis aquas sitiunt, auri certè siti liberantur.

Aurum incolæ prope fluuium Tigrim abominantur; & ne alicui vsui sit, abscondunt.

Ps. 45. 5. Ps. 35. 9.

B

40. Thesaurizare in terra, & diuitias possidere malum adeò noxium est, vt in peccati pœnam sæpius tribuatur. Matth. 22. Iudicat Dominus numisma dandum esse Cæsari, eò quòd illius superscriptionem habeat: est igitur nominis inscriptio dominij, & possessionis indicium quare? vt significetur ab Apostolis Ecclesiæ principibus cœlestem Ierosolymam possideri, eorum nomina in beatæ illius ciuitatis fundamentis scripta legimus Apoc. 21. & Lucæ 10. à Domino dicitur discipulis: *Gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Porro sicut, qui in cœlo scribuntur, possident cœlum; ita qui scribuntur in terra, terram possident, terrenasque diuitias, & thesauros. Hæc autem terrestrium thesaurorum possessio peccatoribus in pœnam peccati datur: Ierem. 17. *Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te in terra scribentur.* Profectò hoc pacto iustissimas pœnas dant peccatores; æquum enim fuit, vt numquam extinctâ auri siti semper diuitijs inhiantes, noui Tantali redderentur, qui iuxta Prophetam citatum, *Dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.*

Diuitiarum possessio in pœnam peccatoribus datur.

C

41. Præterea quo pacto in peccatores thesaurizandi cupidos diuinæ vltionis fulmen, & diuitiæ simul coniungantur, aptè declarat simile quid, quod in naturalibus euenit: ex Plinio enim lib. 37. cap. 10. habemus gemmas aliquas Brontias, hoc est Tonitruales, seu fulmineas appellatas cum tonitruis generari, vnàque cum fulmine in terram decidere. Ex quo apparet gemmas, diuitiasque, quas terrenus animus auiditate tanta prosequitur, si quæ intra nubium gremium generantur, cœlum à se procul magno fragore displodere, vt ex noxiæ, contemptuque dignæ cœlo iudice declarentur; simulque cœlestibus hominibus documentum datur, vt cœlum imitantes procul ab animo diuitiarum, possessionem, vel saltem cupiditatem expellant.

Diuitiæ, & vltio Diuina simul in peccatores.

D

Diuitiarum vt contemptus indicetur, Cœlum gemmas intra nubes generatas cum tonitru velut indignans explodit.

42. Quod diuitiæ in pœnam peccati interdum dentur, mirum esse non debet, cùm thesaurizantes aurum vectigales diaboli fiant. Qui in India pretiosi metalli venas effodiunt, illud reperiri affirmant in modum arboris inuersæ, cuius scilicet rami centrum versus protenduntur. Porro arbores supra terræ faciem satæ solem versus ramos extendunt, eo quòd à sole capiant incrementum: metallifere verò huiusmodi arbores intra terræ viscera Infernum versus ramos extendunt, quasi Inferni efficacitate crescant, & hoc pacto insinuant, se ex hominum auaritia dignos Inferno fructus parituras. Quare non prorsus inani fabula ab Ethnicis scriptum est, eumdem tum diuitiarum, tum Inferorum esse Deum. *Auro, argentoque ferme constant diuitiæ, quas vulgus sectatur sub illius cæci Pluti nomine, cui soli*

Aurum thesaurizantes sunt Diaboli vectigales.

E

Diuitiarum, eumdem Dei & Infernorum Ethnici habent,

Lib. 1. Monarchiæ.

*soli se debere felicitatem existimant*, ait Philo. Hinc A Reginæ inferorum aureum ramum veluti ipsius arborum debitum vectigal esse dandum Ethnici finxerunt: *Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina*

Æn. 6.

*munus instituit*. Audiamus in hac consideratione Ambrosium: *Ditem dicunt Gentiles Inferni præsulem, arbitrum mortis Ditem appellant, & Diuitem: quod nisi mortem Diues inferre nouerit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferna sint.*

Ambrof. de Nabuthe c. 6.

43. Mirum sanè est, cum Ethnici tàm ingentem numerum Deorum habuerint; vt vel infantium cunis, vel ædium focis, vel etiam fœtidis cloacis peculiaria, distinctaque Numina præfecerint, nempe Deam Cuninam, Lares Deos, Deam Cloacinam: *Vnusquisque*, ait Augustinus, *domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omnino sufficit: tres deos isti posuerunt, Forculum foribus; Cardeam cardini; Limentinum limini: ita non poterat Forculus simul fores, & cardinem, limenque seruare*: nihilominus Ethnici in tanta deorum frequentia vni, eidemque Deo, & diuitiarum, & Inferorum dederunt principatum. Quò indicaretur, & Inferorum, & diuitiarum causas adeò esse connexas, vt tribunal distinctum habere non possint.

L. 4. de Ciuit. c. 8.

44. Ex Domini testimonio Matth. 19. *Diues*, diuitiasque thesaurizans *difficile intrabit in regnum cœlorum*. Nam si vrbis ostium foret, ad quod tantùm per vitream viam esset accessus; quàm difficile, & quàm euidenti periculo ad eam peruenire quispiam posset, qui ingenti auri pondere C foret onustus? Apoc. 4. *Ecce ostium apertum est in cœlo; & ecce sedes posita erat, & supra sedem sedens, & Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ*: profectò, vt nos ad cœlestem patriam Dominus inuitet, ostium in cœlo aperit; & Iride smaragdina suum solium ambit; vt Iride pacem, smaragdino colore spem insinuet. Sed, vt ad cœlestis vrbis ostium, & ad Domini sedem perueniamus, quanam via est incedendum? *In conspectu sedis tamquam mare vitreum*: proculdubio thesaurorum abiecto pondere omnino leues esse debent hi, quibus vitrea via est gradiendum, si ad destinatum terminum incolumes velint ac- D cedere. *Regna cœlorum expeditos, & alarum leuitate subnixos habitatores desiderant*, ait Hieronymus. Contra verò ingenti diuitiarum pondere pressi hi esse possunt, qui ad Inferos iter dirigunt; Inferorum enim vias non vitro, sed adamante stare ethnicus quidam cecinit: & Ecclesiasticus 21. ait: *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum Inferi*. Celebre est apud Romanum historicum Mithridatis stratagema, qui cum insequentes hostes Lucullum, & Syllam fugeret; viam, qua illi eum insequebantur, argento, auro, & pretiosa veste conspersit; tum vt hostes præda graues, & occupatos redderet; tum vt ipsius exercitus leuiori cursu se in tutum E recipere posset. Simili prudentia verus Dei seruus vtatur; vt leuior, & expeditior in cœlum tendat, diuitijs se exoneret; ijsque mundanos occupari sinat, vt noxium eorum commercium à se auertat.

Auri diuitiarum pondere onusti ad æternam patriam peruenire nequeunt.

Tom. 9. In regula Monach. c. de pauper.

Propert. lib. 4.

Mithridates fugiens felici stratagemate aurum, argentumque insequentibus hostibus proijcit, & ex eorum manibus eripitur.

Liuius l. 5.

45. Dauid Psal. 16. ex Athanasij, & Cyrilli interpretatione, Deum precatur, vt à iustorum cœtu impij segregentur: *Domine à paucis de terra diuide eos*: terræ nomine terram viuentium intelligit, de qua idem Dauid aiebat Psal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*: rursus paucorum nomine intelligit electos iuxta Domini sententiam Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*. Porrò quænam redditur ratio, cur ab electorum cœtu impij sunt diuidendi? *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum*: absconditorum nomine iuxta Chaldæum paraphrastem, Euthymium, & Eusebium, terrestres thesauri, & diuitiæ intelliguntur; ita vt sensus sit: Digni sunt, vt ab electorum consortio separentur impij, eò quòd diuitias thesaurizando, ventrem, id est desiderij ingluuiem terrenis opibus explere conati sint. Profectò plura motiua ad damnandos impios commemorari poterant; superbiæ timor, inuidiæ liuor, vlciscendæ iniuriæ ardor, in proximos iniquitas, in Deum impietas: omnia reticentur; immo omnia paucis verbis comprehenduntur; quòd scilicet in terra impij thesaurizent: & meritò, cum ex Apostolo prima ad Tim. c. 6.

Electi paucorum nomine significantur.

B *Radix omnium malorum sit cupiditas*: cupiditatem intellige thesaurizandi, vt patet ex contextu, & ex Chrysostomo legente: *Radix omnium malorum auaritia*.

46. Benè communi sententia homo dicitur esse arbor inuersa; eò quòd radices non deorsum in hac infima terra, sed sursum in terra viuentium, nempe in cœlo figere debeat. At peccator, vt ait Gregorius: *In viuentium terram radicem* 12. Mor. c. 13. & 14. *suam non mittit, quia numquam ad æternæ vitæ desiderium cordis sui cogitationem plantat. Quod enim radix arbori, hoc vnicuique hominum cogitatio sua est*. Propterea peccatores, præcipuè thesaurizandi cupidi, benè iuxta beatum Iudam Apostolum: *Arbores eradicatæ, & infructuosæ dici possunt*; eò quòd à terra viuentium, nempe à cœlesti patria sua desideria, cogitationesque eradicauerint, easque per auaritiam malorum omnium radicem in terra non viuentium, sed morientium fixerint. Naturales historici referunt præcipuè in Lydia terram, intra quàm aurum continetur, esse planè infœcundam: bene ergo infructuosæ arbores dici possunt homines, qui auri cupiditate capiuntur.

Cogitatio est hominis, veluti radix in arbore.

Aurifera terra infœcunda.

47. Præterea ex Dydimo citato Psal. Thesauri, diuitiæque absconditæ appellantur: eò quod terrestres thesauri, & diuitiæ Dei æstimatione veluti sordes habeantur; ac propterea ex oculorum, vel mentis conspectu, vt fœda quædam remoueantur. Quod pecuniæ diuino testimonio sordes sint patet primò, quia potentes, & diuites in hac mortali vita dominantes, in sacris litteris anguli appellantur! Sophoniæ 1. 10. *Dies tubæ, & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos*: primo Regum 14. *Applicate huc vniuersos angulos populi*. Iudicum 20. *Omnes anguli populorum, & cuncta tribus Israel in Ecclesiam populi Dei conuenerunt*. Sicut autem in domorum angulis sordes frequentius congregantur; ita etiam in populi Principibus diuitiæ: quæ quia animum fœdant, in Dei conspectu veluti sordes habentur. Patet idem secundò ex Ioanne 13. nam cùm Apostolis à Domino dictum est: *Vos mundi estis, sed non omnes*; Iudas à mundis excipiebatur; Iudæ autem immunditia pecuniæ malè partæ thesaurizatio erat: nam ex Ioan. 12. *Fur erat, & loculos habens, quæ mittebantur, portabat*. Vbi notandum est in Scriptura tam capsulas ad pecuniam seruandam, quàm pheretrum, quo defuncti efferebantur, loculi nomine appellari Lucæ 7. de Domino dicitur tetigisse loculum, quo defunctus viduæ filius efferebatur; vt intelligas non dissimilem difficultatem esse è pheretro mortuum vitæ restituere, quàm pecuniam furto sublatam è loculis suo restituere possessori. Immo hoc difficilius esse comperimus; Iudas enim plures ægros è mortis faucibus ad vitam reuocauit; nam Marci 6. de Apostolis vniuersaliter, inter quos

Diuitiæ veluti sordes in Dei conspectu habentur.

Angulorum nomine populorum potentes appellantur.

Loculus tum pecuniæ capsulam, tum defuncti pheretrum significat.

Restituendi ablata maxima difficultas.

B

Iudas erat, dicitur: *Vngebant oleo multos agros,& sanabant*: eumdem tamen Iudam pecuniam furto sublatam restituisse non legimus. A

48. Mirum autem est, quòd cum Matth. 27. legamus Iudam restituisse in templo triginta argenteos, quos in iniquæ proditionis pretium acceperat; nihilominus eadem restitutio non à Iuda, sed à Christo Domino facta dicitur Zachar. 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini.* Non à Iuda, sed à Domino restitutio fuit; nam Dominus voluit iniquam pecuniam, quam per fraudem prius sacerdotum Princeps à populo, deinde iniquè ab ipsis sacerdotibus Iudas acceperat; tandem pauperibus restitui: ad quod quidem exequendum ex se Iudas non adductus esset. Adeo iniquis plus quàm difficilis restitutio est; tam tenaciter pecuniæ sordes animo adhærent. B

Restituendi rei ablatæ mira difficultas.

49. Ad hanc tenacitatem exprimendam aptissimè Hugo Carensis *auaritiam diaboli glutinum vocat*: & iuxta Apostolum loco supra citato. *Auaritia malorum omnium radix est*, quia per auaritiam peccatum in homine radicatur, vt explicat idem Hugo. Quamquam ex alio capite auaritia radix est nominanda; reliquæ enim arboris partes aperto cœlo fruntur; sola radix intra terram fixa reconditur: sic auarus animus numquam cœlum versus assurgit, semper intra terrena versatur. Intra terram tamen non versaretur, si mox se in terram reuersurum, modicoque terræ spatio sepeliendum seriò, & sæpius reputaret. Constantinus Imperator cum Ablauium suum aulicum thesaurizandi valdè cupidum arguere vellet, hasta quinque, aut sex pedum spatium circumscripsit, Ablauio dicens: *Quid tantùm laborandum, & desudandum est, vt thesaurizes Ablaui? tu tandem, & ego Imperator nihil aliud, nisi hoc terræ spatium habebimus; deque hoc ipso certi non sumus.* C

1. ad Timot. c. 6.

Restituendi rea ablatas mira difficultas.

Auaritia Diaboli glutinum. Auaritia cur radix dicatur?

Auaritiæ remedium.

50. Non dissimilis huic Constantini in Ablauium obiurgationi illa est Senecæ l. 1. ep. 89. *Quousque fines possessionum propagatis? Ager vni domino, qui populum cepit, angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis, ne prouinciarum quidem latione contenti circumscribere prædiorum modum? Illustrium fluminum per priuatum decursus, & amnes magni, magnarumque gentium termini, vsque ad ostium à fonte, vestri sunt. Hoc quoque parum est, nisi latifundijs vestris maria cinxistis, nisi trans Hadrianum, & Ionium, Ægeumque vester villicus regnet. Nisi insulæ, ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum numerentur. Quàm vultis latè possidete. Sit fundus, quod aliquando imperium vocabitur. Facite vestrum quicquid potestis, dum plus sit alieni. Nunc vobiscum loquor, quorum æquè spatiosè luxuria, quàm illorum auaritia diffunditur. Quousque nullus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia immineant? Nullum flumen, cuius non ripas ædificia vestra prætexant? Vbicumque scat bunt aquarum calentium venæ, ibi noua diuersoria luxuriæ excitabuntur. Vbicumque in aliquem sinum littus curuabitur, vos protinus fundamenta iacietis; nec contenti solo, nisi, quod manu feceritis, maria agetis introrsus. Omnibus licet locis tecta vestra splendeant; alicubi imposita montibus, in vastum terrarum, marisque prospectum; alicubi ex plano in latitudinem montium educta; cum multa ædificaueritis, cum ingentia; tamen & singula corpora estis, & paruula. Quid prosunt multa cubicula? In vno iacetis. Non est vestrum vbicumque non estis.* D E

Luxus nimij descriptio.

51. Leuitici 11. inter immunda animalia, à quibus abstinendum præcipitur, volucres rapaces reponuntur; vt Aquila, Vultur, Miluus, & Accipiter. Sunt autem huiusmodi volucres, vt Origenes ibi docet, symbolum eorum, qui ad cumulandas diuitias proximi bona diripiunt. De Accipitre ait Ælianus l. 14. c. 17. *Os tibiæ illius, si ad aurum admoueatur, ipsum illecebra quadam admirabili ad se allicit.* Nil mirum ergo, si thesaurizandi cupidi accipiter symbolum sit; cum ad aurum attrahendum in intimis ossibus vim habeat. De auaro autem dicitur Iob 20. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Quoniam confringens*, hoc est opprimens, *deuorauit pauperes; domum rapuit, & non ædificauit eam; sed euertit, ac perdidit.* Propterea antea de eodem dictum erat: *Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius*: eo quòd in intimis ossium medullis auaritiam malorum omnium radicem tenaciter fixam habeat; aurumque velut accipiter ipsis ossibus attrahere videatur.

Accipiter, Vultur, Miluus, & Aquila immunda animalia rapacis auari symbolum.

Accipitrum ossa aurum attrahunt.

52. Subditur eodem loco de auaro: *Deuorabit eum ignis, qui non succenditur*; hoc est internus ignis, qui cum non extinguatur, neque succenditur. Epictetus Philosophus interrogatus ab Adriano: *Quid est aurum?* respondit: *Mancipium mortis*; mors enim auarum tamquam mancipium auro onustum ad æternam damnationem pertrahit. *Aurum, cuius vos gratia occupat, cuidam genti ad vincula seruire referunt Gentilium litteræ*, ait Tertullianus. Vtinam aurum, quod barbaris ad captiuorum corpora vincienda vsui est; apud fideles ad vinciendos animos, suumque in carcerem detrudendos diabolus non adhiberet. Sed ad accipitrem auari symbolum redeamus; Prouerb. 12. peccator, præcipuè thesaurizandi cupidus, dicitur *indigens pane*, hoc est charitate, vt Beda ibi interpretatur. Benè autem panis nomine charitas significatur: sicut enim panis cibis omnibus admiscetur; ita charitas operibus omnibus est admiscenda: *Omnia vestra in charitate fiant*, ait Apost. 1. ad Cor. 16. Porrò, vt patet ex Augustino tom. 1. l. 2. c. 8. contra Manic. Accipiter à pane abhorret, cum illi læthale venenum sit: similiter thesaurizandi cupidus charitatis opus tamquam lethale venenum, quo ipsius substantiam perire autumat, abominatur: Aquila, quæ non secus, ac Accipiter, inter immundas volucres numeratur, estque rapacis auari symbolum, adeo vorax, & rapax est, vt voracitatem suis ipsis Pennis communicet. Nam vt ex Arist. 9. hist. animal. c. 2. docet Plin. l. 10. c. 3. *Aquilarum pennæ mistas aliarum alitum pennas deuorant.* Non dissimiliter opes ab auaro per auaritiam, & rapacitatem accumulatæ bona alia, alioquin iustè possessa corrumpunt, & destruunt: acciditque sæpe, vt opes rapaciter sublatæ vnà cum reliquis planè dispereant. Propterea à Iob supra citato de rapaci auaro dicitur: *Domum rapuit, & non ædificauit eam*: quod non solùm de aliena domo & familia, sed etiam de propria debet intelligi: auarus enim domum alienam per rapacitatem destruendo, suam etiam euertit, & destruit. Quare rapaces auaros, qui post direptas alienas opes, tandem etiam in miseriam, & egestatem incidunt, macræ illæ vaccæ per somnium Pharaoni visæ benè figurant: de quibus, post visas septem pinguissimas vaccas Pharao Gen. 41. ait: *Has sequebantur aliæ septem boues in tantum deformes, & macilentæ, vt nunquam tales in terra Ægypti viderim: quæ deuoratis, & consumptis prioribus, nullum saturitatis dedére vestigium; sed simili macie, & squalore torpebant.* Præterea citatis Iob verbis pœna alia in rapacem auarum inferenda significatur. Ex phrasi enim

Aurum mancipium mortis.

Epictetus in altercat. cum Adriano.

Auri vsus ad captiuos vinciendos.

Lib. de cultu fœmin. c. 10.

Charitas cur panis nomine significetur.

Accipitri est veluti venenum panis.

Aquilarum pennæ aliarum alitum pennas deuorant.

Auari proles denegatur.

Hebræa in Scriptura Domus ædificari dicitur, A cum parentibus proles, posterique nascuntur. Ideo Ex. 1. de Ægyptijs obstetricibus dicitur: *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos:* hoc est mansuram progeniem eis dedit. Hebraïcè enim filius dicitur בן ben à radice בנה bana, id est ædificauit: sicut enim per lapides domus, sic per filios familia construitur. Rapax igitur auarus, teste Iob *Domum non ædificauit*; eò quod ei rapacitatis in pœnam filij, qui paternis opibus gaudeant, denegentur.

Ep. c. 4.

53. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis,* monet Iacobus Apostolus. Nisi terrenarum opum affectu animum spoliemus, diabolum fugare non possumus. *Coluber nudum hominem timet*, ait Hieronymus. Similiter diabolus serpens antiquus hominum thesauzandi affectu spoliatum timet, ab B eoque procul fugam capessit; cum in eo suas insidias irritas planè noscat. Nam ij, *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, ex Apost. 1. ad Tim. 6. Teste eodem Hieronymo ibidem, cùm dicerent *latrones ad sanctum Hilarionem: Quid faceres, si latrones ad te venirent? ijs respondit: Nudus latrones non timeo. Maligni spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident*, ait Gregorius: Hos certè latrunculos spoliatus pecuniæ cupiditate, & quoad affectum planè nudus, timere non debet.

Coluber nudum hominem timet; similiter diabolus diuitiarum affectu spoliatum.
Tom. 9 in reg. Monachorum.
Hom. 11. in Euang.

### *Vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur.*

Aurum ad puniendum omnia rerum genera insurgunt.
Auaritia dicitur ærugo.

54. Sapientiæ 5. pugnaturus dicitur orbis terrarum contra insensatos: Insensati autem præcipuè auari sunt, pietatis sensu erga proximos carentes. Quoniam verò terrarum orbis inanimis, & animatis; rationis expertibus, & non expertibus constat: hæc omnia contra auaros insurgere dicuntur: scilicet ærugo inanimis, tinea animata rationis expers, fures rationis non expertes. Porrò adeo terrestres thesauri æruginі obnoxij sunt, vt vel apud profanos auctores thesaurizatio ærugo appelletur: *Hæc animos ærugo, & cura peculi cum semel imbuerit.* D

Hor. de Arte.

55. Dominicæ huic sententiæ, qua thesauri in terra accumulati æruginі, & tineæ obnoxij esse dicuntur, consonat Iacobi Apostoli c. 5. sententia contra auaros diuites: *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt; & vestimenta vestra à tineis comesta sunt: aurum, & argentum vestrum æruginauit; & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Similiter de auaro Ethnicus Poëta cecinit: *Cui stragula vestis blattarum, ac tinearum epulæ putrescat in arca.* Caij Iulij Cæsaris indumentum cruentatum populo Romano prolatum, ad Cæsaris necem vlciscendam populum mirificè incendit. Non dissimiliter cum ex diuitum auaritia pauperes nuditate, & fame pereant; ipsorum diuitum vestes intra arcam repositæ, & à tineis corrosæ extremi iudicij die prolatæ iustum Iudicem ad pauperum interitum contra auaros vlciscendum accendent. Ideò S. Cæsarius Arelatensis Episcopus hom. 2. ait: *Quia fortè aliquoties euenit, vt per negligentiam vestimenticula mea, quæ debuerunt accipere pauperes deuorarentur à tineis; timeo ne mihi ipsi panni in testimonium proferantur in die iudicij.*

Hora. sat. 1.

Regna terrena quia caduca, & contemnenda sunt, vermium nomine significantur.

56. Dan. 2. per quatuor metalla, nempe aurum, argentum, æs, & ferrum significantur quatuor Monarchiæ Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, eorumque opes, & thesauri: tursus Ioelis 1. ad easdem Monarchias, & thesauros significandos quatuor metallorum loco ponuntur Eruca, Bruchus, Locusta, & Rubigo, seu ærugo; vt insinuetur quàm facilè terrena imperia, & thesauri depopulationi, & exitio subijciantur. *Residuum Erucæ*, ait Propheta, *comedit Locusta; residuum Locustæ comedit Bruchus; residuum Bruchi comedit rubigo. Per erucam*, ait Rupertus: *Assyrios, Babylonios, & Chaldæos intelligimus: per Locustam Medos, & Persas; per Bruchum Macedones, & omnes Alexandri successores; per rubiginem imperium Romanorum. Regna sub nominibus vermium pronunciantur.* Quatuor inter has Monarchias de vno Alexandri Imperio ad eius contemptum benè Seneca lib. 14. ep. 92. ait: *Alexander Macedonum Rex discere Geometriam infelix sperat; sciturus quàm pusilla terra esset, ex qua minimum occupauerat. Ita dico infelix esse hoc quòd intelligere debebat falsum se gerere cognomen. Quis enim esse magnus in pusillo potest?* è Geometria, quòd exigua sua Dominatio foret, Alexander didicit; Apostolici viri à Geometriæ peritia quàm exigua mundi pars Deum agnoscat & veneretur, magno doloris sensu cognoscere debent. Similiter Theologiæ peritus è Diuinarum perfectionum pelago quam modicè per imitationem sibi attrahat, ingenti verecundia perpendere debet: cum tamen Dominus dixerit: *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est.* Matth. 5.

C 57. Præterea huiusmodi bestiolæ, quibus opulenti Reges significantur, paleis vesci solent; similiter mundi potentes, cum populorum opes in suos thesauros congregant, tunc bruchorum, & locustarum more nihil aliud, quàm paleas deuorare se cogitent. *Aurum*, inquit Plinius, *prunæ violentissimo igni indomitum, palea citissimè ardescit.* Vt hinc discamus, quàm contendendum sit aurum, cum leuium palearum ardore facilè eliquetur. Paleis concolor aurum est, paleisque leuitate simile videtur; cùm tam frequenter ex vno in alium auolet: ita vt propterea Ethnici diuitiarum Deum claudum quidem, sed alatum finxerint; eo quòd diuitiæ maximo labore, longoque tempore tardius acquirantur, & propterea claudæ videantur: acquisitæ tamen velut alatæ celerrimè auolent: *Feruntur diuitiæ vltro, citroque ventorum in morem*, ait Philo lib. 1. de Monarch. Quare cum se quis verè Christianum professus, ait: *Abrenuncio Satanæ, & omnibus pompis eius*; hinc nihil aliud sibi à diabolo denegari cogitet, quàm paleas: *Non do vobis paleas*, Israelitis dixit Pharao Diaboli typus iuxta Rupertum. Quid enim aliud diuites huius seculi dicere possunt, quàm quòd Genes. 24. dicitur: *Palearum, & fœni plurimum est apud nos*: addere tamen non possunt, quod ibi subditur: *Et locus spatiosus ad manendum*: cum Romanus ille dixerit: *Ipsa terra ita* E *mihi parua visa est; vt me Imperij nostri, quo quasi eius punctum attingimus, pœniteret*: Et Seneca benè pronunciauerit: *Punctum est, quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur. O quàm ridiculi sunt Mortalium termini! Punctum est illud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis.*

Diuitiæ, vt palea habendæ. l. 33. c. 3.
Diuitiarum Deus claudus, & alatus fingebatur: quòd diuitiæ serò acquisitæ citò auolent.
Exodi c. 5. 10.
De somnio Scipionis.
In præfat. nat. Quæstion.

58. Duo præcipuè ex sacris litteris terrenis thesauris ditati leguntur, scilicet Ioseph, qui eos thesauros in Ægypto est adeptus, vt Genes. 45. fratribus suis dixerit: *Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ.* Sicut autem à Pharaone ditatus est Ioseph, ita à Nabuchodonosore ditatus est Daniel; apud quem c. 2. legitur: *Tum rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei; & consti-*

Diuitiæ Iosepho, & Danieli somniis interuenientibus acquisitæ diuitiarum inanitatem indicant.

*tuit eum principem super prouincias Babylonis.* Si verò quæratur quo medio vterque Ioseph, & Daniel Ægyptias, vel Assyrias diuitias sint adepti? Nullum aliud reperitur, quàm Pharaonis, & Nabuchodonosoris somnium, vt habetur locis citatis. Cùm enim diuina prouidentia ad hos ditandos innumera media haberet, somnium tantummodo elegit; vt intelligamus quàm inanes sint diuitiarum fructus, qui è somniorum radicibus pullulant. Quare non immeritò Dauid Psal. 75. dixit: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis:* seu, vt legit Hieronymus: *Dormitauerunt somnium suum*; vbi ex Bellarmino somni, somnijque nomine ipsa temporanea diuitiarum possessio appellatur: iuxta quem sensum Ambrosius de diuitiarum possessione ait: *Somnium loquimur, non patrimonium.* Quare benè S. Gregor. 18. Moral. c. 10. ait: *Contingit dormienti inopi, vt se per somnium diuitem videat, atque ex eisdem rebus animum extollat; latetur se habere, quod non habet: sed repente euigilans euigilasse se doleat, qui interim diuitiarum imaginem vel dormiens tenebat. Gemit enim protinus sub paupertatis pondere, & inopia suæ angustijs premitur; & eò peius, quò ad tempus breuissimum, vel vacuè diues fuit. Sic sic nimirum huius mundi sunt diuites; quasi dormientes sunt; sed paupertatem suam vigilantes inueniunt; quia nihil secum ad illud iudicium, quod permanet, ferunt.* Bene ergo de mundano diuite dicitur Iob 17.19 *Diues cùm dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Illud profectò *Nihil* inueniet, de quo Dauid Ps. 72. dixit: *Ad nihilum redactus sum*; hoc est in peccatum, quo pulcherrima Dei imago destruitur, iuxta Bernard. serm. de triplici cohærentia vinculi.

c. 4. de Nabuthe.

59. Rursus Ambros. citato psalmi loco notat, Propheram dixisse viros diuitiarum, non diuitias virorum; vt ostenderet eos non possessores diuitiarum esse, sed à suis diuitijs possideri. Quæ quidem Ambrosij animaduersio iuxta moralem sensum benè procedit; sed iuxta litteralem, per Hebraismum dictum puto. *Viros diuitiarum*, id est viros maximè diuites: sicut ab Apostolo ad Coloss. 3. Charitas dicitur *Vinculum perfectionis*, id est vinculum perfectum; & Psal. 44. pro virga directa *Virga directionis* dicitur. Consueuerunt enim Hebræi primum obliquum casum pro epitheto vsurpare in substantiuo: qui casus si numero multitudinis vsurpetur, pro superlatiuo ponitur: Viri ergo diuitiarum viri ditissimi intelliguntur.

Hebræi primum obliquũ casum substantiui pro adiectiuo ponunt; qui si pluraliter effertur superlatiuum significat.

60. Sed cur signanter diuitiarum viri suum somnum dormijsse dicuntur? An alieno somno dormire quispiam potest? Significare profectò voluit S. Vates, quàm ab alijs diuersus diuitum somnus sit; cum non quieto somno, vt alij; sed sollicito, & interrupto eorum proprio dormire cogantur. *Saturitas diuitis non sinit eum dormire*, ait Ecclesiastes 5. *Saturitas*, id est *plenitudo marsupiorum, & horreorum*, ait Hugo. *Diues cogitationibus in diuersa laceratus dormire non valet*, ait Hieronymus. E' contrario Ecclesiasticus 31. ait: *Somnus saturitatis in homine parco*, id est in eo, qui paucis contentus est; *dormit vsque mane, & anima illius cum ipso delectabitur.* Similiter viro iusto ait Salomon: *Si dormieris, non timebis; quiesces, & suauis erit somnus tuus.* Ab Astræa, quam iustitiæ Deam finxit antiquitas, progenitum somnum docuit Seneca: Nil mirum igitur, si iniustis auaris per summam iniuriam sibi omnia vsurpantibus somnus iustitiæ filius denegetur. Quare, quisquis

Diuitum somnus inquietus

Prou. 3. 24.

In lectulo securo ebore vacuo.

auarus es, *inter insidias latronum, & tinearum morsus, quare tua recondas, obiurgat Dominus: peruigiles noctes, dies anxios, sollicita tempora ne tibi ipse facias commoneris. Auri custos, seruator argenti securitatem non habet, nescit quietam*, ait Chrysologus str. 22.

A. Chrysol. ser. 22.

61. Plinius l. 28. c. 3. docet *vestem à tineis non attingi*, quæ fuerit in funere: idem l. 27. c. 7. ait *Cypressi folijs tineas arceri.* Quare sicut funus, & funebris arbor tineas arcet à vestibus: sic mortis memoria à bonis omnibus, quæ possidentur, corruptionem arcere potest. Mors enim vnicuique imminens suadere debet, ne auaro animo intra arcas suas opes recondat; sed eas potius pauperibus impertiatur; quorum manibus in cœlestes meritorum thesauros transferuntur: *quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

Funebris vestis à tineis non attingitur. Cypressi folijs tineas arcent.

62. Diuites, qui pretiosis vestibus se operientes diuinum illud monitum Isaiæ 58. neglexerunt: *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris:* Coguntur, vt notat Origenes, scissis vestibus intra tumulum condi, ne si eæ integræ sint, furandi occasio detur, & cupiditas furibus inijciatur exhumandi corpus, & indignè tractandi. Contra verò, vt ait Chrysostomus: *Pauperis corpus nemo spoliare quæsierit; vestimentorum enim vilitas corporis amictui fit custodia.* Quare bene auarum diuitem Hector Pinius Matth. 6. 21. monet: *Pereunt Christi pauperes fame, & nuditate; & tu pecuniam, qua illi poterant viuere, in arca recondis. Nonne intelligis te in arca inclusam habere vitam pauperum? Quid dico inclusam? immo sepultam. Quid est arca auari, nisi sepulchrum, vbi vita pauperum sepelitur?* Chrysost. hom. 37. ad populum, quid auarus pauperi subuenire negans dicat, inducit: *Rodat tinea, & non comedat pauper: absumat vermis, & nudus non induatur: omnia tempore consumantur, & Christus non pascatur, licèt esuriat: At inquies: Quis hoc dixit? Hoc est autem ideo valdè malum, quod non verbis, sed operibus ista dicuntur.*

tom 1. hom. de orat. Annæ in fine.

63. *Auaritia simulacrorum seruitus* dicitur ab Apost. ad Coloss. 13. Si quæratur, cur auari relicto veri Dei cultu in idololatriam deflexerint? Respondet primò Chrysostomus in epist. ad Ephes. 5. quia *auarus omnia sibi expetens, contra verum Deum rerum omnium conditorem rebellat, nolens quantum in se est alijs communicari, quæ Deus communia esse voluit; suosque thesauros includit in penetralibus veluti Numina; nolens etiam ea tangere, quasi reuerentiæ causa.* Quare Exodi 34. 17. cùm præcipitur: *Deos conflatiles non facies tibi:* ibi, vt ait Philo lib. 1. Monarchiæ: *Auari arguuntur vndecunque argentum, & aurum sibi quærentes, & acquisitum tamquam Numen recondentes in penetralibus, totam suam felicitatem acceptam illi referendo.* Respondetur 2. cum homines thesaurizandi cupidos, terrenisque opibus addictos suos thesauros iuxta Diuinum monitum in cœlum transferre pigeret, suasque diuitias in terris possidere mallent; hinc factum est, vt in idololatriam inciderint, Deosque tales colere voluerint, qui à terrenarum rerum possessione eos non auerterent. Quare Isaias c. 2. de idololatra populo dixit: *Repleta est terra argento, & auro; & non est finis thesaurorum eius, & repleta est terra eius idolis: opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum.* Ideo de terrenarum opum possessione dixit Apostolus 1. ad Timot. 6. *Quam quidam appetentes errauerunt à fide.*

Auaritia cur idolorum seruitus?

64. Apud Ethnicos quosdam *Felis aurea pro Deo colebatur*, teste Plinio l. 6. c. 29. Neque ineptè felis

Auari veluti mures, muscipula diuitiæ, diabolus felis.

simulacrum sibi diabolus elegit, nam vt Apost. I. ad Tim. 6. ait: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli: incidunt in muscipulam diaboli*; legit Cyprianus ser. 6. in orat. Dominicam Auaros ergo diuites tamquam mures prædæ cupidos in suas insidias diabolus trahit; vt eos deinde tamquam voracissima felis deuoret. Benè Plutarchus libello de cupiditate diuitiarum, auaros muribus quibusdam comparat, qui Chrysindo, hoc est terra auro permista vescuntur.

Auari sui ipsius idololatræ.

65. Auari etiam erga seipsos idolatræ fiunt, quia sibi tamquam Dijs Creatoris Dei opera, & in genus humanum beneficia arrogant. Quod egregiè significauit Philo lib. de charit. dicens. *Ad agriculturam necessariæ, & ad prouentus fructuum sunt mutationes temporum; pluuia, temperies aëris, incrementa satorum, rores magni, & continui, auræ vitales, conseruationes ab iniurijs temporum; ne æstus, frigusue adurat, ne verna, vel autumnali tempestate lædantur segetes, fœtusue arborei. Hæc opera naturæ illi cum videant, eiusque largissimas gratias; tamen audent sibi vsurpare eius beneficia; & quasi sint ipsi auctores rerum omnium, inhumanitatem coniungunt cum impietate maxima.* Denique non solùm auaritiam idololatriæ nomine appellari posse, sed ex aliquo capite idololatria ipsa auaritiam peiorem esse benè probat Chrysostomus in epist. ad Ephes. & ad Gal. 5. dicens: *Vis cognoscere quomodo auaritia sit idolorum cultus; immo peior etiam idolorum cultu? Idolorum cultores creaturas Dei adorant: & venerati sunt, inquit Apost. ad Roman. 1. Et coluerunt creaturam plusquam Creatorem. Tu vero ipsam tuam creaturam adoras: auaritiam enim Deus non creauit; sed insatiabilis illa tua immoderatio illam adinuenit.* Hoc tamen boni auaritiæ idololatrę habent, quod idolorum cultores ab alijs etiam sua idola coli vellent, secus verò auari auaritiam, quam ipsi colunt, in alijs detestantur; vt ipsi tantùm ad se diuitias attrahere possint.

Auaritia idololatria quodammodo peior.

*Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.*

66. Post ieiunium, de quo primò Dominus dixerat; valdè congruè hîc ad cohortationem, vt in cœlo thesaurizetur, transit. Primò, quia cum piè ieiunans caput vngere debeat, & caput hominis Christus sit iuxta Apostolum 1. ad Cor. 11. tunc Domini caput vngimus, cùm Christo per pauperes repræsentato, misericordiæ oleum elargimur; pauperibus autem subueniendo, in cœlo thesaurizatur. *Caput tuum Christus est*, ait Origenes; *hoc ergo caput tuum vnge, & hoc decora omni tempore: & maximè in tempore ieiunij vnge per singularem charitatem; vnge, & compone per pauperum miserationem, peregrinorum eleemosynas: per ista ergo vnge caput tuum, Dominum tuum Christum; vt dicat tibi: Quando fecisti vni ex his pusillis, mihi fecisti.* Hinc Hieronymus ait: *O quanta beatitudo pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris semper viuentia, & habere Deum debitorem.* Ideo benè monet Gregor. 18. Mor. c. 50. *Terrena omnia, quæ seruando amittimus, largiendo seruamus; patrimoniumque nostrum retentum perditur, manet erogatum: diu enim cum rebus nostris manere non possumus; quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illæ nos viuentes quasi deserunt pereundo. Agendum ergo nobis est, vt res absolutè perituras in non perennem cogamus transire mercedem.* Porro, vt confirmatur, quod Gregorius ait *Terrena omnia, quæ seruando amittimus, largiendo seruamus*; refert Athenæus lib. 3. post impo-

Terrena opera auaritiæ seruata amittuntur, et misericordia erogata seruantur.

c. 1. homil. ex diuersis.

tom. 9. in regul. Monachor. c. de paupertate.

Tributo salis imposito, sal manceſcit.

A si tum à Lysimacho rege salis tributum, sal euanuisse; idem postea ablato tributo creuisse: ibidem narrat salubris fontis scaturiginem exaruisse, cum Antigoni regis duces eam aquam indigentibus parcius impertirentur; aliamque aquam valdè diuersam darent. Sed, quod peius est, non aquæ fons, sed ipsa auari vita exaruit; cùm Nabal non solùm cibum, sed vsualem aquam indigentibus denegasset dicens 1. Reg. 25. *Tollam panes meos, & aquas meas, & dabo viris, quos nescio vnde sint?* Ex qua auaritia factum est, vt post paucos dies auarus Nabal iusta Dei vltione periret: *Cùm pertransissent decem dies, percussit Deus Nabal, & mortuus est.*

Aquæ salubris scaturigo exaruit, quod talis aqua indigentibus non daretur.

B 67. 2. Cum pio ieiunio thesaurizatio in cœlo congruit, quia piè ieiunantibus facies est abluenda lacrymis pœnitentiæ; vt hoc pacto Euangelij verba illa: *Cum ieiunas, faciem laua*, consentiant cum Ioëlis c. 2. verbis: *Conuertimini ad me in ieiunio, & fletu.* Porto qui lacrymas pœnitentiæ fundit, thesaurizat in cœlo; cum pœnitentis lacrymæ veluti cœlestes margaritæ in Dei pectore asseruentur, thesaurumque cœlestem locupletent. Nam Ps. 55. vbi ex Vulgata legimus: *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*; ex Symmacho legitur: *Posuisti lacrymas meas intra te.* Par quidem est, vt intra se nostras lacrymas Redemptor noster exciperet, vt ibi lacrymæ reponantur, vnde pro nobis sanguis effluxit: itàque saltem fiat, vt sanguinem lacrymis compensemus.

Pœnitentis lacrymæ margaritæ.

C 68. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo: Ibi thesaurizauit sibi Abraham per hospitalitatem; Iob per egenorum miserationem; illic thesaurizauit sibi Samuel per iusta iudicia: ita Dauid, omnesque sancti*, ait Origenes. *Si pecunias tuas Deo mutuas dederis, incolumis in posterum thesaurus tuus manebit; ac nullo certè negotio, aut iactura subsequetur mutui redditio. Nam gratiam habet Deus, & cum nobis debet, & cum soluit; libentiusque fœneratores suos contuetur; quàm eos, à quibus nihil mutuò accepit: & quibus maximè ille debet, hos & maximè amat. Quare si perpetuam cum illo amicitiam inire vis, effice, vt multum tibi ille debeat: neque enim sic delectatur debitoribus suis creditor, sicut Deus suis creditoribus.* D *Quibus nihil debet, eos auertit; quibus autem debet, ad eos occurrit*, ait Chrysostomus hom. 15. in Matth. *O homo si sic permansurus es, quæ tua sunt hic repone: si illuc iturus es, hic, quæ tua sunt, cur derelinquis? Qui relinquenda seruat, alienorum custos est, non suorum. Homo mitte, & premitte thesaurum tuum in cœlos, ne cœlestem animam demergas in terram. Aurum de profundo terræ, anima ab excelsis cœli est: Melius proinde est ad sedem animæ deferri aurum, quàm in sepulchro auri anima demergatur*, ait Chrysol. serm. 22.

tom. 4. hom. 14. ex diuersis.

E 69. Oseæ 11. Dominus ait: *In funiculis Adam traham eos: in funiculis hominum traham eos*, legunt Septuaginta, Theodotio, Aquila, & Symmachus. Affectus, quibus ex auaritia homines tenaciter alligantur ad ea, quæ possident, conseruanda, hominum funiculi sunt: per hos funiculos se homines ad se tracturum Dominus ait; proponendo scilicet salutarem modum, quo ea, quæ possident, seruare possint; vel magno cum fœnore commutare: & sic ipsi Deo, & hominum saluti, & humanæ auaritiæ sine auaritiæ culpa satisfiat. Id egregiè explicat Chrysologus serm. 25. dicens: *Quàm cupis pecuniam perdurare, perpetuare sacculos diuitiarum, condita permanere quæ dicis: Facite vobis sacculos, qui non veterascunt. Ecce docet auaritiam, qui cœperat suadere contemptum: & qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad to-*

Modus laudabilis auaritiæ satisfaciendi. Luc. 12.

*tum cupiditatis fomitem iubet sacculos sine fine perquiri. Christe, quò te pertrahit amor tuorum! vt auarum lucrifacias facis eum, quod desiderat audire: æternos thesauros, qui non deficiant, vis parari; vt auarus dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur. Domine, tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sacculis sit auaris: & ideo imputribiles in cœlo sacculos vis parari; vt qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem sacculos suos. Auare, fac tibi sacculos erogando; quia quicquid pauper acceperit, Pater cœlestis suscipit. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo.* Benè ergo Augustinus ait: *Cum egenis eleemosyna erogatur, quod periturum erat in terra, seruatum est in cœlo.* De eleemosyna, & mercede eleemosynæ à Deo retribuenda plura dicentur feria 6. post cineres.

70. Euangelium Domini monitum de thesaurizando in cœlo, egenis subueniendo, quàm eximiè, quàm feliciter seruauerit Tiberius secundus Orientis Imperator, refert Gregorius Turonensis l. 5. c. 19. *Cum Tiberius multa de thesauris, quos Iustinus aggregauit, pauperibus erogaret; & Augusta*, scilicet Sophia Iustini vidua coniux, *eum frequentius increparit, quòd rempublicam redegisset in paupertatem; diceretque: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paruum tempus prodigè dispergis. Aiebat ille: Non deerit fisco nostro; tantùm pauperes eleemosynam accipiant, & captiui redimantur: hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit; & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cœlo, vt nobis Dominus augere dignetur in sæcula.* Tiberius postea, *deambulans per palatium vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua crux Dominica erat sculpta, & ait: Cruce tua Domine frontem nostram munimus, & pectora; & ecce Crucem sub pedibus conculcamus. Et dicto citius iussit eam auferri: defossaque tabula, atque erecta, inueniunt subtus & aliam hoc signum habentem; nudantesque iussit auferre: qua amota reperiunt & tertiam; iussuque eius & hæc aufertur. Qua ablata inueniunt magnum thesaurum habentem supra mille auri centenaria; sublatum aurum pauperibus adhuc abundantius subministrat. Quid ei Dominus in posterum transmiserit, non omittam. Narses Italiæ Dux in domo sua occultam cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri, argentique reposuit; ibique interfectis conscijs, vni tantùm seni per iuramentum condita commendauit. Cum senex Tiberij eleemosynas assiduè cerneret, pergit ad eum dicens: Thesaurum Narsetis reconditum habeo; quod in extremo vitæ positus celare non possum. Tunc Tiberius mittit ad locum pueros suos; peruenientes ad cisternam, deopertamque ingrediuntur; in qua tantum aurum, argentumque reperiunt, vt per multos dies vix euacuaretur à portantibus. Ex hoc ille amplius hilari animo dispensauit egenis.* Deum cum Augusto æmula liberalitate certasse dici potest. E thesauraria autem Narsetis cisterna, qua auaritiæ hydropicus suam sitim vix sedasset, cum Tiberius eleemosynas erog ret, prodiit fons *aquæ salientis in vitam æternam*; largissimamque diuitiarum possessionem cum pietate, bonoque opulentiæ vsu coniungi posse egregiè Augustus ostendit.

Tiberij Orientis Imperatoris in pauperes liberalitas eiusque præmium.

Ioan. 4.

71. Sed quoniam diabolus omni conatu nititur difficillimam Christianam legem ostendere contra diuinum testimonium, quo Dominus testatus est: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*: hinc diabolica fraude hæresis inuenta est, qua Manichæi, Apostolici, Pelagiani, Eusthatiani, & alij damnabant possessionem, vsumque diuitiarum: quam hæresim benè confutant S. S. P. P. Hieronymus lib. 1. contra Pelagium, August. epist. 89. quæstione 4. & epist. 106. & alibi. Benè ergo Gregorius explicans verba Iob 36. *Deus potentes non abijcit, cum & ipse sit potens*: non diuitum potentiam ex opum possessione prouenientem, sed superbiam ex opulentia natam damnandam esse docet: *Potentiam Deus tribuit, elationem potentiæ malitia nostræ mentis inuenit. Tollamus ergo quod de nostro contulimus, & bona sunt, quæ Deo largiente possidemus.* Similiter apud Hieronymum loco citato de Abrahamo, alijsque iustis diuitiarum possessoribus dicitur: *Cum ipsis diuitijs ad bona vtentes opera diuites esse desierint; immo cùm non sibi, sed alijs diuites fuerint, dispensatores magis Dei, quàm diuites appellandi sunt.* Quare de diuite sibi tantùm, non proximis opulento Domini verba Matth. 19. intelligenda sunt: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regna cœlorum.*

Hæresis Pelagianorum damnans possessionem diuitiarum confutatur. Matth. 11. 30.

25 Mor. c. 24.

*Vbi neque ærugo, neque tinea demolitur; vbi fures non effodiunt, nec furantur.*

72. SI cœlum ipsum rapinæ expositum est, iuxta Domini testimonium Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; quo pacto, qui in cœlo thesaurizat, securus à raptoribus esse potest? Respondetur thesaurizare thesauros in cœlo, significare acquisitionem meritorum in ordine ad æternam gloriam. *Factus est thesaurus tuus meritum tuum*, ait Augustinus. Porro cum plures æternam gloriam merentur, atque adeo cœlum rapiunt; aliorum merita, & præmia non imminuunt, sed illorum potius accidentalem gloriam augent. Quare de æterna hæreditate dixit Gregorius, *Eam cohæredum numerus non angustat.* Propterea cœlestes thesauri non ærugini, neque tineæ obnoxij esse dicuntur; æruginis enim nomine inuidiam intelligit Origenes: similiter per tineam inuidia significatur; de inuidis præcipuè dicitur Iob 4. *Consumentur velut à tinea.* Nam sicut teste Gregorio: *Tinea de veste nascitur, & eandem vestem, de qua oritur, oriendo corrumpit*: sic inuidia inuidum cor, vnde oritur, tineæ instar corrodere videtur. Nulla ergo in cœlestibus thesauris ærugo, tinea nulla locum habet; quia nulla ibi inuidia reperitur; cùm sancti aliorum meritis non inuideant; sed illis mirificè gaudeant. Cœlorum igitur regnum tale est, vt illud quò plures rapiunt, eò magis singulorum augeatur, & stabiliatur principatus. Testatur id Dauid Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Vnde autem prouenit ista maior principatus corroboratio? subdit regius Vates: *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*: ex magno iustorum numero fit, vt alter alterius augeat, & stabiliat principatum. Propterea Dei electos ignitis carbonibus in sacris litteris assimilari legimus; quia scilicet aucto illorum numero singulorum ardor, & lux non imminuitur, sed augetur. Electi mysticè repræsentantur celebri illa Ezechielis visione c. 1. de ijs autem ibi dicitur: *Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Vbi Greg. ait:

In Ps. 56.

Conc. 3.

Thesaurus cœlestis, quòd à multis rapiatur non proinde imminuitur.

Gregor. in Moral.

c. 1. hom. 4. ex diuersis.

5. Mor. 27.

Inuidia est tum æruginis, tum tineæ similis.

Hom 5.

*Quia Sancti viri quosdam iuxta se positos quasi tangendo ad amorem patriæ cælestis accendunt, carbones sunt: quia verò quibusdam longè positis lucent; eorum itinera ne in peccati sui tenebris corruant, lampades fiunt.* Iusti ergo alios accendendo, & illuminando sua merita, atque adeo cœlestes sibi thesauros mirificè augent, & roborant.

*Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

73. THesaurus, *aut cor hominis per eleemosynam leuat ad cælum, aut per auaritiam demergit in terram*, ait Chrysol. serm. 22. Porro tàm in corde, quàm in igne pyramidalis figura conspicitur: & quidem de humano corde verè dici potest: *Igneus est illi vigor, & cælestis origo.* Ignis sursum pyramidis cuspidem erigit, eo quòd naturali propensione ad superiorem sphæram feratur: è contrario, cum humanum cor pyramidem inuertat dirigendo cuspidem terram versus, indicat se naturali propensione terrena bona, terrenosque thesauros appetere. Hac de causa Dauid Psal. 50. *Cor mundum* efflagitabat, cordisque *Spiritum rectum*; qui scilicet sursum veluti pyramidalis ignis tenderet. *Spiritum rectum fac, vt rectus ad cælestia dirigatur*, ait Hugo Card. Ne cor erga diuitias terrenas apponamus, rectam hominis tantùm à Creatore datam corporis figuram docet Bernardus Cantic. serm. 24. *Corporis staturam dedit homini Deus rectam; vt hominem interiorem, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ seruandæ rectitudinis admoneret; & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quàm curuum recto corpore gerere animum? Peruersa res est, & fœda luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum; spiritualem verò, cælestemque creaturam suos oculos, id est internos sensus, & affectus trahere in terram deorsum. Erubesce anima diuinam in pecorinam commutasse similitudinem: erubesce volutari in cœno, quæ de cælo es. Quærere, & sapere quæ sunt super terram, curuitas animæ est: & è regione meditari, ac desiderare, quæ de sursum sunt, rectitudo.*

74. Ex Platone refert S. Ambrosius, *Quod qui volunt aurum quærere, prius se luto oblinant.* Vtinam ad aurum quærendum corpus tantùm lutó esset oblinendum, & non etiam peccatorum cœno animus fœdaretur. Benè ergo Bernardus monet: *Erubesce anima volutari in cœno, quæ de cælo es.* Qui de cœlo esse se noscunt, nec à cœlesti Patre degeneres esse volunt, cum Ambrosio dicant: *Nos aurum quærimus, quo corpora nostra mundemus. Bonum aurum sanguis est Christi, diues ad pretium, profluus ad lauandum omne peccatum.*

Ambros. in ps. 118.

Ambros. ibidem. Aurum, quo [illegible] sanguis Christi.

# FERIA V. POST CINERES.

## Cùm introisset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, &c. Matth. VIII.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

1. IN hac Euangelicâ historiâ Domini verbis laudatus Centurio quatuor virtutum egregium specimen præbet. Primò Charitatis erga paralyticum seruum; cuius languorem Domino præponens, eius sanitatem precibus impetrare nititur. *Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* 2. Humilitatis: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* 3. Fidei: *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* 4. additur Religio in Deum propter extructam Synagogam, testantibus Iudæis Luc. 7. *Synagogam ipse ædificauit nobis.* Quatuor hisce virtutibus, veluti quatuor rotarum curru, cœlum versus tendere videtur; ita vt meritò de illo prædici potuerit: *Recumbet cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum.* Porro mysticus hic Centurionis currus Ezechielis curru c. 1. aptè figuratur: quatuor enim Centurionis virtutibus enumeratis quatuor, quæ Ezechielis currum trahebant, animalia respondent: *Similitudo vultus eorum facies hominis, facies leonis, facies bouis, & facies aquilæ.* Per hominem signatur Religio in Deum; hominibus enim dicitur 2. ad Cor. 6. *Vos estis templum Dei.* Per leonem signari potest amor in paralyticum: nam cùm paralysis sit neruorum resolutio, iuxta Celsum l. 2. c. 1. leoni leunculus nascitur veluti paralyticus adeo infirmis neruis, vt ex Plin. l. 8. c. 16. integro duorum mensium spatio inniti nequeat; sex verò mensium absoluto spatio vix possit incedere; quo tempore leonis parentis assiduum amorem experitur. Præterea ex eodem Plinio l. 28. c. 8. leonis adeps tumidos ex decidentibus humoribus articulos exsiccat, quod maximè ad paralysim curandam iuuat. Per bouem, qui iugo facilè ceruicem subdit, humilitas indicatur. Per aquilam denique acuta oculorum acie præditam fidei perspicacitas insinuatur.

Leo valdè imbecillus nascitur.

*Cùm introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum.*

2. CVm complures legiones à Romanis in diuersis prouinciis alerentur, legio sexta, quæ ferrea cognomine dicta erat, in Iudæa degere consueuit, vt auctor est Dio hist. Rom. l. 55. cuius legionis vnum ex Centurionibus hunc fuisse existimamus,

Centurio Euangelicus ex legionis cognomento ferrea

ait Baronius. Felix igitur iste Centurio ex ferri legione ad pretiosissimum aurum comparandum translatus est, de quo Dominus Apoc. 3. 19. ait: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum. Quid aurum, nisi sapientiam appellat? de qua per Salomonem Prou. 21. dicitur: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Aurum nempe Sapientiam vidit, quam thesaurum vocauit. Quæ & rectè auri appellatione signatur; quia sicut auro temporalia, ita sapientia bona æterna mercantur.* ait Gregor. 4. Mor. c. 35. Tale aurum dicitur ignitum; quia teste Ambrosio Apoc. 3. *Sapientia eorum mentes, in quibus habitat, in Dei, & proximi amorem accendit.* Hanc sapientiam cœlesti gratia aspirante consecutus Centurio ex proximi charitate per alios, & per se serui sanitatem à Domino impetrare studuit, dicens: *Puer meus iacet in domo Paralyticus:* ex charitate verò in Christum Dominum dixit: *Domine noli vexari*, Lucæ 7. Hoc est, cum Deus sis, & corpore absens curare possis, cùm tamen humanæ carni te subieceris, ne itineris laborem, & molestiam ad seruum meum visendum, & curandum suscipias. Rursus de sapientiæ auro, quod, vt ematur, Dominus suadet, ait Rupertus: *Eme aurum sapientiæ ignitum ex charitate, probatum ex fide per charitatem operante.* Verè probatum ex fide aurum Centurio habuit; cum de eo Dominus dixerit: *Non inueni tantam fidem in Israël.* Porro spiritualem alchimiam, qua Centurio ex ferreæ legionis milite aureæ charitatis miles effectus est, benè docet Augustinus in illa Psalm. 149. verba: *Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis*; vbi de vinctis per hæc vincula ait: *Ferrea sunt, quandiu timent; amant, & aurea erunt.* Lib. 2. Machab. c. vlt. legimus: *Extendisse Ieremiam dexteram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcias aduersarios populi mei Israël.* Similiter Centurioni antea ferreæ legionis militi aureus ille gladius datus est, quem Apost. 6. ad Eph. vocat *Gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Nam, vt refert L. Dexter in Chronico, Euangelicus hic Centurio Christianæ militiæ adscriptus, Euangelicam legem in Iudæa, & Hispania prædicauit. Sed vt ad Euangelicam historiam reuertamur; vt paralytico seruo sanitatem Centurio à Domino impetraret, primò Iudæorum seniores; deinde suos ex Romanis amicos misit, postremò ipsemet venienti Domino obuiam venit, seniores Iudæos, & amicos missos refert Lucas c. 7. v. 13. & 6. ipsum Centurionem obuiam venisse hoc c. 6. refert Matthæus. Quare Matthæus, & Lucas inuicem non contradicunt; sed alter refert, quod alter omisit. *Non est absurdum missos esse primò alios, qui illud dicerent; deinde ipsum quoque accessisse, ac per se iterum eadem dixisse. At, inquies, Lucas alterum non scripsit: ego autem tibi alterum à Matthæo prætermissum esse respondebo, idque non esse eorum, qui repugnantia dicunt; sed eorum potius, qui quæcumque ab altero prætermissa sunt, diligenter supplent:* ait Chrysost. Sic, cum Euangelij textum alium explicaret August. ait: *Quæ à Ioanne prætermissa sunt, apud alios Euangelistas leguntur; sicut apud hunc inueniuntur multa, quæ illi similiter in sua narratione tacuerunt.* Ideo quatuor Euangelia, potius vnius Euangelij libros esse dixit idem Augustinus in Ioa: tract. 36. eò quòd omnes Euangelistæ ad integram historiam conflandam simul concurrant. Non est ergo cur Oliander duos Centuriones seruorum sanitatem à Domino flagitasse asserat; alterum scilicet à Matthæo, alterum à Luca relatum. Sicut non est, cur idem auctor Chananæas duas, vt obsessas à Dæmone filias liberarent, Dominum adeuntes distinguat; eò quòd Marcus Chananæam pro filia domi, vbi Redemptor erat, obsecrasse; Matthæus verò in via Chananæam orasse referat; cum mulier eadem vtrumque fecerit.

Amor ferrea reddit aurea.

Chrysost. hom. 27. in Matth.
August. in Ioa: tract. 111.

*Et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.*

3. IN his verbis elucet prima Centurionis virtus, nempe eximia in languentem seruum charitas; quia illius sanitatem à Domino impetrare, per alios primò, deinde per seipsum Domino obuium enixè conatur; seruans in hoc, quod Ecclesiasticus c. 33. v. 31. monet. *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem tuum sic eum tracta: quoniam in sanguine animæ comparasti illum.* Æquum profectò est, vt domini seruos fideles quasi animam, hoc est vitam suam diligant; cum legamus à seruis quasi propriam vitam dominos fuisse dilectos; ita vt, quamuis indiscreto affectu, dominorum mortem propriæ vitæ limitem esse voluerint. Quare de Gallis Cæsar l. 6. de bello Gallico ait: *Serui, & clientes, quos ab his dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis, vnà cremabantur.* De ijsdem Pomponius Mela l. 3. cap. 2. ait: *Erant, qui se in rogos suorum, velut vnà victuri libenter immitterent.* Mero Antonij seruus stimulatus ad dominum perimendum, conuerso in se gladio seipsum interemit, teste Plutarcho in Antonio. Plura refert Seneca l. 3. de beneficiis c. 23. & sequentibus.

Serui in dominorum funere vltrò mortem subierunt.

4. Cur seruis ab heris charitas exhibenda sit, rationem reddit Apostolus ad Eph. 6. ex eo scilicet, quòd tam seruus, quàm herus Dei creatoris conseruus sit: dominos ergo alloquens ait: *Illorum, & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum.* Quare Matth. 18. 22. Seruum, qui cum conseruo suo nimis durè se gessit, *& tenens suffocabat eum, dicens: Redde, quod debes: iratus dominus eius tradidit eum tortoribus.* Hinc Philo apud S. Maximum hom. 7. ait: *Talem te domesticis seruis præsta, qualem Deum in te esse velles: vt enim audimus, sic à Deo audiemur; atque vt intuemur alios, sic nos Deus intuebitur. Offeramus ergo misericordiæ misericordiam, vt simili simile consequamur.* Non dissimiliter Seneca ep. 47. monet: *Cùm seruis familiariter te viuere decet prudentiam tuam. Serui sunt? immo homines. Serui sunt? immo contubernales. Serui sunt? immo humiles amici. Serui sunt? immo conserui, si cogitaueris tantumdem in vtrosque licere fortunæ. Mariana clade multos splendidissimè natos fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit.* Si fortunam fecisse ethnicus Seneca censuit, vt aliquis ex nobilissimo viro pastor euaserit: multò mirabilior diuinæ gratiæ vis est habenda; maioremque metamorphosim effecisse eam legimus; cum Onesimum antea furacem, & fugacem seruum, postea ex Ethnico Christianis mysterijs ab Apostolo initiatum, Ephesiorum Episcopum, celebremque martyrem effecerit; vt habetur ex Martyrologio 16. Febr.

Seruos erga ex charitate beneuolè se gerere Domini debent.

5. Præterea cur erga seruum dominus bene ex debita charitate se gerere debeat, rationem aliam affert Ecclesiasticus dicens: *Quoniam in sanguine animæ comparasti illum*; hoc est, quoniam eius sanguinis, hoc est vitæ seruandæ obligatione obstrictus eum emisti; itaut in eius vitam

ius

ius nullum habeas : alioquin quæret Deus sanguinem eius de manu tua ; & sanguis illius erit in caput tuum. A

6. Denique August 19. de ciuit. c. 16. ex nomine, quo familiæ caput appellatur, colligit herum paterna dilectione se erga seruum gerere debere : *Naturalis ordo ita præscribit, vt nomen patrumfamilias hinc exortum sit, & tam latè vulgatum, vt iniquè etiam dominantes hoc se gaudeant appellari. Qui autem veri patresfamilias sunt, omnibus in familia sua tanquam filijs ad colendum, & promerendum Deum consulunt.* Egregium profectò erga seruos charitatis exemplum præstitit S. Ludouicus Galliæ Rex. Nam, vt mancipium triremi addictum Christianæ legis doctrinam addisceret, ipse rex B veluti remex eius locum interim occupare, remoque adstare non erubuit. Ita vt non mirum sit tam feliciter pijssimum remigem ad cœlestis patriæ portum appulisse. Plus illi profectò remus, quàm sceptrum decoris attulit : potuitque nauigium illud regis purpurâ verius, quàm aureo vellere nauis Argo gloriari. Prisco tempore fœcundiorem fuisse tellurem ait Plin. l. 18. cap. 3. cum *manibus Imperatorum edebantur agri, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore*, qualis Verranus fuisse perhibetur. Sed multò verius dicere possumus, Gallicam triremem felicem semper cursum habuisse ; cum laureato, & triumphali remo, ad quem remex Ludouicus adstiterat, im- C pelleretur. *Quid de hac naui fecisset eorum vanitas, qui errore eo, quo colunt omne, quod fingunt, Argonautarum infelicium puppem fabulosis literis sacrauerunt ; atque etiam nunc in cælo videre se credunt, & inter astrorum choros numerant?* Sancti Paulini verba vsurpantes dicere possumus.

Seruos erga, pijssimum sancti Ludouici Regis exemplum

S. Paulinus Epist. ad Macarium.

7. Porrò pueri nomen, quod hic suo seruo Centurio tribuit, tripliciter in sacris litteris accipitur. Primò si ad ætatem referatur, tum teneriori ætati, tum adolescentiæ conuenire reperimus Hinc de Domino recens nato Herodes dixit Matth. 2. *Interrogate diligenter de puero* : & de Iosepho sexdecenni Ruben dixit Gen. 37 *Puer non comparet.* 2. Puer dicitur seruus ; qui enim hic apud Matth. puer dicitur, apud Lucam seruus appellatur. Si- D militer Gen. 24. vbi de Abrahamo dicitur: *Dixit ad seruum seniorem domus suæ* ; iuxta Septuaginta legitur : *Puerum seniorem domus suæ.* Hunc autem octogenario maiorem fuisse bene censet Pererius. Quare Ambros. lib. 1. de Abraham cap. vlt. ait : *Disce hinc, quod etiam senioris ætatis seruuli pueri dicuntur à dominis, vel quibusque potioribus. Vnde & quidam poeta hoc sequendum putauit, siue in eorum vsum, qui sibi docti, & sapientes videntur, ipse hoc reperit ; siue de nostris ipse transtulit ; siue translatum inuenit : Pascite vt ante, boues, pueri ; submittite tauros. Vnde & pueros dicimus, quando seruulos significamus, non ætatem exprimentes, sed conditionem.* 3. Pueri nomen tribuitur filijs. Hinc E Lucæ 11. paterfamilias ait : *Pueri mei mecum sunt in cubili*, & Act. c. 4. æterno Patri dicitur : *Conuenerunt aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti.* Sed cum Ioannis c. vltimo, Apostolis post piscationem Dominus ignotâ specie apparens dixit : *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* tunc vel eos pueros vocauit, hoc est operarios ditioribus sua in arte seruientes : vel pueros blanda voce nominauit, quasi filios. Non dissimiliter hic Centurio seruum puerum vocat, eo quòd illum, vt filium haberet ; vel insuper, quod eum in filium, & hæredem adoptasset, dicente Luca : *Illi erat pretiosus.* Quam serui adoptationem apud Romanos consuetam fuisse, indicat Plinius l. 7.

Pueri nomen tripliciter vsurpatur

Virg. Ecl. 1.

Serui in filios adoptabantur.

A c. 36. *Catienus Philotimus patronum adeo dilexit, vt heres omnibus bonis institutus, in eius rogum se inceret.* Hinc Plutarchus in Politicis, qui apud Romanos versabatur, suadet libertos adoptare, vt simili adoptionis spe serui heris ad nutum obsequi condiscant. Idem in vsu fuisse apud Hebræos insinuatur Prou. 17. *Seruus sapiens dominabitur filijs stultis ; & inter fratres hæreditatem diuidet.* Præterea, si, vt in Chronico docet Lucius Dexter Centurio hic Hispanus fuit, apud Hispanos fidos seruos adoptandi in filios, & hæredes mos etiam fuit. *Quod apud nostrates non omnino abolitum est*, ait Hispanus auctor Salazar ; *cum constet nobilissimas quasdam Hispaniæ familias, cum legitimi hæredes virilis propaginis non suppetunt, seruum ex ijsdem familijs optime meritum ad hæreditatem capessendam vocare.*

Salazar in Prou. c. 17.

8. Quæri extremo loco potest, cur non Centurio paralyticum seruum ad Dominum transferri curauerit ? sicut Marci 2. in eadem Capharnaum vrbe : *Venerunt ad eum ferentes paralyticum. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum, vbi erat ; & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus iacebat.* Ibique dicitur Dominus, eorum fide visâ paralyticum curasse. Respondent quidam apud Leontium, propterea Centurionem seruum non adduxisse, quia iam agebat animam ; & ideo timuisse, ne in via agitatus moreretur : de hoc enim seruo Lucæ 7. dicitur : *Malè habens erat* C *moriturus*, hoc est morti proximus. Sed contra benè ait Leontius Centurionem, qui credidit morientem solo verbo sanari à Domino posse ; eundem credidisse etiam existimandum est, posse Christum efficere, ne per viam morti proximus moreretur. Propositæ difficultati respondet S. Paschasius de Centurione dices : *Manifestè nouerat Christi potentiam, quod nec loco concluditur, nec fine terminatur ; sed vbique posset. Idcirco sicut nec venire illum necesse ad eum credidit ; ita nec deferre famulum ex domo ad eum putauit.* Benè ergo à Chrysostomo dicitur : *Centurio his, qui per tectum demiserunt lectulum, multò præstantior. Non enim præsentiam Christi quærit corporaliter ; neque ipsum ægrotum* D *duxit ad medicum ; sed summa de Christo existimans, ac Deum ipsum esse non dubitans : Dic verbo solo, ait.*

Paschasius in Matth. c. 8.

In Matth. hom. 27.

*Et ait illi Iesus : Ego veniam, & curabo eum.*

9. QVod adeo facilem, promptumque se Dominus ad Centurionis seruum curandum exhibuerit, nemo miretur. Si enim Centurio de serui salute sollicitus erat ; eo quòd teste Luca, *illi erat pretiosus* ; sollicitior de eiusdem salute Dominus erat, eò quòd illi similiter pretiosus erat : *Cum non corruptibilibus auro, vel argento, sed* E *pretioso suo sanguine* eum redempturus esset, & per corporalem salutem ad spiritualem esset adducturus. *Vilis Deo est mundus præsens, pretiosa est anima humana*, ait Gregorius 18. Mor. c. 23. Ecclesiasticus 33. 31. cum ab hero seruum diligendum esse monuisset, rationem reddit : *Quoniam in sanguine animæ comparasti illum.* hoc est, age cum seruo tuo, tamquam cum fratre ; quia multa cum pecunia, veluti sanguine tuo illum emisti : largior enim pecunia, veluti sanguineo sudore comparatur, ideo nummi vulgo secundus sanguis dici solent. Similiter Christus Dominus quemlibet hominem valde diligendi motiuum habet ; cum eum proprio sanguine sibi comparauerit.

c. 7.

Petri 1 ep. c. 1.

*Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.*

Humilitas ad veritatis lumen acquirendum est via.

10. CVm antea insignem charitatem erga seruum ostendisset; postea erga Dominum eximiæ humilitatis, & fidei specimen Centurio dedit. Domum enim suam indignam, quò Dominus ingrederetur, confessus est; & ipsum Dominum vnico verbo seruum curare posse credidit dicens: *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Per hoc tamen Domini loquelam necessariam ad serui sanitatem esse non existimauit. Si enim hoc eodem capite leprosus externam Christi vocem ad ipsum mundandum necessariam esse non credidit, sed tantùm internum voluntatis actum, dicens: *Domine, si vis, potes me mundare:* multò magis id Centurionem, cuius fides alijs prælata est, credidisse dicendum est. Dixit ergo: *Dic verbo*; tum, vt sibi benignus Redemptoris assensus innotesceret; tum, quia Dominum, vt verum hominem humano more agere, adeoque externa voce voluntatis actum significare existimauit; tum denique, quia vnicum verbum, & Domini imperium efficax esse ad seruum curandum credidit. Verbum enim in Scriptura pro imperio sumitur: vt hoc eodem capite de Domino dicitur: *Eyciebat spiritus verbo.* Porrò Centurio sibi per humilitatem ad tam eximiam diuinæ fidei veritatem aditum aperuit. Nam, vt August. epist. ad Dioscorum ait: *Non aliam ad capessendam, obtinendamque viam veritatis inuenies, quàm quæ inuenta est ab illo, qui gressuum nostrorum, tamquam Deus vidit infirmitatem. Prima est humilitas, secunda est humilitas, tertia est humilitas: quoties hoc interrogaueris, hoc dicam.*

11. Præterea per charitatem in domesticum seruum etiam sibi aditum ad eximiæ fidei lumen Centurio aperuit. Nam è contrario ex huiusmodi charitatis defectu in infidelitatem incurritur, dicente Apost. 1. ad Timoth. 5 *Si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet*; scilicet eorum spirituali, & corporali bono minimè consulens; *fidem negauit:* non verbis, sed operibus. Deum enim per fidem nouimus præcepisse: *Domesticos seminis tui ne despexeris*, vt Isa. 58. v. 7. iuxta Septuaginta legitur.

12. Quoad litteram difficultas hic insurgit, quomodo enim Centurio apud Matth. Dominum in domum suam venire renuit; cum apud Lucam legatur: *Misit ad Iesum seniores Iudæorum rogans eum, vt veniret, & saluaret seruum eius.* Difficultas augetur, cum apud Lucam etiam Centurio dixerit: *Meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te?* Respondetur Iudæos ad Dominum missos non quidem fuisse mendaces, sed propter fidei defectum malos fuisse interpretes Centurionis voluntatis. Cùm enim Centurio ad serui sanitatem à Domino impetrandam Iudæos misisset; ipsi propter fidei defectum Christi potentiam non agnoscentes, non alio modo id Centurionem petere arbitrati sunt, quàm per corporalem Domini præsentiam; ideoque Centurionem Dominum rogare dixerunt, *vt veniret, & saluaret seruum eius.* Quod quidem Centurio eximia fide præditus non requirebat: cum Dominum corpore absentem, diuina autem virtute paralytico seruo præsentem esse crederet; ideoque Dominum non ad se venire, sed tantùm suas preces per alios ei

Lucæ c. 7.

Superbiæ, & humilitatis metamorphoses.

A significare voluit; cum se indignum tali beneficio existimaret. Quare fide illuminatus Centurio bene seruasse videtur Apostoli monitum ad Philipp. 4. *Dominus prope est: Nihil solliciti sitis; sed in omni oratione, & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Contra verò Iudæi Centurionis fidem non habentes *rogabant Iesum sollicitè vt veniret.* Seruauit præterea Centurio ex humilitate spiritus sancti monitum Prou. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum; & extraneus, & non labia tua.* Lucæ c. 7.
Nam cum Iudæi illius benignitatem in Iudæorum populum, & beneficam religionem Redemptori laudassent, dicentes: *Dignus est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis:* Centurio tamen à suis laudibus abstinens Domino aiebat: *Non sum dignus, vt sub tectum meum intres: propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te* Huiusmodi humilitatis mysticum specimen Moses prætulit. Cum enim fulgorem tantum amici sui Mosis faciei Dominus afflasset; *vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi*; vt dicitur 2. ad Cor. 3. Contra verò ipse Moses tantæ à Deo collatæ honorificentiæ nescius erat; vt Ex. 34. 29. iuxta Septuaginta legitur: *Ignorabat Moses, quòd glorificatus fuerat aspectus coloris faciei suæ.* Similiter humilis Centurio cum eius religio, & beneficentia à Iudæis celebraretur; ipse tamen se planè indignum Domini conspectu existimauit. Ideo S. Bernardus, C cum propter verecundam humilitatem dixisset: *Necesse est abscondere si quid habemus boni; quoniam thesaurum regni cœlorum, qui inuenit homo, abscondit:* addit deinde singulare documentum: *Necessaria est hæc absconsio non solum ante oculos aliorum, sed etiam multò magis ante seipsum.* Ser. 4. in Ps. *Qui habitat.* Mirabiles sunt superbiæ Metamorphoses: sed mirabiliores sunt, quas humilitas exhibet. *Centurio dicendo se indignum, præstitit dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor Verbum Dei Christus intraret*, ait August. ser. 6. de verbis Domini. Superbia Luciferum Angelorum principem in diabolum teterrimum spiritum mutauit; & ex cœlesti fastigio in infernum barathrum deiecit. D Contra verò ex humilitate Ioannes dicens: *Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius*; Lucæ 3. 16 dignus factus est, vt non ad pedes procumbens, sed supra Domini caput elatus sui Conditoris caput ablueret. Superbia Nabuchodonosorem ex Assyrio regno inter bestias redegit: de eo enim dicitur Iudith c. 1. *Exaltatum est regnum Nabuchodonosor, & cor eius eleuatum est.* Sed postea verissimo euentu eidem à Daniele dictum est: *Eycient te ab hominibus; & cum bestijs, ferisque erit habitatio tua; & fœnum, vt bos comedes.* C. 4. 22. Contra ex humilitate, Petrus Apostolus peccatorem se agnoscens: ideoque Domini præsentia se indignum confessus, *procidit, & ad genua Iesu dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine:* Lucæ 5. 8. E Apostolorum caput constitutus est, vt Ecclesiæ fundamentum, cœlestique regni clauicularius, dicente ei Domino: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum.* Matth. 16. 18. Superbia Aman ex principatu in aula regia, in suspendium damnauit. Esther c. 3. *Rex Assuerus exaltauit Aman; & posuit solium eius super omnes Principes; cunctique serui regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman.* Sed de eodem postea C. 7. dicitur ex eiusdem Assueri imperio: *Suspensus est Aman in patibulo.* E contrario humilitas Paulum, qui se testatus est indignum vocari Apostolum, supremo ad Gentium conuersionem Apostolatu dignum effecit. 1. ad Cor. 15. De humilitate, & su-

perbia plura habentur Feria tertia Dominic. 2.

*Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic: Vade, & vadit: & alij: Veni, & venit: & seruo meo: Fac, & facit.*

13. Dicendo se esse sub potestate, non significat se, veluti morali forma propria potestate informari; sed alienæ potestati supremi Ducis esse subiectum. Hoc enim secundo modo esse sub potestate in Scriptura sumitur. Vt Gen. 3. Mulieri dicitur: *Sub viri potestate eris*, & 1. ad Cor. 6. 12. *Sub nullius redigar potestate.* Primum sensum, quem reijcimus, affert auctor Imperfecti in Matth. secundus, quem sequimur, est Chrysost. in Matth. tom. 27. dicentis Centurionis verbis: *Tu Deus, ego homo: ego sub potestate; tu verò sub potestate non es. Si ergo ipse, qui homo sum, & sub potestate aliena, tot, tantaque facile possum efficere; quid est, quod facere ipse non possis, qui & Deus es, & sub aliena potestat. non es? Non enim quasi simile quoddam affert; sed comparationis præstantia, quasi nimium Christus præcellat, hoc dicit.* Ex quo apparet auctorem Imperfecti non esse Chrysostomum, cum hi oppositum sensum afferant. Chrysostomi sententiam sequitur Chrysologus, qui Centurionis verbis ait: *Si ego, qui sum sub potestate constitutus, imperio verbi facio mihi parere subiectos; quomodo tu, qui nulli subiaces, & cuius omnia subiacent potestati, verbo non potes iubente curare, sanitatem mittere, & mandare virtutes? Aut verbo reficere non potes, quod verbo fecisti? Aut aliquid ex aliquo reparare non sufficis, cuncta ex nihilo qui parasti?* Ideo S. Paschasius ait: *Fecit hic noster Philosophus inductionem comparationis à minori ad maiorem.* Addit Chrysost. aliam in allata verba interpretationem. Cum enim in Græco textu vox illa *constitutus* non legatur; quidam legunt: *Nam ego homo sum, sub potestate habens sub me milites*, sub mea scilicet potestate milites habens. Quam interpretationem affert quidem Chrysostomus, sed non sequitur.

Ser. 102.

14. Porro ex supra allatis Chrysostomi, & Chrysologi verbis habetur. Centurionem Christum Dominum, vt Deum credidisse. Quod etiam asserit Hieronymus dicens: *Vltra corporis tegmen latentem vidit Diuinitatem.* Similiter id sæpius asserit S. Paschasius Centurionis verbis sic loquens: *Neque te passionibus, & labore corporis fatigari exopto, quas te pro nobis suscepisse penitus non ignoro; sed maiestate operari, videlicet verbi potentia. Quia in vna, eademque persona fides mea mihi Deum, & hominem prædicat.* Idem deinde sic ait: *Implorat absentem; vt præsentem se insinuet, cuius indeficiens præsentia vbique adest, & potentia omnia complet.* Paulò post: *Rex æternus sub nullius imperans potestate, tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.*

15. Præter tam egregiam Centurionis fidem, credendique lumen eximium erga Christum Dominum; eiusdem Centurionis fides erga paralyticum seruum valde enituit. Nam accipiendo fidem pro fidelitate, qua quis, quod debet, fideliter exequitur, aliorumque in eo repositam fiduciam non fallit; talem fidem Centurio mirificè præstitit. Nam propter fidelis serui obsequium cum ei par rependere deberet; in serui sanitate procuranda se sollicitum, piumque exhibuit: cumque in diuinæ legis honorem suis sumptibus Synagogam etiam ædificasset; tam eximia pietate, & fide falsum omnino dictum illud ostendit: *Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.* Quare de Euangelico Centurione verè dicere possumus:

Lucan. lib. 10.

Mira fides, pietasque viro; qui castra sequutus,
Militis haud vllam detulit inde luem.
Duxissent tales si prisca in bella Quirites,
Orbem Romuleo cum domuere iugo:
Romanis Aquilis fuerant insueta rapinis.
Rostra; vorax fuerat nec tua, Roma, Lupa.

*Audiens autem Iesus miratus est.*

16. Si admiratio est ex ignorantia; Quomodo in Christo omnem ignorantiam excludente admiratio potest admitti? *Cum mirari nemo soleat, nisi de re, quæ illi erat incognita*, ait August. Respondetur primò ad sacri textus veritatem saluandam, in Christo admirationem hoc pacto posse admitti; vt dicatur tunc verè fuisse admiratus, cum in primo suæ Conceptionis instanti ex infusa scientia rerum mirabilium obiecta cognouit: vitæ tamen decursu, oblatâ actualis obiecti occasione præhabitam admirationem ostendisse. Nam, vt docet S. Thom. 1. p. quæstione 24. art. 3. & 3. p. q. 15. a. 2. ad primam, & q. 24. a. 1. ad 3. Vsitatum est in Scriptura, vt tunc res fieri dicatur, cum hominibus innotescit. Sic Matth. vltimo, à Domino dicitur: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*: cum eam potestatem etiam ante mortem habuerit à Patre datam. *Sciens, quòd omnia dedit ei Pater in manus*, dicitur Io. 9. Similiter Marci c. 10. 21. de adolescente, qui præcepta omnia seruauerat, dicitur: *Iesus intuitus eum, dilexit eum*: non quòd tunc primò dilexerit; sed quòd dilectionem iam antea habitam tunc blando, & arridente vultu adolescenti innuens palàm ostenderit.

August. tom. 6. 3 de fide cont. Manich. c. 17.

Admiratio in Christo omnia præsciente quomodo fuerit.

17. Respondetur 2. ex Scripturæ regula iuxta Hebraïcum idioma, interdum vsurpari verba realia significantia actionem pro verbis vocalibus; ita vt dicatur aliquis aliquid facere, quod quidem non facit, sed factum, aut faciendum significat. Sic Ieremiæ 1. 10. dicitur: *Constitui te super gentes, & super regna; vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes; & ædifices, & plantes*; hoc est, vt vaticinando significes has gentes euellendas esse, & destruendas; illas ædificandas, & plantandas. Sic Leuit. 13. v. 6. 11. 20. 27. 30 dicitur: *Sacerdos leprosum mundabit, vel contaminabit*, id est mundatum, vel contaminatum significabit. Sicut ergo ibi dicitur Sacerdos leprosum contaminare; quamuis non contaminet, sed tantùm contaminatum significet, & declaret: ita similiter hic dicitur *Dominus miratus*; non quod interius miratus sit; cum omnia ante nouerit; sed quòd mirabilem Centurionis fidem adstantibus significauerit. *Quod mirabatur Dominus noster, nobis mirandum esse significat*, ait August. l. 1. cont. Manich. c. 8. Iuxta hanc regulam intelligenda sunt etiam verba illa Chrysostomi ser. de Ascensione: *Christus ascendens in Cœlum, nostræ naturæ primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus est Pater: hoc est mirabile esse significauit.*

18. Respondetur 3. ex alia Scripturæ regula sacrarum litterarum peritis bene nota, multa per verbum facio esse interpretanda. Hinc Psalm. 28 in Hebræo habetur: *Dominus diluuium inhabitare.* Quod Septuaginta, quos Vulgata sequitur, bene interpretantur: *Dominus diluuium inhabitare facit.* Similiter Oseæ 8. de de Hebræis sub decem tribus

dicitur: *Ipsi regnauerunt, & non ex me:* non quòd omnes ij regnauerint; sed quòd regem sibi fecerint non à Deo constitutum. Denique ad Rom. 8. dicitur: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Hoc est, iuxta August. epist. 121. c. 15. Gregor. 2. Moral. cap. 22. & Anselmum, Spiritus sanctus postulare, & gemere nos facit. Sic Matth. 10. 19. dicitur. *Spiritus Patris, qui loquitur in vobis,* id est, qui loqui vos facit. Similiter ergo, cum hîc Dominus Centurionis fidem dicitur admiratus; significatur Dominum suo testimonio effecisse, vt ab alijs Centurionis fides admiranda foret. *Miratur, vt nos admirantes faciat. Sic quoque & Abrahamo dicitur Gen. 22. Nunc cognoui, quòd timeas Deum:* idest cognoscere faciam, ait S. Paschasius.

19. Respondetur 4. ex regula tradita à S. Hieronymo in Ierem. c. 28. quam repetit in Matth. cap. 14. *Consuetudinis scripturarum est, vt opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Ioseph ab ipsa quoque Maria appellabatur pater Iesu; ita Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant. Dissimulat enim mentis suæ malitiam artifex homicida, cum tristitiam in facie, & lætitiam haberet in mente.* Similiter dicitur Miratus est Iesus; quia tunc ex signis eum mirari adstantes putabant.

20. Porro meritò Dominus eximiam Centurionis fidem, vt mirabilem indicauit: quia, vt ait S. Bernardus: *Tria mirabilia fecit Dominus in mundo; Matrem Virginem; Deum hominem; & fidem in corde humano.* Mirabile fuit cum materna fœcunditate Virginitatem seruari; mirabile cum creatura, Creatorem hypostaticè vnire; mirabile ex humano corde super naturalem fidem elicere. Nam, vt dicitur Genes. 8. 21. *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt.* Vbi ex Hebræo legitur: *Figmentum cordis humani.* Est enim humanum cor veluti figuli officina, in qua cogitationes, & affectus; veluti simulacra, & fictilia vasa formantur: Cumque propter peccati corruptionem huiusmodi officina turpia simulacra, fœdaque vasa formare soleat; mirabile sanè est, quod ex eadem officina per fidem rerum supernaturalium, sublimium, & cœlestium imagines prodeant.

Mirabilia tria à Deo facta.

*Et sequentibus se dixit: Non inueni tantam fidem in Israël.*

21. PAtriarchæ, inter quos Abraham pater credentium, Prophetæ, Apostoli, & Beata Virgo excessisse videntur fidem Centurionis. Quomodo igitur vniuerso populo Israëlis Centurionis fides à Domino antefertur? Ex Hieronymo, & Beda excipiendi sunt Patriarchæ, & Prophetæ, eò quòd Dominus dicat: *Non inueni:* scilicet ex quo homo sum factus, vel prædicare cœpi: Apostolorum verò fidei Centurionis fidem iure præferri existimat Auctor operis imperfecti, quod probat Maldonatus, cum Apostolorum incredulitas reprehendatur frequentius, Matth. 14. 16. 17. & Marc. 16. Hanc interpretationem non probo, eo quòd licet interdum Apostoli incredulitatis signa dederint; ex hoc tamen non fit, quominus interdum etiam maximæ fidei dederint argumenta; præcipuè Andreas, qui audito Ioannis Baptistæ testimonio credidit Christum Dominum verum esse Messiam, idque testatus est Petro Io. 1. *Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.* Quæ certè Andreæ fides præferenda videtur fidei Centurionis, propterea quòd eo tempore, quo Andreas credidit, Christi miraculorum fama non percrebuerat; sicut cum Centurio credidit, qui leprosum paulò ante mundatum à Domino audierat teste Chrysostomo. Quare Gregor. hom. 5. in Euangelia valde Andreæ, & Petri fidem celebrat, eò quòd *nulla adhuc Redemptorem facere miracula viderant.* Quamuis eamdem Apostolorum fidem Auctor oper. Imperfecti hom. 22. imminuat dicens: *Credidit Andreas, sed præsignante sibi Ioanne, & dicente: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Credidit & Petrus; sed euangelizante de illo Andrea, & dicente: Inuenimus Messiam.* Veruntamen, quòd Apostoli habuerint auxilium maius, non inde sequitur eorum fidem fuisse minorem. Quare 2. idem Auctor operis Imperfecti interpretatur non simpliciter, sed posita proportione personæ fidem Centurionis Apostolorum fide maiorem fuisse; quia Apostoli Iudæi erant, adeoque Mosaicæ legis lumine adiuti; adde etiam, quòd erant cum Christo Domino diu versati, visis eiusdem miraculis, quando ad Dominum Centurio accessit; Centurio verò ethnicus erat, neque vnquam Dominum fuerat alloquutus. Hanc etiam interpretationem amplectitur Abulensis, & Caietanus. Sed quamuis talis interpretatio quoad reliqua probaretur, non tamen videtur veritatem propositionis simpliciter prolatæ simpliciter saluare; neque, vt diximus, ex maiori auxilio fides æstimanda maior non est. Sicut charitatis actus erga Deum absolutè minor non est æstimandus, eo quòd talem actum eliciens maius diligendi Deum motiuum habeat. Nam Domini testimonio Lucæ 7. sicut *cui minus dimittitur, minus diligit*; ita cui plus dimittitur, magis diligit, quamuis ad talem dilectionem ex maioris remissionis motiuo excitetur. Exemplum autem, quod ex Marci 12. 4. 2. affert Caietanus dicens Centurionis fidem fuisse alijs maiorem. *Sicut viduæ oblatio fuit maior cæteris proportionaliter; quamuis minima fuerit quantitatis, scilicet duorum minutorum,* non probat: Cum enim Dominus dixit: *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophilacium:* talis eleemosyna, seu oblatio absolutè, & simpliciter alijs maior fuerit quoad internum charitatis, pietatis, ac religionis affectum. *In vidua hac maior pensatur charitatis affectus,* ait S. Th. 2. 2. q. 32. a 4. ad 3. Quare de eadem vidua Titus Bostrensis in Lucam c. 21. ait: *Ea magnanimitate, & deuotione duos obolos, hoc est omnia, quæ habebat, obtulit; ac si vitam propriam pro nihilo duceret.* Cum ergo diuino auxilio freta, nihil sibi ad vitam seruandam retinuisset, propriam vitam, quantùm in se erat, Deo obtulit. Quæ quidem vitæ oblatio, non proportionaliter, sed absolutè, & simpliciter alijs omnibus maior erat. Verè enim ait Ambrosius: *Affectus diuitem collationem, aut pauperem facit; & pretium rebus imponit.*

Lucæ 21.

Ambros. 1. de Offic. c. 30.

22. 3. Maldonatus existimat Apostolos excipi, eo quòd vniuersaliter, cum comparationes fiunt, præsentes excipi intelliguntur; quia inuidiosum, & inurbanum est cum ijs, quos alloquimur, alios comparare. Hæc inurbanitatis ratio non videtur militare in Christo, ad quem etiam, dum opus foret, Apostolorum modicam fidem reprehendere attinebat. 4. Interpretatur Maldonatus Christum Dominum loqui, hîc non de interno fidei actu, sed de externis fidei signis, verbisque fidem testantibus. Hæc interpretatio neque probatur; verba enim illa Andreæ: *Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus,* propter quo-

rum verborum fidem ipsum Christum relictis omnibus est sequutus, non videntur posthabenda fidei Centurionis, sicut etiam testimonium
Ioan. c. 1. Nathanaëlis dicentis: *Tu es filius Dei, tu es Rex Israël.* Præterea inuenienda est ratio, qua B. etiam Virgo excipiatur, cuius fides Centurionis fidei longè antecellit; idque etiam quoad externa signa, & verba; cuiusmodi sunt illa: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quod si verba hæc ad tempus post Christi aduentum pertinere non dicantur; ponderentur B. Virginis verba, quæ Elisabetham visendo protulit; vel ea, quorum est mentio in nuptijs Galileæ; vel ea denique, quæ licèt expressè in Euangelio non habeantur; credibile est tamen B. V. sæpius ex maxima fide protulisse.

23. Abulensis quintò ait dixisse Dominum se *non inuenisse tantam fidem in aliquo, ad cuius petitionem miraculum faceret. Et tunc, non obstat de Apostolis, nec de Ioanne, & B. Virgine quia nulla adhuc miracula fecerat petentibus istis.* Hanc interpretationem omnibus meliorem autumat Abulensis. Sed contra est, quia Ioa. 1. cum Nathanael eximia fide dixit: *Tu es filius Dei, tu es Rex Israël:* antea efficax signum quæsiuit, ad cognoscendum, an verus Messias esset, vt illi Philippus testatus erat, ideoque dixit: *Vnde me nosti?* Pro-
In Matth. c. 8. pterea idem Auctor. Oper. imperfecti ait: *Credidit Nathanael, sed prius signum Diuinitatis accepit, etsi fidei confessionem obtulit.* Signum autem Diuinitatis fuit intentionis animi notitia, rerumque absentium cognitio, dicente Domino: *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Quare, vt allata interpretatio probet, Centurionis comparatio restringenda est ad eos, qui Domini miracula pro morbis curandis implorabant. Cum his enim comparatus Centurio perfectiorem fi-
Matth. 9. dem ostendit. Nam vt benè ait Origenes. *Iairus Israëlis princeps pro filia sua petens, non dixit: Dic verbo; sed, veni velociter. Maria. & Martha di-*
Ioan. 11. *cunt: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; quasi dubitanter, quod vbique adesse posset Dei potentia.* Similiter Ioa. 4. Regulus Domino dixit: *Descende priusquam moriatur filius meus.* Similiter mulier sanguinis fluxu laborans Marci 5. dixit: *Si vel fimbriam vestimenti eius tetigero, salua ero.* Sed quod de Maria, & Martha Origenes ait, in ijs fidei defectum non fuisse, probabitur ser 6. Dom. 4. Præterquam multo post tempore Maria, & Martha verba illa protulerunt. Dubium tamen esse posset de leproso paulò ante Centurionis accessum mundato; qui quidem eximiam fidem ostendit dicens: *Domine, si vis, potes me mundare:* adeoque illi Centurio non videbatur præferendus. Neque obstat, quòd ait Caietanus: *Maiorem ostendit fidem Centurio, profitens etiam modum curandi in absentia solo verbo.* Nam qui solo voluntatis nutu mundari posse credidit, cur credidisse censendum non est, absentem Dominum sola voluntatis efficacia curare potuisse? Dicendum tamen est Centurionis fidem fuisse maiorem; primò, quia Sancti Patres supra citati asserunt Centurionem credidisse in Christo Diuinitatem. Quod quidem quamuis de leproso aliqui asserant ex Chrysostomo dicente: *Non dixit: Si oraueris Deum: Sed, si velis, potes me mundare.* Nihilominus probabilius censeo leprosum, non cognitâ Christi Diuinitate, ad eum accurrisse, tamquam ad eximium prophetam, Deo charissimum, eiusque virtute mirabilia operantem eo modo, quo sanato paralytico turbæ tamquam Christum purum hominem agnoscentes, *glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus,* vt dicitur Matth. 9. Si enim leprosus Christum vt Deum agnouisset, non statim eius mandatum transgressus esset: Nam, vt ait Marc. 1. 44. *Dominus comminatus est ei;* hoc est iuxta Euthymium, minaci, ac seuero vultu præcepit: *Vide, nemini dixeris.* Tali tamen mandato, tam seriò, & seuerè dato leprosus non obedijt; sed statim *egressus, cœpit prædicare, & diffamare sermonem;* putans scilicet Christum, vt Dei seruum ex humilitate silentium præcepisse; cum alioquin Deus vellet serui sui virtutem alijs esse manifestam. 2. Leprosi fide Centurionis fides maior fuit, eò quòd Centurio ethnicus non educatus in fide Iudæorum, maius tamen miraculum, quàm leprosus, à Domino faciendum credidit. Cumque non pro se, vt leprosus conditionatè dicendo: *Si vis;* sed pro seruo absolutè, & magna fiducia humillimè Dominum rogasset: hinc eius fides humilitate, & charitate, & maxima fiducia adornata, intensiori etiam actu elicita gratiorem se diuinis oculis præstitit: *Dominus fidem Centurionis ideo præcipuè laudauit, nec se inuenisse in Israël dixit tantam fidem; quia ille tam humiliter credidit,* ait Augustinus lib. de virgin. Credidit insuper Centurio maius miraculum: paralyticum enim morti proximum perfectæ sanitati restitui posse solo verbo, maius profectò miraculum erat, quàm leprosum mundari. Nam ex Leuit. 13. multiplicem lepram, leuiorem, vel grauiorem contrahi posse habetur; aliam scilicet in prauo colore sitam, externam tantùm cutem maculantem; aliam in interiori carne radicatam; aliam plurium corporis partium corrosiuam. Sed *Iudæorum lepra,* ait August. l. 2. q. Euangel. q. 40. *sæpè coloris fuit magis, quàm valetudinis, & integritatis sensuum, atque membrorum; eàque de causa leprosi à Christo non sanati, sed mundati dicuntur.* Similiter Caietanus Leuit. 13. ait: *Iudæorum lepra fuit morbus, aut potius vitium in cute magis, quàm in carne residens.* Præterea Ioannes Mainardus eximius medicus lib. 6. epist. ex Galeno probat, lepram esse vitium cutis leuiculum. Cùm igitur talis in leproso, quem Dominus mundauit, lepra fuerit; is vtique circa minus miraculum habuit fidem.

24. Dicendum est sextò, cum Dominus dixit: *Non inueni tantam fidem in Israël;* Israëlis nomine intelligi debere Iudæorum populum non quomodocumque, sed tantùm complectentem Iudæos illius temporis, qui cum Christus Centurionem laudauit, modica, vel nulla fide Christum verum Messiam, Deique filium sua virtute miracula facientem credebant; quamuis Christi miracula vidissent, vel audissent; eiusque diuinis sermonibus præsentes fuissent. In tali ergo Iudæorum synagoga tunc temporis contradistincta ab Euangelica Ecclesia, quam iam Dominus conuocatis discipulis instituere cœperat, tantam fidem, quantam in Centurione se non inuenisse benè Dominus testatus est. In hac autem comparatione neque Beata Virgo, neque S. Præcursor, & Apostoli comprehendebantur: Cum hi ad noui testamenti Ecclesiam, quam ex lege gratiæ Christus instituebat, tamquam prima fundamenta pertinerent; quosque fidei actus elicuerant eximios; ij ex Euangelicæ legis gratia, & lumine prouenirent. Quare abominabilis omnino est Lutheri blasphemia, asserentis B. Virginis fidem Centurionis fide fuisse minorem. Vltimò si Israëlis nomine intelligatur, non Hebræus populus, sed tantùm Iacob Patriarcha, cui primùm

Centurionis fides fide B. Virginis maior non fuit, vt perperam Lutherus asserit.

Iſraëlis nomen inditum eſt, Gen. 32. tunc Centurionis fides fidei Iacob præfertur, eo quòd Iacob ſuam petitionem ſe non impetraturum cenſuit, niſi corporalium virium conatu Angelum, per quem ſub viſibili ſpecie Dominus repræſentabatur, arctius teneret; Geneſ. loc. cit. *Dimitte me; Reſpondet Iacob: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* At Centurio ſerui, quam petebat, ſanitatem, ſe impetraturum credidit, etiam ſi Dominus abſens vnico verbo ſerui paralyſim ceſſare iuſſiſſet.

25. *Non inueni tantam fidem.* Hîc fides tum pro actu credendi, tum pro fiducia, quæ ex tali actu oritur intelligi poteſt. Ex hac fiducia in Chriſtum Redemptorem bene Centurio cœleſtis menſæ conuiua futurus arguitur: *Recumbet cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum.* Eſt quidem fiducia in Deum ſpiritualium deliciarum radix. Ideo Cant. 8. de ſancta anima Dei ſponſa dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens?* Iuſta quidem admirationis cauſa; non enim apparet, quo pacto vberes delicias conſequi potuerit, quæ in deſerto, ſterilique loco commorata fuerat. Sed vt admirationis cauſa tollatur, ſubditur: *Innixa ſuper dilectum.* Anima enim, quæ Deo innititur, in eoque fiduciam habet, ad ſpirituales delicias acquirendas facillimam viam aperit. Quare ſicut ex Salomonis oraculo: *Qui nititur mendacijs, hic paſcit ventos*; hoc eſt, ventorum inanitate veſcitur; ſic è contrario, qui diuina in veritate, hoc eſt æterno Dei Verbo nititur, in eoque fiduciam habet, hic tamquam cœleſtis conuiua ſupernis delicijs nutriatur neceſſe eſt. Meritò igitur de Euangelico Centurione è deſerto Gentilitatis per fidem, fiduciamque ad Deum aſcendente dicitur. *Recumbet cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum.*

Prou. 10.

26. *Non inueni tantam fidem.* Ex fidei excellentia congruenter Centurionis humilitas proueniebat, dicentis: *Domine non ſum dignus,* &c. nam perfecta fides indiuiduam ſociam habet humilitatis virtutem. Chryſoſt. in Pſal. 115. *Poſtquam regius Vates dixit: Credidi, propter quod loquutus ſum; ſubintulit: Ego autem humiliatus ſum nimis; quia enim ex fidei defectu Dominus neſcitur, naſcitur ſuperbia: id, quod atteſtatur Scriptura dicens: Initium ſuperbiæ eſt neſcire Deum.* Meridies duo habet, & ſolem ab Orizonte maximè diſtantem, & eumdem ſolem totum hemiſphærium clariſſimè irradiantem. Eadem in Centurione videntur. Primò ex humilitate diſtantia à diuino ſole, Luc. 7. *Miſit ad Ieſum Centurio amicos dicens: Non ſum dignus, vt ſub tectum meum intres; propter quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te.* 2. Maxima ad cognoſcendum Chriſtum Dominum illuminatio: *Dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Quare Sancti huius Centurionis exemplum ſequuta videtur Eccleſia, quando in hymno cum Ambroſio canit: *Sit fides velut meridies.* Meritò præterea meridiei fides dicitur ſimilis: ſicut enim meridies, quàm maximè à matutino, & veſpertino crepuſculo abeſt; ita fides quàm maximè ab omni dubitatione recedere debet: crepuſculum autem quaſi dubium dicitur; quia tunc temporis dubia, & incerta lux eſt, eo quòd tenebris lux miſceatur. Quare eodem hymno S. Ambroſ. cum dixiſſet: *Fides velut meridies*, ſubdit: *Crepuſculum mens neſciat.*

Fides, & humilitas ſociæ ſunt indiuiduæ.

Eccleſiaſt. 10.

Centurionis fides velut meridies.

27. Porrò iuxta allatam fidei per meridiem ſignificationem ſponſa ſponſum cognoſcere petit mediante fidei lumine, cum Cant. 1. ait: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes*

A *in meridie?* Quæ explicatio confirmatur ex ſequentibus: *Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*, id eſt ex Hugone Card. *Ne vagari incipiam poſt turbam deceptam, & in errore genitam à ſodalibus tuis, ideſt ab hæreticis: ſunt autem hæretici ex illo ſodalium numero, de quibus dicitur Eccleſiaſtici 37. Sodalis in die tribulationis aduerſarius erit.* Rurſus quoniam iuxta Centurionis exemplum ad fidei lumen per humilitatem aditus aperitur; ideo vt ſponſæ petitioni ſatisfaciat ſponſus, humilitatem ſuadet: quæ quidem ex propria cognitione prouenit: *Si ignoras te, abi poſt veſtigia gregum tuorum*, ideſt, humiliter tuarum cogitationum, & affectionum infirmitatem, & fœditatem conſidera.

B 28. E' contrario, ſi non meridiano ſole cum Ambroſio, ſed potius nocturnæ lunæ cum Bernardo fidem ſimilem eſſe dicamus. *Quandoquidem luna, vt eſt luminare minus, fidem ſignificare poteſt, cui ſuccedet viſio; & præeſt nocti, ideſt cognitioni obſcuræ, quæ in hac vita habetur:* tunc conſiderandum eſt lunam nobis maximè luminoſam apparere, cum maximè à ſole diſtat: ſimiliter Euangelicus Centurio, quando ex humilitatis affectu maximè à Domino diſtabat: *Domine non ſum dignus,* &c. Tunc præcipuè maximum fidei lumen conſequebatur, teſtante Domino: *Non inueni tantam fidem in Iſraël.* Quare de eo meritò dici poteſt

Serm. Signum magnum. Fides lunæ ſimilis.

Fides, & humilitas ſociæ ſunt indiuiduæ.

C ex Pſal. 88. *Sicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis*; fidelis ſcilicet teſtis diuinæ in Chriſto potentiæ dicens: *Dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Ex Auguſt. epiſtol. 120. & Gregor. 25. Moral. c. 15. Spiritualis ædificij fundamentum fides eſt. Ex quo Paulus ad Hebræos 11. *Fides*, inquit, *eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*, ideſt fundamentum. Porrò ad ſolidum fundamentum iaciendum terra profundius effodienda eſt. Quare, vt ex fidei virtute ædificij ſpiritualis firmiſſimum fundamentum iaciatur; per humilitatis virtutem terra prius effoditur, vt intra humilitatis profunditatem fidei fundamentum firmiter

D collocetur, iuxta illud Auguſt. ſer. 10. de verbis Domini: *Qui fodit fundamentum, ad ima deprimitur.* Atque ex his patet, quàm benè in Euangelico Centurione duæ, fidei ſcilicet, & humilitatis virtutes aſſocientur.

*Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient; & recumbent cum Abraham, & Iſaac & Iacob in Regno Cœlorum.*

29. Isaiæ 43. 5. Dominus prædicens Gentium conuerſionem, Chriſtianæ Eccleſiæ ait:

E *Noli timere, quia ego tecum ſum. Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da, & Auſtro: Noli prohibere; affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Rurſus Matth. 24. 31. de Angelis dicitur: *Congregabunt electos ſuos à quatuor ventis*, hoc eſt ab Oriente, vnde ſpirat Eurus; ab Occidente, vnde ſpirat Zephyrus; à meridie vnde ſpirat Auſter; Septentrione, vnde ſpirat Aquilo. Similiter Pſal. 106. habetur: *Dicant, qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici; & de regionibus congregauit eos: à ſolis ortu, & occaſu; ab Aquilone, & mari*; hoc eſt à meridiana plaga. Cur ergo hîc tantum ab Oriente, & Occidente venturi dicuntur, qui æternam felicitatem cum Sanctis Patriarchis conſequentur? Reſpondetur interdum ad ſignificandum vniuerſum terræ or-

bem poni Orientem, & Occidentem, omisso A meridie, & Septentrione: quia terræ pars inter Orientem, & Occidentem maximè habitatur; secus verò inter meridiem, & Septentrionem, præsertim circa extremas plagas: & hinc secundùm lineam æquatoris ab ortu in occasum terræ habitatio sumi solet. Quare Psal. 49. legitur: *Deus Deorum Dominus loquutus est, & vocauit terram; à solis ortu, vsque ad occasum.* Similiter Psal. 112. *A solis ortu ad occasum laudabile nomen Domini:* Quod idem Psal. 8. dictum erat: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* Apud Malachiam autem dicitur: *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus.*

Malach. 1. 11.

B

Venire ex plaga Orientis vel Occidentis, quid [illegible] significet?

30. *Multi ab Oriente, & Occidente venient.* Mysticè ait Haymo: *Ab Oriente veniunt, qui statim illuminantur: transeunt ab Occidente, qui persecutionem vsque ad mortem tolerauerunt pro fide.* 2. *ab Oriente quis venit, cum ab infantia Deo seruire incipit: ab Occidente, dum in ipsa decrepita ætate ad eum conuertitur.* 3. iuxta Lodulfum: *Ab Oriente veniunt, qui consideratione propria natura, vel natiuitatis humiliantur: ab Occidente, qui ex memoria mortis conuertuntur.* 4. iuxta Sanctum Thomam: *Ab Oriente veniunt, qui prosperitatis tempore salutis vitam ingrediuntur; ab Occidente verò; qui tempore aduersitatis.* 5. Ab Oriente veniunt illustres viri, & humana sapientia instructi; ab Occidente ignobiles, & rudes diuinæ legis lumen agnoscentes. Vtrisque enim Euangelizandum erat iuxta Apost. 1. ad Rom. 14. dicentem: *Sapientibus, & insipientibus debitor sum.* C

Electi, quomodo pauci, & multi dicantur Matth. c. 20.

31. Sed cum multos hic consecuturos æternam felicitatem vnà cum S. Patriarchis Dominus dicat, iure quærit Origenes hom. 5. in diuers. *Quomodo alibi dicit, quod pauci sint electi?* Respondet. *Per diuersas generationes pauci electi sunt; simul autem congregati tempore visitationis multi inuenientur.* Similiter August. tom. 7. l. 3. c. 66. contra Cresconium, ait: *Solue Quæstionem, quomodo Dominus dicat Matth. 7. Quàm arcta, & angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam? & idem ipse dicit: Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum. Quomodo etiam Apoc. 7. demonstretur eorum multitudo, quam numerare nemo poterat ex omni gente, & tribu, & lingua, habentium stolas albas, palmasque ferentium; qui pressuras propter fidem Christi sustinuerant: Quomodo ydem sunt pauci, qui multi? Neque enim alterum horum est verum, alterum falsum, cum sit vtrumque diuina veritate prolatum: nisi quia ydem ipsi boni, verique Christiani, qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* Potest eidem quæstioni non incongrua similitudine responderi. Dicimus enim intra terræ venas multum aurum reperiri; si verò aurum cum reliqua terræ mole comparetur, vtique non multum, sed modicum est. Hinc l. 4. cap. 8. Esdræ Angelus dixit: *Dicam coram te similitudinem Esdra. Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi: quoniam dabit terram multam magis, vnde fiat fictile; paruum autem puluerem, vnde aurum fit: sic & actus præsentis seculi. Multi quidem citati sunt, pauci autem saluabuntur.*

32. Denique pauci dicuntur electi respectu vniuersorum infidelium, & reproborum; multi verò respectu Iudæorum, iuxta id quod Is. 54. dicitur: *Multi filij desertæ*, hoc est Gentilitatis antea sterilis; *magis eius, quæ habet virum*, nempe Iudæorum Synagogæ, quam sibi Deus per veram fidem desponsauerat. Rursus ex Iudæis paucos saluandos diuino illo oraculo proditum etiam est, quod Apostolus ad Rom. 9. 27. 28. ex Isaia c. 10. 21. 22. citat dicens: *Si fuerit numerus filiorum Israël tamquam arena maris*; hoc est innumerabilis; *reliquiæ*, hoc est pauci, *salua fient*: seu *conuertentur ad Dominum*, vt habet Isaias. Qui addit: *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam*, id est Iudæorum consumptio abbreuiata, nempe ad paucos redacta inundabit iustitiam, id est diuinam iustitiam apertissimè ostendet: cum iuxta plurimorum incredulitatem, & demerita; & paucorum fidem, & merita, è Iudæis pauci sint saluandi, multi reprobentur. Hinc iusta illa, maximoque dolore prolata de Iudæorum populo est querimonia: *Væ mihi, quia factus sum sicut, qui colligit in autumno racemos vindemiæ; non est botrus ad comedendum.* Vbi Micheas cap. 7. & sub eius figura Christus Dominus conqueritur, quòd ex Iudaico populo, veluti è vindemia diabolus vindemiator fit; ipse verò racemator: diabolus plenos botros habeat; ipse verò rarissimos tantùm racemos.

33. *Recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob.* Psalmo 58. de damnis dicitur iuxta Bellarminum: *Conuertentur ad vesperam, id est finito die, in quo fructuosè conuerti licebat; nimisque serò sapere incipient, & pœnitentiam agere nihil eis proficiet: de quibus dicitur Sap. 5. Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Nyssenus autem Tract. in Psal. cap. vlt. conuersionem ad vesperam intelligit migrationem in tenebras exteriores, locumque damnationis: vbi *famem, quam patientur, vt canes*, interpretatur penuriam omnium bonorum; eo quòd salutis viaticum refutauerint. Sicut ergo damnatorum pœna per famem significatur; ita è contrario Electorum beatitudo, vt lautum conuiuium proponitur. Propterea de beatis dicitur: *Recumbent*, seu iuxta Græcum textum; *Discumbent cum Abraham, &c. in regno cælorum.* Hoc autem cœleste conuiuium ideo iuxta Gregorium hom. 24. in Euang. cœna vocatur *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, Apoc. 19 quia post vesperam, seu finem præsentis vitæ, electi ad refectionem beatificam supernæ contemplationis veniunt. Rursus iuxta Hilarium can. 22 cœlestis beatitudo etiam prandium dicitur, dicente Domino Matth. 22. per parabolam: *Ecce prandium meum paraui.* Dicitur autem prandium, non vt quidam dixerunt ad significandam gaudij perpetuitatem; eo quòd prandio conuiualis lætitia non terminetur, succedente post prandium cœna: male enim per prandium, & cœnam continuam beatorum felicitas significaretur; cum inter prandium, & cœnam conuiualis refectio intermittatur. Sed dicitur cœlestis felicitas prandium; eo quòd circa meridianum tempus, quo hemisphærium maximè illuminatur, prandium fieri soleat. Similiter beatifica visio, in qua æterna felicitas sita est, talis erit, vt eam tenebræ nullæ, nulla nox interrumpat; sed semper clarissima sit: de cælesti enim patria ait Ioa. *Nox vltra non erit.* Si quæratur cælestis conuiuij qualis cibus sit, qualis potus? Respondet Augustinus: *ibi est panis iustitia, potus sapientia.* Electi enim, cum Dei perfectiones apertè videant, sapientiæ potu largè, & perenniter perfruuntur: cumque se maximo gaudio iustos, & Dei amicos immutabiliter agnoscant, talis iustitiæ meritis veluti pane vesci dicuntur. De hoc pane bene dicitur Lucæ

Beatitudo per conuiuium, damnatorum pœna per famem significatur.

D

Beatitudo cur [illegible] cœna nominetur.

E

Apoc. vlt.

August. [illegible] de verbis Domini.

14. 15. *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Ad extremum si quæratur, cur tantùm de tribus illis Patriarchis in cœlesti conuiuio mentio fiat? Respondetur ex Beda: *Abraham, & Isaac, & Iacob fidei, & iustitiæ meritis honorati, inter Patriarchas primi esse meruerunt; ad quorum congregatur conuiuium quisquis fidelis, & iustus, & laudabilis inuenitur.* Porrò cum cœlestis felicitas, præter essentialem beatitudinem, quæ in Dei visione sita est, plures habeat delitias, inter quas præcipuus est Angelorum conspectus, & consuetudo: nihilominus omnibus omissis, vt cœlestis patriæ beatitudinem explicet Christus, illud tantùm testatur; quòd scilicet in cælesti regno cum sanctis hominibus familiariter versari liceat: *Recumbent cum Abraham,* &c. Vt hinc liquidò constet, quàm verè Deus homines suas delicias esse fateatur. Prou. 8. *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum:* & hinc etiam mirum non sit, cœlorum regnum innumera Angelorum multitudine frequentatum, adhuc absente homine desertum à Christo Domino vocari, iuxta Hugonem, & alios; cum de cælesti pastore dicitur Lucæ 15. *Dimitte nonaginta nouem in deserto.*

Beda ser. 18. de Sanctis.

34. *Recumbent,* &c. Huic sententiæ consonat illud Psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis;* in cubilibus scilicet conuiualibus, in quibus sancti ad æternam mensam discumbent. In hoc conuiuio, præter supradicta si quæras, quæ insuper fercula Beatorum palato gustentur, subdit Psalmista: *Exaltationes Dei in gutture eorum.* Dulcis quidem esca Dei laus Beatis est; si enim peccatoribus maledictio pro esca est: *Deuorant plebem meam sicut escam panis,* de maledicis obtrectatoribus dicitur: E contrario iustis benedictio esca suauissima esse debet. Vel, si eum Hugone legas: *Exultationes Dei in gutture eorum:* Cœlestis exultatio, panis debet esse comprehensoribus, sicut viatoribus pœnitentibus fletus panis fuit, Psal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes.*

Beatorum cibus, & potus qualis sit. Ps. 149. 6.

Ps. 13. 4. Ps. 52. 5.

35. Porrò in beata vita iucundissimè cum sanctis viris versari posse, maximum incitamentum nobis esse deberet ad cœlestem Patriam expetendam. Interrogatus Cercidas Megapolites, an libenter moreretur? *Quidni? respondit: cum post obitum magnos illos viros sim conspecturus; inter Philosophos Pythagoram, inter historicos Hecatæum, inter Poëtas Homerum; inter musicos Olympum.* Poterat ethnico homini amaram mortis memoriam, mortemque ipsam dulciorem reddere; vel Olympi musici cantus, vel Homeri carmina; quæ fallaci spe auditurum se sperabat: cur Christiano viro vitæ finem, mortisque memoriam suauiorem non efficiat certa spes, qua in cœlesti regia, iucundissima cum sanctis viris consuetudine perfrui nos posse speramus. Vide S. Cyprianum lib. de immortalitate, in fine.

Ælian. l. 13. de Var. histor. Cercidas libenter se mori dixit, quòd Pythagoram, aliósque magni nominis viros esset visurus.

*Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.*

36. QVi sint hi filij regni, non mediocris est quæstio 1. Israëlitæ intelligi possunt; quia, vt ait Maldonatus, ad æternum regnum destinati erant. Hæc interpretatio non probatur; non enim placet ex ipso vsu vocabuli damnandos in tenebras exteriores dicere antecedenter fuisse destinatos, adeoque prædestinatos ad cœleste regnum, cum prædestinati communiter electi intelligantur. Comprobari tamen posset allata explicatio ex sententia Origenis, qui sub nomine tenebrarum exteriorum Purgatorium intelligit. Sed hæc Origenis interpretatio communiter reijcitur, cum ex communi sententia, externæ tenebræ infernum potius significent. 2. Filij regni Israëlitæ vocantur, id est filij Regis, nempe Dei, iuxta illud Isaï. 1. *Filios enutriui, & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me; Israël autem me non cognouit.* Hæc interpretatio Maldonato non placet: *Cur,* inquit, *non potius filios Regis quam Regni appellasset?* Sed cum alibi etiam Regnum pro Rege poni reperiam, allatam interpretationem non improbo. Apoc. 1. *Fecit nos Regnum, & sacerdotes Deo, & Patri suo.* Vbi: *Fecit nos Reges,* habent aliqui Græci codices, & Tertullianus. Ideo Apoc. 5. cum dictum esset: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes;* statim subditur: *Et regnabimus;* Ex quo patet regnum pro regnante accipi posse. Similiter Sacerdotium pro sacerdote accipitur Petri 1. cap. 2. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.* Regula enim Scripturæ est interdum nomina abstracta pro concretis vsurpari. Hinc 1. ad Cor. de Christo Domino dicitur: *Factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio,* idest sapientiæ largitor, iustificator, sanctificator, & redemptor. Oseæ 5. *Laqueus facti estis speculationi,* idest speculatoribus, nempe Prophetis; vt interpretatur Theodorus Antiochenus, Theodoretus, & Theophylactus; & ideo Chaldæus vertit: *Offendiculum fuistis doctoribus vestris.* Gen. 31. *Iurauit Iacob per timorem patris sui Isaac;* idest per Deum sancto timore ab Isaac veneratum. Exodi 10. 21. dicuntur tenebræ palpabiles, idest aër tenebrosus densissima nebula obsitus, ac proinde palpabilis, vt Abulensis, & Burgensis cum Philone docent. Ad Coloss. 1. 16. *Siue dominationes, siue principatus, siue potestates,* idest, siue dominantes; siue principes, vel principatum gerentes; siue potentes, vel potestate præditi. Matth. 24. *Abominationem* Idolum abominabile Hieronymus interpretatur. 30. *Filij regni* Israëlitæ dici possunt, idest filij in cœlo regnantium, scilicet Abrahami, Isaac, & Iacob, iuxta quod Lucæ 16. ab Abrahamo Epuloni dicitur: *Fili, recepisti bona in vita tua.* Est autem Hebraïca locutio pro filijs regnantium dicere filios Regni; sicut Psal. 78. ex Hebræo dicuntur *Filij mortis,* qui ex nostra vulgata *Filij mortificatorum* dicuntur. 4. Filij Regni dicuntur Israëlitæ, eò quod in populo Israëlis regnare Deus specialiter dicebatur; cum ibi à legitimo sacerdote in diuinum obsequium, & cultum sacrificia offerrentur, iuxta illud Exod. 19. *Vos estis mihi in Regnum sacerdotale.* Quare cum in lege gratiæ à Iudæorum Synagoga in Christi Ecclesiam sacerdotium esset translatum, translatum est etiam regnum. Ideo sæpè in Euangelio Dominus suam Ecclesiam *Regnum cœlorum* vocat; idque à sancto suo præcursore Ioanne nunciari hominibus voluit Matth. 3. dicente: *Appropinquauit regnum cœlorum.* Quod ipse Matthæi 4. repetijt; & Matth. 10. suis ab Apostolis nunciandum esse mandauit. Hinc cap. 5. Apoc. dicitur: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes:* vel *reges, & sacerdotes;* ij enim, in quibus Deus regnat, reges sunt; cum Deus sit *Rex regum, & Dominus dominantium,* vt Apoc. 19. 16. dicitur. 5. *Filij Regni,* idest filij regnantes dicuntur Israëlitæ, sicut ex phrasi Hebræa Isaï. 9. Messias *Princeps pacis,* idest princeps pacificus appellatur; regnare autem dicebantur Israëlitæ; eo quòd notitiam veri Dei haberent: Deum autem cognoscere, est dispositiuè in cœlo regnare, iuxta illud Io. 17.

Filij Regni quot sint modis explicari potest.

Tract. 25. in Matth.

Abstracta pro concretis interdum vsurpatur.

*Hæc*

*Hac est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, &c.* Quare Sap. 10. dicitur: *Iustum deduxit per vias rectas*: prauiâ scilicet illuminatione veræ fidei; *& ostendit illi regnum Dei.* Probat hanc explicationem Hieronymus. Matth. 13. Qui regnum cœlorum veram notitiam scripturarum, quippe quæ ducit ad vitam, intelligit. 6. cum ex eodem Hieronymo ibidem Regnum cœlorum prædicatio Euangelica intelligatur; filij regni Israëlitæ dicuntur, eo quòd ad ipsos Euangelica prædicatio primo loco destinata sit. Quare Matth. 10. Apostolis à Domino dicitur: *In viam gentium ne abieritis; sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Rursus de hoc eodem Euangelico Regno Matth. 21. Iudæis dicitur: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*

37. *In tenebras exteriores.* Quomodo tenebræ in inferno sunt, cum ibi verus ignis perpetuò ardeat, vt expressè docet August. 21. de Ciuit. cap. 10. & Greg. 4. Mor. cap. 29. Respondet Basilius in Psalm. 28. *Existimo ignem ad vltionem diabolo, & Angelis eius paratum Domini voce confringi: quoniam duo sunt in igne potissimum virtus combustiua, & illustrans: in altera eorum ponitur pœna: qui ob peccata igne perpetuò cremari sunt digni: alteram verò splendoris, & lucis ij sortiuntur, qui diuinæ obtemperant voluntati.* Quare iuxta hunc sensum explicat Basilius ex cit. Psal. verba illa: *Vox Domini intercidentis, idest diuidentis flammam ignis*; auferendo scilicet splendorem, & ardorem relinquendo. Idem docet Gregorius 9. Mor. cap. 49. Reddens enim rationem cur ab Inferno ordo omnis excludatur; testante Iob cap. 10. *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*; ait: *Quia mors perimit, & non extinguit; flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit; supplicia ordinem non habent, quia non suam per omnia qualitatem tenent.* Porrò huiusmodi inferni ignis miraculum inuerso ordine in hypocritis diabolus æmulatur; cum scilicet in ijs reiecto charitatis ardore, exterior tantùm fictæ charitatis splendor apparet: *simulata lux est, quæ non ab igne procedit,* ait Bernardus in Psal. *Qui habitat* ser. 3. Præterea sicut ad scelestos cruciandos infernus ignis luce amissâ ardorem retinet; ita è contrario ad iustorum obsequium retento lumine ardorem ignis reliquit: nam Dan. 3. in Babylonica fornace ita flamma diuisa est; vt illuminatiuam tantùm virtutem erga sanctos tres pueros retinuerit; incendendi verò vim extra fornacem erga Chaldæos ministros exercuerit: *Erupit, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis: pueros verò non tetigit ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.*

Ignis, & tenebræ quomodo in inferno simul sint.

38. Præterea cœlestia luminaria in iustorum obsequium, & impiorum pœnam, splendorem diuisisse, ita vt in eodem hemisphærio iustis fulgerent, non autem iniustis, legimus, Exodi 10. 22. 23. *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum; nec mouit se de loco, in quo erat: vbicumque autem habitabant filij Israël, lux erat.* Huic prodigio additum, quod Sap. 17. 6 legitur: *Apparebat illis subitaneus ignis timore plenus.* Quamuis enim Ægyptijs in tenebris constitutis lux nulla radiaret; nihilominus per intermicantes flammas à terra insurgentes terribilia spectra, & monstra apparebant, quibus Ægyptij mirificè territi torquebantur, vt Philo refert. Quod etiam Sap 17. 9. indicatur: *Transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti tremebundi peribant.* Simili, sed multò peiori cruciatu damnati torquentur. Quamuis enim infernus ignis cæteroquin non splendeat; ad id tamen tantummodo lucet, vt damnati suos, suorumque cruciatus videant; ijsque visis magis crucientur. Quod Greg 9. Mor. cap. 48. & 49. sic docet: *Quamuis illic ignis ad consolationem non luceat; tamen, vt magis torqueantur, ad aliquid lucet. Nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flammâ illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus, qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerunt, ipsorum quoque eos interitus in augmentum suæ damnationis affligat. Diues ille, quem contigit ad æterna incendij tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse; qui Abraham petijt, vt ad eorum eruditionem mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit; constat proculdubio, quia eos ad augmentum supplicij paulo post potuit etiam præsentes videre. Quid autem mirum, si secum quoque reprobos aspiciat cremari, qui ad doloris sui cumulum eum, quem despexerat, in sinu Abrahæ Lazarum vidit? Ignis igitur, qui in obscuritate cruciat, credendum est, quod lumen ad tormentum seruat.* Quod benè comprobat Gregorius exemplo supra allato ignis Babylonici, qui innocentium Hebræorum *vestimenta non attigit, & vincula incendit: Sanctisque viris ad inferendum tormentum flamma friguit, & ad solutionis ministerium exarsit. Sicut ergo electis ignis ardere nouit ad solatium, & tamen ardere ad supplicium nescit: ita è diuerso Gehennæ flamma reprobis nequaquam lucet ad consolationis gratiam, tamen lucet ad pœnam.*

Lucæ 16.

39. Præterea cur inferorum tenebræ exteriores dicantur, difficultas non mediocris est; quandoquidem constat Infernum in infima terræ parte collocari; cum damnatorum carcer multò inferior sit Limbo, hoc est receptaculo, in quo ante cœli ingressum Sancti Patres commorabantur: Limbum tamen inferiores terræ partes vocat Apostolus ad Ephes. 4. *Quod ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Inter Limbum autem, & Infernum magnum Chaos intercedere testatus est Abraham Lucæ 16. Respondetur in damnatis duplices esse tenebras, culparum scilicet, & pœnarum; cum ipsas culpas *opera tenebrarum* vocet. Apostolus ad Rom. 13 Porrò culparum tenebræ interiores sunt, easque vel viuentes, vel mortui secum peccatores afferunt; quippe qui *tenebris obscuratum habent intellectum*, vt ait Apostolus ad Ephes. 4. Cum his autem tenebris comparatæ pœnarum tenebræ inferno carceri offusæ, exteriores dici possunt. Hinc autem benè Gregorius ait: *Interiores tenebræ sunt cæcitas cordis; exteriores tenebræ, æternæ damnationis nox.* Confirmatur hæc interpretatio, eò quòd in sacris litteris Infernus similiter duplex est distinguendus, scilicet tùm ad damnatorum carcerem, tùm ad peccatum significandum: patet ex Augustino in Psalm. 29. vbi cùm Dauid Deo gratias agit, quòd ex Inferno sit liberatus: *Eduxisti ab Inferno animam meam.* De peccato adulterij, & homicidij loqui intelligitur; quandoquidem de pœnarum Inferno damnati numquam liberantur, testante Ecclesia, quòd ibi nulla sit Redemptio. Ex his patet, posito Inferno duplici, duplices tenebras benè distingui, alias scilicet interiores comitantes Infernum culparum; alias verò exteriores pœnarum Inferno offusas: porro peccatum dicitur Infernus inferior, quia malorum operum barathrum peius, & horribilius ipso damnatorum carcere existi-

Gehennæ tenebræ cur exteriores dicantur, num. 39. 40. & 41.

matur. Quare ex Basilio, & Theodoreto natura humana in peccatum lapsa loqui intelligitur, cùm Psal. 87. dicitur: *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in vmbra mortis.* Vbi ex Hebræo legitur: *Detraxerunt me ad puteum infernum.* Ex Hieronymo verò *Lacus nouissimus*, idest profundior Infernus legitur. Congruenter ad allatum sensum Haimo, Remigius, & Bruno Carthusianus Infernum inferiorem, idest profundum vitiorum intelligunt. Congruenter etiam ad eumdem sensum S. Gregorius, quod subditur in eodem psalmi versiculo *de vmbra mortis*, peccatum, & diaboli imitationem interpretatur. Vide præterea, quæ de tenebris exterioribus differit S. Thomas in 4. dist. vlt. q. 1. art. 2.

In Isai. c. 14.

4. Mor. c. 16. vel 17.

40. 2. Quia, vt supra vidimus, cœlestis beatitudo sub figura conuiualis cœnæ significatur; cœna autem tum ad noctis tenebras expellendas, tum ad maiorem conuiuij pompam pluribus facibus illuminari soleat; hinc fit, vt qui nocturno tempore foras extra cœnaculum ejiciuntur, in tenebras exteriores ejici dicantur. Ita Maldonatus, & Cornelius. Huic interpretationi obstat primò, quia Matth. 22. vbi per parabolam nuptiale conuiuium, non cœna, sed prandium dicitur; adeoque diurno tempore præparatum: *Ecce prandium meum paraui:* nihilominus ibi non habentem vestem nuptialem, etiam in tenebras exteriores ejiciendum præcipitur. Quòd si dicas cum Maldonato hanc eamdem parabolam à Luca cap. 14. 16. referri; ibique conuiuium cœnam, non prandium appellari: Respondeo cum Greg. hom 38. ipsum prandium cœnam vocari, quia apud antiquos hora nona ad vesperam, & ad cœnam vergente prandium fieret. Obstat 2. quia in eadem parabola Matth. 22. is, qui in conuiuio nuptialem vestem non habebat, ligatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores eiectus est. Quæ manuum, & pedum vincula indicant eiectum non solùm extra illuminati cœnaculi locum sub aperto cœlo in exteriores nocturni aëris tenebras expelli; sed in tenebrosum aliquem carcerem detrudi. Ad tenebrosum autem carcerem significandum ponuntur tenebræ, accipiendo abstractum pro concreto, iuxta Scripturæ regulam supra traditam. Sic Psal. 87. 13. vbi dicitur: *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua?* Tenebrarum nomine Gehennæ carcerem Paraphrastes intelligit: Euthymius verò, & Nicephorus sepulchrum, quod similiter defunctorum corporum veluti carcer est. Similiter caliginosum dæmonum carcerem, caliginem S. Iudas Apostolus appellat dicens: *Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Lucæ 1. vbi dicitur: *Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent*; de Limbo Sanctorum Patrum carcere plures sacri interpretes explicant. Isaiæ 49. 9. Æternus Pater Christo ait: *Seruaui te*, nempe à morte per resurrectionem; *vt diceres his, qui vincti sunt: Exite; & his, qui in tenebris: Reuelamini.* Vbi S. Anselmus in Elucidario, in tenebris existentes intelligit Electos in Purgatorij, vel Limbi carcere detentos. Denique Psal. 106. 14. vbi dicitur: *Eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis; & vincula eorum disrupit.* S. Thom. in 3. dist. 22. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1 ad 1. etiam de sanctis Patribus in tenebroso Limbi carcere existentibus interpretatur. Ex his omnibus locis manifestè apparet, per tenebras tenebrosum carcerem semper intelligi.

41. Hoc posito, quærendum vlterius est, cur ad infernum carcerem significandum, non tenebræ tantùm, sed exteriores tenebræ dicantur? Respondeo, hoc propter allegoricam similitudinem à terrena Ierosolyma desumptam dici. Terrena enim Ierosolyma scelestorum carcerem extra vrbis mænia habuisse communiter sacri interpretes docent, explicantes verba illa Act. 12. 10. vbi de Angelo, & Apostolo è carcere liberato dicitur: *Venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem.* Differunt tamen, quod alij omnino extra Ierosolymam carcerem positum censent; alij verò tantùm extra veterem vrbem, quæ filia Sion, & Ierusalem dicebatur; cui deinde addita est vrbs secunda. Præterea cum Ierosolyma duplici muro circundaretur, intra primum, & secundum murum carcerem fuisse Baronius asserit. Cum ergo scelestorum carcer extra vrbem esset, idem est ejici in tenebras exteriores, ac in carcerem extra vrbem situm, tenebrisque teterrimum ejici. Ad huiusmodi igitur carcerem significandum scelestis destinatum, signanter exterioris nomen adhibetur: quandoquidem pro leuioris culpæ reis carcer interior, hoc est intra vrbem esset. Quod patet ex Ieremia 32. vbi dicitur: *Ieremias erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo regis Iuda.*

Carceris locus apud Ierosolymitas extra vrbem erat.

42. *Filij regni eijcientur in tenebras exteriores.* Galatinus l. 9. cap. 14. dignitates omnes olim Iudæis concessas, ab eis auferendas fuisse, Gentilibusque Messiam recepturis concedendas demonstrat. Porrò Iudæorum reprobatio, & Gentium ad Euangelicam fidem electio mysticè figurata fuit à Vasthi regina ab Assuero Persarum, & Medorum rege repudiata; pro qua in dilectam coniugem, & reginam, pulcherrima, piaque Esther electa fuit: Eiecta est Vasthi, vt ait sacer textus, eo quòd ab Assuero in conuiuium vocata, *ad regis imperium venire contempsit.* Similiter Iudæorum Synagogam meritò Dominus reiecit, & Gentium populum elegit, eo quòd Synagoga ad conuiuium illud venire contempserit, de quo Isaias 25. ait: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Tale autem conuiuium sub saporiferæ, & bene saginatæ carnis, & limpidissimi vini symbolo præparandum prædixit Isaias in monte hoc, idest in Sionis, & Ierosolymæ monte. Vbi benè Cyrillus ait: *Sion excelsa, Ierusalem visio pacis interpretatur. Est autem vtramque hoc verè Christi Ecclesia; celsa nempe, & illustris, & veluti in monte posita. In ea nihil est humile, & à terrenis rebus procul habitat. Similiter in ea dogmata alta, diuinaque & vera sunt. Rursus in ea est Christus, qui est pax nostra*, vt Apostolus ait ad Ephes. 2. 14.

Iudæorum reprobationis, & Gentilium electionis figuræ, & vaticinium, hic. & num. 43. 43. 44. 45. 46.

Esther. c. 1.

43. Iudæos reprobatos, & Gentiles ad fidem electos præfigurauit etiam Genes. 48. Manasses, & Ephraim. Nam vt vterque à Iacob, morti proximo benediceretur; Ioseph *posuit Ephraim ad sinistram, Manassem verò ad dexteram patris. Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manassæ, qui maior natu erat, commutans manus: benedixitque Iacob filij Ioseph.* Commutando autem manus, dextramque transuersam super sinistram ponendo, crucis signum effecit, vbi Rupertus ait: *Ephraim sunt Gentes, quæ per manuum transpositionem, idest per crucem Christi, cui crediderunt, prælatæ sunt Manassæ, idest Iudæis.* Hinc ad sanctam humilitatem pio affectu prosequendam, discere debemus, Deum contra humanam consuetudinem primis posteriores, & potentioribus infir-

miores anteferre. Quare vt Theodoretus notat: *Caino præpositus est Abel; Iapheto antepositus est Sem; Ismaëli prælatus est Isaac; Esau prælatus est Iacob: Iudas, atque Ioseph antepositi sunt Rubeno: & Ephraim ante Manassen. Aaroni præpositus est Moses; & Dauid septem fratribus suis, licet omnium natu postremus esset.* Hinc Apost. 1. ad Cor. 1. ait: *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: vt non glorietur omnis homo in conspectu eius.* Benè ergo August. tom. 10. ser. 59. de verbis Domini ait: *Sciebat, quòd si eligeret Senatorem, diceret Senator: Dignitas mea electa est: si eligeret diuitem, diceret diues: Opulentia mea electa est: Si regem, diceret rex: Potestas mea: si oratorem; eloquentia mea: si Philosophum; sapientia mea electa est: Interim, inquit Dominus: Differuntur superbi isti; multùm tument: da mihi prius piscatorem: veni tu pauper, nihil habes, nihil nosti; sequere me. Tam largo fonti vas inane admouendum est: dimisit retia piscator, accepit gratiam, & factus est diuinus orator: leguntur modò verba piscatorum, & subduntur colla oratorum.*

44. Eadem Iudæorum reprobatio, & Gentilitatis electio præfigurata est Iosue 4. vbi ex Dei mandato Iosue duodecim lapidibus è Iordanis alueo in arido solo defixit; totidem autem lapides è sicco littore sublatos in medio Iordanis alueo posuit. Et sic, qui antea sacris Iordanis aquis perfundebantur, planè arentes remanserunt: contra verò arentes antea lapides, postea perenni Iordanis fluxu perfusi sunt. Similiter Gentiles antea omnino aridi per sacri Baptismi aquas ad diuinæ gratiæ fluenta admissi sunt: contra verò Iudæi, quos veræ fidei illustratos aqua sapientiæ salutaris perfundebat, in arido ignorantiæ, & perfidiæ solo confixi sunt; idque ex propriæ duritiæ, & obstinationis demerito. Ad quam duritiem significandam à sacro textu expressè lapides à Iordane in siccum translatos durissimos fuisse habemus. Benè autem per durissimos lapides Iudaïcus populus significatur, cùm in Exodo, & alibi sæpius *populus duræ ceruicis* appellatur. Quare Chrysost. orat. 2. contra Iudæos ait: *Vide quid dicat vocalissimus Isaias cap. 48. ad populum Iudaicum: Scio, quòd durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.*

45. Ad hanc Gentilium, & Iudaïci populi commutationem allegoricè indicandam Psal. 106. 33. 34. 35. de Deo dicitur: *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim: terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea. Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.* Vbi benè Augustinus ait: *Posuit flumina in desertum. Currebant ibi aquæ, currebant Prophetiæ. Quære modò apud Iudæos Prophetam non inuenies.* [Psal. 73.] *Dicant: Iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius. Adhuc posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. Terram fructiferam in salinas. Quæris ibi fidem Christi, non inuenis: Quæris Prophetam, non inuenis: quæris sacerdotem, non inuenis: quæris sacrificium, non inuenis: quæris templum, non inuenis. Quare hoc? à malitia inhabitantium in ea. Ecce quomodo superbis resistit. Audi quomodo humilibus det gratiam. Posuit desertum in stagna aquarum; terram sine aqua in exitus aquarum, & habitare fecit illic esurientes. Quæris sacerdotem, & sacrificium apud Iudæos, non habes, nec inuenis secundùm ordinem Aaron. Quæris secundùm ordinem Melchisedech: apud illos non inuenis: Sed per totum orbem celebratur in Ecclesia. Et dicit Dominus ipsis, quorum flumina posuit in desertum: Non est mihi voluntas in vobis: nec accipiam sacrificium de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis, vsque ad occasum, sacrificium mundum offertur nomini meo,* Malachiæ 1. Similiter Theodoretus: *Qui olim sacrorum vasium fluminibus irrigati erant; tempestiuumque fructum Deo afferebant; nunc ne perexiguo quidem imbre perfruuntur: sed ob propriam prauitatem pristina irrigatione penitus destituti sunt. Gentes, quæ olim deserta erant, quæque ne perexiguam quidem stillam habebant, doctrina fluminibus irrigantur.*

46. Dauidico vaticinio consonat Isaias 35. *Lætabitur deserta, & inuia; & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans; gloria Libani data est ei. Decor Carmeli, & Saron, ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.* Vbi Eusebius l. 6. demonstrationis cap. 21. ait: *Desertam in his verbis oraculum significat eam, quæ de Gentibus collecta est, Ecclesiam. Quæ cum antea sine Deo esset, per Iesu Christi discipulos Euangelium accepit. Præterea idem oraculum ait huic desertæ dandam esse gloriam Libani. Libanum autem figuratè Ierusalem appellari consuetum est.* Similiter ibidem Cyrillus ait: *Libanus, & Carmelus dicitur sæpè Ierusalem, & ipsum Dei templum. Gloria autem digna sancta ciuitate, & diuino templo, data est Gentium Ecclesiæ; in eam enim vidimus gloriam Domini, & altitudinem Dei. Nam Iudæi tamquam nudo homini, & præ aliis nihil egregium habenti se Domino gesserunt.* Addit Isaias. *Quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci:* hoc est: In cubilibus animarum Gentilium, in quibus prius dracones, idest dæmones sedem fixerant, calamus, & iuncus virescet. Calamum hic intellige aromaticum, nempe cinnamomum, vel cinnamomo similem; de quo dicitur Ier. 6. 20 *Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suaue olentem de terra longinqua?* Odorifer hic calamus sanctitatem allegoricè significat; iuxta Apostolum, qui sanctam iustorum vitam Christi bonum odorem appellat 2. ad Corinth. 2. 15 Præterea cum à iungendo iuncus dicatur, eo quòd ad plura simul coniungenda adhibeatur; hinc iunci nomine allegoricè charitas significatur, quam meritò vocat Apostolus ad Coloss. 3. *Vinculum perfectionis*, hoc est vinculum perfectum, quod humanum cor cum Deo, & proximo optimè nectat & vinciat. Seu *vinculum perfectionis*, quod Christianam perfectionem continentem virtutes omnes, eas simul vniendo, constituat. Nam vt bene idem Apostolus ait: *Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,* [1. ad Cor. 13.] *non est ambitiosa; non quærit quæ sua sunt: non irritatur; non cogitat malum; non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

47. Reprobatis incredulis Iudæis, de eadem Gentium vocatione ad veram fidem, & Euangelicæ vitæ sanctitatem vaticinatur etiam Isaias 41. 18. 19. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ: ponam in deserto abietem, vlmum, & buxum simul.* Vbi Hieronymus ait: *Manus Domini perficit, vt in ariditate Gentium inuenirentur fluenta virtutum; & in terra quondam deserta, plenaque salsuginis cedrus, Cyparissus, & aliæ arbores nascerentur. Quæ varietates arborum diuersitatem significant gratiæ spiritualis.* Quid autem allegoricè, & singillatim significent tales arbores explicat Gregor. hom. 20. in Euang. dicens: *Cedri sunt, quorum corda in*

*æterno amore solidata sunt; vt eadem iam terreni* A *amoris putredo nulla corrumpat. Spinæ, qui corda audientium pungunt, sicque mente dolore compunctionis perforant. Myrti, qui proximorum tribulationem per compassionem temperant. Oliuæ sunt misericordes. Abietes sunt, qui in terrenis corporibus positi cœlestia contemplantur. Vlmi, quæ vites sustinent, sunt seculares, qui sanctos viros donis spiritualibus plenos sua largitate sustentant. Buxi, qui licèt ex ætatis infirmitate bona opera ferre non valent; tamen parentum fidelium credulitatem sequentes, fidem perpetua viriditatis tenent.* Aptè satis Gregor. Myrtos interpretatur eos, qui tribulatis proximis benignè compatiuntur, eosque adiuuando, tristitiam cohibent. Nam teste Plinio l. 15. cap. 29. è Myrto pinguior liquor exprimitur, qui vino infusus *retinet fæcem, nec præter purum liquorem transire patitur.* Similiter pij viri ex charitate afflictis proximis compassionem, & opem exhibendo, ne mœror ad rationem, potentiam animæ superiorem turbandam ascendat, efficiunt. Aptè similiter abietes ad cœlestia per contemplationem se eleuantes significare docet; nam teste Plinio l. 19. c. 39. *Abietes omnium arborum altissimæ, ac rectissimæ sunt.* Ita vt propterea Isaiæ 55. 13. dicatur: *Pro saliunca ascendet abies: Dum in sanctorum corde pro abiectione terrenæ cogitationis, altitudo supernæ contemplationis exoritur*, vt idem Gregorius ait. Sed cur inter tot iucundas, amœnasque arbores spina numeratur? Spina hæc Hebraïcè Setim dicitur; & vt ait Hieronymus: *Est genus arboris nascentis in eremo spinæ albæ habens similitudinem; vnde omnia ligna arcæ, & tabernaculi facta sunt instrumenta. Quod lignum imputribile, & leuissimum, omnium lignorum, tam in fortitudine, quàm in nitore, soliditatem superat, & pulchritudinem.* Tales sancti viri erunt ex Gentibus ad Euangelium vocati: peccatorum putredinis expertes, sanctæ vitæ nitore fulgidi, fortitudine eximia præditi: in quorum corde, tamquam sacra in arca diuina lex inuiolabilis reponatur: ita vt de vnoquoque illorum dici possit: *Lex Dei eius in corde ipsius.* Quare sanctæ animæ soli Deo desponsatæ benè ait Hieronymus: *Sponsa Christi est arca testamenti, intrinsecus, & extrinsecus deaurata, custos legis Christi. Sicut in illa nihil aliud fuit, nisi tabulæ testamenti; ita in te nullus sit extrinsecus cogitatus. Super hoc Propitiatorium, quasi super Cherubim sedere vult Dominus.*

Cedri, Spinæ, Myrti, Oliuæ, Abietis, Vlmi, & Buxi mysticæ, significationes.

18. Mor. c. 11.

Ps. 36. 31.

Hieronymus ad Eustochium de virginit.

48. Denique Domini sententia: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores*; benè comprobatur ex Chrysost. tom. 3. ser. de proditione Iudæ. Vbi Iudam in Apostolatum vocatum, adeoque regni filium comparans Chrysost. cum Magdalena, quam in publica lasciuiæ peccata olim prolapsam fuisse censet, ait: *Meretrix subitò pudica processit, & profundis obruta peccatis, portum serenitatis agnouit. Et quando prostituta lupanar exiuit, tunc discipulus gehennam intrauit: quando illa mercedem sui corporis abdicabat; tunc iste pretium magistri sanguinis postulabat: quando illa osculabatur pedes, vt susciperetur; tunc iste Domini labia osculabatur, vt proderet. Non ergo videndo meretricem de tua liberatione desperes*; sed & Iudam cogitando, *non debes esse securus. Vtrumque enim periculosum est, & confidentia, & desperatio: nam confidentia stantem euertit; & desperatio post lapsum non admittit resurgere. Discipulus cum se stare putaret, cecidit: meretrix cum se cecidisse arbitraretur, exurrexit.*

## *Ibi erit fletus, & stridor dentium.*

49. DE his Domini verbis disserit S. Thomas in 4. dist. vlt. q. 2. a. 3. & 4. contra Gentes, cap. 40. quæst. 45. an in inferis verè fletus futurus sit. Ad quam quæstionem alij negando, alij affirmando respondent, vtrinque argumenta vrgere videntur. Pro parte negatiua est, quia in sempiterno supplicio ad æternas lacrymas per omnia secula effundendas infinita flebilis humoris materia requireretur: & vt bene arguit loc. cit. S. Thomas, *Fletus corporalis fit per quandam resolutionem lacrymarum: sed à corporibus damnatorum non potest fieri perpetua resolutio;* B *cum nihil in eis per cibum restauretur; omne enim finitum consumitur, si aliquid ab eo continuè abstrahatur. Ergo in damnatis non erit corporalis fletus.* Contra verò pro parte affirmatiua, Primò est, quod Hieronymus ex hoc Euangelico textu veram corporum resurrectionem probat; cùm ad verum fletum corporalis humor corporeis effusus oculis requiratur. 2. Quia ex certa regula Scripturæ à SS. Patribus tradita, præcipuè à Basilio hom. 3. & 9. in Hexam. quod propriè intelligere possumus, allegoricè, seu metaphoricè interpretari non debemus. Sicut igitur, vt Basilius ait: *Aquam aquam intelligamus*: ita per fletum verus fletus est intelligendus. Propter non inefficacia vtrinque C allata argumenta, media via censeo incedendum. Dico igitur, in inferis verè futurum fletum; non tamen perennes semper, & æternas lacrymas futuras; cùm ad taliter lacrymandum perennis humor, vt supra dictum est, requireretur; vnde autem talis humor in corporibus alimento carentibus haberetur; non apparet. Resumptis igitur corporibus detrusi in Gehennæ supplicium damnati, flere quidem incipient; deficiente tamen humore, lacrymæ quidem cessabunt; ea tamen omnia, quæ ad fletum concurrunt, vel subsequuntur, non cessabunt. Quare benè S. Thomas ait: *Aliud, quod inuenitur in corporali fletu, est quædam commotio, & perturbatio capitis, & oculorum; & quantum ad hoc, fletus in damnatis esse poterit post resurrectionem.* D Cessantibus ergo lacrymis, erit in damnatis cordis constrictio, cerebri panniculorum compressio; inordinata, & fœda faciei contorsio, eiulatus, suspiria, & gemitus. Quoniam verò fletus soli animali rationali anima prædito tribuitur, fletus animæ mœrorem, stridor dentium dolorem corporis indicat. Stridor autem hic dentium ex acerbo frigoris supplicio prouenire potest. Nam, vt docet S. Thomas supra citatus, *damnati transibunt ex vehementissimo calore ad vehementissimum frigus.* Sed quoniam in camino ignis etiam stridor dentium fore dicitur Matth. 13. *Mittent eos in caminum* E *ignis; ibi erit fletus, & stridor dentium*: ideo etiam si non à frigore, ex ardenti tamen rabie medio in igne dentium stridor in damnatis erit. Rabies enim stridoris dentium causa esse solet. Hinc Act. 7. 54. de Iudæis in Sanctum Protomartyrem rabidis dicitur: *Stridebant dentibus in eum.* In damnatis ergo dentium stridor proueniet ex rabie, primò in Deum vindicem. 2. in dæmones tortores. Nam, vt ait S. Basilius: *Illis, qui multa mala in vita perpetrarint, terribiles quidem, & deformes assistent Angeli, igneos vultus præseferentes, atque ignem spirantes.* Quod sicut ipso Iudicij die, ita postea etiam fore dicendum est 3. ex rabie in damnatos alios anteactæ malæ vitæ complices, aut causam. 4. ex rabida inuidia propter iusto-

Fletus an verè in damnatis futurus sit.

Stridor dentium cur in damnatis?

Basil. in Ps. 33.

Greg. hom. 4. in Euang.

rum prosperitatem. Ideo Gregorius ait: *Vt peccatores in supplicio amplius puniantur, & eorum vident gloriam, quos contempserunt; & de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amauerunt.* Similiter S. Th. supra citatus art. 2. ait: *Damnati post diem Iudicij, memoriam habebunt gloriæ beatorum, quam in Iudicio viderunt, vel ante Iudicium; & hoc erit eis in tormentum.* Quare iuxta Dionysium, Galatinum, & Faustum Rheginensem episcopum de damnato quolibet dicitur Psal. 111. *Peccator videbit, & irascetur; dentibus suis fremet, & tabescet.* Quando autem præcipuè talis in damnato rabies erit? Cùm *iusti cornu*, hoc est spirituale robur, & fortitudo, *exaltabitur in gloria*; vt præcedenti versu dictum erat. 5. denique stridebunt dentibus damnati ex rabie in se ipsos. Nam, vt Rabanus ait: *Stridor dentium prodit indignantis affectum; eò quòd serò vnumquemque pœniteat, serò ibi irascatur, quòd tam pertinaci improbitate deliquit.*

Dionys. l. de 4. nouiss. c. 41. Galat. l. . c. 7. Faustus epist. 1. tom. 3 Bibl. PP.

50. *Ibi erit fletus, & stridor dentium: Fletus ob ignem, qui non extinguitur; stridor verò ob vermem, qui non moritur. Fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis inuidiæ, & obstinata malignitas exterquebit,* ait Bernardus. *Strident dentes, qui de edacitate gaudebant; flent oculi, qui per concupiscentias vagabantur,* ait Glossa. Ad extremum duabus Euangelij Centurionis virtutibus, nempe eximiæ fidei, & humilitati, duo reproborum Iudæorum vitia respondent; scilicet incredulitas, & superbia. Quæ duo vitia duas similiter pœnas sibi respondentes habebunt; nempe fletum, & stridorem dentium. Iudæorum quidem oculi fletu sunt puniendi ob superbiam, cùm hæc præcipuè in oculis residere videatur, iuxta illud Psal. 17. *Oculos superborum humiliabis*: & Psal. 100. *Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Rursus stridore dentium Iudæorum ora sunt cruciandа, eò quòd blasphemantes, Christum Dominum, verum Dei filium fateri noluerunt; idque ex fidei defectu. Nam ex Apost. ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Ser. 8. in Ps. Qui habitat.

*Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.*

51. EXimiæ Centurionis fidei insigne Christi miraculum benè respondet; quo corporali præsentia absens centurionis seruum morti proximum perfectæ sanitati restituit. Hinc discamus nobis ipsis esse tribuendum, si modicam interdum diuinam beneficentiam experiamur; quam alioquin largissimam experiremur, si ad Deum fide maxima, & fiducia accurreremus. Esuriens enim sibi ipsi imputaret, si cum os ita aperire pigeret, vt non largè cibum ad famem pellendam, sed valde exiguum frustulum panis sumere posset. Similiter cum Deus ad largè diuinam beneficentiam sumendam, cordis os, & desiderium vt dilatemus, suadeat; si diuinæ suasioni non respondeamus, sine dubio nobis erit imputandum. Propterea Psal. 80. 11. nostrûm vnicuique Dominus ait: *Dilata os tuum, & implebo illud. Quantumcumque dilataueris, tantùm accipies,* ait Hieronymus.

Beneficentia diuinæ nostræ fidei, & fiduciæ respondet.

52. *Et sanatus est puer in illa hora.* In languoribus, & morbis, vt sanitas nobis, vel alijs impetretur, præ medicis ad diuinam opem fidentius est accurrendum, Centurionem imitando; non Asam regem Iuda, de quo Paralip. 2. 16. dicitur; *Ægrotauit Asa dolore pedum vehementissimo; & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum; sed magis in medicorum arte confisus est: mortuus est.* De pia anima ad Deum per feruidas preces accurrente dicitur Cantic. 5. 13. *Labia eius lilia distillantia myrrham primam*: seu iuxta paraphrasten Chaldæum: *Eloquium oris eius, sicut myrrha electa.* Potest enim anima Deo grata fusis ad Deum precibus, veluti myrrha, morborum putredinem ab infirmis corporibus expellere. Benè B. Laurentius Iustinianus ait; *Omnes medici pecunijs, Deus autem noster pura oratione ad conferendam sanitatem placatur.*

Oratio ad Deũ ad morbos expellendos est medicis remedijs efficacior.

Laur. in ligno vitæ c. 1. de oratione.

53. A sapientissimo Salomone librum de remedijs scriptum fuisse refert Cedrenus, & Suidas: qui liber probabiliter includebatur in disputationibus illis à Salomone scriptis, de quibus dicitur 3. Reg. cap. 4. 33. *Disputauit super lignis à Cedro, quæ in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.* Librum autem de remedijs referunt ijdem Cedrenus, & Suidas ab Ezechia Rege ex reliquis Salomonis libris fuisse reuulsum, & vt Eusebius indicat, fuisse combustum: idque, quia Iudaïcus populus Deo non inuocato, & neglecto, ex eo libro morborum curationem peteret. Ideo bene monet Ecclesiasticus 38. 9. *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum*; seu vt legit Rabanus: *Ne desperes teipsum; sed ora Dominum, & ipse curabit te.* Post tale monitum subdit: *Da locum medico*; scilicet, vt pro sanitate acquirenda prius diuinam opem imploremus, deinde medici industriam petamus. Iuxta quod Ecclesiastici monitum est decretum Innocentij tertij; qui sanciuit, vt medici priusquam grauiter ægrotantem curare incipiant, cum moneant de confessione facienda. Quam legem renouauit Pius V. motu proprio, qui incipit: *Super gregem*: additque ne medici vltra tertiam diem visitent ægrotum, nisi de illius confessione sibi constet. Denique in corporis morbis salutaris est, & omnino seruanda Basilij regula: *Neque fugienda penitus ars medicorum est; neque in ea omnes spes ponere est consentaneum. Sed quemadmodum vtimur quidem agricultura, petimus tamen à Deo fructus: & gubernatori gubernaculum committimus; Deum tamen rogamus, vt ex pelago seruemur; sic cum medicum adhibemus, idque ratio fieri concedit, neutiquam à spe Dei erga nos bonitatis debebimus discedere.*

Salomonis librum de remedijs combussit Ezechias, ne in eo potius, quàm in Deo per preces auxilio populus ad morbos pellendos fiduciam haberet.

Innocent. de pœnit. & remiss. c. cum infirmitatibus.

Basil. in regul. fusius explic. reg. 55.

# FERIA VI. POST CINERES.

## Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum, & odio habebis inimicum tuum, &c. Matth. 5. & 6.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

Dilectio inimicorum præcepto, præmio, & exemplo, honesta, vtili, & iucunda suadetur.

1. IN hoc Euangelio tribus motiuis ad inimicorum dilectionem impellimur; scilicet præcepto, præmio, & exemplo. Præceptum habetur illis verbis: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros:* quibus prohibemur, ne inimicis desiderio, ore, aut opere malum referamus; & præcipuè ne eos à communi proximorum charitate excludamus. Præmium illis verbis declaratur: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est:* Vbi adoptiua Dei filiatio, adeoque cœlestis hæreditas promittitur ex vera charitate diligentibus inimicos. Exemplum proponitur verbis illis: *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos: estote ergo perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est:* Sufficienter satis tria allata motiua afferuntur; cum hæc bonorum genera omnia, quibus potest voluntas allici, complectantur. Si enim humana voluntas ex bono honesto mouetur, dilectio inimici à Deo præcipitur: diuino autem præcepto obsequi, rationi consentaneum est, & honestum. Præterea, si voluntas à bono vtili alliciatur, diligentibus inimicos præmium promittitur. Deniquè si voluntas delectabili bono trahatur; vt inimici dilectio non iniucunda sit, ad inimicos diligendos Diuino exemplo via prius ardua complanatur. Sicut enim sequentes ductum, & exemplum Diaboli vias difficiles ambulant, fatentibus ipsis peccatoribus: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles:* ita è contrario Dei Creatoris, eiusdemque sub humana carne Redemptoris exemplum sequentes viam tam facilem, & delectabilem habent, vt per eam non solùm incedere, sed etiam currere possint, testante Dauide: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum:* hæc autem dilatatio fit, cum viam prius nobis asperam Deus Creator, & Redemptor noster iter nostrum præcedens suis vestigijs imprimit; quo fit, vt insidendo diuinis vestigijs, iter non laboriosum experiamur, iuxta illud: *Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.* Quod si immediatè post Dauid subdit: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant; confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos:* hæc verba in spirituales inimicos prolata, nempè contra peccata & malas suggestiones intelligit Augustinus, & Hugo Victorinus. Porrò viam diligendi inimicos nostri Redemptoris vestigijs complanatam indicare voluit Isaias, cum cap. 2. Euangelico

Sapientiæ c. 5.

Psal. 118.

Psal. 17.

A tempore cessatio discordiarum, odij, & vltionum futura prædicitur: *Non leuabit gens contra gentem gladium; nec exercebuntur vltra ad prælium.* Si autem tantæ huius concordiæ, & pacis causa quæratur, illam Euangelicus vates præsignificauit, de futuro Messia prædicens: *Docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius; semitæ autem Domini pacificæ sunt.* ex Prou. 3.

B

### *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*

Odio habebis inimicum tuum: non à Deo mandatum, sed a prauis Rabbinis perperam additum fuit, hic, & num. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

2. EX aliquibus Dei legibus perperam interpretatis colligebant Iudæi odio habendum inimicum. Primò ex 19. Leuit. 18. vbi dicitur: *Diliges amicum tuum, sicut teipsum. Ego Dominus.* Hinc deducebat: Si amicus tantùm præcipitur diligendus; ergo diligendus inimicus non est, adeoque odio habendus. Sed, vt benè notat S. Thom. 3. sent. dist. 30. art. 1. *Odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumptum; quia nusquam hoc in littera inuenitur: sed additum est ex praua interpretatione Iudæorum; qui ex quo præcipiebatur dilectio proximi, concludebant, quòd inimici essent odiendi.* C Quæ quidem consequentia omnino falsa est. Nam 24. Prou. 28. cum dicitur; *Ne sis testis frustra contra proximum tuum:* Seu, vt Septuaginta legunt: *Ne sis falsus testis in tuum ciuem:* malè deduceretur licere falsum esse testem contra extraneum, non ciuem. Similiter eodem citato Leuitici cap. 19. cum præcipitur: *Non maledices surdo nec coram cœco pones offendiculum:* falsò deduceretur licere non surdo, sed benè aurito maledicere, & coram non cœco, sed oculato offendiculum ponere. Similiter Psal. 14. cum D dicitur de iusto: *Qui iurat proximo suo, & non decipit:* prauè deduceretur licere inimico cum deceptione iurare. Quod si Iudæus dicat ibi proximi nomine, cui cum deceptione iurandum non est, intelligi quemcumque hominem, quia quilibet homo homini proximus est; cum eiusdem humanæ naturæ particeps ad Dei imaginem creatus sit; & ad æternam beatitudinem ordinatus. Tunc sicut verissima erit talis responsio; sic etiam cum dicitur: *Diliges amicum tuum sicut teipsum:* Seu, vt Dominus hic ait, & Septuaginta in Leuitico legunt: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum;* proximi nomine vniuersaliter homo, etiam nobis nocens debet intelligi; cum Ecclesiastici 28. 2. dicatur: *Relinque*, hoc est remitte, *proximo tuo*

nocemi te. Sed de hoc infra. Hinc cum ait Apostolus: *Non adulterabis*, &c. Subditque rationem dicens: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*: benè arguit Augustinus: *Quisquis arbitratur non de omni homine Apostolum præcepisse, cogetur fateri, quod absurdissimum, & sceleratissimum est visum esse Apostolo non esse peccatum, si quis aut non Christiani, aut inimici adulterauerit vxorem; quod si dementis est dicere, manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum.* Quod ab Apostolo præcipitur, præcipitur etiam in lege Mosaïca Deut. 5. *Non concupisces vxorem proximi tui.* Quare iuxta eamdem legem licebit cum Augustino arguere proximi nomine omnem hominem intelligi; ne in absurdum incidamus asserendo vxorem inimici concupiscere non esse illicitum.

Ad Roman. 13. 9.

August. tom. 3. lib. 1. de doctrina Christiana. c. 30.

3. Quare omninò reiiciendi sunt rabidi Rabbini Iosue, & Ioannes, & alij citati in hoc Euangelio à Magno Alberto, asserentes Deum duplicem legem dedisse, alteram in lapidibus scriptam, alteram in sapientum cordibus impressam: & in hac secunda lege vnum mandatum argui ex alio. Cùm ergo in scripta lege reperiatur: *Diliges proximum tuum*, idest appropinquantem tibi per amicitiam; hinc per consequentiam citati Rabbini deduxerunt: *Odio habebis inimicum tuum*, idest recedentem à te per inimicitiam: eo quòd si vnum contrarium est causa contrarij per se; alterum contrarium erit causa alterius contrarij etiam per se: scilicet si album est disgregatiuum visus, nigrum est visus congregatiuum. Cui Rabbinorum Sophismati respondetur primò, legem Moïsi datam in lapidibus scriptam, eamdem omninò esse cum ea, quæ in Sapientum iustorum cordibus impressa est. Quamuis verissimum sit eamdem legem à Deo in lapidibus scriptam valdè diuersam esse, immo oppositam legi, quam in lapideis Rabbinorum cordibus deceptor diabolus scripsit: & in hac quidem reperitur peruersum illud mandatum: *Odio habebis inimicum tuum.*

4. Respondetur 2. rationem, cur proximus diligendus præcipiatur, non esse, quòd amicus sit, & in nos beneficus; sed quòd à primis parentibus vnà nobiscum originem habeat, vt docet Augustinus; adeóque quòd eamdem naturam participet. Propterea Ecclesiasticus 28. 4. ait contra vltorem: *In hominem similem sibi non habet misericordiam; & de peccatis suis deprecatur?* Præterea, quòd vniuersaliter homo diuinam imaginem referat; quodque Deum, vt communem patrem habeat; & ad cœlestem hæreditatem consequendam sit creatus; ideò quilibet, etiam inimicus est diligendus. *Charitas attendit, in homine imaginem Dei, secundùm quam possibiles sunt ad communicandum nobiscum in vita gratiæ; sed inuenitur in inimicis: ergo tenemur diligere inimicos ex charitate*, ait S. Thom. in 3. sent. dist. 30. art. 1. De motiuo autem, quòd Deum communem patrem habeamus Malachiæ 2. dicitur: *Numquid non pater vnus omnium nostrûm? Numquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque nostrûm, fratrem suum?* Chrysost. hom. 8. ex diuersis in Matth. ad inimici dilectionem ait: *Per Isaiam hortatur nos spiritus sanctus dicens: Audite verbum Domini, qui timetis nomen eius. Dicite fratres his, qui oderunt, & abominantur; vt Domini nomen magnificetur, & appareat illis in iucunditate eorum, & confundantur.* Ita legit Chrysost. Isai. 66. 5. Similiter 19. Leuit. 17. homo respectu hominis, fratris nomine appellatur; ideoque à Deo præcipitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Quem locum ita citat S. Clemens Romanus l. 2. cap 57. *Non odio habebis omnem hominem; non habebis odio fratrem tuum mente tua.* Vbi sciendum est in sacris litteris, *Non omnem*, idem esse, ac nullum. Sic ad Corinth. cap. 1. *Non glorietur omnis caro in conspectu eius*, idest nulla. Sic Psal. 118. *Non dominetur mei omnis iniustitia*, idest nulla. Similiter: *Non odio habebis omnem hominem*, idest nullum. In quemlibet igitur odium prohibetur, cùm dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Qui enim suo in corde odio aditum aperit, aperit etiam diabolo. Quare cum ad iram, odiumque expellendum fideles Apostolus esset hortatus, subdit: *Nolite locum dare diabolo.* Nam benè iuxta Basilium infertur: *Diabolus odium est, cum Deus charitas sit* teste Io. 1. ep. cap. 4. 9. Ideo cum diabolus odij, & vindictæ auctor sit, antonomasticè vltor dicitur: de diabolo enim intelligitur illud Psal. 8. *Vt destruas inimicum, & vltorem*, iuxta Beatum Theodoretum, Euthymium, & alios Diaboli ergo insignem titulum homines vindictæ cupidi sibi vsurpant: *Angelorum est nulli irasci, sed esse in pace perpetua: dæmonum autem irreuocabiles per omnem vitam exercere inimicitias*, dicitur in vitis SS. Patrum l. 3. n. 85. Sed ad Rabbinorum Sophisma supra allatum.

Augusti. ser. 1. de diu. c. 10.

Ad Ephes. 4. 26.

Basilius de iracundia, Mona-chorum.

5. Respondetur 3. iuxta naturalem ordinem verum esse contraria esse contrariorum effectuum causas; in supernaturalibus autem vniuersaliter verum non est. Ignis enim quamuis per suas qualitates aquæ contrarius sit; & propterea cum ille exsiccet, hæc humectat: Supernaturaliter tamen ignem humectasse reperimus. Quare Ambrosius lib. 6. in Lucam de tribus pueris in Babylonicam fornacem coniectis ait: *Cantauerunt Hebræi, cum vestigia eorum tactu flammæ rorantis humescerent, & intus, extraque ardentibus omnibus, solos tamen innoxius ignis lamberet, nec adureret.* Similiter 16. Sapient. 22. Dei imperio dicitur: *Nix & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant. Hic*, nempè ignis, *vt nutrirentur iusti, etiam suæ virtutis oblitus est.* Si ignis contra innatam vim, cùm Deus imperat, non exsiccat, sed humectat; idem si niuem, & glaciem non liquefacit, sed obdurat; debet similiter homo, vt Dei mandato obtemperet, contra naturalem propensionem inimicum diligere, non odisse.

6. Respondetur 4. ex S. Thoma in 3. sent. dist. 30. art. 1. Qui cum sibi obiecisset: *Omnis natura inclinat in detestationem contrarij: cum ergo inimicus, inquantum huiusmodi, sit contrarius nobis; videtur quòd non teneamur ex charitate inimicum diligere.* Respondet: *Natura inclinat ad odiendum inimicum, non inquantum est similis secundùm conuenientiam in natura, aut in perceptibilitate gratiæ; sed inquantum est dissimilis: hoc autem contingit inquantum est inimicus inimicitias exercens, quod summopere nobis displicere debet.* Et ideo inimicitiam tollendam media, quæ possumus, adhibere debemus. Idem docet S. Thomas 2. 2. q. 25. art. 8. ad 2 *Vnaquæque res naturaliter odio habet id, quod est sibi contrarium: inimici autem sunt nobis contrarij inquantum sunt inimici; vnde hoc debemus in eis odio habere: debet enim nobis displicere, quod inimici sunt: non autem nobis sunt contrarij inquantùm homines sunt, & beatitudinis capaces; & secundùm hoc debemus eos diligere.* Porrò sicut S. Matth. cap. 5. 48. cum à Domino dicitur: *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: non æqualitas, sed similitudo, & imitatio perfectionis significatur: sic cum homini Deus præcipit, vt proximum quemlibet etiam inimicum, sicut seipsum diligat, amoris similitudinem, non æqualitatem præcipit; vt docet Hieron. in ep. ad Eph. 5. 33. Quæ similitudo

adimpletur, si malum, quod nobis nolumus, neque inimico velimus; iuxtà S. Tobiæ monitum cap. 4.16. *Quod ab alijs oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Ideo sicut nobis peccata dimitti volumus, ita inimico dimittamus: iuxta Domini mandatum 6. Lucæ 37. *Dimittite, & dimittemini.* Alioquin vel nunquam, quod à Christiano homine absit, Dominica oratione vtemur; vel pro nostra damnatione Deum orabimus dicentes: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Egregium est Gregorij dilemma hom. 27. in Euang. *Aut non facientes dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: & nosmetipsos hoc dicendo amplius ligamus. Aut fortasse conditionem hanc in oratione intermittimus: & aduocatus noster precem, quam composuit, non recognoscit; atque apud se protinus dicit: Scio quid monui; non est ipsa oratio, quam feci.*

Matth. c. 6. 12.

7. S. Patriarcha Ioannes cognomento Eleemosynarius, vt Principem inimico infensum, cum eo reconciliaret, coram ipso Principe missam celebrans cum diceret: *Dimitte nobis debita nostra,* consultò silens constitit: quare prosecutus est Princeps: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Tunc Ioannes ad eum conuersus, ait: *Vide in quali terribili hora quid dicas Deo: Quoniam sicut ego dimitto, ita & tu dimitte mihi.* Qua voce commotus Princeps respondit: *Quæcumque iusseris, Domine, faciet seruus tuus;* statimque cum inimico reconciliatus est. Porrò ex interna charitate cuilibet debita prouenire debet, vt externa charitatis officia ei, qui nos læsit, non negentur: in quo Dominus egregiè nobis præluxit exemplo; cùm proditorem Iudam vocauerit amicum, eique osculum non negauerit.

Io. Patriarcha quomodo Principem visum cum inimico reconciliari coëgerit: Leontius, in vita S. Ioannis c. 38.

8. Secunda lex, quam malè interpretantes Rabbini præcipere inimici odium docebant, est 7. Deut. 2. vbi de Chananæorum gentibus dicitur: *Percuties eas vsque ad internecionem: non inibis cum eis fœdus; nec misereberis earum.* Ibidem num. 16. *Deuorabis omnes populos. Non parcet eis oculus tuus.* Similiter 25 Deut. 19. de Amalecitarum populo præcipitur: *Delebis nomen eius sub cœlo: caue ne obliuiscaris.* & 1. Reg. 15. *Vade, & percute Amalec; & demolire vniuersa eius: non parcas ei; sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem.* Quod cum non executus esset Saul non interficiens Agag regem, audiuit à Samuele: *Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex.* Quod autem acerbius erga inimicos odium inueniri potest, Rabbini aiebant; quàm in innocuos paruulos, & lactentes sæuire? Et tamen huiusmodi odium, & vltionem non solùm licere, sed à Domino præcipi reperimus.

9. Respondetur, malè deduci consequentiam à publicis hostibus ad priuatos inimicos. Cum publici hostes fidelibus infesti iusto bello licite puniri possint; ita tamen vt vltio ad temporalem vitam tollendam extendatur, non autem ad eorumdem hostium conuersionem, æternamque salutem non expetendam. Propterea benè ait Augustinus: *Velle debemus, vt omnes diligant nobiscum Deum. Hinc efficitur, vt inimicos etiam nostros diligamus.* Qua in dilectione Dei clementiam imitari debemus, cui Sapientiæ cap. 12. dicitur: *O quàm bonus, & suauis est, Domine, spiritus tuus in omnibus? Ideoque eos, qui exerrant partibus corripis,* idest per partes, seu paulatim corripis. *Et de quibus peccant, admones, & alloqueris,* Scilicet per internas inspirationes: *vt relicta malitia credant in te, Domine. Illos enim antiquos habitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti; quoniam odibilia tibi opera faciebant, perdere voluisti per manus parentum nostrorum. Sed & his tamquam hominibus pepercisti; & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras in bello subijcere impios iustis, aut bestijs sæuis, aut verbo duro simul exterminare: sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ.* Ideo Apostolus Paulus Dei imitator, cum ex diuinæ legis zelo in incestuosum Corinthium iustam vindictam tamquam legitimus iudex exercere vellet 1. ad Cor. cap. 5. ait: *Iudicaui tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.* Scilicet iuxta Chrysostomum: Vt Diabolus eum percutiat vulnere malo, aut morbo alio; vt spiritus saluus fiat, hoc est, vt anima saluetur. *Puniatur, vt melior factus consequatur gratiam. Itaque hoc curantis salutem potius est, & medentis, quàm cadentis, & vlciscentis frustra nulla adhibita ratione. Quod maius lucrum est, quàm supplicium* Lege August. l. 6. 1. cap. Adamantum cap. 17. Porrò quod Deus Amalecitas pueros, & lactentes interfici iusserit, id diuinæ bonitatis beneficium potius fuit, quàm supplicium; ne scilicet paruuli illi prauorum parentum imitatores futuri, cum adolescerent in parentum peccata inciderent, & inde grauius punirentur. Quare Gen. 6. cum de homine Deus statuisset: *Erunt dies illius centum viginti annorum:* reddit rationem Chrysost. Ne scilicet homines diu viuendo peccata numerò, & grauitate augerent. *Longæuitas Caino indulta vindicta est,* ait Ambrosius. Idem lib. de interpellatione Dauidis sub peccatorum persona ait: *Viuendo damna contrahimus innocentiæ; morte finem erroris adipiscimur: lucrum ergo morte acquiritur; vita autem vsu tamquam miseris debitoribus vsurary nomine ad reatum fœnus augetur.*

Augustinus tom. 4. lib. 1. de doctrina Christiana c. 29.

Chrysostomus hom. 23. in Gen. Ambros. li. 2. de Cain. c. 9.

Mors peccatoribus accelleratur, non est merito supplicio solùm, sed ei concedentur.

10. Sed ne Rabbini peruersæ doctrinæ excusationem haberent, pluribus sacræ Scripturæ locis inimicorum dilectio commendatur, & vindicta damnatur. Quare ante Leuitici verba illa, quæ malè, vt vidimus, Rabbini interpretabantur, apertè à Deo præcipitur: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Hinc bene Hugo ait: *Si sis priuata persona, non quæras vltionem personaliter: si communis sis persona, idest iudex, aut prælatus, communiter quæras, non personaliter; nec propter te, sed propter Deum sine libidine vindictæ, quam sibimet reseruauit Deus. Nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Si mandatum hoc exequemur, poterimus fidenter Deo dicere cum S. Tobia: *Domine, memor esto mei; & ne vindictam sumas de peccatis meis; neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.* Similiter cum Dauide Psalm. 24. 7. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* & Psalm. 78. 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; citò anticipent nos misericordiæ tuæ.* Et cum Isaia 64. 9. *Ne irascaris, Domine, satis; & ne vltra memineris iniquitatis nostræ.* Huic autem iniuriarum obliuioni fideles si dissenserint, erubescere eos cogent Ethnicorum sententiæ, & exempla.

Odium in inimicu testimoniis veteris Scripturæ contra Rabbinos damnatur. Idem n. 15. 16. & sequentibus. Leuitici c. 19. 18. Hugo Deut. 32. 35. 41.

Tobiæ c. 3.

11. *Quidam in foro Periclem probris omnibus incessebat: is minimè curare visus toto ferè die sustinuit. Deinde vespere iam discedentem cum lumine comitatus est. Rursus quidam Euclidi Megarensi animo concitatus mortem se iurauit illaturum. Ille verò contra se patienter laturum iurauit. Quidam vehementi impetu Socratis faciem cecidit; hic autem minimè commotus furentem debacchari, & iram satiare permisit; ex quo eum totum ex plagis tumidum, ac contusum reddidit. Vbi verò ille cadendo destitit, nihil aliud Socrates fecisse dicitur, quàm fronti propria inscripsisse:*

*alis fecit, veluti statuæ cuidam auctoris nomen.* Scilicet, vt aduersus iniurias se non tam hominem, quàm statuam sensu carentem ostenderet. Hæc omnia refert S. Basilius hom. 14. ad adolescentes, quomodò ex Gentilium doctrinis proficient.

A

11. Præterea Thrasippus à Philostrato Atheniensium rege conuiuio exceptus, cum inter conuiuale tempus multis iniurijs Regem impeteret; quibus patienter à Rege toleratis, in regiam faciem alapam Thrasippus impegit, sputumque coniecit. Cumque adstantes Thrasippum occidere vellent: *Dimittite eum: nunc enim alius, non ille ipse est*, Rex ait. Aristippus Ethnicus Philosophus, cum in eum æmulus multas iniurias maledica lingua iactasset, respondit: *Vtinam ita tu tuæ linguæ dominus esses, sicut mearum ego aurium*; per quas scilicet ad cor, vt vlciscar, iniurias transire non permitto. Alexander regium esse aiebat, malè audire, cùm benè feceris. Antoninus Pius, Capitolino teste, iniuriæ adeo tolerans fuit; vt cum patienter, & modestè in ipsum obtrectantes audiret, ipsos detractores in admirationem adduxerit. Seuerus Imperator Omnium Senatorem contra eum coniuratum non modo non vltus est, sed consortem imperij voluit, mensæque sodalem. Socrates iterum alapa percussus, dixit: *Nescit homo quando galea se munire debet: patientia certè semper: Socrates Atticorum dogmatum auctor pulsatus etiam, ac verberatus ab vltione temperauit*, ait Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 11. In dialogo Crotonis, & Socratis apud Platonem, vt refert Origenes lib. 7. contra Celsum dicitur: *Nec iniuriam pro iniuria, nec malum pro malo licet reponere; quod quisquis id facit, malum verius referat, quàm à malo abstineat.* Idem Origenes lib 8. contra Celsum egregium illud dictum Socratis refert: *Me mei inimici interficere possunt, lædere non possunt. Præstantior enim ab inferiori lædi non potest.* Socratis sententiam comprobat Augustinus dicens: *Non calcatur ab hominibus, qui patitur persecutionem. Calcari enim non potest, nisi inferior: sed inferior non est, qui quamuis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cælo est.* Idem Origenes ibidem ait: *Zeno inimico dicenti: Dispeream, ni malum tibi dedero: retulit: Et ego dispeream, ni te mihi conciliauero.* Teste Seneca lib. 3. de ira cap. 38. *Diogeni adolescens proteruus inspuit. Tulit hoc leniter, ac sapienter dicens: Non irascor. Cum Catoni causam agenti in frontem mediam attracta pingui saliua inspuisset Lentulus, ille abstersit faciem; &, Affirmabo, ait, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere.* Sic iocosè elusit.

Augus. lib. de serm. Domini in monte c. 6

B

C

13. Cumani cum Tyrrhæi homicidam vinctum misissent ad Pittacum patrem; Pittacus reum liberum dimisit dicens: *Melius esse ignoscere, quàm punire.* Thrasibulus post triginta vel eiectos, vel enectos tyrannos, legem sanciuit, eamque ab Atheniensibus iureiurando confirmari voluit; ne præteritas iniurias recordarentur. Quam postea legem senatusconsulto edito imitati sunt Romani post Iulium Cæsarem sublatum. Præterea publicorum delictorum obliuionem Atheniensium exemplo à Romanis decretam, iterum sub Aureliano renouatam docet Vopiscus in eius vita, cuius Imperatoris symbolum erat: *Quo maior, eò placabilior.* Seuerum etiam eamdem illatæ iniuriæ obliuionem erga milites, qui ad barbaros defecerant, decreuisse Herodianus l. 3. testatur. A Romano Oratore Iulij Cæsaris clementia celebratur; quòd nihil obliuisci soleret, præter iniurias. O obliuionem in omnem consequentiam temporum posteritatem celebri memoria dignam! Quare argutè de more S. August. ep. 5. ad Marcell. ait: *Cicero Iulio Cæsari eius mores extollens dicebat, quòd nihil obliuisci soleret, nisi iniurias. Dicebat autem hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator: sed si laudator, talem Cæsarem nouerat; si autem adulator, talem esse debere Principem ostendebat, qualem illum fallaciter prædicabat.* Quod talis Princeps, adeoque quilibet generoso animo præditus esse debeat naturam ostendisse hic docet Seneca l. 1. de clementia cap. 19. *Iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes; & aculeos in vulnere relinquunt: rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura, nec sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere; telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores.* Commemorato Iulio Cæsari proximè Octauianus Augustus addatur, de quo refert Seneca lib. 1. de clementia cap. 9. *Delatum est ad eum Cinnam insidias ei struere. Dictum est & vbi, & quando, & quemadmodum aggredi vellet. Cinnam ad se accersit: Ego, te, inquit, cum in hostium castris inuenissem, non factum tantùm mihi inimicum, sed natum seruaui: patrimonium tibi omne concessi; sacerdotium tibi petenti, præteritis compluribus, quorum parentes mecum militauerunt, dedi. Cùm sic de te meruerim, occidere me constituisti. Vitam tibi, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori, & parricidæ. Ex hodierno die inter nos inimicitia incipiat. Contendamus, vtrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas. Post hac detulit vltro Consulatum, questus, quòd non auderet petere. Amicissimum, fidelissimumque habuit. Hæres solus fuit illi. Nullis amplius insidijs ab vllo petitus est.*

Æschines contra Ctesiphontem. Plutarchus in Politicis. Dio lib. 44. Valerius Max. lib. 4. c. 1. Æmilius in Thrasibulo.

D

E

Ethnicorum exempla in iniurijs tolerandis idem n. 11. 12. & 14. Tullius pro Ligario.

14. Phocion Atheniensium Imperator idem Augustus Roma incedens ab homuncione tyrannus est appellatus: cui pacatè respondit: *Nisi tyrannus non essem, facultas tibi non esset id in potentem mihi dicendi.* Cum Piræum prodidisse falsò accusaretur; ideoque iniustè ad patibulum duceretur; interrogatus ecquid Phoco filio nunciari vellet? respondit: *Dicas ei, volo ne iniuriæ mihi ab Atheniensibus illatæ recordari vnquam velit.* Præterea Ethnicos plures vindictæ effectum apertis sententijs damnantes refert Iustinianus in cap. 12. Epistolæ ad Rom. v. 19. Egregiè sanè Romanus Orator lib. 2. de inuent. pronunciauit: *Hoc si constitutum sit, vt peccata homines peccatis, & injurijs vlciscantur; quantum incommodorum consequatur, demonstrabitur.*

Æmilius Trabus in Phocione. Æ. lianus lib. 12.

15. Sed, vt ad sacras litteras redeamus; veteris testamenti testimonia plura sunt, vnde odio non esse habendum inimicum colligere Iudæorum doctores poterant, nisi voluntariè cæci fuissent. Quantùm continuato odio Idumæi Israëlitis infensi fuerint, pluries in sacris litteris legitur; ita vt tandem contra Ierosolymæ euersionem Babylonicos hostes acerrimè incitarint dicentes: *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Psal. 136. Similiter in Ægyptiaca seruitute quot ærumnas ab Ægyptijs ijdem Israëlitæ perpessi sint, ex Exodo satis constat. Nihilominus Deut. 23. 7. præcipitur: *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est; nec Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius.* Hinc benè Clemens Alex. l. 2. stromatum ait: *An non iubet diligere aduenas, non solùm vt amicos, & cognatos; sed etiam vt nos ipsos, & animo, & corpore? Iam verò gentes quoque honorauit & nec in eos, qui malè fecerunt, infenso est animo. Apertè itaque dicit: Non abominaberis Ægyptium, vel gentilem, vel quemuis etiam mundanum vocans Ægyptium: & hostes etiam, si muris immineant conantes*

*vrbem capere, nondum hostes vult existimare, priusquam missis ad eos legatis ad pacem prouocauerint. Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem.* Quòd si Clementem Rabbini audire renuant, Philonem Iudæum audiant idem docentem lib. de charitate: *Vt videas extremam charitatis lineam, vult aboleri memoriam iniuriarum illatarum à veteribus hospitibus; vt magis nomen ad charitatem faciens valeat, quàm respectus malæ tractationis. Proinde disertè interdicit: Non prosequeris Ægyptium odio. Atqui nullam iniuriam Ægyptij ab hac gente abstinuerant, nouas semper crudelitatis species addentes prioribus: & tamen si forte voluerint aliqui transire ad Iudæorum instituta, non sunt hostiliter eliminandi tamquam inimicorum posteri; sed hac conditione admittendi, vt tertia generatione vocentur in Ecclesia audituri diuina eloquia eodem iure, quo indigenæ, ac patritij. Ac ne belli quidem ius ab humanitate alienum est: vult enim etiam si armati portis immineant, & mœnibus, nondum tamen eos pro hostibus haberi, nisi per caduceatorem ad pacem inuitati conditiones aspernati fuerint.* Mosis legi addatur Dauid Psalm. 7. vbi sibi imprecatur: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis: Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam; & gloriam meam in puluerem deducat.* Præcipua Dauidis gloria erat nasciturus ex eius stirpe Messias ei diuinitus reuelatus, iuxta Dei promissum Psalm. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quod de Christo intellexisse Dauidem asserit S. Petrus Act. 2. Tam eximia gloria priuari Dauid est precatus, si suis inimicis mala retribueret: cùm iniquum esset inimicos persequentem mitissimi diuini Agni patrem constitui. Benè ergo August. serm. 168. ait: *Ecce quali maledicto seipsum condemnat, qui de inimicis diligendis Dei præcepta contemnens, odium in corde seruare non metuit. Vnde considerandum est, qua frome, vel qua conscientia versiculum istum ex ore suo proferre poterit, qui inimicis suis mala pro malis retribuit.* Crediderim Pharisæos peruersam odij doctrinam sectantes, & docentes à Dauidis Psalmis abstinuisse; ne suo ipso ore sibi perniciem imprecarentur. Nam, vt benè ait. S. Dorotheus serm. 8. *An fortasse non intelligere debemus, quod psallimus? Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Contra nos ipsos oramus, precamurque, non solum, vt cadamus ab inimicis nostris; sed vt cadamus inanes. Inanis est, qui ne quidquam in se boni habet, quo tandem valeat erigere se, & assurgere. Ea igitur, vt nobis ipsis imprecamur, cùm psallimus, si malum pro malo rependimus.* Porrò Dauidis Sanctus Iob secutus videtur exemplum; cum similiter sibi malè imprecans cap. 31. 29. dixerit: *Si gauisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui, quòd inuenisset eum malum.* Cuius culpæ cum se reum non agnosceret, subdidit: *Non dedi ad peccatum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.*

Deut. c. 20. 10.

Psalm. 7. 5.

16. Plura alia Dauidis testimonia contra Rabbinos inimicorum odium suadentes afferri possunt. Psalm. 54. 13. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo:* seu iuxta Psalterium Romanum, *Absconderem me vtique ab eo:* scilicet, quòd mallem videri timidus, quàm rixandi occasionem non præcidere. Idem Dauid Psalm. 119. 6. de se testatus est: *Cum his, qui oderant pacem, eram pacificus,* seu, vt ex Hebræo vertit Hieronymus: *Cum odiente pacem ego pax*: ita vt se erga inimicos non solùm pacificum, sed totum ex pace compactum fateretur: nempe, vt pacem corde, pacem manibus, pacem oculis præferret; pacem ore spiraret, nec re, nec verbo pacem violaret.

17. Huius mundi bellatores ad hostes expugnandos cruenta, & lethalia arma adhibent: contra verò fideles Dei milites longè diuersis armis suos ad inimicos debellandos vtuntur. Mirum quidem est, quod 1. Paralipom. 12. iuxta Hieronymum in 2. expositione Psal. 119. posita post Psalterium legitur: *Egressi sunt filij Israel ad pugnandum mente pacifica.* Vbi subdit Hieronymus: *Christianorum arma pax est: pax Christi, quæ exuperat omnem sensum.* Si omnem sensum superat, prauum discordiæ sensum, & affectum superet necesse est. Piæ fidelium militiæ Dux, Pax est; eiusdem vexillum est pax: *Christus Deus noster pax est: vadens ad cœlum nobis vexillum dimisit dicens: Pacem meam do vobis; pacem meam relinquo vobis:* Ita ibi ait Hieronymus. Ad pacifici cordis mansuetudinem mysticè significandam Ex. 8. 18. legitur: *Fecerunt malefici incantationibus suis, vt educerent sciniphes,* hoc est, culices, animalcula punctionibus molestissima; *& non potuerunt.* Similiter, quamuis pacis inimici pacificos iniurijs, & calumnijs ad indignationem prouocent; ex eorum tamen ore pungentes iurgij, rixæque voces educere nequeunt. Quare Psalm. 37. 13. cùm S. Propheta dixisset: *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur;* subdit: *Ego autem tamquàm surdus non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum; & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones,* seu iuxta Hieronymum, *increpationes.* Fortitudinem suam non mendaciter iactauerit Dauid dicens: *Veniebat leo, vel vrsus, & persequebar eos, & percutiebam, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos:* sed longè fortiorem se ostendit, cùm erga inimicos pacificus, suo ore indignationis verba suffocauit. *Nihil potest esse eo fortius, nihil egregius, quàm audire noxia, & non respondere contraria,* ait Cassiodorus. *Vindicare se non est actus fortitudinis, sed abiectionis, & timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit, qui se vindicat,* ait Ambrosius lib. 1. offic. 36. Quare de Dauide, qui vindictam in Saulem, cum posset, exercere noluit, eumque potius blandis verbis est allocutus, ait Chrysostomus: *Dauidem omnibus leonibus efferatiores, ac validiores animi motus inuaserunt; hinc indignatio de præteritis, hinc futurorum metus; sed horum vtrumque coërcuit, ora bestijs occludens; ipsis factis docens nihil esse felicius, quàm parcere inimicis.* Gregorius in verba Io. 8. *Tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se,* ait: *Imitatione Dei gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. Sed contra hoc superbia dicit in corde: Turpe est, vt acceptâ iniuriâ taceas: quisquis conspicit, quia contumeliam accipis, & taces; non putat, quia patientiam exhibes, sed crimina agnoscis. Sed vnde vox ista contra patientiam nascitur, nisi quia in imis cogitationem fiximus; & dum in terra gloriam quærimus, placere ei, qui nos de cœlo conspicit, non curamus? Acceptâ ergo contumeliâ meditemur in opere vocem Dei:* Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat, & iudicet. Iob 8.

Pax est dux, & vexillum Christianorum ad inimicos debellandos.

Ad Philippi c. 7.

Ioan. 14. 27.

Ægypti malefici sciniphes educere non potuerunt.

Studendum est ne inimici in Christiano corde vindictæ stimulos excitare possint.

Dauid gloriosior, & fortior, parcendo Sauli, quàm suffocando leones, & vrsos.

1. Reg. 17. 34.

Cassiodorus in Ps. 37.

Vindicare non est actus fortitudinis, sed abiectionis.

Chrysost. tom. 1. hom. 2. de Dauide, & Saule.

Greg. hom. 18. in Euang.

18. Propterea ab eodem Dauide Psal. 38. dicitur: *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me:* hoc est, cùm ab iniquo aduersario meæ aures calumnijs, & conuicijs impeterentur; non offensis auribus, sed ori custodiam adhibebam; ne scilicet inde irata verba ad conuicia vlciscenda

Iniurias silentio tolerare innocentis conscientiæ argumentum.

prodirent. Ideo subdidit: *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Particula, *a*, iuxta Hebraismum sæpè significat, *propter*: vt Matth. 18. 7. *Væ mundo à scandalis*, idest, propter scandala. Psal. 118. *A mandatis tuis intellexi*, idest, propter mandata tua: ibidem; *A iudicijs tuis timui*, idest propter iudicia tua. Similiter citato Psalm. 38. reddens rationem Dauid cur, cùm iniurius peccator contra eum consisteret, vicem non rependerit; sed obmutuerit, & humiliatus quieuerit? ait: *Silui à bonis*, idest propter bonorum operum conscientiam, vt explicat Ambros. 1. offic. cap. 48. *Silui à bonis*, hoc est iuxta Hieronymum: *De bona conscientia procedebat mihi securitas; ideo me non iustificaui coram hominibus, neque bona, quæ in me erant, diuulgaui: quia scio, quod Pater, qui videt in abscondito, reddet mihi.* Qui iniurijs affectus, Dauidem silentio & quietè non imitans, sed iniurias rependit, se iniurias meruisse fatetur: *Si contumeliosè responderis, materiam dabis, vt vera putentur, quorum argueris*, ait Chrysost. hom. 47. in Ioann. Similiter Ambrosius lib. 2. de interpellatione Iob cap. 2. sequens septuaginta Interpretum lectionem, Iob suis aduersarijs dicentem refert: *Ecce rideo, nec respondebo conuicijs vestris*: ideo subdit Ambrosius: *Bonum est conuicium conuicio non referre. Imitemur hunc virum, qui silentio suo redarguebat conuiciantes. Ostendebat enim virtutem animi sui, quem contumelia non mouerent, & conscientia innocentiam manifestabat, qua obiecta non recognosceret, sed quasi aliena rideret. Si nobis aliquid obijciatur, dum nos purgare volumus, acerbamus; dum vlcisci cupimus, confitemur. Tacebat Dauid, cum Semei filius Geræ malediceret, Iob ridebat; Paulus benedicebat; sicut ipse ait: Maledicimur, & benedicimus. Magisterio quippe diuino processus humana virtutis excreuit; quia iam venerat, qui infirmos faceret fortiores.* Idem Ambrosius 1. offic. cap. 5. ait: *Quando aliquis nobis conuiciatur, lacessit, ad violentiam prouocat, ad iurgium vocat; tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Peccator est enim qui nos prouocat, qui iniuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat. Iusti est dissimulare, nihil loqui, tenere bonum fructum conscientiæ, plus committere bonorum iudicio, quàm criminantis insolentiæ; contentum esse grauitate morum suorum. Hoc est enim silere à bonis.* Vbi plura alia addit Ambros. Idem cap. 6. *Quid est opus moueri, cùm audimus conuicia? Cur non imitamur dicentem: Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis? An hoc dixit tantummodo, & non etiam fecit Dauid? Immo & fecit: Nam cùm ei conuiciaretur Semei filius Iemini, tacebat Dauid: & quamuis septus armatis, non retorquebat conuicium, non vltionem quærebat: nec mouebatur, cum vir appellaretur sanguinis, qui erat conscius propriæ mansuetudinis. Non mouebatur conuicijs, cui abundabat bonorum operum conscientia. Itaque is, qui citò iniuria mouetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaque qui contemnit iniuriam, quàm qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit: qui autem dolet, quasi senserit, torquetur.* Idem Ambrosius 1. offic. cap. 48. pluribus etiam explicat pium Dauidis animum erga persequentem inimicum. Idem in exhortatione ad Virgines egregiè Susannæ, Iosephi, & Iobi in perferendis aduersariorum iniurijs tolerantiam refert.

Particula, A, interdum significat Propter, interdum Tanquam.

Iob 19. 7.

2. Regum 16.

2. ad Cor. 4.

2. Reg. 16.

Danielis 13. & 14. Gen. 41. Iob 19. 7.

19. Quid si quis sua sibi bona conscientia contentus, iniurijs iniurias rependere non debet; Multò magis is, qui prauorum operum sibi est conscius, iniurias, vt non immeritas, in suorum criminum pœnam patienter tolerare debet; ita

A vt cum Dauide etiam dicat: *Cum consisteret peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis*: seu, vt legit Symmachus: *Silentio silui, cum non sim in bono.* Scilicet iuxta Eusebium: Mihi silendum esse duxi, nec vindicandum; eo quòd peccatorum conscius cognoscerem me non esse in bonis, nempe in bonis actibus, & virtutibus; adeoque seruandum mihi esse monitum illud Gen. 4. iuxta Septuaginta: *Peccasti, quiesce.* Similiter ait Elias Cretensis: *Silui à bonis, hoc est propter peccatum meum, & amissionem bonorum, etiam conuicijs lacessitus ab inimico, muto similis eram, nec vicissim conuicijs eum petebam.*

Iniurias ab hominibus illatas patienter tolerare debet quisquis in Deum peccasse se nouerit.

Cretensis in Nazian. orat. 1. de Pace.

10. Denique particula, *a*, respondens Hebraïcæ *mem*, interdum significat comparationem; vt Lucæ 18. *Descendit hic iustificatus in domum suam ab*

B *illo*, hoc est plusquam ille. & 2. ad Cor. 5. *Existimo me nihil minus fecisse à magnis Apostolis*; hoc est præ magnis Apostolis. Similiter dicens Dauid: *Cùm consisteret peccator aduersum me*; scilicet in me iniurias plurimas maledica lingua iaciens, *Silui à bonis*, idest hilariter quieui, plusquam si bona plurima accepissem; cum æternæ beatitudinis mercedem patienter opprobrijs tolerans pacis amator mereatur. Quare Gregorius de Sancto abbate Stephano ait: *Tanta erat patientia, vt eum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumelijs gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos aduersarios nihil aliud, quàm ad-*

Iniurias illatas tanquam bona, vtilia, nobisque proficua sunt exceptandæ, hic, ex sequentibus.

Gregorius in Euangelia hom. 35.

C *iutores æstimabat.* Similiter S. Liduina sanctitate celebris in Hollandia virgo, vt in eius vita legitur, iniurijs, sputis, maledictis appetita, benedictiones, & beneficia reddens aiebat: *Illis ego debere me fateor, qui viam mandatorum Dei, quorum plenitudo dilectio est, me currere compellunt.* Benè huic Christo sponsæ cœlestis sponsus dicere potuit: *Equitatui meo assimilaui te, amica mea.* Cum ei iniuriatum stimuli, veluti calcaria fuerint ad perfectionis viam velociter currendam. Eadem Sancta Virgo cùm in extasi pretiosissimam coronam nondum in perfectum orbem redactam vidisset; mysterium benè intelligens, à Domino pro eo pati petijt, vt coronam absolui mereretur.

Iniurias perfectionis patientia exemplum illustrat Liduina. Hom. 8. 1.

Cantic. 1. 8.

D Quare non multò post, cum ab impijs militibus iniurijs, & plagis vexata sæuissimè fuisset, ei splendidissimus Angelus apparens, dixit: *Salue charissima soror: ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti. Ludibria, & vulnera corpori tuo imposita fuere gemmæ, quas in illa corona deesse vidisti, & adesse.* Similiter B. Iuniperus eximius Sancti Francisci socius, cùm à quodam iniurijs afficeretur, tunicæ sinum pandens dixit: *Amice, proijciat hic liberaliter; imple gremium hunc lapidibus istis pretiosis; imple, ne timeas.*

21. Ad vltionem detestandam Dauidi parenti consonat Salomon 17. Prou. 5. Vbi vniuersaliter

E pronunciat: *Qui lætatur de ruina alterius, non erit impunitus.* & 20. cap. 22. *Ne dicas: Reddam malum: expecta Dominum, & liberabit te.* Septuaginta: Ne dixeris: *Vlciscar inimicum: sed sustine Dominum, vt auxilio sit tibi.* Nam, si à vindicta abstinueris, liberabit te Dominus, vel tuam innocentiam manifestando, & inimicum ad pœnitentiam, adeoque ad satisfactionem adducendo; vel eumdem pro illata iniuria iustè puniendo. Quamuis hoc posterius periculosum sit optare; ne ex vindictæ spiritu potius, quàm ex iustitiæ affectu tale desiderium proueniat.

22. Quod in Prouerbijs Salomon docuit, reipsa ostendit 3. Reg. 3. Cùm enim ei Deus dixisset: *Postula à me quod vis, vt dem tibi*: Cumque solum

Salomon ab iracundia in inimicos, & à vindicta alienus, in mansuetudinis praemium belluarum ferociam edomare nouit.

sapientiam postulasset: *Dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc; & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum; ecce feci tibi secundùm sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens.* Vbi prae diuitijs, & vitae longitudine extremo loco animum à vindicta alienum, tamquam meritorium affectum diuinis oculis gratiorem Deus agnouit. Porrò Sapientia à Deo indita Salomoni inter caetera dedit, vt sciret *iras bestiarum*, quemadmodum ipse Sap. 7. 20. testatur. Scilicet, vt, quoniam ipse ab inimicorum vltione iram cohibuerat, bestiarum ferociam edomare, easque mansuetas, humanosque imperio obsequentes reddere posset, earum naturam bene noscens.

Vindictae affectum cohibet mortis memoria: idem praestat ad beatam patriam perueniendi desiderium. Hic & n. 29.

23. Salomoni Ecclesiasticus cap. 8. 8. consonat dicens: *Noli de mortuo inimico gaudere, sciens quòd omnes morimur, & omnes in gaudium nolumus venire.* Nam sicut nobis displicet, si alij in nostra morte laetentur; ita pariter in alterius, quauis inimici morte nobis laetandum non est. Alioquin & homines, & ipsi daemones in interitu nostro nobis in poenam accelerato ridebunt, & subsannabunt nos. Ideo Idumaea gens cum in Iudaeorum excidio per Chaldaeos exultaret, illi ironica concessione dicitur Ier. 4. 21. *Gaude, & laetare filia Edom; ad te quoque perueniet calix; inebriaberis, atque nudaberis.* Similiter 35. Ezechielis 15. Eidem Idumaeo populo Deus praedicit: *Sicut gauisus es super haereditatem domus Israël, eo quòd esset dissipata; sic faciam tibi: Dissipatus erit mons Seir, & Idumaea omnis.*

Tribuitur etiam S. Hieronymo ep. 14

Hinc benè monet Sanctus Paulinus epist. ad Celantiam: *Quasi compendiosum quoddam commonitorium tibi Euangelij eligenda sententia est, & superscribenda cordi tuo, quae ad totius iustitiae breuiarium Dominico ore profertur: Omnia quaecumque vultis, vt faciant vobis homines, hac vos facite illis: cuius praecepti vires exprimens iungit: Haec enim lex est, & Prophetae. Ad omnem actum, verbum, cogitatum haec sententia retractetur,* hoc est recogitetur: *quae tibi quasi speculum quoddam paratum, & ad manum semper positum qualitatem tuae voluntatis ostendat; ac etiam vel de iniusto opere redarguat, vel de iusto laetificet.* Porrò allati ex Ecclesiastico moniti obseruatio quasi Lydius lapis nobis esse debet; vt per illud sincerè indicetur, an nostro in corde aliqua odij in inimicum occulta rubigo resideat. Ideo Gregorius monet: *Saepè in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, seque hunc diligere aestimat, si eius vitae contrarius non existat. Sed dilectionis vim occultè, & veraciter, aut profectus inimici, aut casus interrogat. Hac etenim de re ad plenum semetipsam mens hominis nescit; nisi eum, quem sibi aduersarium credit, in defectu, vel profectu mutasse modum sui status inuenerit. Si enim de prosperitate addicitur, & de calamitate se odientis laetatur; constat, quia non amat, quem non vult esse meliorem; eumque etiam stantem voto persequitur, quem cecidisse gratulatur.* Praeterea optimum motiuum Ecclesiasticus addidit, cur animum à gaudio de inimici morte retrahere debeamus; quia scilicet *omnes morimur.* Hinc 89. Psalm. 10. dicitur: *Superuenit mansuetudo, & corripiemur:* vbi ex Hebraeo legitur: *Transibimus citò, & auolabimus:* ex Chaldaeo: *Transierunt velociter, & volant in puluerem,* scilicet mortalis vitae dies. Breuitas ergo mortalis vitae, & festinantis mortis accessus mansuetudo vocatur: *Superuenit mansuetudo, & corripiemur:* quia, si id benè penetretur, mansuetos homines, & ab omni maleuolo affectu alienos reddere debet. Ideo 28. Prou. 6. dicitur: *Memento nouissimorum, & desine inimicari:* de quo etiam infra. Citatum Ecclesiastici lo-

Gregor. 22. Mor. c. 6.

A cum aliter legit August. in speculo: *Noli de mortuo inimico gaudere, sciens quod omnes morimur; & omnes in gaudium volumus venire.* Cur ab odij affectu animum retrahere debeamus, motiuum esse debet, quòd omnes in aeternum Domini gaudium, & in caelestem Ierosolymam volumus introire: quo certè aditum sibi praecludit, qui inimici morte laetatur; eò quòd à sincera charitate, & pace animum retineat alienum. Benè ergo monet Augustinus. *Illud, fratres charissimi, cum magno tremore considerare debemus, quod in Psalmo terribiliter Spiritus sanctus dixit. Cùm enim illam caelestem Ierusalem, idest congregationem omnium sanctorum, quae cum Christo est regnatura, ad laudandum Dominum pronocaret: Lauda Ierusalem Dominum, addi-*

August tom. 10. Serm. 168. de temp. etc.

Psal. 17.

B *dit: Qui posuit fines tuos pacem. Ergo Ierusalem illa caelestis muros de pace constructos habet. Qui talem pacem, & charitatem habet, vt omnes homines diligat; & pro bonis oret, vt meliores fiant; pro malis supplicet, vt citò se corrigant; illius caelestis Ierusalem portas apertas merebitur inuenire. Qui autem non vult habere talem charitatem, qualem & Christus praecepit, & Apostolus docuit, ex omni parte portas Ierusalem clausas inueniet. Dum nos inuicem odio habemus; ita muros ciuitatis Ierusalem contra nos claudimus, vt nullus nobis aditus permaneat, per quem intrare possimus. Et quia ciuitas illa habitatorem Deum habet, dicente Ioanne: Deus charitas est, qui charitatem habere noluerit, qua fronte, vel qua conscientia ad Do-*

Ioan. ep. 1. ca. 4. 8

C *minum, qui est charitas, praesumit accedere?*

24. Mysticus Salomon Christus suis electis *reclinatorium aureum, & ascensum purpureum fecisse dicitur. Reclinatorium aureum aeternae felicitatis est fulgor, in qua reclinatur, & ab omni labore quiescitur: ascensus purpureus est, quia ad charitatem illius quietis, non nisi per tribulationem venitur,* ait Hugo de S. Victore ex Miscell. 2. l. 1. cap. 121. Ad caelestis ergo Ierosolymae patriam, aeternamque requiem expeditus, & proximus ascensus est per persecutionis, praecipuè per cruenti martyrij viam. Mirum tamen est, quòd qui tam certa, & breui via progredi coeperit, caelestis Ierosolymae fores clausas inuenerit, & ab ea procul sit foras

3. Cantic. 10

D eiectus; eo quòd iniuriae memor proximo reconciliari neglexerit. Quod infelicis Sapritij probauit euentus. Hic cùm ob fidei constantiam à carnifice esset obtruncandus, iussus genua flectere, à probata prius constantia, ac fide defecit; eo quòd Nicephoro reconciliationem petenti, offensam condonare negauerit. Cùm ipse Nicephorus pacis amicus in eius locum se substituens, martyrij palmam fortiter sit consecutus. Nolle cum proximo reconciliari diuinis oculis tale piaculum est, vt cum Cypriano exclamare liceat: *Quale crimen est, quod martyrio non potest exorari?* Martyres alioquin culpae non expertes *Gehennae ignes glorioso cruore sopire*, immò extinguere, ait idem Cyprianus. E contrario infelix Sa-

Surius die 9. Februarij. Sapritius martyrium iam subire paratus, tandem defecit quod antea cum Nicephoro reconciliari noluerit.

Cyprianus de Oratione.

E pritius suo vt sanguine gehennae flammas accenderet, est destinatus; meritò deiectus antea à caelesti ianua, cui per paratum martyrium iam erat proximus. Nam vt benè in vitis SS.PP. asseritur: *Porta caeli, est iniuriarum perpessio.* Ideo versutus diabolus, vt à caelesti ianua plurium vitiorum victores deijciat; indignationis, & vltionis affectum, veluti vltimam machinam adhibet. Hinc de communi hominum hoste Isidorus Pelusiota l. 3. ep. 228. ait: *Cum per pudicitiam, & temperantiam victus est, per auaritiam pugnat. Cum hic quoque vulnus accepit, per inuidiam insidias parat. Quòd si haec etiam aliquem superasse conspiciat, amicos armat. Quòd si horum quoque impetus sustinuerit, famulos ad bellum*

Idem lib. 1. epist. 4.

Iniuriarum memoriam fouere, est vltima diaboli machinatio.

Lib 6 & lib 4 n. 12.

*destruit. Quòd si ne ab his quidem superatus sit, contemptum, ac segnitiem immittit. Quod si hanc quoque fregerit; hoc ipsi in animum inducit, vt acceptarum iniuriarum memoriam retineat.*

25. Rursus Ecclesiasticus cap. 10. 6. ait: *Omnis iniuria proximi tui ne memineris: & nihil agas in operibus iniuriæ: nec quidquam per iniuriam egeris* legit Tigurina. Hoc monito docet nos Spiritus sanctus optimum iniuriam vlciscendi modum; scilicet ne in iniuriosum iniuriosè nos geramus. Quod certè M. Antoninus Imperator non ignorauit, cùm dixerit: *Vlciscendi optima ratio est, ne similis fias ei, qui iniuriam fecit.* Sed fusius cap. 28. Ecclesiasticus plures rationes affert, quibus iniurias condonandas, adeoque inimicum diligendum suadet. Primò. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit.* Primum versiculum Tigurina sic legit: *Cupidum vltionis vltio manet à Domino, qui peccata eius sedulò conseruabit.* Vulgata phrasim Hebræam sequens ait: Dominus *peccata illius seruans seruabit.* Notum est enim iuxta Hebraïcum sermonem eiusdem verbi repetitionem vehementer significatum augere; vt Psalm. 39. *Expectans expectaui Dominum*, hoc est, longo tempore, & vehementi desiderio expectaui. Similiter Is. 35. *Germinans germinabit*, idest, largissima emittet germina. Dicitur ergo Deus vltoris *peccata seruans seruare*, hoc est vigilanter, & accuratè huiusmodi peccata mentis intuitu obseruare, ac tenaci memoria, vt ea puniantur, conseruare: non quòd ex parte Dei cognitio, & memoria alicuius obiecti maior, vel minor sit; sed id dicitur ad significandum quàm difficile vltoribus diuina vltio remittatur. 2. *Relinque*, seu ex Græco, *remitte proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cælestis delicta vestra.* Dominus ait. Notandum autem est contra Rabbinos supra citatos, eum, qui nocuit; adeoque, vt inimicum nobis se præstitit, adhuc proximi nomine appellari. Porrò si quis nocenti proximo ignoscere renuat; & in excusationem obtendat, quod iustitiæ zelo trahatur; ne scilicet iniuriosa crimina sint impunita: respondebimus cum Apostolo ad Rom. 3. 5. *Numquid iniquus est Deus*, vt non etiam ipse ex iustitiæ zelo nostra nobis peccata condonare renuat? Quare, vt salua diuina iustitia nobis ignoscat Deus, in nostrorum criminum satisfactionem illatas iniurias toleramus. Iustè ergo dicitur: *Relinque proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* Ideo ad reijciendum vindictæ affectum, optimum est Augustini monitum: *Vindicari vis, Christiane, nondum vindicatus est Christus.* Vt Christus à nobis tot peccatis offensus vindicetur; debemus nos ipsi ea punire per illatæ iniuriæ tolerantiam, reiectâ vindictæ satisfactione. Hinc benè cum peccatore paciscitur Nazianzenus in Tetrastichis: *Pœne si nihil vindici debes Deo; nec debitori lenis sis ipse tuo. Debere sin te non negas, ignoscito.* Stultum esset, si æger frequentibus precibus molestum se medico exhiberet, morbo medicinam flagitando; cum optimam, quam medicus tradidit medicinam, eumdem ægrotum sumere pigeret. Medela ad spiritualem animæ sanitatem acquirendam est omissio vindictæ, illatæque iniuriæ obliuio. Si medicinam hanc reijcimus, cur à Domino spiritualis peccatorum morbi medelam quærimus? Benè ergo Ecclesiasticus addit: *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam?* Rursus stultum esset antidotum à medico flagitare, & venenum egerere nolle. Iracunda in proximum indignatio venenum est in animam spiritualem morbum inducens: cum ergo in nostra potestate sit huiusmodi venenum eijcere; si id exequi renuamus, impudenter sanè ad animam spiritualiter curandam à Deo antidotum petimus. Et propterea satis iusta cum admiratione dicitur: *Homo homini reseruat iniuriam, & à Deo quærit medelam?* Propterea libro Admonitionis ad filium spiritualem benè monet Sanctus Basilius; *Est quoddam genus serpentis, qui cum potatum ad flumen, vel fontem pergit; antequam bibat, venenum proijcit, & dimittit. Imitare ergo huius serpentis astutiam; & omne venenum amarissimum proijce ab animo tuo; remitte conseruo tuo antequam eas ad potandum fluenta diuinæ gratiæ in oratione.*

26. Ad animæ vulnera sananda salutaris liquor est oratio siue nostra, siue Sanctorum: quam propterea intra phialas aureas, pretiosi liquoris instar asseruari S. Ioannes vidit Apoc. 5. 8 *Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Sed stultum esset, antequam è vulnere infixus ferri mucro extraheretur, ad vulnus sanandum, & occludendum medicinalem liquorem infundere. Ideo de vindictæ affectu benè ait Gregor. X. Mor. cap. 18. *Menti vt gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscera occulta perforantur. Qui scilicet à transfixo corde si prius non educitur, nihil in precibus diuina opis obtinetur. Quia vulneratis membris imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum à vulnere antea subtrahatur. Hinc est quod per semetipsam Veritas dicit: Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester, qui in cœlis est remittet vobis peccata vestra. Hinc admonet dicens: Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersum alterum.* Denique eius, qui per prauum in affectum ad proximum vlciscendum trahitur stultitiam alio etiam modo satis aptè explicatam reperio. Stultus sanè esset, si quis ex duobus inimicis, altero leuiorem, altero multò grauiorem iniuriam inferente, in primum exercere vellet vindictam, & cum secundo pacem iniret: præsertim si in secundum multò facilior, & gloriosior vltio foret. Deberet potius grauior peioris inimici iniuria obliuionem inducere iniuriæ leuioris. Quàm egregiè pius vir Anachoreta Martinus aiebat: *Qui memor est iniuriæ dæmonum, non meminit iniuriæ hominum; & pacem cum dæmonibus agit, qui fratri irascitur.* Motiuum, quo Deus ad humani generis miserandum mouetur, affert Dauid Psalm. 102. *Miserator, & misericors Dominus, longanimis, & multùm misericors*. & subdit: *Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum; recordatus est, quoniam puluis sumus.* Quod non ignorans Iob Deo aiebat: *Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.* Quibus verbis humanæ naturæ fragilitas Deo repræsentatur, vt eam respiciens ad iniurias à peccatore illatas misericorditer condonandas moueatur. Citatum Psalmi textum Chaldæus legit: *Quoniam ipse cognouit concupiscentiam prauam, quæ in errorem abripit nos.* Hanc humanæ naturæ fragilitatem, & ad peccandum procliuitatem cum in nobis ipsis toties experiamur; aliorum eamdem fragilem, procliuemque ad malum naturam participantium misereri debemus; eorum in nos culpas excusando potius, quàm tenaciter vlciscendo. Ideo tamquam aliquid planè absurdum de vltore profert Ecclesiasticus: *In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur.*

27. 4. Subdit Ecclesiasticus: *Ipse cum caro sit, reseruat iram; & propitiationem petit à Deo. Quis exorabit pro peccatis illius?* An Sancti Patriarchæ exo-

Vlciscendi primus modus est iniuriam ipsi rependere.

Cap. 6.

Vindictam non exercendi septem rationes, hîc & sequentibus.

Vindictam persequentibus, id que excusantibus et ... respondetur.

Matt. 6, 14

Augustinus in ... sub finem.

Serpens ante potum, venenum eijcit.

Vlciscendi cupido est duplex stultitia.

Matth. 6.

Marci c. 11 25.

Antonius in Melissa p. 2. cap. 34.

Iob. 10. 9.

Iniurias ad condonandas exemplum Sanctorum ... c. 18. 1.

rabunt, qui in iniurijs condonandis se eximios præstiterunt. In quo Moses excelluit: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*, dicitur Num. 12. 3. Nam cum in eum, fratremque Aaronem ingratus populus ab Ægyptiaca seruitute liberatus seditioso murmure, & impetu fureret; ita vt ad vitandum popularem furorem, in Domini tabernaculum se receperint; nihilominus Moses populo ignoscens, pro eo ad Dominum preces fudit. Numer. 16. 41. 42. 43. *Murmurauit omnis multitudo filiorum Israël contra Moysen, & Aaron. Cumque oriretur seditio, & tumultus incresceret; Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis.* Sed paulò post mitissimus Moses *pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* S. Greg hom. 23. in Euangelia afferens Domini verba Ier. 15. *Si Moyses, & Samuël steterint coram me; non est anima mea ad populum istum*, ait: *Quid est, quòd relictis tot Patribus, soli Moyses, & Samuël ad medium deducuntur; quorum mira obtinendi virtus ostenditur, dum nec ipsi posse intercedere dicuntur? Ac si apertè Dominus dicat: Nec illos audio, quos propter magnum petitionis suæ meritum, minimè contemno. Quid est, quòd Moyses, & Samuël cæteris Patribus in postulatione præferuntur; nisi, quòd hi duo tantummodo in cuncta testamenti veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Vnus à populo lapidibus impetitur; & tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur. Alter ex principatu eijcitur, & tamen petitus, vt exoraret; fatetur dicens: Absit à me hoc peccatum in Dominum, quominus cessem orare pro vobis. Si Moyses, & Samuël steterint coram me; non est anima mea ad populum istum. Ac si apertè dicat: Nec illos modò pro amicis audio; quos magnæ virtutis merito orare etiam pro inimicis scio.*

Vlcisci qui se vult, cuiuslibet sancti intercessione se priuat.

Moses, & Samuël ob condonandi iniurias meritum, alijs præferuntur.

1. Reg. c. 12. 23.

28. Quamuis grauia omnia peccata animæ auferant gratiæ vitam; nihilominus, quod mirum est, peccata alia animæ maculam inferre; sed vltionis peccatum animam penitus perimere Gregor. asserit: *Vitam animæ qualibet culpa polluit; seruatus verò contra proximum dolor occidit.* 10. Mor. cap. 18. Vt hinc sciamus pijs orantis lacrymis posse aliorum peccatorum labem deleri: vindictæ verò peccatum delere tam difficile esse, quàm planè mortuum ad vitam reuocare. Benè ergo de vindictæ cupido Ecclesiasticus ait: *Quis exorabit pro peccatis illius?* An exorabunt Prophetæ, qui vindictam auersantes illatas iniurias beneficiis compensabant? Inter quos de Ioa Propheta 3. Reg. 13. narratur: Cùm in eum Ieroboam rex sacrilegam manum extenderet, & in sceleris pœnam regis manus aruisset, ita vt ad se eam retrahere non posset: nihilominus S. Propheta aridam manum pristino vigori restituit: *Orauit vir Dei, & reuersa est manus regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat.* Omissis Prophetis, an exorabunt Apostoli, qui in peruersis concilijs contumeliam passi, inde gaudentes, non vindictam anhelantes discedebant? Inter quos Paulus Apostolus, carnificis, qui eum obtruncauerat, vestem suauissimo lacte conspersit; & ad fidem amplectendam cum socijs diuinitus adduxit. Hinc Apostolum alloquens Chrysostomus ait: *Sanguis lacteus apparuit in eius veste, qui te percussit: qui quidem sanguis barbaram illius animam reddens melle dulciorem, vt ipse cum socijs ad fidem traduceretur, effecit.* Sicut non Apostolos, ita neque Sanctos Martyres, qui vindictæ cupidi sunt, deprecatores habebunt; cum hi etiam ab vlciscenda iniuria fuerint alieni. Sabinus Episcopus impio Præsidi, qui eius manus absciderat, oculos à vehementissimo dolore liberauit, & ad fidem conuertit. Pergentius, & Laurentinus fratres, cùm eos verberantium brachia obriguissent, pristino vigori restituerunt. Christophorus martyr cùm sagittis configeretur, earumque vna reflexo mirabiliter ictu Lyciæ regis oculum confixisset: eiusdem martyris cruore curato oculo, & mente illuminata, ad fidem rex conuersus est. Nazarius, & Celsus in mare suffocandi deiecti, orta repente tempestate, miraculosè supra minaces vndas ambulantes, maris fluctus sedarunt, & iniustitiæ ministros ab imminente naufragio liberarunt. Cum huiusmodi inimicos diligendi exempla S. Martyres dederint; qui ea neglexerint, frustra pro ipsis Sanctos Martyres oraturos sperent: neque similiter Sanctos Christi confessores. Inter quos insignis Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus, suis precibus pestilentiam sedauit vehementer sæuientem in grassatores, & pyratas, qui templum incenderant, Sancto Archiepiscopo vulnus inflixerant; diuque teterrimo carcere inclusum afflixerant; plures religiosos viros interfecerant; plerosque ciues in seruitutem redegerant. Similiter Ioannes Damascenus eius, à quo fraudulenta calumnia accusatus dexteram amiserat, è patibulo eripuit; eique ab Imperatore vitam impetrauit. Similiter Samson Dolæ Archiepiscopus veneficum, qui ei venenatum poculum propinauerat, oppressum à dæmone liberauit: magis odij, quàm lethalis poculi venenum auersatus. Talem profectò Philistæi sibi priscum Samsonem voluissent. Veruntamen num pro vltoribus S. Virgines deprecabuntur; quæ veluti nitidissimæ columbæ felle carentes, vltionis amaritiem ore, & opere sunt execratæ? Inter quas Christiana virgo, cùm ad eam mordendam serpentes incitarentur, ijque maleficum, à quo in Virginem irritabantur, interfecissent, extinctum ad vitam reuocando Christi fide illuminauit. Potamiena à Basilide acerrimos cruciatus passa, ei ex sæuissimo tortore ad Christi fidem conuerso insignis martyrij palmam impetrauit. Veneranda virgo suo tortori excitate correpto saliua visum, & inuicta tolerantia fidei lumen impertijt. Daria ad prostibulum tracta, diuinitus custodem leonem habuit, qui impudicos aggressus iussu virginis ab eorum cæde abstinuit. Scilicet, vt tali prodigio Diuini solis iubar in leone simul, & Virgine corusc aret. Sed omissis humanis suffragijs, neque vindictæ cupidi sibi Sanctos Angelos deprecatores sperent. Cùm Angelorum princeps Michaël, vt vindictam detestandam ostenderet, ipsi diabolo iniuriam rependere noluerit: testante B. Iuda Apostolo: *Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ*, idest, contra diabolum ei iniuriosè obsistentem blasphemiam, seu maledictionem iusto iudicio irrogandam proferre non est ausus: ausus autem non est, non quòd diabolum reformidaret; sed quòd maledictionem tamquam vindictæ iudicem Angelico animo indignam proferre timuit. *Merebatur diabolus maledictum; sed per Archangeli os blasphemia exire non debuit*, ait Hieronymus. Similiter quamuis mereatur proximum lædens puniri; è iusti tamen corde prauus vindictæ affectus prodire non debet. Denique qui vindictæ cupidi proximum odio habent, Deiparæ, alioquin peccatorum aduocatæ, intercessione se reddunt indignos; eo quòd ipsi Virgini Dei maternitatem negant. Nam, vt Augustinus ait tract. 7. in epist. Io. *Quisquis violat charitatem, vita ipsius negat Christum in carne venisse; & iste est Antichristus.* Qui enim est contra charitatem, contra

Spiritualem animæ vitam quælibet culpa polluit: sed vltionis affectus omnino aufert.

Vindictæ cupidus, vel inimici sanguine, vel proprio amaro felle, & spumea rabie diabolum nutrire studet.

Epiphan. in vitis Prophetar.

Act. 5.

Chrysf in orat. in Principem Apost.

Beda tom. 3. in Martyrol 4. Kal Ianuarij. Surius, tom 5.

Surius, tom. 4.

Ado, & alij.

Surius, tom. 2. Io. Patriarcha, & alij.

Baldricus, & alij.

Vincentius in Speculo l. 12. c. 81.

Palladius hauf. hist. 91

Hieron. ad Titum 3.

Ep. 1 Io. 4. 16.

Christum Dei filium est, cum *Deus charitas sit*; adeoque est Antichristus. Hinc S. Basilius serm. de institut. Monach. sic arguit: *Si, vt Io. ait: Deus charitas est, sine dubio necesse est diabolum odium esse: vt igitur, qui charitatem habet, is Deum habet; sic qui odium habet, is diabolum in se ipso nutrit.* Alitur autem diabolus vel effuso inimici cruore, vel ebulliente vltoris sanguine, eiusdemque rabida spuma, & felle.

C. 28. 8.

29. Quintò addit Ecclesiasticus: *Memento nouissimorum, & desine inimicari: tabitudo enim, & mors imminent in mandatis eius:* hoc est corporis putredo, & spiritualis mors animæ impendent violanti mandata Dei iubentis inimicum odio non haberi. Quare Syriaco textu largitur: *Memento mortis; & transire fac inimicitiam, & infernum, & perditionem.* Quibus verbis ostendit ad inimicitiam infernum, & perditionem indiuisibiliter consequi: ita vt, nisi inimicitiam ignoscendo transire facias; infernum, & perditionem nullo pacto pertranseas. Propterea *Memento mortis, & transire fac inimicitiam.* Naturalis historia refert vitreum puluerem in coruorum nidum iniectum impedire, ne corui suos pullos generent. Similiter ex inimicitia vorax vindictæ affectus, corui instar, nostro in corde non exurget; si cineris, in quem abituri sumus, meminerimus. Quare ad inimicitiam delendam illud Iob in memoriam est reuocandum: *Deficiet omnis caro simul, & cum homine in cinerem reuertetur.* Mosaica in lege, qui humanum cadauer tetigerat, immundus habebatur. Ad hanc legalem immunditiem expiandam præcipitur Num. 19. immundum combustæ vaccæ cinere aspergi: hinc Apost. 9. ad Hebr. 12. ait: *Cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Qui ex vindictæ affectu debitam proximi dilectionem non habet, non corporale cadauer tangit, sed seipsum intra se tamquam spirituale cadauer habet iuxta Ioan. ep. 1. cap. 3. *Qui non diligit; manet in morte.* Hanc ergo non carnalem, sed spiritualem immunditiem expiare, penitusque tollere debet, non vitulæ, sed proprij corporis cinis, in quem reuertetur, in memoriam reuocatus; dicamusque cum Ecclesiastico 17. *Omnes homines terra, & cinis.* 2. Reg. 14. 14. Thecuitis mulier, vt Absaloni fratricidæ à Dauide veniam impetraret; & ab vlciscenda filij cæde retraheret, dixit: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram.* Si verè in hac mortali vita citò transitura fluenti aquæ homo comparatur; vtique de vindicta cogitare non debet, sed eam statim è corde delere. Ideo egregiè Isidorus Pelusiota ep. 211. pronunciauit: *Inimicitiam in aqua scribere oportet, vt quamprimum obliteretur: amicitiam autem in æs incidere, vt perpetuò firma, & immota conseruetur. Christiani animi, est beneficia in marmore insculpere; maleficia verò scribere in puluere,* insignis martyr Thomas Morus aiebat. Maleficia, illatæque iniuriæ, vt citò diffluantur, & deleantur, eo in puluere scribenda sunt, in quem post breuissimum mortalis vitæ transitum reuersuri sumus. At, inquies, mortalis vitæ breuitas animum ad vindictam potius vrgere deberet: nam, vt Senecà in Prouerbijs ait: *Inimicum vlcisci, vitam accipere est alteram.* Senserint id decepti Ethnici; fideles certè oppositum credere, & asserere debent: Inimicum vlcisci, mortem acquirere est, non vitam; mortem scilicet animæ spiritualem; & sæpè etiam corporis, vel à Deo puniente prauum vindictæ affectum; vel ab inimico præueniente vltionis machinamenta. Sed ipse Seneca contra allatam sententiam, & iniuriarum vindictam scri-

Puluis vitreus coruipullorum generationem impedit: similiter mortalis puluis vindictæ stimulos cohibet.

Iob 14. 15.

Inimicitia in aqua scribenda, amicitia in ære: maleficia in puluere, beneficia in marmore.

A psit in libris de ira & de clementia, & singulari libro: *Quod in sapientem non cadat iniuria.* Eius præclara monita hic recensere non vacat: Fideli tamen viro ea accuratè legere erit apprimè proficuum.

30. Sextò subdit Ecclesiasticus: *Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo.* Quòd autem proximi nomine quilibet sit intelligendus, Tigurina vertit: *Nec irascaris alteri.* Cùm Deus vindictam vetuerit, sanctus Dei timor maximam vim habere debet ad vindictam, & iram arcendam. Ideo de vindictæ cupidis dixit Dauid Psalm. 13. 3. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Viam pacis non cognouerunt; non est timor Dei ante oculos*

Proximi nomine quilibet homo intelligitur. C. 28. 8.

B *eorum.* Coram rege in regiam imaginem iniuriam inferre, aut eam lacerare nemo auderet. Sunt tamen qui audeant hominem Dei imaginem coram Deo omnia prospiciente, verbis, vel factis lacerare: profectò *non est timor Dei ante oculos eorum.*

Vindictam exercens coram cœlesti Rege, eius imaginem lacerat. Idem n. 31.

31. Quare Genes. 9. 6. dicitur: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Vbi benè Chrysostomus ait: *Si quod eiusdem naturæ est, non te reuocat, neque à tam peruerso conatu repellit naturæ communio. si totus impiè flagitiosus fraternum fœdus, & compassionem non agnoscis; cogita, quòd ad imaginem Dei formatus est, & quiesces à mala voluntate.* Qui ergo proximum, hoc est, hominem

C quemlibet lædunt, hi Deo, cuius refertur imago, iniurij sunt; atque adeò *non est timor Dei ante oculos eorum.* Timor vtique neque seruilis, neque filialis. Non filialis: Dei enim filij, vt cœlesti Patri gratificentur, ab inimici odio abhorrent; & in hoc se Dei filios esse probant, iuxta Domini sententiam: *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Rursus neque est timor seruilis, quia qui vindictæ studet, infligendas contra vltores à Deo pœnas non timet. Si duo angusto in ponte dimicarent, & alter in alterum insurgeret, facillimè vterque in præceps corrueret. Præstaret ibi ad ruinam vitandam alterum alteri cedere. Ne in hac mortali vita, quæ tem-

D poris breuitate angusta, & exilis est, in Gehennæ baratrum ruamus, Dei timor æternam damnationem minitantis suadere debet, vt alter alteri cedendo se subijciat, iuxta Apostoli monitum 5. ad Ephes. 21. *Subiecti inuicem in timore Christi. Hæc sunt arma iusti, vt cedendo vincat,* ait Ambrosius. Quòd si contrarium animi ferocia suadeat, pudeat eam animalium exemplo non retundere. Plin. l. 8. cap. 50. de capra ait: *Solertiam eius animalis Mutianus visam sibi prodidit in ponte prætenui, duabus obuijs è diuerso: cùm circumactum angustiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate cæca, torrente rapido minaciter subterfluen-*

Lib. 1. offic. c. 5.

E *te, alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatæ supergressam* Si quæ animalia, vt Ethnici fabulantur, inter sidera transferenda forent; profectò præ Amalthea adulteri Iouis nutrice dignior hæc à Plinio memorata foret, quæ numerum augeret astrorum: cùm non de transitu contendendo, sed humiliter alteri se subijciendo propriæ, & alienæ saluti solertissimè consuluerit. Sed si reiectis Ethnicorum fabulis, animal hoc per seipsum in cœlo locum non habet: habet tamen secundùm id, cuius est symbolum Gregorius, & cum eo Philo Carpathius reddentes rationem comparationis illius, quæ Cant. 4. legitur: *Capilli tui sicut greges caprarum,* aiunt: *Capilli sponsæ sicut grex caprarum esse dicuntur; quia populi Ecclesiæ dum præcepta legis ruminantes, cælestia fide contemplantur, munda sunt animalia, & in altis pascun-*

Cedere alter alteri debet, exemplo capræ, quæ capræ alteri in angusto ponte obuiæ se substrauit, ne ambæ in præceps ruerent.

Ad Philipp. 3. 20. tur. Qui in altis per contemplationem pascitur, & cum Apostolo eius *conuersatio in cœlis est*; hic instar Olympi verticis ventorum, hoc est iniuriarum turbine non agitatur.

C. 18. 9. Lex Dei dicitur testamentum, ob triplicem rationem. 32. Septimò subditur: *Memorare testamentum Altissimi; & despice ignorantiam proximi.* Dei lex sacris litteris, promulgata, testamentum dicitur, primò, quia Dei mentem, & voluntatem nobis testatur; dicitur enim testamentum, quasi testatio mentis. Secundò, quia pactum, & fœdus, Hebræo vocabulo dicitur testamentum; eo quòd per pactum, & fœdus contrahentes sua inuicem promissa testentur: hinc diuina lex sacris litteris contenta testamentum dicitur; cùm per eam homo ad Dei mandata seruanda se obliget, & homini Deus cœlestia præmia largiri promittat. Tertiò valdè propriè, & communiter scriptura, qua per vltimam voluntatem hæres instituitur, testamentum appellatur. Ideo Dei lex, quæ in sacra Scriptura continetur, testamenti nomen habet; cùm in ea Deus cœlestis regni hominem eiusdem legis obseruatorem hæredem instituat. Hinc iustis fidelibus Apost. 3. ad Coloss. 24. ait: *A Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Si igitur diuinæ legis meminerimus; proximum nos lædentem non oderimus: cùm tale odium diuina lege sit vetitum. Bene ergo monet Ecclesiasticus: *Memorare testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi.* Quòd si testamenti nomine testantis vltimam voluntatem intelligamus: & *vbi testamentum est, mors necesse est, intercedat testatoris*, iuxta Apost. ad Hebr. 9. 16. Christus Dominus suum speciale testamentum in cruce morti proximus statuit. *Testabatur de cruce: testamentum eius signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis*, ait Ambrosius Lucæ 23. Legauit eo testamento matri dilectum discipulum, dilecto discipulo matrem: Lucæ 23. latroni paradisum: æterno Patri spiritum: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Sed antea crucifixoribus veniam suo testamento reliquit: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Cùm igitur Dominus, vt crucifixoribus veniam ab æterno Patre dandam impetraret, eorum ignorantiam in excusationem adduxerit; similiter nos Redemptorem imitantes; vt iniurias condonemus, proximorum ignorantiam excusare debemus: *Memorare testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi:* hoc est, tamquam rem leuem, & memoria non retinendam paruipende proximi, tamquam ab ignorante, offensam. Alioquin qua fronte, qua conscientia Deo dicere poterimus? *Ignorantias meas ne memineris.* Ps. 24. 7.

33. Dauidis, Salomonis, & Ecclesiastici contra vltionem testimonijs addatur Isaiæ vaticinium cap. 53. 7. *Sicut ouis ad occisionem ducetur: & quasi agnus coram tondente se obmutescet; & non aperiet os suum.* Quod vaticinium quamuis certissimè de Christo prolatum esse credi debeat; nihilominus saltem de iusto, sanctóque viro id prædictum esse Iudæus negare non poterit. Si ergo in iniuriarum tolerantia, immò in iniustæ mortis passione iustus se tamquam ouem, & agnum mansuetissimum præstabit; detestanda vltio, & erga inimicum acerba indignatio est.

34. Allata ex veteri testamento testimonia, & alia infra citanda Rabbinos asserentes inimicum odio habendum apertè vel insipientiæ, vel peruicaciæ malitiæ arguere possunt. Dices, si tam amplum diligendi mandatum complectens omnem hominem antiquis datum est; cur Dominus Dilectionis mandatum, nouum dicitur Io. 13. 34. ait: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem*: & ipse Ioan. ep. 1. cap. 2. ait: *Iterum* *mandatum nouum scribo vobis: qui fratrem suum* quadruplici ratione. *odit, in tenebris est: qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.* Quæsito huic multipliciter responderi potest. Primò, quia amplum dilectionis mandatum iam peruersi Rabbini antiquauerant, & ad solos amicos coarctauerant, benè illud Dominus iam abolitum renouans in Euangelica lege mandatum nouum appellat. Secundò mandatum nouum dicitur in sensu effectiuo; hoc est, talis mandati obseruatores nouos homines reddens. Augustinus in Ioan. epist. citatum locum ait: *An ideo est mandatum nouum, quia exuto vetere homine, induit nos hominem nouum? Induit quippe audientem, vel potius obedientem, non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus mandat: & vt à carnali dilectione distingueret, addit: Sicuti dilexi vos. Dilectio ista nos innouat, vt simus homines noui, hæredes testamenti noui, cantores cantici noui; facit, & colligit populum nouum.* Edidit Augustinus tractationem de cantico nouo, de quo etiam agit Psalm. 149. Similiter Bernardus serm. 5. in cœna Domini: *Mandatum nouum do vobis. Vnde nouum? Nouum, quia nuper inuentum; non quia in veteri Testamento non sit scriptum. Quid ergo est nouum? Nouum, quia vetera ad nouitatem perducit: & veteres homines transformat in iuuenes: nouum, quia exuit veterem hominem, & induit nouum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate, & iustitia veritatis: nouum, quia olim genus humanum à paradisi gaudijs expulsum, nunc, & quotidie transmittit in cœlum.* Tertiò dicitur nouum, eò quòd antiquo dilectionis mandato comparatum, longè perfectiorem diligendi mensuram habeat. Antiquis enim dictum est: *Diliges amicum tuum, sicut teipsum*: sed à Domino in Euangelica lege dicitur: *Diligite inuicem, sicut dilexi vos.* Quacumque humana dilectione maior Dei filij erga nos dilectio fuit. Quare benè Cyrillus ait: *Iubet talem inter se dilectionem habere, qualem ipse re, atque opere consummauit; quæ mensuram non habet, cùm suprema, cumulataque sit. Per hæc discipulis præcipit adeo non esse fugienda pro salute hominum certamina, & dolores; vt ipsa etiam mors carni reijcienda non sit. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere*, ait Ioan. Fratrum autem nomine, inimici non excluduntur: nam inuicem diligere debemus, sicut Christus dilexit nos: erga nos adhuc ei inimicos Christus eximiæ dilectionis beneficentiam exhibuit. De sua dilectione erga homines Dominus dixit Ioa. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis:* Vbi Gregor. hom. 25. in Euang. ait. *Mori etiam pro inimicis Dominus venerat; & tamen se animam pro amicis dicebat: vt profectò nobis ostenderet, quia dum diligendo lucrum facere de inimicis possimus, etiam ipsi amici sunt, qui persequuntur.* Similiter Psalm. 37. suos persecutores Dominus amicos, & proximos vocat: *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.* Subdit posteà: *Ego in flagella paratus sum:* hoc est pro eorum redemptione cruciatus subire iam sum paratus. *Commendat charitatem suam Deus in nobis; quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius*, ait Apost. Cùm ergo beneficentiam tantam, quanta ex Christi imitatione proponitur, antiquum mandatum non continuerit; hinc est, vt benè Euangelicæ legis de dilectione mandatum nouum dicatur. Quartò mandatum nouum dicitur, eò quòd ex noua erga quem-

Marginalia (right column): Fratrum, & amicorum nomine etiam inimici significantur. — Leuit. 19. — Io. 15. 13. — Cyrill. in Ioa. l. 10. c. 10. — Ioa. ep. 1. c. 3. 16. — Ioa. 15. — Ad Rom. 5. 8. 10.

cumque

cumque hominem dilectionis obligatione datum sit. Nam in Euangelica lege multò magis humanam naturam, cùm eam Deus assumpserit, teueri debemus: & ideo erga quemlibet humanæ naturæ participem dilectio est exhibenda. Hoc charitatis incentiuo motus Isidorus Pelusiota, sententiam verè auream protulit lib. 3 epist. 390. dicens: *Lubentius ego, cùm de omnibus bene meritus essem, tamquam qui iniuria omnes affecissem, pœnas darem; quàm cùm vnum læsissem, tamquàm de omnibus benemeritus, corona donarer, ac prædicarer:* Rejicienda vtique foret ex multiplici beneficentia, veluti ex multiplici flore corona benè contexta; si in ea tantùm vnica vulnifica, & cruenta offensæ spina admisceretur.

*Odio habebis inimicum tuum?*

35. VT ad bonum sensum hæc verba trahantur, ijs interrogationis nota esset apponenda: & sic talis sententiæ negatio, non affirmatio sequetur: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* aiebat S. Iob. Quibus verbis à pati videtur arguere, quasi dicat: si tam hilari animo, quæ nobis Deus largitus est, bona suscepimus; cur non etiam pari animo ab eodem immissa mala non suscipiamus, cùm ipsa mala à Dei manu prouenientia nobis nonnisi bona esse possint? Sicut lutum, quod potius excæcasset, acceptum à manu Domini cæcum illuminauit, ita mæroris, & afflictionis tenebræ à Deo immissæ mentem illuminant. Ideo Isaiæ 45. vbi dicitur: *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras:* Gregorius ait: *Cùm per flagella exterius doloris tenebræ creantur; intus per eruditionem lux mentis accenditur.* Similiter dici potest: Si amicum tamquàm nobis beneficum diligimus; cur non etiam inimicum, à quo ex Dei voluntate beneficentia in nos prouenit, non diligamus? *Amicus quasi animi custos vocatur*, ait Greg. hom. 27. in Euang. Cùm ergo ne maledicæ linguæ obtrectationibus obnoxij simus, sæpè vitia nostra corrigamus; hinc est, vt inimicus noster custos, ne prauis operibus inquinemur, dici possit. Cur ergo odio habendus est inimicus; cùm amicum nobis, vtilemque custodem se præstet. Benè ergo Dauid Psalm. 117. de suis inimicis aiebat: *Exarserunt sicut ignis in spinis.* Sicut ergo ad fœcunditatem agro ignis est vtilis, noxias spinas comburendo; ita inimici nobis benefici sunt, cùm praua in nobis opera, tamquam spinas expurgent. Per flammas detrahentium, non iustorum vita comburitur; sed si quæ in eis esse poterant, peccatorum spinæ concremantur, ait Gregorius hom. 9. in Ezech. Ideo Chrysost hom. 19. in epist. ad Hebr. ait: *Dilige inimicum, quia nihil gratiæ illi præstas, sed tibi: meritum enim non illi comparas, sed tibi. Quid ergo si sit malignus? Tantò maior erit & merces: & pro malignitate sua debes illi gratiam, non secus, quàm impendisset tibi multa millia beneficiorum: Si enim non esset valdè malus, neque tibi merces valdè cresceret. Proinde quod pro causa non amandi dicis, quia malignus est, hoc ipsum est causa amandi. Aufer contrarium concertatorem, & auferes occasiones coronarum. Non vides, quia & arbores quantò magis comminuentur, tantò amplius fortiores efficiuntur, & densæ?* Similiter homo, qui dicitur arbor inuersa, non in terra, sed in cælo fixus radices habens; ibi eò magis radicari debet, quò magis infestum inimicum experietur. Qui secus fecerint, erunt *arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ*, vt B. Iudas Apostolus ait. Qui-

Inimicus diligendus, quia nobis beneficus est, valdeque vtilis.
C. 2. 10.

Ioan. 9.

Gregor. 1. Moral c. 6.

Inimicus beneficus est habendus, quia in nobis veluti ignis vitiorum spinas absumit.

A re cùm Salomon dixerit: *Ne dicas: Reddam malum:* & Apost. *Nulli malum pro malo reddentes:* talis moniti rationem reddit Anselmus, quia reddere pro malo malum, iustitiæ aduersatur. *Nam qui bonum accepit, bonum vtique restituere debet Tu autem, qui ab alio læsus fuisti, non mali, sed boni acceptor es, si sapis: læsor enim sibi malum intulit, tibi autem bonum; atque adeo vel ex eo illi debitor existis, quia malo suo tibi bonum comparauit.* Hinc Chrysostomus ait: *Præmiorum procuratores sunt, qui nos insectantur.*

Prou. 20. 22. ... Rom. 12. 17.

Chrysost. in ep. ad Rom. cap. 12.

36. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 244 ait: *Non modo pro acceptis beneficijs, sed etiam pro eo, quòd iniuriam inferre prohibitus es, gratiam te Deo habere conuenit. Nam hoc quoque, etiam si tibi mirum, atque ab hominum opinione alienum videtur, maximum*
B *beneficij genus est.* Idem l. 3. ep. 100. ait: *Non ijs, qui iniuriam accipiunt, sed ijs, qui inferunt periculum omne impendet: eosque trepidare, ac contremiscere oportet. Quod si ita est, iniuriam perpeti malum non est. sed eam inferre, nec illatas iniurias perferre scire.* Quòd iuxta Isidorum, non modo pro beneficijs; sed etiam pro eo, quòd iniuriam referre prohibemur, gratiam habere Deo nos debemus; testatus est Dauid 1. Reg. 25. Cum enim Nabalem inimicum, eiusque familiam omnem ad illatam iniuriam vlciscendam de medio tollere Dauid cogitaret; Abigailis Nabalis coniugis verbis delinitus dixit: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium*
C *tuum; & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea.* Si hoc Dauid dixit, qui à Deo per Samuëlem in regem inunctus, iustè poterat iniquum Nabalem punire; quid dicturus est, qui nullam in proximum, quamuis iniurium & iniquum, legitimam potestatem habet? Porrò, quæ præmia ad iniuriæ condonationem consequantur, benè ibidem prudens mulier Abigail explicauit, Dauidi dicens: *Si surrexit homo persequens, & quærens animam tuam; erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu, & circulo fundæ.* Hinc Eucherius ait: *Fasciculus adstrin-*
D *gitur, & conseruatur: Sic electi pressi ris tribulationum constringuntur, vt per manus Redemptoris in perpetuum conseruentur. Quia verò reprobi, quò lautiores in vita sunt, eò longius à diuina visionis gloria projciuntur, idcircò lapidi fundæ comparantur. Quò videtur allusisse regius Vates Psal. 87. Ipsi de manu tua repulsi sunt. 2. Sicut fasciculus vinculo, & nexu colligatur; ita Sanctorum cœtus eadem fide, eadem spe, eodem charitatis vinculo constringitur; & vno, eodem que diuino præsidio vndique cingitur 3. quia sicut fasciculus florum in manu ad oblectationem gestatur; ita electos omnes Deus in manu sua gestat, & virtutum odore, qui ex illis afflatur, continuò delectatur*, iuxta illud
E Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt. Periti agricolæ rosas, & violas putant se facere meliores si allia, & cepas iuxta plantent; quòd in ea excernitur quicquid alimento inest fœtidum.* ait Plutarchus lib. de vtilitate ex inimicis capienda. Sic fragrantius Christi bonus odor erit, qui illatam iniuriam potius patienter tolerat, quàm eam per vltionem reijcit. Benè ergo Dauidi se non vlciscenti Abigail dixit: *Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium* E contrario, qui inimicis non ignoscens, viuentium fasciculus esse renuit, alligabitur *in fasciculos ad comburendum*; vt Matth. 13. 30. dicitur. Et Isaiæ 24. 22 *Congregabantur in congregatione vnius fascis in lacum.* Subdidit deinde Abigail, vt Dauidem ab vltione retraheret.

Iniuriæ condonanda præmia.

Electi cur fasciculi dicantur.

...lores odoriferi prope allia, & cepas consiti, meliores fiunt sic ex illatis iniurijs homines.

*Non erit hoc tibi in singultum, & in scrupulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris.* Lacrymæ solius hominis sunt; singultus verò etiam bestiarum. Vltionis ergo culpam non solùm lacrymis, sed singultu deplorandam Abigail dixit; eò quòd, qui se vlciscitur, non tamquam homo, sed tamquàm fera se gerit. Sed eum ibi Nabal fuisse dicatur; *Durus, & pessimus, & malitiosus, & filius Belial; ita vt nemo possit ei loqui*: Cur Nabalis sanguinem innoxium Abigail vocauit? Ideo scilicet, quia qui nobis iniurius est, sibi quidem est noxius, nobis verò innoxius, si eius iniurias nihil æstimemus. *Malitia tua, vt alteri non noceat, fieri potest; quòd autem tibi non noceat, fieri non potest*, ita qui alteri iniuriam infert, monetur ab Augustino, & Humberto lib. 5. cap. 7. Institutionum. Quare Chrysost. in illa Dominicæ orationis verba: *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, asserit Dei impassibilitatem imitari, qui condonat iniurias; cùm sicut Deo, ita & illi iniuriæ non nocere videantur. Egregiè etiam Martinus Braccarensis Episc. lib. de quatuor virtutibus cap. 2. ait: *Si magnanimus fueris, numquam indicabis tibi contumeliam fieri de inimico dices: Non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit: & cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse.* Cum Rebecca in vtero Esau, & Iacob gestaret, ei à Domino dictum est Gen. 25. *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur; populusque populum superabit; & maior seruiet minori.* Vbi August. serm. 78. de tempore ait: *Quod dictum est: maior seruiet minori, secundùm litteram in Esaü, vel in Iacob non videmus adimpletum: non enim corporaliter beato Iacob Esaü seruisse commemorat scriptura. Quomodo ergo hoc oporteat intelligi, spiritualiter debemus intelligere.* Spiritualem autem sensum ibidem explicat Augustinus, & 16. de Ciuit. cap. 35. dicens: *Quod dictum est: Maior seruiet minori, nemo ferè nostrorum aliter intellexit, quàm maiorem populum Iudæorum minori populo Christiano seruiturum.* Ex Iudæorum enim libris, & Prophetis Christiana veritas, Christique in carne aduentus benè probatur. Subdit cit. ser. August. *Sed alio modo populus maior seruiet minori. Illo vtique, quo mali seruiunt bonis; non obsequendo, sed persequendo. Quomodo persecutores Martyribus; quomodo limæ, vel mallei auro; quemodo molæ seruiunt tritico; quomodo panibus coquendis fornalia; vt illi coquantur; illa consumantur. Quomodo in fornace aurificis palea seruit auro: vbi sine dubio palea consumitur, aurum probatur.* Cum ergo metallo expoliendo lima, vel malleus, & auro palea ardens vtiles sint; sic etiam pio Christiano vtilis sit inimicus; hinc est, vt non affirmando, sed vt supra diximus per interrogationem negando dicere possimus: *Odio habebis inimicum tuum?* Qui inimicus animæ quamuis suæ valdè noxius sit, tibi tamen non modo innoxius, sed valdè vtilis, & proficuus est. Si quæras, cur persequentium populus maior dicatur; populus verò persecutionem patientium dicatur minor? Respondet Augustinus: *Quia semper est maior numerus malorum, quàm bonorum.* Ideo idem hortatur, vt ex maiori numero in minorem transferamur; adeoque si salui esse velimus, iniurias ferre, non inferre cupiamus.

Vltiò veluti feram se gerit. Iniuriosus aliis Nabal, dicitur innocens, quia iniquus sibi noxius est, aliis verò iniuriam patienter tolerantibus, est innoxius.

Matth. 6. 12.

Iniuriam inferens prodest ei, cui infert iniuriam, vt lima, & malleus auro. Mola tritico, lignaque combustibilia panibus.

37. Animalium, quæ valdè iracunda, alijsque infesta sunt, vt tauri, fel maximè iuuat ad aspersas pannis maculas abstergendas. Similiter cum in nos inimici insurgunt, eorumque amarum fel experimur; ita vt cum Dauide dicere possimus: *Tauri pingues obsederunt me*: ex hoc efficaciter debemus animi maculas omnes abstergere; ne in nobis aliquid carpendi verè inimici reperiant; eorumque maledictis iure simus obnoxij. *Phalereus deploratus à medicis vomicæ morbo, cùm mortem in acie quæreret, vulnerato pectore medicinam inuenit ex hoste*, ait Plin. lib. 7. cap. 50. Quod raro casu tunc accidit; id frequenter, si diuinæ dispositioni cooperari velit homo, eueniet; nempe, vt ab inimico medelam spirituali morbo reperiat. Cùm S. Monica S. Augustini mater adhuc puella in nimiam vinolentiam incidisset, quærit August. 9. Confess. cap. 8. *Deus meus, vnde sanasti? Vnde curasti? Nonne protulisti durum, & acutum, ex altera anima conuicium, tamquam medicinale ferrum ex occultis prouisionibus tuis; & vno ictu putredinem illam præcidisti? Ancilla enim, cum qua solebat accedere ad cuppam, litigans cum Domina minore, vt fit, sola cum sola, obiecit hoc crimen cum amarissima insultatione vocans meribibulam. Quo illa stimulo percussa respexit fœditatem suam, confestimque damnauit, atque exuit. Sicut amici adulantes peruertunt, sic inimici litigantes plerumque corrigunt.* Ad hoc confirmandum legi potest proficuus liber, quem Plutarchus scripsit, *De vtilitate ab inimicis capienda.* Quod argumentum benè etiam prosequitur Chrysost. tom. 1. homil. de Dauide, & Saule.

Iracundi corporales maculæ tolluntur, inimici culpæ extinguntur.

Phalerei morbus insanabilis ab hoste vulnere curatur. Idem refert Cicero 3. de natura Deorum, & Iasonemque vocat. Pheræum Iasonem.

38. Psalm. 118 98. testatus est Dauid: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo; quia in æternum mihi est.* Vbi iuxta plures sacros interpretes particula. *Super* non est comparatiua, sed explicatiua obiecti, circa quod mentem versans Dauid, prudentiam acquisierat; & sensus est: Domine, dum circa ea, quæ in me inimici mei obijciunt, & moliuntur, mentem verso; & ex mandato tuo mihi in æternum seruando, non vltionem, sed meæ vitæ correctionem meditor; prudentiam consecutus sum; ita vt bene didicerim, quomodo meas omnes actiones, & verba, iuxta prudentiæ normam dirigere debeam; ne inimicorum calumnijs aditum per meipsum aperiam. Fauet huic interpretationi Theodoretus Benzoma, qui citato textu legit: *Ab hostibus meis sapientem me fecisti, me per eos docuisti.* Hugo Card. interpretans sententiam illam Prou. 17. 13. *Qui reddet mala pro bonis, non recedet malum de domo eius*, ait. *Omnis, qui sibi malè facienti irascitur, reddit malum pro bono; nam omnis molestia, & tribulatio bona, & salutaris est homini, vel ad satisfactionem, vel ad approbationem, & incrementum virtutis. Qui igitur tribulanti se irascitur, quasi puer scabiosus est, qui matri lauanti caput eius irascitur, & conuiciatur. Item huiusmodi tribulatio aqua est ad extinguendum ignem concupiscentiæ: qui igitur tribulanti irascitur, similis est illi, cuius domus ardet, & afferenti sibi aquam ad extinguendum conuiciatur. Item tribulatio panis est animi; quo pane præcipuè in crucis mensa Dominus satiari voluit, iuxtà Ier. vaticinium: Saturabitur opprobrijs. Qui igitur tribulanti irascitur, similis est cani, qui manum porrigenti sibi panem mordet.* Cùm hæc Hugo docuisset, sibi obijcit: *Sed dicet quispiam: Et si bona faciant tribulantes, non tamen benefaciunt, quia non hoc intendunt; & ideo non sunt sustinendi. Amice, spinæ, quæ vineam tuam claudunt, & custodiunt, hoc non intendunt facere, sed si ideo reijcis, stultus es.* Suos Dauid inimicos apibus comparauit Psalm. 117. *Circumdederunt me, sicut apes.* Amantur, & nutriuntur apes, eò quòd mellis dulcedinem pariant, quamuis eædem aculeis pungendo molestæ sint: & teste Plinio ex apibus, quæ iracundæ magis sunt, eæ sunt mellis feraciores. Similiter inimici, quam-

Illatæ iniuria prudentiam docens.

Algrinaus Auendanus Lorinus.

Apud Genebrardum.

Vlciscens reddit malum pro bono: Bonum ex iniuria perceptum pluribus exemplis ostenditur.

Thren. 3.

Inimici quò magis in nos iram exercent, eò magis vtiles. Apes quò magis iracundæ, eò mellis feraciores. Plin. l. 11. c. 16.

uis iniurijs, veluti punctionibus ad vindictam prouocent, adhuc diligendi sunt; eò quòd ad iniuriæ punctionem meritoria patientia, æterni que præmij suauitas consequatur: vt benè docuit Vrbanus IV. in Psal. 50. Ad tollendum inimici odium cum Apost. 4. ad Ephes. dixisset: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio tollatur à vobis*; subdit: *Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem*; *Donantes vobis metipsis*, legit Hieronymus: quia *quod benè in alium fit, magis ei reponitur, qui præstitit, quàm cui datum est.* Cùm enim iniurias condonamus, multò magis nobis, quàm alijs benefici sumus. Nobis enim ingens meritum, & æternæ beatitudinis pignus certè damus. Non est ergo inimicus odio habendus; si nobis ipsis B valdè benefici esse velimus. Hinc enim spiritualem, & eximiam alchimiæ artem docemur: nam si alchimistæ vile metallum in argentum, vel aurum vertere conantur: qui iniurias remittendo, vitam proximo, vel famam, vel opes condonat; is temporalia beneficia proximo collata in supernaturalia dona gratiæ, & gloriæ sibi ipsi conferenda eximius alchimista conuertit. Ex huiusmodi alchimia mysticè conflandum est argentum illud, de quo Exod. 27. 10. præcipitur: In tabernaculo Deo dicato *facies columnas viginti, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.* Vbi Origenes hom. 9. in Exod. ait: *Potest vnusquisque nostrum in semetipso constituere tabernaculum Deo. Hæc sibi debet columnas aptare virtutum, columnas* C *argenteas, idest patientiam rationabilem. Potest enim esse in homine, quæ videatur patientia, sed quæ rationabilis non sit. Qui non sentit iniuriam, & propterea non reddit, patiens videtur, sed non est rationabilis ista patientia. Iste ergo habet quidem columnas, sed non sunt argentea. Qui ergo propter verbum Dei patitur, & fortiter fert; iste columnis argenteis decoratus est, & munitus*, &c. vide apud Origenem.

Vtrunque remissionem, alchimia opti- mus. [margin]

39. 2. Si inimici nomine diabolum nos ad peccata incitantem intelligamus, tunc benè de eo dicitur: *Odio habebis inimicum tuum.* Nam, vt Augustinus ait: *Qui sano intellectu scripturæ diuinæ sensum agnoscere cœpit; sententiam istam hoc modo intelligat, vt diligat omnem hominem proximum suum;* D *odio habeat diabolum inimicum suum.* Idem sermone 35. docet, *Quòd in lege Dominus non inimicos, sed inimicum præcipie odiri; vt qui spirituales erant in lege solum diabolum odio haberent: cuius odium Christus non venit soluere, sed adimplere.* Ideo de diabolo per parabolam dicitur Matth. 13. *Inimicus homo superseminauit zizania.* Vbi Chrysologus serm. 96. ait: *Postquam in dæmonem conuersus est ex Angelo, ne qua creatura in suo statu consisteret, arte, dolis, machinis, fraude contendit.* Ad hæc ergo vitanda benè diabolus odio est habendus. *Inimicus, & aduersarius noster diabolus est; huncindefessum nostræ salutis osorem odisse licet, communem omnium hominem hostem, maximè fidelium.* ait B. Antiochus hom. 57. Similiter S. Cyrillus Hierosolymitanus docet inimicitias quasdam bonas esse; vt illæ, quæ positæ sunt à Deo inter serpentem, & hominem, Gen. 3. 15.

August. tom. 10. ser. 168. de tempore. Inimicus odio habendus, est diabolus. [margin]

40. Callionymi piscis cor si supra incensos carbones ponatur, *fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, ita vt vltra non accedat*: sicut iuniorem Tobiam cap. 6. Raphaël Angelus docuit. Similiter nos instrui debemus: cum ex Philosopho ira sit sanguis in corde accensus; si quando cor iracundia incendatur, non in alium, quàm in dæmonem nos ad præuaricandum incitantem indignari, illumque procul expellere debemus. Apoc. 6. ait Ioan. *Vidi subtus altare animas inter-* A *fectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magna dicentes: Vsquequo, Domine, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Vbi Hieronymus tomo 9. 1 p. 7. vel alius grauis auctor ait: *Non eorum mortalium sanguinem, mortesque desiderant, qui in eos quondam aut populari seditione sæuierunt; aut tribunalibus suffulti capitales sententias promulgarunt. Si inter passionum tormenta, & amarot mortis dolores tam piè quilibet pro iniustis, pro impijs, pro cruentis, pro blasphemantibus supplicarunt: si eo denique tempore, quo ipse angustiarum sensus extrema patientium poterat excitare ad maledicendum, precatio pro homine fusa est; quis non intelligit non mentes Martyrum, sed persecutorum personas fuisse notatas; eosque appeti, quot in terra adhuc inhabitare credendum est? Qui sunt isti non ignoramus; spirituales sine dubio nequitiæ, & tenebrarum potestas; qua & in terris adhuc inhabitant, & non cum ignorantia in Dei famulos peccauerunt.* Similiter August. serm. 59. de tempore: *Quod in Apocalypsi legitur Martyres orare Deum, vt vindicentur, hoc quempiam mouere non oportet. Quis enim audeat affirmare, cuius illi sancti candidati se vindicari petierunt, vtrùm potius contra ipsos homines, quàm contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est sincera, & plena iustitiæ misericordia, vindicta martyrum, vt euertatur regnum peccatis, quo regnante perpessi sunt: ad cuius euersionem nititur Apost. ad Rom. 6. dicens: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Similiter teste Athanasio. *Magnus Antonius verba illa Psal. 117. Omnes gentes circumierunt me; & in nomine Domini, quia vltus sum in eos; non contra alios hostes, quàm contra dæmones ipsum vexantes hilariter concinebat.* Similiter B. Antiochus hom. 54. inimicitias, adeoque vltionem exercendas esse ait: *Aduersus homicidam illum diabolum, qui ipso statim initio orbis conditi hominem peccati lenocinio inescatum accepit, atque adeo deceptum amœnitate exegit Paradisi.* Quare de diabolo, eiusque sequacibus spiritibus intelligit illud Psalm. 139. *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam.* Similiter citans Psalm. 34. *Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam; fiant tamquam puluis.* & Psalm. 53. *Disperde illos*: & Psalm. 59. *Ad nihilum deducet tribulantes nos: Hæc Danidem orasse aduersus spirituales inimicos, non aduersus homines*, ait B. Antiochus. Similiter Hieronymus in cap. 1. Thre. Ier. ait: *Sancti viri contra spirituales nequitias orant, quas incorrigibiles esse sciunt; vt iustam à Domino recipiant sententiam. Hinc est illud, quod Psal. 34. Propheta Dominum contra nocentes se precatur dicens Iudica Domine nocentes me. Assumpta pro nobis clamat infirmitas, vt damnentur nocentes, idest diabolus cum ministris suis: malos enim iudicari, damnari est, quia nequeunt in disceptatione liberari, qui semper prauis actionibus probantur implicari. Cum ipse Dominus præcipiat pro inimicis orare; hominibus hæc non potest conuenire sententia.* Cassianus lib. 7. cap. E 21. cum plura loca sacræ scripturæ attulisset; nempè Psalm. 34. *Veniat illi laqueus, quem ignorat; & captio quam abscondit, apprehendat eum; & in laqueum cadat in ipsum. Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam; auertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.* Ieremiæ 17. *Confundantur illi, qui me persequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos.* Psalm. 17. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non conuertar, donec deficiant: Confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos.* Psalm 34. *Iudica Domine nocentes me; expugna impugnantes me: apprehende arma, & scutum; & exurge*

De hoc Valles. de sacra Philosophia c. 48. Callionymi piscis cor incensum fugauit dæmonem: sicut humanum cor ira cundia incensum, non nisi in dæmonem indignari debet. [margin]

Scripturæ verba vindictæ affectum indicantia, de vltione in diabolum sunt intelligenda; hic. & 41. [margin]

*in adiutorium mihi. Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me.* Micheæ 5. *Exaltetur manus tua super hostes; & omnes inimici tui interibunt.* Quibus omnibus citatis ait idem Cassianus: *Hæc omnia, & his similia sacris voluminibus inserta legentes, siue canentes, nisi contra nequitias spiritales, quæ nobis insidiantur diebus, ac noctibus acceperimus fuisse conscripta, non modo ex eis ædificationem nullam lenitatis, ac patientiæ consequemur; sed etiam dirum quemdam, atque contrarium Euangelicæ perfectionis sequemur affectum. Non solùm enim docebimur non orare pro inimicis nostris, nec diligere eos: sed etiam detestari illos implacabili odio prouocabimur; & maledicere eis, atque orationem aduersus eos indesinenter effundere. Quæ tali spiritu prolocutos* B *viros sanctos, & amicos Dei, intelligere perquam scelestum est, atque profanum.*

41. Allatis à Cassiano locis, addi possunt Dauidis verba Psal. 117. *Omnes gentes circumierunt me; & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.* Quæ verba, vt supra diximus, cum sancto Athanasio S. Antonius vsurpauit; cùm aduersus ingentem dæmonum aciem eum vexantium diuino adiutorio se constantem præstitisset. Quare non solùm aduersus Israëlitici populi hostes; sed etiam aduersus dæmones ea protulisse Dauidem, dicendum est. August. serm. 85. de tempore ait: *Malos homines diabolus quasi malleos, vel flagella habere consueuit. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, &* C *sanguinem; sed aduersus principes, & potestates, & spiritalia nequitiæ, idest aduersus diabolum, & Angelos eius. Quia quando patimur homines importunos, ille instigat, ille inflammat, ille tamquam vasa sua mouet. Attendamus ergo duos hostes, quem videmus, & quem non videmus. Hominem videmus, diabolum non videmus: hominem diligamus, diabolum caueamus: pro homine oremus; contra diabolum oremus, & dicamus Deo: Miserere mei, Domine, quoniam conculcauit me homo;* Diabolus scilicet sub humano instrumento. Contra visibilem inimicum cum demerito, & animæ pernicie, Deo repugnante inuehimur: contra inuisibilem cum merito, & animæ lucro Deo adiuuante inuehi possumus.

Ad Eph. 6.

Psal. 55.

42. 3. Si in homine non naturam, seu personam D oderimus, sed culpam; iustum, & laudabile mandatum est: *Odio habebis inimicum tuum. Quod in vno homine malo impleri potest*, ait Augustinus. *In ipso enim vno, qui malus est, & proximum habes, & inimicum. Nam quòd homo est, proximus tuus est; quod malus est, non solùm tuus, sed etiam suus inimicus est. Dilige ergo in eo carnem, & animam; hoc est proximum tuum, quod Deus fecit; & odio habe malitiam, quam ipso consentiente diabolus immisit. Quod cum sancto, & pio animo feceris, vices cœlestis medici agis, odio habens morbum, & diligens ægrotum.* Idem August. in illa Psalm. 117. verba: *Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos*, ait: *Quomodo vltus? Vtique occidendo in eis errorem,* E *suscitando fidem. Sic tu persequere malum inimici tui; destrue illud quantùm poteris; illud enim contrariatur tibi, non natura: nam aufer hoc ab inimico tuo, & non erit tibi inimicus.* Ab eodem Augustino 19. contra Faustum cap. 24. docetur, non esse contrarium, quod in antiqua scriptura dictum est: *Odio habebis inimicum tuum*; & in Euangelio: *Diligite inimicos vestros: Quòd vnusquisque inimicus homo inquantum iniquus est, odio habendus est; inquantum autem homo est, diligendus est; vt illud, quod in eo rectè odimus, arguamus, idest vitium; quò possit illud, quod in eo rectè diligimus, idest humana natura ipsa, emendato vitio liberari.* Hoc benè seruasse videtur Dauid Psalm 25. dicens: *Odiui Ecclesiam malignantium; & cum impijs non sedibo*; vt eorum impietatem damnandam ostenderem. Et Psalm. 103. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint:* sint quidem vt homines; non autem, vt iniqui. Similiter Psalm. 118. num. 113. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Vbi explicans postea, quomodo iniquos odio habuerit, subdit: *Omnem viam iniquam odio habui*: ita vt potius in viam, quàm in viatorem odium caderet. Ideo, quod antea dixerat, repetens, clarius ait: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum; legem autem tuam dilexi.* Vbi Augustinus ait: *Cùm dixisset: Iniquos odio habui; exposuit quare, addendo: Et legem tuam dilexi: vt demonstraret non se in hominibus iniquis odisse naturam, qua homines sunt; sed iniquitatem, qua legi, quam diligit, inimici sunt.*

Odio habenda in homine non persona, sed culpa, hic, & 43. August. serm. 168 de tempore.

Psal. 118 v. 163.

43. Venando Lamech, putans se iaculo configere feram, hominem occidit, vt Genes. 4. indicatur. Cauendum ergo nobis est, ne tamquam Lamech, dum proximi iniquitatem odio habemus, in ipsum hominem odium conuertamus. Illud autem odij genus, quod saluâ proximi naturâ, & personâ, tantùm ad eiusdem culpam se extendit, meritò perfectum odium dicitur Psalm. 138. 22. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos.* Vbi Deo August. ait: *Quid est perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam*; nempe diuinam humanæ naturæ creationem. *Hoc est perfecto odio odisse; vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.* Similiter S. Gregorius 3. par. pastor. cap. 23 ait: *Inimicos Dei perfecto odio odisse, est quod facti sunt diligere; & quod faciunt, increpare; mores prauorum premere, & vitæ prodesse.* Similiter S. Thomas in 3. sent. dist. 30. art. 1. ad sextum ait: *Non oderat eos perfecto odio, nisi inquantum Dei inimici erant; hoc est, inquantùm peccabant: vnde non odiebat in eis, quos perfecto odio oderat, nisi peccatum.* Aristoteles cuidam sibi valdè infenso eleemosynam erogans dixit, se naturæ, non malitiæ misertum esse. Si iniuriam rependisset, tunc malitiam, quæ mutuis iniurijs augetur, subleuasset; naturam odio habuisset. Dicitur denique perfecto odio haberi aliquis, cùm odij motiuum non est offensa propria, sed offensa erga Deum. Hinc addit Augustinus: *Diligite inimicos vestros; vestros dixit. non Dei. Benefacite eis, qui oderunt vos: non ait: Qui oderunt Deum. Ideo iste secutus dixit: Nonne eos, qui oderant te, Domine, odio habui? Non dixit: Qui oderunt me. Et super inimicis tuis tabescebam: tuis dixit, non meis.*

Hermolaus Barbarus epi. ad Card. Piccolomineum.

Inimici vt nobis infensi, sunt diligendi; vt Deo inimici, sunt odio habendi; eorum scilicet vitia auersando.

44. Verba illa sanctorum Martyrum Apoc. 6. supra citata verè etiam, & piè M. Marulus interpretatur l. 5. cap. 2. *Vsquequo, Domine, sanctus, & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra? Hoc quidem perinde est, ac si dicerent: Da iam, ne vltra sanguinem nostrum sitiant persecutores nostri; sed ad te conuertantur, & salui fiant. Itaque vindicta ista, quam implorant, non impatientiæ est, sed amoris; non inimicitiæ, sed pietatis. Quod ita esse, vt dicimus, vel ex eo facile persuaderi potest, quia plurimi inter illos, qui Martyrum cruore manus fœdauerant, mox credentes, & ipsi martyrio coronati sunt. Quam gratiam nequaquam assecuti fuissent, si in eos aliter vindicandum sancti postulassent. Vnde Dominus in Psalmo 117. Vltus sum in eos.* Quod exponens Augustinus: *Vindicaui me,* inquit, *de inimicis meis. Quomodo me vindicaui? Occidendo in eis errorem, suscitando fidem.* Atque inde nos admonens, ait: *Quando te persequitur homo, noli attendere illam figuram, quam fecit Deus, aut*

Vlcisci inimicos in nomine domini, est eorum conuersionem expetere, ac à Deo flagitare.

*animam illam, quam inspirauit Deus. Non te persequitur, quod fecit Deus, sed malitia, quam fecit homo. In malitiam ergo hominis irasci licet, in hominem non licet.* Si Cantic. 1. sponsæ testimonio *Oleum effusum* nomen Domini est; vindicta, in qua suauissimum Dei nomen intercedit, non cruorem, sed misericordiæ oleum stillare debet. Huiusmodi Dauidis vltio fuit, cùm Psalm. 117. dixit: *In nomine Domini vltus sum in eos:* cupiens scilicet, vt tamquàm peccatores destruantur, & tamquam homines per conuersionem saluentur.

Odium Dei in peccatores quomodo sit. 45. Cum Sapient. 11. 25. Deo dicatur: *Diligis omnia, quæ sunt; & nihil odisti eorum, quæ fecisti:* quomodo in oppositum Psalm. 5. dicitur: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem:* qui etiam ad Rom. 1. 30. *Odibiles Deo* dicuntur? Respondet Abulensis: (Abulens. in 2 Iud. c. 21. q. 19) *In malis sunt duo, natura bona, quam Deus fecit; & malitia, quam homo per arbitrium defectibile fecit. Naturam bonam Deus diligit, quia in ea suam similitudinem inuenit. Malitiam, quam homo fecit, Deus odit. Ideo, cùm dicitur Deus odisse omnes operantes iniquitatem; est sensus, quòd odit omnes iniquitates, quas operantur omnes homines iniqui.* Dices 14. Sap. 9. dicitur: *Odio sunt Deo impius, & impietas eius:* (Vltionis cupidus cur maximè Deo odibilis.) ergo non solùm malitiam, & impietatem; sed ipsum hominem malum, & impium Deus odit. Respondetur ibi iuxta Hebraïsmum, ponendo abstractum pro concreto, per impietatem intelligi idolum, vt patet ex contextu; per impium autem intelligi idololatram. Abominatur ergo Deus, vt rem impiam, idolum; & odit idololatram, non vt hominem, sed vt habentem impiam idololatrandi peruersitatem. Quare egregiè Hieronymus epist. ad amicum ægrotum ait: (Hieron. tom. 9. vel alius grauis auctor.) *Amat Deus hominem, vt artifex fabricam; sed odit mala opera, quibus fabrica vrgetur in lapsum; & qui mala opera odit, malorum operum non potest amare factorem; sicut Salomon Sapientissimus protulit: Odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Quòd si hic quæras, quæ in homine iniquitas sit magis odibilis? Respondet Chrysostom. hom. 27. in Genes. *Nihil omnium Deus ita odit, & auersatur, vt hominem vltionis auidum, & in animo suo perpetuas aduersus proximum seruantem inimicitias.* Redditque rationem: *tantum enim illius peccati damnum est, vt misericordiam Dei repellat, nec locum habere sinat.* Qui Dei misericordiam, & beneficentiam, quam vehementer in hominem Deus exhibere cupit, auertit; is quantùm in se est, contra ipsam Dei diuinitatem impiè tendit. Nam, vt ait Clemens Alex. l. 6. stromatum: *Cùm Deus sit bonus, si cessaret vnquam benefacere, Deus quidem cessabit esse; quod nefas est dicere.*

Odio habendus est inimicus, id est hic mundus sublunaris: prout incentiua ad peccandum continet, hic, & 47. 46. Cùm dicitur: *Odio habebis inimicum tuum;* benè inimici nomine mundum intelligere possumus; mundum autem hunc sublunarem, & visibilem, prout in se continentem incentiua ad carnis voluptates, ad opum, & inanium bonorum cupiditatem, & ad vanæ gloriæ fastum, & superbiam. Ideo S. Ioan. ait: (Ioan. ep. 1 c. 2. v. 15.) *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo:* redditque rationem: *Quoniam omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Sublunarem quidem mundum ex quatuor elementis constantem, bonum Deus creauit; sed in eo diaboli peruersa malitia mundum alium alijs vitiorum elementis condidit. In quo, vt aiebat S. Antonius à Pataulo: *Terra est auaritia, aqua est luxuria, aër est inconstantia, ignis est superbia.* De hoc mundo dixit idem Ioannes ep. 1. cap. 5. 19. (Ioa. ep. 1 c. 5. 19.) *Mundus totus in maligno positus est.* Propterea monet: *Nolite diligere mundum; neque ea,*

A *quæ in mundo sunt.* Neque mundum, neque quæ in eo continentur, diligere debemus: nam quæ in mundo sunt, odisse debemus, cùm ad peccandum alliciant; & ipse præterea mundus neque est diligendus; ita vt in eo immemores beatæ patriæ diutius viuere cupiamus. (Mundus odibilis est, in quo auaritia est terra, aqua luxuria, aër inconstantia, ignis superbia.) *In hoc mundo nil nostrâ interest; nisi, vt quamprimum ex eo excedamus,* ait Tertullianus. Et Seneca, quamuis Ethnicus monet: (Seneca ep. 19) *Relinque ista, ad quæ discurritur: relinque diuitias periculum possidentium, aut onus: relinque corporis, atque animi voluptates, quæ molliunt, & eneruant: relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum: tam sollicita est, ne quem ante se videat, quàm ne alium post se: laborat inuidia,*
B *& quidem duplici. Vides autem quàm miser sit; si is, cui inuidetur, & inuidet. Confragosa in fastigium dignitatis via est.*

47. *Quicumque voluerit amicus esse seculi huius;* hoc est, mundi cum seculo labentis, *inimicus Dei constituitur,* ait Iacobus Apost. (Iacob c. 4. 4.) Quamuis duos oculos in humana fronte Dominus fixerit; non possumus tamen altero cælum, altero terram simul aspicere: multò minus vno, quod habemus, corde Deum, & mundum diligere possumus. (Cælum vno oculo, altero terra aspici nequit. Sic Deus simul, & mundus amari non potest.) Benè ergo Augustinus, ait: (Augustinus, vel alius grauis auctor l. de abusionibus gradu 7.) *Mundi amor, & Dei pariter in vno corde cohabitare non possunt; quemadmodum iidem oculi cælum pariter, & terram nequaquam aspiciunt.* Sed vt ad mundi odium, de quo loquimur, acrius
C incitemur, interrogatus Abbas Isaias orat. 21. de pœnitentia, quid esset mundus? Respondit: *Mundus est animi ad peccata destructio. Mundus est, cùm ea, quæ naturæ contraria sunt, sequimur. Mundus est, cùm carnis voluptates implemus. Mundus est, cùm arbitramur diu nos in hoc seculo permansuros. Mundus est, cùm maiorem corporis, quàm animæ curam gerimus. Mundus est, cum ijs, quæ caduca sunt, gloriamur.* Ideo Augustinus monet: (August. in ep. 1. Ioa. c. 2.) *Carissimi in hac valle miseria, nihil tam pulchrum, tam delectabile possideatis, quo animus vester omnino occupetur. Fuge mundum, si vis esse mundus: si tu es mundus, iam non delectat te mundus. Fuge creaturas, si vis habere creatorem: omnis creatura vilescat, vt Creator in corde dulcescat.* Hoc argumentum egregiè vr-
D gent SS. Patres Ambros. de fuga seculi: Basilius in regulis fusius explicatis cap. 6. Augustinus lib. de contemptu mundi: de eodem Innocentius tertius; Cyprianus de mortalitate: Bernardus ser. 3. de Circumcisione: Eucherius epist. ad Valerianum.

48. 5. Cum Matth. 10. 36. Dominus dixerit: (Ex Michea 7. 6.) *Inimici hominis domestici eius;* eo quòd sæpè occidat, vt ob carnalem amorem homo à sequendis diuinis mandatis, & inspirationibus, à domesticis retrahatur. (Odio habendi sunt inimici, id est domestici fugiendi, cum à Dei obsequiis nos auertunt.) Ideo huiusmodi domesticum diuinæ voluntati repugnantem, vt inimicum laudabili odio habere possumus; ita vt per piam animi auersionem eius prauas suggestiones fugiamus.
E Ad hoc nobis significandum ibidem Dominus dixit: *Non veni pacem mittere, sed gladium: Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam; & nurum aduersus socrum suam.* (Ambrosf. in Ps. 118. ser. 15.) Et clarius Lucæ 14. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Quòd si quis dicat, vt aduertit S. Ambrosius: *Non possum saluo pietatis iure odisse patrem, cui debeo, quod creatus sum; nec matrem, quæ decem mensium fastidio pij fœtus onera portantem; cui in absolutione plus periculi, in dilatatione plus tædij est. Quid dulcissimi merentur filij, vt paterno excludantur amore; cum sit impium mori nolle pro liberis? Quid vxor*

*charissima, quædam vitæ cohæres, & consortium communis naturæ? Quid fratres ysdem concreti visceribus; atque formati eodem naturæ hospitio in hunc vsum lucis emissi? Oderim ergo pignora charitatis? Respondebit Dominus: Ego non condemno pietatem, qui odi iniquitatem. Ego parentes non præcipio non amandos, qui inimicos suadeo diligendos; Non ego parentum infudi odia pectoribus filiorum; nec coniugum suasi fastidia mentibus maritorum. Amare parentibus filios, lex naturæ est; maritis coniuges lex diuina est, quæ coniugij charitatem in naturam vertit, vt fiat vna caro, & vnus spiritus. Diligere fratribus fratres naturæ prærogatiua est, quæ eodem domicilio diu totos assuefecit ad gratiam charitatis. Non ergo necessitudinum intestina bella mandaui, sed illecebram suspectam habui. An non iure suspectam, cùm serpens ille callidus, & astutus ad construendas nequitiæ suæ artes, quò Adam labefactaret, fœmineis magis illecebris, quàm suis commisit venenis?* Pergit deinde idem exemplis alijs Ambrosius comprobare. Præterea de laudabili domesticorum odio egregiè disserit S. Th. 2. 2. q. 25. a. 6. & q. 34. a. 3. & q. 101. a. 4. Similiter Hieronymus Platus lib. 3. de bono status religiosi c. 34. & 35.

49. 6. Si inimicum, vt nos lædentem odio habere volumus; vnusquisque propriæ culpæ conscius seipsum odio habere debet. Egregiè enim, & qua solet eximia eloquentia Chrysostomus, tom. 5. peculiari homilia ostendit: *Quod nemo læditur, nisi à se ipso. Nulla homini nocebit aduersitas, si nulla ei dominetur iniquitas*, Ecclesia asserit: *Nisi teipsum læseris, ô homo, neque amicus, neque inimicus, ne ipse quidem diabolus poterit te lædere*, ait idem Chrysost. homilia de Dauide, & Saule. Paradoxum certè foret asserere non tam à sauciante, quàm à sauciato sibi ipsi vulnera infligi. Hoc (quicquid sit de corporali malitia) in spirituali apertè patet. Nam, vt acutè satis idem Chrysost. hom. 2. ad Antioch. ait: *Quemadmodum si corpus adamantinum haberemus, licet innumeris vndique telis percuteremur, vulnera tamen non reciperemus. Non enim à manu tela torquente, sed à corporibus patientibus vulnera fiunt; ita & hic, non à petulantium insania, sed ab imbecillitate eorum, qui contumelias patiuntur, iniuria, & contumeliæ constituuntur.* Quod si dicas: Humanæ naturæ fragilitas adamantinos nos esse non sinit: respondetur tales nos non à natura, sed à diuina gratia esse reddendos. Ezechieli enim cap. 3. à Deo dicitur: *Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam.* Et de S. Basilio Nazianzenus ait: *Factus est percutientibus adamas.* Ex Plinio l. 37. cap. 4. *Adamas venena irrita facit.* Similiter ex diuina gratia tamquàm adamantes venenatæ linguæ maledicas calumnias, & iniurias irritas reddere possumus; ita vt ijs nullatenus perturbemur; sed potius aduersus iniuriarum ictus charitatis scintillas emittamus; & nostrûm vnicuique dicatur: *Vt silicem dedi faciem tuam.* Qui verè aduersus illatas iniurias aliter se gesserit, audiat bene monentem Gregor. hom. 27. in Euang. *Cùm in odium exardescimus, dum foris inuicti esse cupimus, intus grauiter ferimur; dum parum foris defendimus, intus amittimus maxima: quia dum rem diligimus temporalem, veram amittimus dilectionem. Omnis, qui nostra tollit, inimicus est: Sed si odio habere cœperimus inimicum, intus est, quod perdimus. Cùm ergo aliquid exterius à proximo patimur, contra occultum raptorem interius vigilemus; qui numquam melius vincitur, nisi cùm raptor exterior amatur.* Dauid cum varijs iniurijs, & aduersitatibus ab inimicis premeretur, suas culpas humiliter recogitans, se

Oratione ad vesperas Feria 6. post Cineres.

Odio habere debemus inimicos, idest nos ipsos, vt plurium culparum reos.

Vltionis venenato affectu ne officiamur, adamantinos nos diuina gratia reddat. Adamas venena irrita facit.

Silex ista scintillas emittit: Christianus iniurijs affectus, charitatis ignem eliciat. Victor est magis sibi, quam inimico nouus.

A auctorem suæ aduersitatis agnoscebat; & ideo non ab inimicis, sed à seipso pœnas exigebat: *Retribuebant mala pro bonis; sterilitatem animæ meæ*, hoc est vastitatem, & desolationem vitæ meæ, & familiæ. *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio; humiliabam in ieiunio animam meam.* Nempe humilis conscientiæ stimuli Dauidi suadebant inimicorum punctionibus cilicij sibi punctiones addere; suas vt culpas, quibus Deum offenderat, pio odio vlcisceretur. Quàm laudabile odium in seipsum sit, ex æternæ felicitatis præmio, quod illi Dominus pollicetur, patet: cùm Ioan. 12. 25. dicat: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Amat animam suam in hoc* B *mundo, qui desideria eius inconuenientia facit; odit autem, qui non cedit ei noxia concupiscenti*, ait Chrysostomus.

Ps. 34. 12.

50. 7. S. August. serm. 11. de S. Stephano optimè monet: *Si te vis vindicare de inimico tuo, ad ipsam iram te conuerte, quoniam ipsa est inimica tua, quæ occidit animam tuam.* Quòd si contra ipsam iram irascamur, & in eam vindictæ, & odij affectum conuertamus, bene medicæ artis peritos imitabimur: sicut enim illi è venenato scorpione antidotum conficiunt, præsentissimum ipsius veneni remedium; ita nos ex iracundiæ, & vltionis affectu antidotum contra hæc ipsa mala conflabimus. C Scorpioni iram non immeritò comparat Augustinus loco citato dicens: *Exercete vos, quoniam potestis, ad exhibendam mansuetudinem etiam erga inimicos vestros; ira enim scorpius est.* Cassianus lib. 8. cap. 8. afferens Apostoli monitum ad Ephes. 4. *Irascimini, & nolite peccare; sol non occidat super iracundiam vestram: nolite locum dare diabolo*, ait: *Si noxium est super iracundiam nostram occidere Solem iustitiæ; & irati confestim locum diabolo damus in corde nostro. Quomodo præcipit, vt irascamur dicens: Irascimini, & nolite peccare? Nonne euidenter hoc dicit: Irascimini vitijs, & furori vestro; ne conniuentibus vobis Sol iustitiæ Christus incipiat propter iracundiam vestram mentibus obscuratis occidere; & discedente illo locum diabolo in vestris cordibus* D *præbeatis?*

Odio habendus est inimicus, hoc est iracundiæ affectus.

Ira Scorpius est; inde spiritualis theriaca conficitur, cum iratum in nos inimicum diligimus.

*Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.*

51. DAuid de ijs, qui iniquè eum persequebantur, ait 118. Psalm. 69. *Multiplicata est super me iniquitas superborum: Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua*: hoc est: Cum inimicorum iniurijs ad eos odio habendum incitari me sentiam, vt prauum odij, & vindictæ affectum cohibeam, Deus meus, toto corde mandata tua scrutabor; in quibus cum reperiam in hominem quembibet odium prohiberi, libenter vltionis affectum reijciam, & vt inimicis parcam, inducar. E Idem Dauid eodem Psal. u. 161. de Saule Rege, eiusque consiliarijs eum sine ipsius demerito persequentibus cum quæreretur: *Principes persecuti sunt me gratis*: rationem subdit, cur contra eos ad vindictam non moueretur: *Et à verbis tuis formidauit cor meum*: Hoc est: Reueritus sum tua verba, tuum mandatum, quo prohibeor proximum, quamuis persecutorem odisse, illatasque iniurias vindicare. Dauidis vocem erga inimicum Saülem, blandam, & beneuolam, qua eum placauit, comparat Chrysost. Cum Iosue voce dicens: *Vox sanctorum frequenter elementa stare fecit, & potestates illorum immutauit. Locutus est tantum Iesus Naue, & constitit Sol, & Luna. Sic & Saul ad Dauidis vocem incaluit*,

Chrysost. hom. de Dauide, & Saule.

charitate scilicet in Dauidem. Si ergo verba Iosue tantæ fuerunt efficacitatis, vt suæ vocis imperio velocissimum solis, lunæque cursum sistere potuerit, dicens: *Sol contra Gabaon ne mouearis; & luna contra vallem Aialon: steteruntque sol, & luna*. Cur, non antiqui Iosue, sed Redemptoris nostri Iesu verba efficacia non erunt, vt vindictæ cursum velocem ad effundendum sanguinem remorentur? Quamquam hoc mirum esse non debet, nam diabolus Iob 4. iuxta Glossam Tigris appellatur: huiusmodi tigribus sæuitia, & velocitate præstantibus, vindictæ quadriga pertrahitur; propterea, vt ait Bernardus, *Valde velox est currus iste ad effundendum sanguinem, qui nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec pudore inhibetur.* Si currus iste innocentia minimè sistitur, profectò crudelitatis spiritu mouetur; si non patientia retardatur, impatientiæ spiritu agitur; si non timore frænatur, audaciæ spiritu trahitur; denique si pudore non inhibetur, impudentiæ spiritu rapitur: quatuor hæ Tigres sunt, quæ non ex Hircania, sed ex inferis educuntur.

52. De ijs, qui ad vlciscendas iniurias mundanas leges, & duellistarum sententias sequuntur, ait Hieronymus in epist. ad Ephes. cap. 5. *Omnes, qui sæculi huius cognitione sunt ebrij, bibunt, & insaniunt, & vomunt, & præcipites corruunt; & iuxta Lapitharum, Centaurorumque fabulam in mutuum feruntur exitium.* Ne igitur tam exitiali vino quis inebrietur, præcipit Dominus: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros.* Ieremiæ cap. 35. ait: *Posui coram filijs domus Rechabitarum Scyphos plenos vino, & calices; & dixi ad eos: Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum; quia Ionadab filius Rechab, pater noster præcepit nobis dicens: non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum. Obediuimus ergo voci Ionadab patris nostri; ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nos, & mulieres nostræ, filij, & filiæ nostræ.* Meritò ergo aduersus eos, qui ad vlciscendas iniurias furoris vino contra datum præceptum inebriantur, conqueritur Dominus: *Præualuerunt sermones Ionadab, quos præcepit filijs suis, vt non biberent vinum; & non biberunt; quia obedierunt præcepto patris: ego autem locutus sum ad vos, & non obedistis mihi.* Quòd si Rechabitis Deus dixit: *Pro eo, quod obedistis præcepto patris vestri; non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus*: vltoribus è contrario dicitur. Psalm. 54. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*: hoc est, immatura morte morientur; nec peruenient ad medium ætatis spatium, quod iuxta complexionis temperamentum viuere potuissent: & mortui è diuino conspectu ad æterna incendia detrahentur.

53. Israelitæ victores cum Ierichunte vrbe capta hostes omnes interficerent, vrbemque succenderent in vnius mulieris Rahab domo vlciscendi, & interficiendi impetum refrænarunt; eò quod ex illius fenestra in pacis signum funiculum coccineum pendentem viderint: Porro Christi humanitas primaria Dei sponsa labia veluti vittam coccineam habere dicitur Cantic. 4. eò quòd illius verba ligandi efficacitate polleant; in reuerentiam igitur huius coccineæ vittæ, idest in reuerentiam Domini verborum, vlciscendi furorem refrænare debet humanus animus; ita vt cum Dauide dicere possit: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Viæ autem duræ irascibili potentiæ videntur, cùm acceptis iniurijs in viam pacis dirigitur. Darius, vt in eius actis legitur, cum mensæ primùm accumberet, quotidie seruum habebat, qui ad aures ei suggereret, ne acceptam ab Atheniensibus iniuriam obliuisceretur. Si serui verba barbari Regis animo acceptam iniuriam imprimebant; debent Christi verba efficacius acceptas iniurias Christiano è corde delere. Odij felle regia Darius fercula condiebat; at Christiano, inimicos diligendo, suauissimus cibus esse debet, Deo obsequi id præcipienti; ita vt cum Christo Domino verè dicere possit, *Meus cibus est; vt cælestis Patris faciam voluntatem.* Guntramnus Galliæ rex, cùm contra Garacharium comitem Burdigalensem, eiusque socium Bladastem ipsi regi valdè infensos, non iniustè vehementer esset iratus, sibique illatas iniurias vlcisci cogitaret; S. Gregorius Turonensis de se procurante regis cum reis reconciliationem refert: *Cum prius pro his deprecatus nihil obtinere potuissem, hæc in sequenti locutus sum: Audiat, ò Rex, potestas tua: ecce à Domino meo in legatione ad te directus sum: sed quid renunciabo ei, qui me misit; cum nihil mihi responsi reddere velis? At ille obstupefactus ait. Et quis est Dominus tuus, qui te misit? Cui ego subridens. B. Martinus misit me.* Tunc Rex potentissimus iustè iratus, audita Sancti Martini pro iniuria condonanda legatione, à vindicta abstinuit, suæque amicitiæ, quos antea oderat, restituit. Quid autem Christiano cuilibet faciendum est auditâ ipsius Dei, non legatione, sed voce: *Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros?* Neque Deus vnquam iniurias condonantem sine præmio relinquit: vt in ipso Guntramno rege videre est; qui cum antea in culpas aliquas incidisset, resipiscens deinde meruit in sanctorum numerum referri; eiusque solemnitas 28. Martij in Romano Martyrologio celebratur: vt verissima Domini promissio Lucæ 6. 37. comprobatur: *Dimittite, & dimittemini: eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

54. Teste Auicenna de diluuijs, fauus mellis in turbatas aquas iniectus, eas non solùm dulces, sed etiam turbatione sedatâ limpidas reddit. Quare cum Psalm. 118. 11. verissimè diuina mandata à Dauide dicantur: *Dulciora super mel, & fauum.* & Psalm. 118. 103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo?* Ideo cum quis ob illatas iniurias vindictæ affectu turbatur, eam omnem turbationem sedare debet mellitum Domini mandatum: *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros.* Quod si quis reiecto mellito Domini eloquio, vindictæ felle trahatur, in quantam incidit perturbationem? Audi Sanctum Isidorum Pelusiotam lib. 2. epist. 67. *Considera, si quis illatam sibi iniuriam vlcisci velit, quanam acerbitates perferat. Primum furore perfunditur; deinde ab ira interrumpitur. Primùm enim ebullit affectus, deinde ad vindictæ cupiditatem extimulatur. Tertiò infinitos fluctus excitat. Quartò mille cogitationum vias ingreditur: Quintò metus subit, ac tremor, animique angor, iracundia nimirum eum interrumpente, ac metu concutiente; dum illud secum agitat. Quonam pacto, quod cupit assequatur, acceptamque iniuriam vindicet. An non tibi huiusmodi homo ante eum, qui pœnas daturus est, ipsemet pœnas dare videtur?*

55. Sed qui ob illatam iniuriam vindictæ affectu trahuntur, excusare se solent, serpentibus se assimilando; qui cum alioquin innoxij viatoribus sint; in percussores tamen, lædentesque naturæ impulsu ad vltionem insurgunt: & serpentina lingua dicere videntur: *Ne lædaris, ne lædas*: Sint igitur veluti serpentes ex lacessita iracundia vin-

dictæ cupidi: non tamen sint instar *aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Nam si possunt venefici prauæ artis periti incantationibus serpentes mites reddere; cur non etiam diuina vox, veluti sanctissima incantatio homines vltionem spirantes ab iracundia reuocare? *Ira fera est vehemens, & furibunda, incantemus eam diuinæ scripturæ carminibus,* ait Chrysostomus. Sit ergo ad vltoris iram sedandam, veluti incantantis carmen Domini vox, cùm ait: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Addit Chrysost. carmen aliud ad iram mitigandam valde efficax: *Terra, & puluis es: & quid superbit terra, & puluis?* Ad vltionis ergo iram sedandam reuocetur in memoriam, quòd vnicuique homini dictum est: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Nam, vt benè Ecclesiasticus supra citatus monuit: *Memento nouissimorum, & desine inimicari.* Nouissimorum, scilicet imminentis mortis, & diuini iudicij: quando in vltores Domini sententia implebitur: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Præterea ad indignationem contra inimicos coercendam S. Isidorus Pelusiota addit efficacissimam aliam incantationem, nempè Christi Domini erga Iudæos, & Iudam iteratam sæpius patientiam; quam cùm explicasset, ait: *His velut incantationibus iracundiæ ignem lenire, ac mitigare stude: ijs enim, qui hæc accinunt, cedit.*

Chrysost. tom. 4. hom. 47. in Ioan.
Gen. 3.19. Eccl. 5.8.
Vindictæ cohibenda mortis memoria, & Domini patientiæ consideratione.
Matth. 6.15
Vindictæ affectus, cum fuerit aspidis instar in surget, scripturæ carminibus est incantandus
Isid. l. 3. ep. 44

56. Inter quatuor facies animalium trahentium currum, quem Ezechiel cap. 1. vidit, leonis facies mysticè irascibilem hominis potentiam significabat iuxta Ambrosium, & Origenem: *Quid leone sæuius?* ait Chrysostomus; *& tamen hunc cicurem, mansuetumque homines reddunt arte naturam superantes. Quam igitur habituri sumus excusationem, quam veniam impetrabimus, si cum feras bestias cicuremus, negauerimus homines vnquam posse placari? Atqui bestiæ quidem præter naturam est esse mansuetam; homini verò præter naturam est feritas.* Idem de leone mansuefacto contra iracundos, vltoresque homines inculcat Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 208. Iudicum 14. Samson, cùm ad leonem videndum, quem dilacerauerat, diuertisset, ait sacer textus: *Ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis.* Hinc argumentum sumens Samson, veluti ænigma Philistæis proposuit: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Similiter, quamuis in nobis irascibilis potentia ad iniurias vlciscendas propensa, leonis instar sit; ex ea tamen mellis dulcedo egredietur; cum ad vindictam cohibendam Domini verba præcipientia proximi dilectionem *dulciora super mel, & fauum* memori corde, & ore repetemus. De comedente insuper exibit cibus, cum salutare Apostoli monitum exequemur: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.*

Ambros. 3. de Virg.
Orig. hom. in Ezech.
Chrysost. tom. 1 hom. de Dauide, & Saule.
Irascibilis potentia mansuefacta leonis instar esse debet, in quo Samson mel inuenit.
Psal. 18.
Ad Rom. 12. 20.

57. Pocula veneficæ Circes, quorum meminit Tertullianus in euersæ Sodomæ carmine, homines in lupos, aliasque feras mutasse Ethnici fabulati sunt. Sed nos Deo dicere benè possumus: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Diuina enim lex, qua præcipitur: *Diligite inimicos vestros,* non naturali, sed morali metamorphosi lupos in oues mutat. Quare cùm Dauid Saulem, quem, vt iniquum persequutorem occidere poterat, mansuetis verbis esset allocutus: & hinc admiratus Saul Dauidi blandè respondisset: *Numquid vox hæc tua est, fili mi Dauid?* benè Chrysostomus ait: *Quanta subitò facta est mutatio? Qui numquam sustinuerat illum, vel simplici vocare nomine, ipsam etiam appellationem habens exosam, nunc adoptat eum in cognationem, appellans eum filium. Quid igitur Dauide felicius, qui ex homicida fecit patrem; è lupo ouem? qui fornacem iracundiæ multo impleuit rore; quique tempestatem vertit in tranquillitatem; quique tumorem omnem ira exæstuantis animi restinxit? Verba quippe Dauidis ingressa in animum huius efferati totam hanc perfecerunt immutationem.* Saulem vocat Chrysostomus *fornacem iracundiæ,* quam Dauidis vox *multo rore impleuit:* multo scilicet lacrymarum rore; nam Dauidis voce auditâ, vt sacer textus ait: *Leuauit Saul vocem suam, & fleuit.* Illi oculi ad amoris indicium fleuerunt, de quibus antea dictum erat: *Non rectis oculis Saul aspiciebat Dauid.* Ideo subdit Chrysostomus: *Non perinde miror Mosen, quod è saxo prærupto fontes elicuit aquarum; vt admiror Dauidem, quòd ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum.*

Circe homines in lupos mutasse fingitur. Dei vox vltores rabidis lupis similes in oues mutat.
Psal. 118.
1. Reg. 24.
Chrysost. hom. de Dauide & Saule
Dauid mansuetudine è Saulis oculis lacrymas elicuit, sicut Moses è lapide aquas.
1. Reg. 24.
Iratus est velut iracundiæ fornax, quam compunctionis lacrymæ, veluti rores extinguunt.

58. Ezechielis 36. 26. ijs, quos ad diuinam gratiam Deus vocare vult, ait: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum;* hoc est molle, docile, flexibile, diuinæque legi obediens. Quamuis autem, vt huiusmodi cor carneum habeatur cor lapideum, hoc est, durum, & inflexibile erga diuinam vocem, inimici dilectionem præcipientem haberi non debeat: nihilominus in perferendis iniurijs cor veluti lapideum retinere bonum est. Cor lapideum, *cor sine sensu* August. interpretatur: erga iniurias ergo ita nos gerere debemus, ac si eas tamquam lapidei nullo modo sentiremus. Ideo iustus in iniurijs, & opprobrijs affectus apud Isaiam 50. 7. ait: *Posui faciem meam, vt petram durissimam.* Maculæ, quas marmoribus natura indit, ea pretiosiora reddunt: similiter si quas contumeliæ maculas patientis viri facies subeat, ijs diuino conspectui redditur pretiosior. *Esto sicut columna lapidea, quæ si iniuriatur, non irascitur; si glorificatur, non extollitur,* aiebat Agathon abbas in vitis Patrum l. 7. cap. 42. Hinc eueniet, quod Tertullianus ait: *Omnis iniuria, seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur. quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum, & obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera, & infructuosa: & nonnumquam repercussum in eum, qui emisit, reciproco impetu sæuiet. Nempè idcircò quis te lædit, vt doleas; quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cum fructum eius euerteris non dolendo; ipse doleat, necesse est amissione fructus sui. Tunc tu non modo illæsus abibis, quod etiam solum tibi sufficit; sed insuper aduersarij tui, & frustratione oblectatus, & dolore defensus.* Talem erga iniurias se Magnus Constantinus præstitit. Nam cum ob popularem seditionem Constantini statuæ lapidatæ essent; cumque Constantinus ad vlciscendam iniuriam vrgeretur, subridens respondit: *Homo lapideus lapidatus est; sed naturalis integer perseuerat.* Hoc idem hisce verbis apud Chrysostomum habetur hom. 20. ad populum: *Fertur beatus Constantinus effigie sua quandoque lapidata, multis ipsum instigantibus ad supplicium de auctoribus contumeliæ sumendum; & dicentibus, quòd omnem ipsius faciem saxis conuulnerarint, manu faciem palpans, & leniter ridens dixisse: Ego verò nusquam vulnus in fronte factum video; sed sanum quidem caput, sana verò & facies tota. Illi verò reueriti & confusi ab hoc iniquo destitere consilio.* Quàm benè Magnus Constantinus docuit, magnanimi viri esse iniurias condonare; pusillanimi verò tenaci simultatis affectu vlcisci velle! Hinc grauissimi Græci auctores, vt Nazianzenus orat. de Basilio,

Cor lapideum in iniurijs perferendis est habendum. August. Lib. contra Faustum c. 4.
Marmora inditis à natura maculis pretiosiora fiunt: sic Christianus animus, si velut marmor, illatas contumelias patienter ferat.
Tertull. l. de patientia, c. 8.
Nicolaus Caussinus in Aula sancta de Constantini virtutibus.
Constantinus Imperator illatas à seditiosis iniurias facetè spernit.
Vltionis affectus simultates fouens μικροψυχία. i. pusillanimitas à Græcis Patribus dicitur.

Basilio, & de moderandis disp. & Patres Concilij Chalcedonensis Actione 9. inimicitiam, & simultatem, cùm ex vindictæ affectu prouenìat, aptissimo vocabulo μικροψυχίας quod propriè pusillanimitatem significat, nominarunt: effectui scilicet ipsius causæ nomen tribuentes, vt benè notanit Billius Cœnobiarcha l. 1. cap. 40. Sacrarum obseruationum. Ideo benè pronunciauit Isidorus Pelusiota l. 3. epist. 7. *Acceptarum iniuriarum memoriam retinere, haud generosi animi est, sed improbi, & miseri.* Quod etiam Ethnicus Seneca docuit l. de 4. virtutibus cap. de magnanimitate: *Nihil magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. Si magnanimus fueris, numquam iudicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices: Non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit: & cùm illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse. Scito enim honestum, & magnum vindictæ genus esse ignoscere: quid erit benefacere?*

Magnanimitas est inimicus non vlcisci.

B

59. Vt in rejicienda vindicta, iniurijsque perferendis magnum Constantinum supra commemoratum imitemur, reuocemus in memoriam quid de humana mortalis vitæ conditione Dauid dixerit Psalm. 38. *Verum in imagine pertransit homo*, hoc est, vt benè interpretatur Euthymius: *Verè, seu certè instar imaginis pertransit homo. Nam quemadmodum depicta imago nullum de pulchritudine sua, aut de colorum varietate, aut alia huiusmodi re commodum capit; ita nullum homo ab humana felicitate fructum decerpit.* Sicut ergo imago sensum nullum habet, siue quis eam obsequio veneretur, siue contemptu despiciat: ita in hac mortali breuissima vita, neque honoribus eleuari, neque iniurijs irasci, & ad vindictam commoueri iustus debet: sed velut in imagine perexiguum humanæ vitæ spatium pertransire se cogitet. Quare ob illatas iniurias ibidem à Dauide subditur iuxta Chrysostomum: *Frustra conturbatur omnis homo viuens*: viuens scilicet mortalem vitam, & properans ad æternam.

Imago picta, non impedita neque honoribus extollitur, neque iniurijs commouetur: sic homo esse debet, cum in imagine verè pertranseat.

C

Chrysost. in illum Psal. verba.

60. Denique ad cohibendum prauum vindictæ affectum optimum remedium est, si aduersa omnia, non ab homine, sed à Deo immissa ad spiritualem nostrum profectum, culparumque, quas commisimus, satisfactionem agnoscamus. Ideo vindictæ stimulis incitatum benè monet Basilius: *Quid quasi canis fremens lapidem insequeris? Aspice manum, quæ illum proiecit.* Dicatur potius cum patientissimo Iob: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* Si venenatus draco in Mosis manu in virgam conuerti potuit, vt habetur Exod 7. 15. Cur aduersa diuinæ manus efficacitate, vnde proueniunt, in prospera transmutanda non credamus; dummodo ea patienter toleremus, non autem per vindictam repellamus?

D

Cap. 2. Iniuriæ, & aduersitates in bonum, & prosperitatem Dei manu mutantur; sicut in Mosis manu draco in virgam mutatus est.

61. Dauid Sauli eum persequenti dixit 1. Reg. 26. *Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium.* Saule Dauidi necem machinante quodnam sacrificium Deus odoraturus erat? Ipsius Dauidis cor ad Sauli ignoscendum benè paratum sacrificium erat. Remissionem iniuriarum, martyrium cordis vocat Augustinus. Dei mandantis diligi inimicum *sermo penetrabilior omni gladio ancipiti* gladius erat, quo Dauidis cor, reluctante natura, iniuriam remittens, tamquam gratissima Deo victima immolabatur. Repugnantem verò naturam miris Dauid superabat, dicens: *Si Dominus incitat te aduersum me: si à Dei voluntate mihi ad necem persecutio prouenit, adoretur sacrificium*: mea scilicet morte Deo meo voluntariè sacrificabo; & Sauli meæ necis ministro libentissimè ignosco. Adeo in

E

Ad Hebr. 4. 12. Condonatio iniuriæ est cordis martyrium.

Dauid erga Saulem persequentem mitis, gratissima velut victima Deo erat.

Iniuriæ illatæ non ab homine, sed à Deo ad nostrũ

A

persecutionibus prodest, non ad persequentem hominem, sed ad Deum, id ad nostrum profectum decernentem respicere.

profectum prouenire credendum est.

*Benefacite his, qui oderunt vos.*

62. INimicos sæpè leoni comparat Dauid Psalm. 16 *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam*: & alibi. Quamuis ergo iniquus aduersarius, qui nos persequitur, diaboli imitator, in nos tamquam leo rugiens inuehatur, nihilominus leo facilè superatur *torpescente tantâ illâ feritate*, vt ait Plinius, si in eius caput, oculosque pallium injiciatur. Pallium, quod ad inimicum superandum, eiusque mordax caput operiendum injicere debemus, charitas, & beneficentia est: *Charitas operit multitudinem peccatorum*, ait Petrus Apostolus 1. epist. cap. 4. & ita operit, vt etiam corrigat. *Odium suscitat rixas, & vniuersa delicta operit charitas*, ait Salomon Prou. 10. 12. *Omnes iniuriam facientes operit amor*, ait ibi Scholiastes. 2. teste eodem Plinio, leo facilè retrorsum expellitur, si in eum incensa fax objiciatur. Similiter, si per beneficentiam charitatis ignis inimico objiciatur, facilè retrorsum se corrigendo recedet.

Plinius lib 8. cap. 16. Inimicus velut leo, vel charitatis iniecto pallio, vel obiecta Charitatis face domandus.

63. Illatas iniurias patienter tolerasse etiam ethnicos Philosophos legimus. Nam de alapa in maxillam impacta forti animo tolerata, ait Isidorus Pelusiota l. 2. epist. 6. *Hoc nullis etiam præceptis, & consilijs instructi quidam Philosophiæ laude clari, atque insignes homines, atque ex lege ipsis à natura insita, vitam moderantes præstiterunt.* Quod ergo proprium fidelium esse debet, est non solùm iniuriæ perpessio; sed in ipsum inferentem iniuriam beneficentia: *Qui præclaram, ac luculentam victoriam adipisci studet, acceptas iniurias, & contumelias non modo forti, ac strenuo animo ferre debet; verùm etiam plura ei, à quo iniuria afficitur, præbere, quàm ipse accipere cupiat; improbæque ipsius cupiditatis metas liberalitatis suæ copia superare*: ait ibidem Isidorus.

Iniurias ferre etiam quibusdam Ethnicis commune; Christiani proprium est inimicis benefacere.

64. *Patientia vobis necessaria est, vt reportetis promissiones*, ait Apost. ad Hebr. 10. 36. Patientia ergo, vt ad promissam cœlestis Ierosolymæ felicitatem ascendamus, via est. Via hæc plures gradus habet: quinam sint hi gradus, explicat Augustinus tom. 4. l. 1. de serm Domini in monte. Primus gradus est, quantum ex se, nolle aliquem lædere: 2. Si quis lædatur, nolle lædere plusquam læsus sit: 3. minus lædere quàm sit læsus: 4. nolle lædere, quamuis quis lædatur: 5. Si lædatur, paratum se exhibere, vt amplius lædatur: 6. Denique, & vltimus, maximéque perfectus, per quem proximus aditus ad cœlestem patriam habetur, est cùm læsus lædenti beneficus est. Ad hunc gradum ascendendum nos Dominus hortatur dicens: *Benefacite his, qui oderunt vos.*

Iniuriarum perpessio sex gradus habet, quorum vltimus est inimicis benefacere.

65. Chrysost. tom. 1. hom. de Dauide, & Saule, elegantissimè ante oculos ponit Dauidis erga Saulem acerbissimum inimicum, eiusque filium beneficentiam. Dauidis imitator Theodosius pius Imperator fuit; de quo August. l. 5. de Ciuit. cap 26. ait: *Inimicorum suorum filios, quos non ipsius iussus, sed belli abstulerat impetus, etiam nondum Christianos ad Ecclesiam confugientes, Christianos hac occasione fieri voluit, & Christiana charitate dilexit, nec priuauit rebus, sed auxit honoribus.* Sed quoad hoc quid Ethnicus Plutarchus docuit, audiamus: *Oblatâ occasione vlciscendi inimicum, eum missum facere, æquanimitatis est: Qui verò & miseratur inimicum afflictum, & opem fert indigenti, & filijs eius, ac familiæ aduerso ipsorum tempore operam suam studiumque defert; hunc qui non amat ob animi humanitatem, neque ob probitatem lau-*

Inimicis benefaciendi exempla Dauidis, & Theodosij.

Plutarch l. de vtilit. ab inimicis capienda.

*dat; Huic pectus ærum est, atque adamantinum: Effecta ferro viscera vel rigent.*

66\. Dauid Psalm. 40. cùm sua sub persona, & cuiuslibet iusti, præcipuè autem Christi Domini, iniurias inimicorum, & insidias commemorasset dicens: *Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum constituerunt aduersum me:* subdit deinde: *Tu autem, Domine, miserere mei, & resuscita me;* seu, vt alij legunt: *Eleua, vel erige me, & retribuam eis.* Quid autem retribuet? Maledictis maledicta; opprobrijs opprobria; damnis damna? nequaquam: sed, vt bene Chrysostomus in eumdem Psalm. explicat: *Non mala, sed bona. Quemadmodum enim ipsi, cum mali essent, mala benefactori pro bonis reddiderunt; ita ipse, cum sit bonus, reddit bona pro malis.* August. in Psalm. 108. ait: *Sex sunt in isto genere differentiæ: Reddere bona pro malis; non reddere mala pro malis; reddere bona pro bonis; reddere mala pro malis: non reddere bona pro bonis; reddere mala pro bonis. Horum duo prima bonorum sunt; & eorum prius melius: postrema duo malorum, & eorum posterius, deterius: duo media quodammodo mediorum; sed eorum prius propinquum bonis, posterius propinquum malis.* Quæ omnia genera sacris litteris exemplificat.

Benefaciunt iusti alijs, cum Vitis malefit.

Retribuendi sex genera.

67\. Beneficentia erga inimicum adeo Deo cordi fuit, vt in lege veteri ipsis inimicorum animalibus benefacere mandatum sit: scilicet vt iuxta suauem Dei dispositionem paulatim inimicis beneficum se præbere homo disceret: *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc eum; si videris asinum odientis te iacentem sub onere, non pertransibis, sed subleuabis eum,* ita legit Chrysostomus. Vulgata verò addit aliquid aliud perfectius, legens, *Sed subleuabis cum eo:* ita vt immediatè ipse præsens inimicus beneficentiam experiatur. Meritò exclamat Chrysostomus: *Vtinam tunc in lege Mosis vnusquisque in animalibus disceret, quodcumque secundùm Euangelium facturus esset in homine.* Isidorus Pelusiota l. 3. ep. 389. ad Diogenem Magistrianum afferens eumdem Exodi textum; ait: *Si tu in huiusce oraculi penetrale oculorum aciem intendere nequis; ego tibi illud interpretari, ac legislatoris mentem explicare conabor. Non enim quòd animantis cura tantopere tangeretur, sed ipsorum præsertim hominum causâ hanc legem tulit. Nam inimicus ad prolapsum animal erigendum accedens, inimicum omnino alloquetur, ac dicet: Tu istinc erige, ego hinc. Colloquium porro reconciliationis præludium est, ac via ad amicitiam ducens.* Eodem loco August. serm. 168. de tempore legit: *Si videris asinum inimici tui iacentem in luto, non præteribis, nisi prius alleues eum.* & subdit: *Vnusquisque consideret, quòd si asinum inimici non licet in luto dimitti; quantò magis homo ad imaginem Dei factus non debet odio haberi, nec negligi?* Sed à prauis inimicitiæ sordibus, & odij luto per beneficentiam, & reconciliationem est subleuandus. Clemens Alexandrinus l. 2. stromatum ait: *Inimicorum quoque iumenta onere pressa eleuare, & erigere præcipit, eminus nos docens Dominus, non amplecti exultationem in malis, neque inimicorum insultare miserijs, eisque lætari; vt in hoc exercitatos pro inimicis quoque doceat orare. Quòd si alicuius, inquit, inimici errans iumentum inueneris, contentionis interno relicto incendio, ipsum abduc, & redde. Iniuriæ enim obliuionem consequitur vera vitæ probitas; & eam inimicitiarum dissolutio. Hinc perfectè, & integrè deducimur ad concordiam; ea verò nos velut manu deducit ad beatitudinem.* Similiter Philo Iudæus tom. 2. lib. de charitate: *Si inimici iumentum errare videris, noli addere fomitem dissidij; sed reduc id ad suum dominum: quod non magis illi, quàm tibi proderit. Lucrabitur ille brutum, fortasse non magni pretij; tu honestatem, qua nihil in rerum natura pretiosius. Hanc necessariè sequetur, sicut vmbra corpus, finis simultatis. Nam qui beneficium accipit, inuitus ad reconciliationem trahitur, deuinctus gratia: & qui profuit, quasi pignus dedit animi tendentis ad amicitiam. Est autem hic præcipuus scopus, quem sacer vates spectat in omnibus iuris capitibus; vt concordia, societas, consensusque morum vigeat; vnde familijs, ciuitatibus, gentibus, regionibus, vniuerso humano generi contingit summa felicitas.*

Inimicorum animalibus etiam benefaciendum.

Exod. 23.

Hom. 8. ex varijs in Matth.

68\. Iniuriæ, & odia tartareæ hydræ naturam referunt; cùm enim illatas iniurias vltionis ferro delere volumus, illæ multiplicius crescunt; non aliter ac ex hydra capita ferro recisa multiplicia pullulasse finxit antiquitas. Porrò sicut ad hydram extinguendam relicto ferro, ignis adhibitus dicitur; ita ad delendas iniurias reiecto vltionis ferro, charitatis ignis est adhibendus ipsis benefaciendo malefacientibus. Ideo monet Apostolus, & prius docuerat Salomon Prou. 25. 21. *Si esurieris inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Nam vt Augustinus ait: *Cum pœnitentiam cœperit agere sensus rationalis, idest caput eius; incipit Charitatis igne succendi; & qui prius quasi frigidus, & phreneticus contra te consueuerat iracundiam retinere, spirituali calore de tua bonitate succensus, incipit toto corde diligere.* Porrò aptissimè August. inimicum odio furentem phreneticum appellat; phreneticis enim ad phrenesim sanandam vincula sunt adhibenda; Christiana autem beneficentia arctissima vincula exhibere debet, quibus proximus ex odio phreneticus vinciatur. Huiusmodi vincula adhibendi artem charitas docebit; quæ propterea ab Apostolo *Vinculum perfectionis,* hoc est, perfectum appellatur. 3. ad Coloss. 14. Præterea, vt maledicentiæ, & calumniæ contra nos ex inimicorum labijs auferantur, charitatis carbones sunt adhibendi, quibus maledicentium inimicorum labia purgantur. Hieronymus: *Quando inimicis nostris præbemus beneficia, eorum malitiam nostra bonitate superamus, & mollimus duritiam; iratumque animum ad mollitiem, & beneuolentiam flectimus; atque ita congregamus carbones super capita eorum, de quibus scriptum est: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs: vt quomodo de altari carbo sublatus propheta labia purgauit; ita & inimicorum nostrorum labia purgentur.* Idem Hieronymus in 2. expositione Psalm. 119. posita in fine psalterij ait: *In Euangelio Matth. 5. Quid dicitur? Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris ibi, Quòd aliquid frater tuus habet aduersus te. Videte quid dicat: non dixit: Si habes aliquid contra fratrem tuum; sed, Si aliquid frater tuus habet contra te. Rem quasi iniustam videtur nobis imponere. Si enim dixisset: Si habes aliquid contra fratrem tuum; in nostra erat potestate, quod habebamus. Nunc verò quid dicit? Si recordatus fueris, quòd aliquid habet frater tuus aduersus te. Respondeo ei: Domine non est hoc in mea potestate; si frater meus habet aliquid contra me, ego nihil habeo contra eum. Si ille habet contra me, ad me quid pertinet? Et quare non vis suscipere munus meum, & dicis: si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus aliquid habet contra te; dimitte munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & sic offeras munus tuum? Ecce nihil habeo; si ille habet, ad me quid pertinet? Respondet tibi Dominus: Male serue, intelligo, intelligo animum tuum. Nihil habes contra*

Inimici super caput quomodo, & cur ignis congerendus.

Ad Rom. 12.

Ser. 165. de tempore.

Odium, & iniurias velut hydram extinguere debemus.

Hieronymus. ep. 150.

Psal. 119. 4.

Isaiæ c. 6.

Odio furens velut phreneticus, charitatis vinculis est vinciendus.

Inimici iniurias iacientis labia beneficæ charitatis igne purganda.

*fratrem tuum; nihil habes? amas illum? Quare ergo saluari eum non vis? si amas illum, vade, roga eum, ne ille contra te habeat, vt saluari possit. Sed ostendis, quia non diligis eum, quia saluari eum non vis. Vade, roga eum, mitte te ei ad pedes eius; diebus, ac noctibus deprecare, dicito; Munus meum dimisi ad altare, propter te victimas offerre non possum. Ille compungitur, & quid dicit? Si ille, qui me rogat, non offert munus suum; ego, qui rogatus sum, & non ignosco, quid facturus sum? Propterea dicit Apost. vt inimicis nostris manducare demus, & bibere; & quid dicis? Hac faciens carbones ignis congregas super caput eius. Si tibi ille male fecerit, & tu ei benè feceris, carbones ignis congregas super caput eius; hoc est, mundas vitia eius, & excoquis malitiam eius, vt ad pœnitentiam conuertatur.*

Vltio quomodo in inimicum exercenda. Hic, & 70

69. Quòd si propter obstinatam persecutorum mentem, beneficentia illis charitatis ignis non sit; erit sanè efficax ignis ad eosdem acerrimè cruciandos. Diogenes quærenti quomodo in inimicum posset vlcisci, respondit: *Si honestum te, ac probum præstiteris virum.* Si enim inimicus cum te in externis bonis felicem viderit, cruciatur, & inuidiæ rabie torquetur; quid patietur, cum te internis bonis, nempe constantia, magnanimitate, & iniuriarum contemptu honorabilem viderit?

Hom. de ira;

70. Hinc Basilius sic disserit: *Si ab aduersario iniurijs petitus, mitis fueris, è duobus alterum proculdubio consequeris; aut inimicum tuæ mansuetudinis exemplo meliorem reddes; vel certè si despexeris, acrius illum vindicabis. Quid enim aduersario tuo durius esse potest, quàm te animum gerere contumelijs omnibus altiorem. Sine illum frustra in te allatrare, in seipso disrumpi, qui contumeliam in eum; qui nequaquam dolet, iacit; perturbati animi consolationem inuenire nullo modo poterit; quin potius ardebit magis, & animo æstuabit. Et hoc modo carbones ignis congeres super caput eius.* Iuliano apostatæ magnam confusionem iniecit Christianorum eximia beneficentia erga Iudæos, & Paganos eis vehementer infensos; ita vt inde motus Christianam beneficentiam à suis idololatris imitandam præceperit, ad Arsacium Galatiæ pseudoPontificem scribens: *Turpe est, vt Iudæos non abjiciant, sed potius nutriant impij Galilæi; & suos pariter, nec non etiam nostros; nostri verò nostrorum solatio deserantur.* lib. 6. hist. tripartitæ cap. 29.

Iulianus Apostata Christianæ Charitatis exemplo suos idololatras hortatur.

71. In Psalm. 37. *Inimici*, inquit Ambrosius, *hoc agunt, vt prouocent ad iracundiam; maledicunt, vt maledicamus; criminantur, vt crimen retorqueamus; conuiciantur, vt excitent nos ad vicissitudinem contumeliæ.* Ideo iniurijs beneficentiam opponendo inimicorum conatus reddimus irritos. De Domino Marci 14. 65. dicitur: *Cœperunt conspuere eum, & velare faciem eius; & colaphis eum cædebant.* Cur Dominus cum à pessimis iniquitatis ministris tam impiè cæderetur, & conspueretur, diuinam suam faciem velari voluit, scilicet, vt opertis oculis contumeliosos percussores non aspiceret; & intuitu ad iniurias vlciscendas non prouocaretur: & qui sua in passione, vt prophetice Psal. 37. dixerat: *Ego tamquàm surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum*; voluit etiam velatâ facie se cæcum ostendere. At, inquies, diuina, qua præditus erat, scientia, Dominus etiam velata facie scelestos illos milites non ignorabat. Verissimum est: sed supernaturalis notitia non ad vindictam, sicut humana quemquam excitat. Quod si ad vlciscendum supernaturalis cognitio animum mouet, illud sanè vltionis genus est, de quo Martinus Braccarensis Episcopus dixit: *Magnum vindictæ genus est ignoscere.* lib. de 4. virtutibus cap. 2. cui benè subscribit Petrarcha dialogo 101. de vtraque fortuna dicens: *Nobilissimum vindictæ genus est parcere.* Et addit: *Vltionis momentanea delectatio est, misericordiæ sempiterna. Multos vindicare pœnituit, neminem pepercisse.*

Christus cur percussores aspicere noluerit, ideoque sibi faciem velari voluerit.

Vindictæ magnum genus est ignoscere.

72. Qui inimico beneficus ex diuino mandato esse non vult, eidem inuitus bènefacere cogitur; sibiquemet maximè noxius redditur: ab inimico enim Dei indignationem auertit, eamque in seipsum trahit: hoc autem ideo, quia humana vltio res est diuinis oculis adeò fœda, vt cum ea Dei vindicis ira associari dedignetur: sicut vnà cum sicario ensem vibrante suum vibrare ensem Rex omninò grauaretur. Propterea Salomon ait: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas; & in ruina illius ne exultet cor tuum; ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Visâ scilicet humanâ vindictâ, ab illius consortio iram suam retrahit Deus; & quod peius est, paratam in inimicum iram, in ipsum iniuriæ vltorem conuertit: Aptissimè enim ex Hebræo legit Iansenius; *Ne reuerti faciat ad te iram suam.* Quod quidem ipsis Ethnicis ignotum non fuit. Pompeius enim teste Plutarcho extincti Mithridatis cadauer noluit intueri, *Vt Deorum indignationem auerteret*; ne scilicet si exanimis hostis spectaculo ad vindictam delectaretur, in se Deorum iracundiam prouocaret. Præterea ratio allatæ Salomonis sententiæ est; quia cum Deus progreditur ad puniendas illatas proximo iniurias, si contra delinquentem humanam vltionem reperiat, à punitione recedit, eo quod ibi occupatum locum inueniat. Propterea cùm Domini verba citasset Apostolus: *Mihi vindicta; ego retribuam*; præmisit antea: *Date locum iræ*; iræ scilicet diuinæ, vt Chrysostomus interpretatur. Quandoquidem locus idem diuinæ, humanæque vltionis est incapax: ideoque fit, vt hac recedente, illa succedat. Si enim in venatione inhumanum foret contra hominem furentibus ad vindictam apris, ijs opem ferre; multò magis à Deo alienum est vindictam exercentibus opitulari. Quandoquidem rabidis apris vltores Chrysostomus comparat: *Non vides irâ percitorum ingenium, quomodo plagarum suarum non adeo multam rationem habentes, magno impetu irruant, proximique vulnera peius, quàm soleant agrestes sues quærant.* Rursus, vt allata Domini verba; *Mihi vindicta; ego retribuam*, clarius intelligamus: Considerandum nobis est Deum nobiscum patris more se gerere. Si parens filiolum aliquid peracuto ferro secare conantem videat, ne filius periculosè saucietur, ipse pater accepto ferro sectionem aggreditur. Similiter, ne vindictæ spiritu, veluti noxio ferro nos imbecilliores lædamur, sibi vindictam reseruandam præcipit cœlestis Pater. Plutarchus in moralibus. *Vt pater videns puerum volentem incidere quidpiam, arrepto ferro id facit; ita ratio vindictam eripiens iræ, vtiliter castigat.* Quod à ratione faciendum Ethnicus asserit, à Deo exequendum asserat Christianus. Hoc eodem in loco præclaram sententiam Plutarchus præmisit: *Cibo*, ait, *vtitur iuxta naturam is, qui esurit; at vindicta debet vti; qui nec sitit eam, nec esurit.* Talis Deus noster est, qui non vltionem, sed misericordiam esurit, eaque vescitur. Cùm enim erga Samaritanam misericorditer se gessisset eam illuminando; deinde discipulis cibum offerentibus dixit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Cibus erat misericordia, qua vsus erat erga peccatricem. Rursus sua in passione Dominus cum iniurijs plurimis ad vltio-

Vltor ab inimico Dei iram auertit, & in seipsum trahit.

Prou. 24. v. 17. 18.

Inimici cadauer aspicere Pompeius noluit, ne diuinum supplicium timens.

Vltores furentibus apris similes.

Plutarchus iuxta sectionem verborum.

Deut. 32. ad Rom. 12.

Vltio cibo dissimilis est; ea vti debeat, qui eam non appetit, qualis est Misericors Deus.

nem prouocaretur, in eo non vindictæ, sed potius opprobriorum esuriem fuisse comperimus iuxta Ieremiæ vaticinium: *Saturabitur opprobrijs.*

Thr. 3.

Qui ad ingratam escam, quam non esurit inuitus accedit, patientiam Iob imitatus comestioni gemitum præmittere cogitur: *Antequam comedam suspiro.* Ita Deus vltutus iniurias, quarum vindictam non esuriebat, præmisit suspirium: *Heu vindicabor de inimicis meis.*

Iob. 3.

Isai. 1.

73. Ad extremum inimici dilectionem amplectendam, vltionem verò fugiendam, suaderi potest, eo quòd inimici dilectio prædestinationis signum sit; vindicta autem damnationis. Palea auro concolor est; si tamen vtrumque in fornacem injiciatur, aurum ibi magis rutilabit, palea verò fumabit. Similiter accepta iniuria, præsciti in vindictam fumant; prædestinati verò maiori charitatis fulgore radiant: August. in Ioan. serm. 53. *Videte, quia & mali necessarij sunt bonis. In fornace quodammodo aurificis sumus, idest in hoc mundo; si aurum non es, simul ardes: si aurum es, palea tua est malus: si & tu palea es, simul eris & fumus.*

Vlciscentes veluti palea; ignoscentes velut aurum in fornace sunt.

*Orate pro persequentibus, & Calumniantibus vos.*

74. QVæri solet, cur ab Ecclesia S. Spiritus lumine illustrata instrumenta Dominicæ passionis dulcia appellentur; lancea verò crudelis vocetur: *Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus sustinet*: contra verò *mucrone diro lanceæ* vulneratus Redemptor dicitur? Crudelis quidem lancea dici potuit, eo quòd sauciando extinctum corpus, exanimi linguæ occasionem non dederit orandi pro sauciante.

Claui Domini cur dulces, cur lanceam crudelem Ecclesia vocet?

75. Lucæ 23. 31. Cùm Christus Dominus ad mortem duceretur, tale spectaculum sequentibus dixit: *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Vbi ex multiplici capite se viridi ligno Dominus comparauit: inde præsertim, quod admotus ei Iudaicæ indignationis, & persecutionis ignis, cum nullo pacto ad iram, & vltionem incenderit: sed tamquam arbor felicissima fructum illum produxerit, de quo Isaiæ 57. 19. prædixerat: *Creaui fructum labiorum pacem; pacem ei, qui longè est, & qui propè*: orando scilicet non pro amicis tantùm, sed pro inimicis. Ad huius felicissimæ arboris imitationem, vt viride lignum simus, monet Augustinus: *Facula ardens apponitur ad lignum humidum, & viride, & non illud incendit; ipsa tantùm ardet: sic & inimicus tuus. Si quis fortè exstitit iniustus, qui tibi moliatur insidias, vel preparet aliquas molestias, iniustus est. Tu si viride lignum fueris; idest; si succo spiritali vigens, & virens, flammis inimicitiarum restiteris, orando pro illo, qui te persequitur; ille ardet, tu manes integer.* Ioan. ep. 1. cap. 2. ait: *Qui dicit se in ipso manere*, idest in Christo; *debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Vbi August. ait: *Fortè hoc nos monet, vt ambulemus in mari? absit. Hoc ergo, vt ambulemus in via iustitiæ. In qua via? Fixus in cruce erat, & in ipsa via ambulabat: ipsa est via Charitatis: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Si ergo didiceris orare pro inimico tuo, ambulas viam Domini.* A qua via si declinaueris, ad æternam patriam, quò Dominus per crucem ascendit, non ascendes. Pudeat per dilectionem inimici nolle in cœlum ascendere; cùm sancti viri propter inimicorum dilectionem ad inferos demitti petierint. Ideo benè Chrysostomus hom. 19. in ep. ad Hebræos ait: *Quis suscipiat pro vnanimis in gehennam ire, cum ire possit ad regnum? Nemo. At Paulus pro inimicis hoc susceptum habebat; pro lapi-*

August. in Psal. 96.

Viridi ligno Christus Dominus, & vir iustus comparatur; quod non iracundiæ igne incendatur.

Christus in cruce fixus in via Charitatis ambulauit.

Lucæ 23.

Inimicis ignoscendo Cœlum acquiramus; cum Sancti viri pro inimicis Gehennam su[bire voluerint].

A *dantibus, & flagellantibus eum.* Ideo 9. ad Romanos dixit: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Fratres appellat Iudæos, à quibus toties persecutionem sustinuerat. Pergit Chrysost. *Beatus idem Moses ante Paulum pro inimicis voluit lapidantibus eum, deleri de libro vitæ.* Exodi 32. *Reuersus Moyses ad Dominum ait: Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum; feceruntque sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam; aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.*

76. Quàm benè diuino oraculo Cant. 8. dicitur: *Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Vbi Gregorius ait: *Charitate Martyres sancti viuaciter ardebant; quia in Dei,*
B *& proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem aquæ multæ extinguere non poterant, quia quantæcunque tribulationes eis fierent, ad odium eos transmutare non valebant. Hoc nimirum esset charitatem extinguere si in tribulationibus, quas ingerebant, ad Dei, aut proximi odium eos humiliare potuissent. Sed cum aquæ dictæ sint, quid rursum per flumina, nisi ipsarum aquarum incrementa, & viuacitas intelligitur? Flumina ergo maximas tribulationes accipimus; Quæ per totum orbem super Martyres ebullierunt.* Huiusmodi flumina piorum Christianorum charitatem extinguere non potuerant. Nam, vt Tertullianus in Apologetico contra gentes cap. 30. & 31. ait: *Qui magis inimici, & persecutores Christianorum, quàm de quorum majestate conuenimur in*
C *crimen?* Scilicet Romani Imperatores, eorum iniqui ministri. Nihilominus, ait Tertullianus: *Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum quæcumque hominis, & Cæsaris vota sunt. Sic nos ad Deum expansos vnguIæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, bestiæ insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.*

77. Cùm Nabuchodonosor Babylonis Rex, armorum vi Ierosolyma potitus esset; de eo dicitur 4. Reg. 24. *Protulit inde omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus Regiæ, & concidit omnia vasa*
D *aurea, quæ fecerat Salomon in Templo Domini; & transtulit omnem Ierusalem, & vniuersos principes, & omnes fortes exercitus; decem millia in captiuitatem. Nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ.* Quis non putasset tyrannica captiuitate oppressum Dei populum, iniqui, noxijque tyranni mortem multis imprecationibus non exoptasse? Nihilominus pro diuturna, & prospera Nabuchodonosoris vita, eiusque filij Balthasaris pios Israëlitas orationem fieri mandasse legimus Baruch cap. 1. *Miserunt in Ierusalem ad sacerdotes, & ad omnem populum, & dixerunt: Orate pro vita Nabuchodonosoris, & pro vita Balthasar filij eius, vt sint dies eorum, sicut dies cœli super terram:*
E scilicet, vt quantùm fieri potest eorum vita ad cœlestem diuturnitatem, & tranquillitatem accedat. Quod quidem quoad Nabuchodonosorem pia Israëlitarum oratio impetrasse videtur. Nam vt Epiphanius in Danielis vita, & Dorotheus in synopsi, & alij asserunt, Nabuchodonosor post pœnarum septennium, ad Deum conuersus, & toto corde contritus, paulo post mortuus æternam salutem est consecutus. Quod si Nabuchodonosoris superbia horribili metamorphosi cum ex homine, & rege veluti in bestiam redegit; iuxta Danielis 4. vaticinium: *Ejicient te ab hominibus, & cum bestijs, ferisque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes*: Metamorphosis, quam pro iniquo tyranno pia Israëlitarum oratio impetrauit, fuit

Fidelium oratio Nabuchodonosori eorum hosti salutem impetrauit.

ſanè mirabilior: cum eumdem Nabuchodonoſorem reſipiſcentem è beſtiarum ſtatu, & conditione, prius ad regale ipſius ſolium, deinde ad cœleſte regnum euexerit.

Pſal. 63.

78. Cùm Dauid ait: *Sagitta paruulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Paruulorum nomine, dæmonia intelligit B. Ephrem; ſæpè enim contingit, vt quas diabolus contra iuſtos ſtruit inſidias, in ipſum recidant. Hoc autem in patientiſſimo Iob accidiſſe cognoſcimus. Quæritur enim, cur Satan ſancto Iob labia tantùm integra circa dentes reliquerat, ipſo Iob teſtante? *Derelicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos.* Seu ex Hebræo: *Liberata, aut ſaluata ſunt tantùm labia circa dentes meos*; ſcilicet, vt acerrimè cruciatus Iob, tandem victus impatientia integris labijs expeditam, blaſphemandi, & maledicendi facultatem haberet. *Hæc*, ait Philippus, *Diabolus in eo reſeruat, vt blaſphemiam prolatam eius ore cognoſcat*, præſertim ſtimulante vxore, *Benedic Deo, ideſt maledic, & morere*: præſertim per mendacium calumniantibus aduerſarijs: *Abſtuliſti pignus fratrum tuorum ſine cauſa; & nudos ſpoliaſti veſtibus; aquam laſſo non dediſti, & eſurienti ſubtraxiſti panem; viduas dimiſiſti vacuas, & lacertos pupillorum comminuiſti.* Sed patientiſſimus Iob diuinitus inſpiratus, vt diabolus ſuis ipſis artibus acerbiſſimè torqueretur, labijs non ad blaſphemandum, & maledicendum; ſed ad orandum pro aduerſarijs eſt vſus. Quare B. Antiochus de B. Iob ait: *Iuſtus hic contorta in ſe contumelia ſpicula omnia generoſo pectore ferebat; & quidem tali plaga inclementer cum eſſet ſaucius: quin & hos ſuos exprobratores reconciliabat Deo, & repropitiabat: quod vtique non contigiſſet, niſi preces interceſſiſſent admirabilis Iob.* Seruauit igitur Iob ante Euangelium Domini mandatum: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Quòd ſi Sanctorum preces, & orationes, odoriferi liquores ſunt intra phialas aureas Apoc. 5. *Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum*; profectò diabolus magis à Sancto Iob ſuauiſſimis orationum odoribus torquebatur, quàm ipſe Iob, diabolo vexante, ſterquilinio, & ſanie fuerit vexatus. Reliquit ſancto Iob labia diabolus, Iob tamen linguam diabolo abſtulit, cùm iniquos calumniatores ſuis precibus Deo reconciliauit; ſunt enim calumniatores diaboli lingua: *Accuſator fratrum diabolus eſt*; loquela non natura diabolus. Integra autem Sancto Iob labia erant ſeruanda; ſcilicet vt cum cœleſti ſponſo myrrham primam ipſius labia diſtillarent. Primus enim in lege gratiæ Dominus Ieſus pro calumniantibus eſt precatus; primus in lege naturæ Iob pro ſuis calumniatoribus orauit: oratione autem pro aduerſarijs amariorem myrrham diabolus non experitur: talis Myrrha contra calumniatum putredinem eſt adhibenda.

Tom. 1. Paræn. 30.

Diaboli inſidiæ in eum iuſtus retorquet.

Cap. 19.

Iob à diabolo relicta ſunt labia ad maledicendum; quibus ſanctus Vir ad orandum pro calumniatoribus eſt vſus.

Cap. 2.

Cap. 22.

Odoramenta ſunt Orationes: his Iob magis diabolum torſit, quam patientiſſimum Iob ſterquilinio diabolus cruciauerit.

Hom. 51.

Diabolus ſancto Iob labia reliquit; Iob autem in Calumniatoribus diaboli linguam præcidit.

Apoc. 12.

Oratio pro calumniatoribus eſt amariſſima diaboli myrrha; hanc ſancti Iob labia diſtillarunt

Cant. 5.

Oratio eſt myrrha contra calumniæ putredinem.

79. Vt orationem pro perſecutoribus faciendam Dauid perſuaderet aptiſſima ſimilitudine ſuos aduerſarios apibus comparauit: *Circumdederunt me ſicut apes.* Apes, teſte Plinio lib. 11. cap. 16. Plutarcho, & Marone, effuſis modicæ aquæ guttulis, fumoque ita fugantur, vt fugatæ non iraſcantur. Sic effuſis lacrymarum guttis, ſanctæque orationis gemitu, ac ſuſpirijs, veluti fumo moleſti aduerſarij, quaſi apes arcendi ſunt. Similitudinis huius non eſt oblitus Dauid, cum enim de ſuis inimicis dixiſſet: *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi*; ad huiuſmodi moleſtarum apum aculeos arcendos remedium ſubdidit, *Ego autem orabam pro eis*, vt addit Iſidorus. Similiter Lucæ 6. cùm Scribæ, & Phariſæi Domino infenſi, *repleti*

Pſal. 117.

Plutarchus lib. de cauſis nat. cap. 11. Maro in Georg.

Apes aquæ guttis, fumoque fugantur; iramque deponunt: lacrymis, & precum ſuſpirijs aduerſarios iram ſancti repellunt.

Pſal. 108. 4 Iſidor. in natiuit. Domini cap. 41.

A *inſipientia colloquerentur ad inuicem, quidnam facerent de illo; exijt ille in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Scilicet iuxta Lyranum, vt inimicis reſipiſcentiam, animæque ſalutem impetraret. Quare ſanctiſſimi magiſtri imitator S. Paulus cum Apoſtolis alijs 1. ad Cor. 4. ait: *Blaſphemamur, & obſecramus*; ad Deum ſcilicet pro ipſis nos blaſphemantibus, & conuiciantibus preces fundimus iuxta Caietanum.

80. Pſalm. 34. cum de ſuis inimicis Dauid dixiſſet: *Retribuebant malà pro bonis*; ſubdit: *Oratio mea in ſinu meo conuertatur*: ſeu, vt alij legunt: *in ſinum meum conuertatur*: hoc eſt, iuxta Eugubinum, & alios: cum me mei aduerſarij iniurijs affecerint, B tantum abeſt, vt ijs per vindictam rependere iniurias velim, vt ea ipſa, quæ illis oro, in me ipſum conuerti cupiam. Subdit deinde ſe paterno affectu ſuos aduerſarios dilexiſſe: *Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam: quaſi lugens, & contriſtatus ſic humiliabar:* Vbi ex Hebræo ſupplenda eſt particula, *ad*, ſeu *erga*: & ſenſus eſt: meum erga quemcumque aduerſarium, tamquam erga proximum, & fratrem me complacentem, & beneficum exhibebam: & ideo ob eorum nequitiam, remoto vltionis affectu, mœrore, & luctu animum deprimebam. Ex Hebræo legit S. Hieronymus: *Quaſi ad amicum, quaſi ad fratrem* C *meum ſic ambulabam: quaſi lugens mater triſtis incuruabar.* Hoc eſt: ſic erga quemlibet inimicorum me gerebam, vt amicus ad amicum; immo vt frater ad fratrem; & quod maius eſt, vt mater erga languentem filium, ad quem cum ægrotat, ſinu ſuſcipiendum ſe gemens, & triſtis incuruat.

Inimicis ſe tamquam amicum, fratrem, & matrem Dauid exhibebat.

81. Idem Dauid Pſalm. 58. ait: *Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos:* Subintelligendum eſt iuxta Euthymium, quid inimicis meis optare debeam, quidque à Deo pro illis deprecari. Hinc interno afflatu à Deo inſtructus, ſic ad Deum pro inimicis orat: *Ne occidas eos, nequando obliuiſcantur populi mei: nequando obliuiſcantur legis tuæ*, legunt cum Septuaginta SS. Paulinus, Auguſtinus, Hilarius, D Caſſiodorus, Damianus, & Iſidorus. Subdit deinde: *Diſperge illos in virtute tua, & depone eos, protector meus Domine*; vbi bene Euthymius ait: *Vide meram prophetæ patientiam, quam & nos imitari docet. Rogat enim pro inimicis, ne occidantur; ne morte præuenti obliuiſcantur mandatorum Dei. Nam qui moritur, diuinæ legis obliuiſcitur: vnde alibi: Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: ſed victos ad hoc tantùm diſpergi, dejici, atque humiliari rogat, vt probiores reddantur.*

Paulinus ep. 58. apud Auguſtinum à Damian. l. 5. epiſt. 11. Iſidor. in Geneſ. c. 6.

Inimicos diſpergi Dauid à Deo petit, vt meliores fiant: Pſal. 6. 6.

82. Sicut in ſtillatoria fornacula accenſo igne ſaluber, & odorifer liquor intra phialas aſcendere ſolet: ita ex inflammata inimicorum iracundia in iuſtorum corda pia aſcendere debet oratio, quæ ipſis perſecutoribus medica ſit, & ſalubris. E Ad quod indicandum S. Ioan. Apoc. 5. vidit *Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* Hoc in Dauide videtur, qui Pſalm. 68. 13. 14. ait: *Aduerſum me loquebantur, qui ſedebant in porta*, hoc eſt, in publico, iuxta Auguſtinum: *& in me pſallebant, qui bibebant vinum ego verò orationem meam ad te Domine.* Hoc eſt, mei cùm aduerſarij non minus iniqua indignatione, quàm vino ebrij in me iniurijs, & contumelijs inueherentur: ego pro eorum ſalute orationem meam ad te, Deus meus, dirigebam. Illi vini cyathos exhauriebant: ego ad te, Domine, fuſis precibus, aureas phialas odoramentorum plenas offerebam. Cumque ſe pro ſuis inimicis ad Deum preces fundere Dauid dixiſſet, ſubdidit: *Tempus*

Oratio pro inimicis flagrantibus è ſtillatoria fornacula accenſo elici debet.

*benep'aciti, Deus*: *seu*, vt ex Hebræo Hieronymus legit: *Tempus reconciliationis est*. Cum enim pro inimicis oramus, valde opportunum, congruumque tempus est, vt nostris culpis à Deo veniam impetremus; & cum eo reconciliemur. Quod S. Elisabetham Hungariæ Regis filiam expertam esse eius testatur historia. Hæc Deum orans, vt quemlibet, qui eam iniuria affecisset, singulari beneficio afficeret: Deum ei respondentem audiuit: numquam suis precibus Deo sic placuisse, ac tunc: eique propter orationem illam culparum omnium remissionem concedi. Quare Ierem. 18. cùm Dei aures sibi propitias exoptaret dicens: *Attende, Domine, ad me*; ad hoc efficaciter impetrandum, subdidit: *Recordare, quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis*; meis scilicet aduersarijs, *bonum*; *& auerterem indignationem tuam ab eis*. Oratio ergo pro inimícis, pro ipso orante oratio est.

Oratio pro inimicis efficax pro ipso orante, & saluberrima est.

83. Cùm Israëlitæ vnà cum Ioachino ipsorum rege in Babylonem traducti à Nabuchodonosore dura seruitute premerentur; illis expediens videbatur, vt liberi à seruitute forent, contra Chaldæos hostes orare; vt immissa in hostes clade, ipsis Israëlitis liberos abire liceret. Deus tamen Israëlitis præcipit ad libertatem impetrandam, vt pacificam suis hostibus prosperitatem orarent. Ierem. 29. 7. *Quærite pacem ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci; & orate pro ea ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis*. Cum vos, scilicet Iudæi vestra ob peccata in Chaldæorum seruitutem redacti sitis; vt à Deo vobis irato pacem impetretis, cum eoque reconciliemini, pro vestrorum hostium pace precamini. Vbi Hieronymus ait: *Consideranda clementia Domini: orare præcepit pro inimicis nostris, & benefacere ijs, qui persequuntur nos; vt non simus nostra tantùm salute contenti; sed inimicorum quoque quæramus salutem*: Cùm hoc ad nostram salutem consequendam efficax medium sit.

Oratio pro inimicis Israëlitas seruitute deprimétibus, non autem inimicorum depressio Israëlitis à Deo præcipitur ad libertatem impetrandam.

84. Cùm Dauid Psalm. 34. 4. sua sub persona, & sub Christi Domini figura ait: *Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam: auertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala*: & v. 26. *Erubescant, & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis. Induantur confusione, & reuerentia*, seu verecundia, vt legit Hieronymus, *qui magna loquuntur super me*: hæc non est imprecatio contra inimicos, sed pro illis ad Deum salutaris obsecratio. Audi Augustinum: *Multi salubriter confusi sunt, & multi reueriti à persecutione Christi, ad societatem membrorum eius deuota pietate transierunt: & non fieret hoc, nisi confunderentur, & reuererentur. Ergo benè illis optauit. Auertantur retrorsum, & confundantur, qui cogitant mihi mala. Cùm enim cœperint retrorsum sequi, iam non cogitabunt mala, sed desiderabunt bona*. Idem docet Hieronymus Ierem. Thr. cap. 1. Quare ijs ipsis Dauid, qui eius sanguinem effundere quærebant, salutaris verecundiæ ruborem ad eorum resipiscentiam à Deo precatur repetens Psalm. 69. *Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam: auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala*. Quæ Dauidis verba S. Martyribus tribuit Augustinus: & quoniam prima facie in his contra persecutores imprecatio potius, quàm pro ijs obsecratio contineri videtur; ita Sancto Martyri obiicit Augustinus: *Ecce persecutionem pateris, & maledicis eis, à quibus pateris. Quomodo imitaris passiones præcedentes Domini tui pendentis in cruce, & dicentis: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt? Respondet talia dicentibus Martyr, & dicit. Quid dixi de*

Vitio videtur experti in aliquibus scripturæ verbis; & tamen est oratio pro inimicis.

A *inimicis meis? Confundantur, & reuereantur? Iam facta est talis vindicta de inimicis Martyrum. Saulus ille, qui Stephanum persecutus est, confusus est, & reueritus. Anhelabat cædes, quærebat quos attraheret, & necaret: audita desuper voce, Saule, Saule quid me persequeris? confusus, & prostratus est, & erectus ad obediendum, qui inflammatus erat ad persequendum. Hoc ergo optant Martyres inimicis suis. Confunduntur, & reuerentur, necesse est facta sua defendant. Gloriosi sibi videntur, quia tenent, quia ligant, quia verberant, quia occidunt, quia saltant, quia insultant. De his omnibus factis aliquando confundantur, & reuereantur. Si enim confundentur, & conuertentur; quia conuerti non possunt, nisi confusi fuerint, & reueriti. Optemus ergo hæc inimicis nostris.* Act. c. 9. 4.

B 85. *Est confusio adducens peccatum; & est confusio adducens gloriam, & gratiam*. dicitur Eccli. 4. 25. Secundum hanc confusionem feruidis precibus nostris aduersarijs exoptare debemus, vt resipiscant. *Confusio adducit ad peccatum, cum erubescit quisque prauam mutare sententiam; ne aut inconstans putetur, aut diu errasse seipso iudice teneatur. Confusio autem adducit gratiam, & gloriam; cum erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur*, ait Augustinus epist. 48. & Bernardus serm. ad milites cap. 12. *Est pudor adducens peccatum, & pudor adducens gloriam. Bonus pudor est, quo peccasse, aut certè peccare confunderis. Et omnis licet humanus arbiter fortè absit, diuinum tamquam humanum tantò verecundius reuereris aspectum, quantò constat longius ab illo esse omne peccatum. Huiusmodi proculdubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam; dum aut peccatum omnino non admittit; aut certè admissum, & pœnitendo punit, & confitendo expellit.*

Confusio duplex, altera ad peccatum adducens, altera ad gloriam: posterior exoptanda pro inimicis.

C

86. S. Chrysost. tom. 3. hom. 2. de cruce, & latrone, cum eloquentissimè exempla proposuisset, pro inimicis orantium; nempe Christi Domini, protomartyris Stephani, Apostoli Pauli, & Moysis; tandem eximium Samuëlis proponit exemplum. Israëlitæ enim, cum reiecto iustissimo Samuëlis imperio, regem sibi exposcerent 1. Reg. 8. tantùm abest, vt mitissimus Samuël illatam iniuriam, suique contemptum vlcisci voluerit; vt pro suis contemptoribus tam prolixè orauerit; vt si ab oratione cessasset, se grauis culpæ reum agnosceret dicens: *Absit à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis*. Concludit ibi Chrysostomus: *Melius est pro inimicis, quàm pro amicis orare. Nec enim tantùm nobis præstat pro amicis oratio, quantùm pro inimicis deprecatio*. Talis enim precatio non proprij commodi; sed diuinæ voluntatis incentiuum habet. Similiter propriæ vtilitatis motiuum haberet oratio; si quis pro inimicis oraret, vt ab eorum molestia, & persecutione liberaretur. Ideo *quid aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc, quod ait Apostolus 2. ad Tim. 2. vt det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur*, ait Augustinus tom. 10. serm. 59. de tempore.

Oratio continua Samuëlis pro ijs, qui in eum iniurij fuerunt.

D

Oratio pro inimicis melior, quàm pro amicis.

E

87. Quæri hîc potest, an nobis infensus ad eum peccandi statum peruenire possit, vt pro eo orandum non sit? Videtur id affirmandum; cum Ioannes 1. epist. cap. 5. dicat: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccantis non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis*. Respondetur, peccatum ad mortem multipliciter à Sanctis Patribus, & interpretibus explicari; communior sententia est intelligi grauissimum peccatum, quód ob enormitatem, & inueteratam consuetudinem per ordinaria gratiæ auxilia, quæ Deus

Peccatum ad mortem quodnam sit: & quomodo pro taliter peccante non sit orandum.

dare solet, non corrigitur. Cuiusmodi peccatum maximè reperiri solet in iis, qui antea longius diuinæ gratiæ lumen habuerant; vnde postea exciderint. Quare Iudæ proditionem peccatum ad mortem fuisse censet Augustinus l. 1. de serm. Domini in monte cap. 22. De huiusmodi peccatoribus ait S. Paulus ad Hebr. 6. *Impossibile est*, hoc est difficillimum, *eos, qui semel sunt illuminati; gustauerunt enim donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti: gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam; rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Hoc posito, dico, ab Apostolo Ioanne non negari absolutè pro peccatore ad mortem esse B orandum; sed negari tantùm orandum esse cum ea impetrandi fiducia, cum qua pro peccatore non ad mortem oratur. Dixerat enim Apostolus: *Hæc est fiducia, quam habemus ad filium Dei: quia quodcumque petierimus, secundùm voluntatem eius audit nos: & scimus, quia audit nos quidquid petierimus.* Non negat ergo S. Ioan. orationem; sed in oratione fiduciam illam, quam dixerat, reperiri posse non censet. Quoad hoc autem August. supra citatus bene ait: *Pro quo non oras, non etiam contra illum oras: potes enim videre certam eius pœnam, & penitus desperatam salutem: & non quia odisti eum, ideo pro illo non oras; sed quia sentis nihil te posse proficere, & orationem tuam non vis pro- C pelli à iustissimo iudice.* Præter citatum locum de peccato ad mortem agit August. lib. de correptione, & gratia cap. 12. & tom. 10. in appendice serm. 35.

88. Ad quæ se extendere teneatur oratio pro inimicis benè explicat S. Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 8. & 9. præterea in 3. sent. dist 30. quæst. 1. a. 2. dicens: *Quilibet ex necessitate tenetur odienti se optare bona æterna; non autem bona temporalia: sed hoc est de perfectione charitatis, vt etiam ad ista se extendat. Cooperari in eis, quæ sunt ad vitam æternam pro loco, tempore, & modo suo, tenetur homo etiam inimico, saltem orando in communi, vt eum à suis orationibus non excludat; quamuis fortè specialem mentionem de ea non faciat: sicut non oportet quod de om- D nibus, ad quos charitatem habet, specialem orationem faciat, sed communem. In alijs autem bonis non tenetur ei cooperari, nisi necessitati incumbat; sed est de perfectione charitatis: sed tenetur non facere ei malum, nisi inquantum est impedimentum maioris mali, vel promotiuum maioris boni, vt iustitia, vel alicuius huiusmodi.* Quomodo autem hoc contingat, docet ibidem art. 1. ad 4. *Charitas attendit ad quædam bona per se, scilicet ad bona gratiæ; ad quædam bona per accidens, in quantum ad ista ordinantur. Bona temporalia, quæ per accidens Charitas attendit, & possunt se inuicem in diuersis impedire, quia prosperitas vnius inducit aduersitatem alterius; vnde quia E charitas ordinem habet, & plus debet diligere quisque se, quàm alium; & propinquos, quàm extraneos; & amicos, quàm inimicos; & bonum commune multorum, quàm bonum priuatum vnius; potest aliquis saluâ charitate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non inquantùm est malum illius, sed inquantum est impeditiuum malorum alterius, quem plus tenetur diligere. Similiter de malo etiam eius, qui in malùm temporale incidit; secundùm quod per malum pœna impeditur frequenter malum culpæ eius. Sed bona gratiæ mutuò se non impediunt; quia spiritualia bona à pluribus integrè possideri possunt. Et ideo quantùm ad hoc nullus saluâ charitate potest malum alteri optare, vel de malo gaudere; nisi inquantum in malo culpæ, vel damnationis alicuius relucet bonum diuinæ iustitiæ, quod plus tenetur diligere, quam aliquem hominem; sed hoc non est per se de malo gaudere, sed de bono, quod adiunctum est malo.*

Oratio pro inimicis ad quæ petenda se extendat? Hic, & n. 89.

89. S. August. tom. 9. trac. 8. in epist. 1. S. Ioan. quærit: *Quare diligis inimicum tuum? Vt sanus sit in hac vita? Quid si illi non expedit? Vt diues sit? Quid si ipsis diuitijs excæcabitur? Vt vxorem ducat? Quid si amaram vitam inde patiatur? Vt filios habeat? Quid si mali erunt? Opta illi, vt habeat tecum vitam æternam. Non enim amas in illo, quod est; sed quod vis, vt sit. Faber optimus videt lignum non dolatum, de sylua præcisum: non ad hoc amauit, vt semper sic maneat: amauit quod inde facturus est, non illud, quod est. Sic & nos Deus amauit peccatores: quasi lignum de sylua vidit nos faber; & cogitauit ædificium quoddam, quod inde facturus est, non syluam, quod erat. Sic & tu respicis inimicum tuum, aduersantem, sæuientem, mordentem verbis, exasperantem contumelijs, insectantem odijs. Vides ista omnia, quæ aduersa sunt, ab homine facta; & vides in illo, quod à Deo factus est. Quod te odit, ipse fecit; quod inuidet, ipse fecit. Et quid dicis in animo tuo? Domine, propitius illi esto; dimitte illi peccata; incute illi terrorem, muta illum. Non amas in illo, quod est, sed quod vis, vt sit. Christus ex inimicis fratres facere dignatus est: & qui sanguinem eius sæuiendo fuderant, credendo biberunt. Numquid medici ægrotos diligunt? Si ægrotos diligunt, volunt, vt semper ægrotent? Ad hoc diligunt ægrotos, ne ægroti permaneant; sed vt ex ægrotis sani fiant. Et quanta plerumque patiuntur à phreneticis? Quales contumelias verborum? plerumque, & percutiuntur: persequitur ille febrem, ignoscit homini. Amat inimicum suum? Immò odit inimicum suum. Morbum enim ipsius odit; & amat hominem, à quo percutitur: illud tollit, quod illi aduersatur; vt remaneat illud, vnde gratuletur. Sic & tu: si odit te inimicus tuus; noueris, quia cupiditas seculi in illo regnat, propterea te odit. Si odisti illum, & tu; contra reddis malum pro malo. Vnum ægrotum flebam, qui te oderat; iam duos plango, si & tu odisti. Ideo illum odisti, quia angustias tibi fecit in terra? Noli pati angustias; migra in cælum: sursum cor ibi habebis, vbi latitudo est. Quodammodo ferramentum Dei est, quo saneris, ipse inimicus tuus. Si nouit Deus vtile tibi esse, vt expoliet te, permittit illum: si nouit tibi vtile esse, vt vapules, permittit illi, vt cadaris. De illo te curas; opta vt ille sanetur.*

Inimicus est Dei ferramentum, inducens in nobis sanitatem.

90. Cum patientissimus Iob in summis ærumnis, & calamitatibus se apprimè constantem præstitisset; vltimum experimentum ad Iob sanctitatem probandam, quod ab eo Dominus dari voluit, fuit pro persecutoribus oratio. Cùm enim, qui antea Iob amici fuerant, prauo affectu ducti, ei in maximis miserijs constituto acerbè insultassent; eius famæ detraxissent; debitam amicitiæ opem negassent; & afflicto afflictionem addidissent: nihilominus ad eorum crimina condonanda, antequam Iob ad multò feliciorem statum sanitatis, opum, & filiorum restitueretur, Iob ipsum pro suis detractoribus orare Dominus voluit: *Dominus conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis. Addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob, duplicia.* Vbi Gregorius ait: *Pro seipso pœnitens tantò citius exaudiri meruit, quantò deuotè pro alijs intercessit. Plus enim pro se valere preces suas efficit, qui has & alijs impendit. Libentius quippe sacrificium orationis accipitur, quod in conspectu misericordis Iudicis, proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quisque cumulat, si hoc etiam pro aduersarijs impendat.*

Orando pro aduersarijs sanctus Iob meruit ad pristinum felicitatis statum restitui.

91. Meritò celeberrima est Protomartyris Stephani pro lapidantibus oratio; cum pro seipso stans, pro inimicis flexis genibus orauerit: cuius discriminis rationem reddit B. Petrus Damiani dicens: *Plus dolebat persequentium peccata, quàm sua vulnera.* Sed mirum quidem est id sanctos viros ante Euangelicam legem, ante Domini passionem non semel præstitisse, Numer. 14. legitur: *Murmurati sunt contra Moysem, & Aaron cuncti filij Israel: dixeruntque: Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Refert Iosephus 3. lib. Antiquit. cap. 13. vol. 17. Israëlitas concurrisse hoc animo, vt lapidatis Moyse, & Aarone in Ægyptum reuerterentur. Subdit sacer textus: *Quo audito Moyses, & Aaron ciciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israël.* In terram se prostrauerunt, non vt à Deo liberarentur; non ad vltionem petendam; sed vt ibidem Iosephus ait: *Procidentes in faciem, supplicabant Deo, non pro sua salute; sed vt insanientem multitudinem ad sanam mentem reducerent; tot præsentibus, & instantibus necessitatibus turbatam.*

Oratio Mosis, Aaronis, & Protomartyris Stephani pro inimicis, hic, & nu. 92.

92. Rursus Num. 16. *Core, Dathan, Abiron, atque Hon surrexerunt contra Moysen, aliyque filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ. Cumque stetissent aduersus Moysen, & Aaron dixerunt: Cur eleuamini super populum Domini?* Cur scilicet tamquam totius Israëlitici populi principes, vos alijs omnibus præfertis, & Hebreæ gentis regimen vsurpatis? Quasi dicant: *Hoc ex vestra præsumptione, non ex diuina ordinatione*, inquit Lyranus. *Credebant isti, quod non mandauerat Deus, sed Moyses ex affectione, dominandique ambitione præfecisset seipsum populo, & fratrem sacris, cui tenerentur omnes offerre oblationes*, ait Tostatus. Hac igitur illata calumnia, quomodo in infensos rebelles, iniquè insultantes, & in eum lapides injicientes, iuxta Clementem Rom. l. 6. cap. 3. Moyses se gessit? *Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem.* Scilicet iuxta Clementem, vt prostratus humillimè pro calumniantibus ad Deum oraret; ab eoque ijs veniam impetraret, inimicorum potius salutis, quàm suæ sollicitus. *Magna in hoc Mosis charitas demonstratur; quia de illorum impietate vehemens dolor penetrauit cor eius, timuitque de illorum periculo*, ait Ricchelius. Verè S. Moyses Israëlitico populo tam beneficus dicere poterat: *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam. Retribuebant mihi mala pro bonis.* Ne quis autem ob ingratitudinem, suæque dignitatis zelum, ad indignationem, & vltionem commoueatur, S. Clemens recenset Moysis beneficia erga ingratum, & rebellem populum, pro quo pronus in faciem orabat. *Inuecti sunt in Mosem seruum Dei omnium mitissimum, & fidelissimum; despexeruntque ingratissimi tantum virum, legislatorem, custodem, Pontificem, & regem, interpretem diuinarum rerum quasi conditorem, cùm conditoris opera ostenderit, clementissimum, humillimum, patientissimum, humanissimum; qui eos à multis periculis liberauerat, & à vario mortis genere sua sanctitate eripuerat: qui tot, tantaque signa, & prodigia populo ediderat: qui præclara, & admirabilia opera in eorum beneficium effecerat: qui mare rubrum transiuerat, aquasque veluti murum vtrinque diuiserat: qui per arida deserta populum duxerat; Pharaonemque, & Ægyptios, cum omnibus, qui eos sequebantur, demerserat: qui eis fontem iniecto ligno dulcem reddiderat: & ex Petra dura sitientibus eis aquas eduxerat: qui manna eis de cælo dederat; & carnes de aëre collegerat; columnam igneam noctu ad illustrandum, monstrandumque iter præbuerat; & de die co-*

Mosis beneficia in ingratos Hebræos.

Psal. 108.
Psal. 34.

A *lumnam nubis ad vmbram faciendam, frangendosque solis ardores parauerat: qui legem Dei tabulis lapideis incisam eis tradiderat, perfecti numeri Decalogum: quem Deus facie ad faciem alloquebatur, veluti si quis cum suo amico loqueretur; de quo dixit: Non surrexit Propheta, vt Moses. Huic Corita, & Rubenitæ insultauerunt, & in Mosem lapides iactauerunt, rogantem & dicentem: Ne intendas in sacrificium ipsorum.* Hoc est; Ne sacrilegum sacrificium, quo me suæ indignationi immolare volunt, respicias; sed potius ad meas preces, quas ad te humillimè pro eis effundo. Cùm à quibusdam quæritur, cur in hac mortali vita iusti inimicorum persecutionibus subiaceant; verissima est insignis

Deuter. 34.

In eius vita l. 4. 1. 11.

B Dei serui Petri Fabri sententia: *Permittere Deum interdum, vt homines diuina gratia indigentes iustis molesti essent, & aliquid negotij facesserent, vt ab his cùm exempla humilitatis, tum precum auxilia reciperent, per quæ defenderent in seipsos, & ad meliora conuerterentur.* Benè enim pronunciauit Apostolus: *Deus dixit:* hoc est præcepit; *de tenebris lucem splendescere;* hoc est, ex malo, vt bonum proueniret, effecit.

2. ad Cor. 4.

93. Quamuis, vt hactenus dictum est, pro inimicis orandum sit; tamen verbis non contradicit laudabilis orandi modus, quo contra inimicum orare possumus traditus ab Augustino: *Ora*, inquit, *vt occidat Deus inimicum tuum, & saluet fratrem tuum. Vt occidat nimirum inimicitiam, & saluet*

Oratio contra inimicum quæ laudabilis sit.

Lib. de concord. fratrum.

C *naturam; sic ora, vt vindicet te Deus.* Tali modo Stephanus proculdubio orabat, cum suis precibus, vt Saulus obstinatè Iudaizans occideret, & Apostolus Paulus exurgeret, impetrauit.

*Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.*

94. Post patris Iacob mortem Iosephi Patriarchæ fratres, cum ab olim læso, & Ægyptijs vendito, tantæ iniuriæ vltionem timerent: *Mandauerunt ei dicentes: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, vt obliuiscaris scelerum fratrum tuo-*

Gen. 50.

Patris nomine proposito se pacatum fratribus Ioseph Iesus exhibet: Cœlestis Patris nomen nos inimicis pacatos reddere debet, hic, & nu. 95.

D *rum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te.* Hi ergo, vt læsum Iosephum ad vindictæ affectum repellendum, & iniurias condonandas flecterent, efficaciter satis amabile patris nomen, mandatumque interposuerunt: fratribusque vel ex eo nomine motus benignissimè Ioseph respondit; seque non modo ab omni vindicta alienum, sed etiam apprimè beneficum præstitit. Sic pius Ioseph non degenerem se filium Patriarchæ Iacob exhibuit. Similiter hoc in Euangelio Dominus, vt fidelem quemlibet ab vlciscenda iniuria retrahat, cælestis Patris amabile nomen interponit dicens: *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.*

E 95. Id enim cœlestis Pater pro obsequio, & amore sibi debito impensè à nobis exposcit, mandatosque præcipit: & ideo ad imitationem sancti Patriarchæ Iosephi excitari debemus; de quo apud Sanctum Hieronymum legitur: *Priusquam Propheta diceret: Vnusquisque malitiam proximi sui non reminiscatur in corde suo: ille pro odio reddidit charitatem: & cùm videret fratres suos immò inimicos ex fratribus, cum ab eis cognosci vellet, dilectionis affectum pio dolore testatus est. Deosculabatur singulos; & irriguis fletibus pauentium colla perfundens, odium fratrum charitatis lacrymis abluebat; quos tàm viuo patre, quàm mortuo, germano semper dilexit amore. Nec recordatus est illum, in quem ad necem fuit deiectus, lacum. Non cogitauit addictam germanitatem pretio; sed*

tom. 9. ep. 1. iuxtà Marianum Victorium.

*sed pro malis bonum retribuens, Apostolicum praeceptum sub natura adhuc lege compleuit. Nulli malum pro malo reddentes.* Mundani homines ad vindictam propensi iuxtà Satanæ legem iniuriæ labem sanguine esse delendam profitentur: Ioseph verò non alieno sanguine, sed proprijs lacrymis abluendam existimauit.

Ad Rom. c. 12. Ioseph non inimicorum sanguine, sed proprijs lacrymis iniuriis ordentem extinxit.

Lib. 1. in Ioan. c. 14.

96. Proponit dubitationem Cyrillus: Cùm iusti in Moysis lege etiam filij Dei per adoptionem fuerint; fides enim, & gratia, quæ tunc erat, filios Dei homines reddebat, talesque ij scripturæ testimonio appellantur: *ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios.* Quid ergo noui Euangelium attulit, cum dicitur, recipientibus Christum dedisse *potestatem filios Dei fieri.* Respondetur primò ex Chrysostomo, *Iudaeos iustos habuisse quidem adoptionem filiorum, sed spiritum seruitutis.* Spiritus autem seruitutis perfecto filiorum statui derogabat: sublatus est autem per Christum spiritus seruitutis: *Non accepistis*, inquit, Apost. *Spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum filiorum adoptionis, in quo clamamus: Abba, pater.* Respondet secundò Augustinus, cum de mandato diligendi inimicos ageret: *Nos, potestate acceptâ, efficimur filij Dei, in quantum ea, quæ ab illo præcipiuntur, implemus.* Mandatum autem diligendi inimicos, ijsque benefaciendi, & pro ijs orandi in Euangelica lege datum est: quod cùm exequimur, Dei filij efficimur, iuxtà id, quod hîc à Domino dicitur: *Diligite inimicos vestros, &c. Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.*

Potestas, qua specialiter in Euangelica lege Dei filij fieri possumus, est inimici dilectio.

2. ad Cor. 6. Ierem. cap. 31. 9. Ioan. cap. 1. Hom. 13. in Ioan.

Vindictæ spiritus, est spiritus seruitutis: regium est inimicis ignoscere.

Ad Rom. 8.

Augustinus hom. 19. de tempore.

97. Porrò allatæ Chrysostomi, & Augustini responsiones sunt inter se valdè concordes; nam vlciscendi affectus spiritum seruitutis sapit; seruorum enim felle diu vindictæ stimuli fouentur: sicut è contrario à regijs animis facilè ira deletur, & iniuriæ condonantur: *Scio*, dixit Dauidi Saul, *quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël. Num & Saul inter Prophetas?* Vnde Dauidi Israëlitarum regnum Saul prænunciare poterat? Ex eo ad huiusmodi vaticinium motus est Saul, quia Dauidis ore audierat: *Cogitaui, vt occiderem te; sed pepercit tibi oculus meus.* Cùm igitur Redemptor noster à suis fidelibus vindictæ affectum remouerit; consequenter ijs regios animos indidit, seruilemque spiritum abstulit; atque adeò, vt perfectè filij Dei fierent, tradidit potestatem. Christus Dominus pro seipso, & pro suis crucifixoribus in cruce orauit: pro seipso illis verbis: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* pro suis crucifixoribus: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Discriminis, quod in duplici hac oratione videtur, ratio quæri potest; cur pro seipso oraturus non Patris, sed Dei nomine Patrem vocauerit, oraturus verò pro inimicis, non Dei, sed Patris nomine Deum appellauerit? scilicet, vt diligentem inimicos, Dei filium esse ostenderet, ad quod declarandum à Redemptore pro inimicis orante voluit Deus se non alio nomine, quàm Patris agnosci.

Reg. 1. cap. 24. 1. Reg. 10. 11.

Orans pro se Christus Dei nomen, & opem implorat; Orans pro inimicis Deo Patris nomen addidit; indicans diligentem inimicos Dei Filium esse.

Matt. 27. Lucæ 23.

98. Boni latronis verba Christo crucifixo dicta admirans S. Chrysostomus ait: *Videt in tormentis, & tamquam in gloria adorat. Videt in cruce, & rogat tamquam in cælis sedentem. Videt condemnatum, & regem inuocat dicens. Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Crucifixum vides, & regem prædicas: in ligno pendentem cernis; & cælorum regem meditaris. O admiranda latronis conuersio?* Similiter S. Ambros. serm. 40. *Cernat licet eius hiantia vulnera; spectet ipsius sanguinem profluentem, Deum tamen credit.* Quæritur ergo vnde hominem cruci affixum Dei filium latro crediderit? Respondet primò Hieronymus: *Sole fugiente, terrâ commotâ, saxisque disruptis, & ingruentibus tenebris, vnum latronem cæpisse credere, & confiteri Iesum.* Sed contra est, quia ex Euangelistis, latronis conuersio præcessit signa illa Christi mortem subsequentia; vt terræ motum, templi velum scissum, saxaque disrupta. Respondet 2. Vincentius Ferrerius, *latronem conuersum vmbra Christi; cum sole girante, crucis Christi vmbra eum contigit: sicut Petri Apostoli vmbra languentes sanasse legitur.* Act. 5. Sed contra est, quia, vt Ecclesia in Passionis Missa testatur, Dominus hora sexta crucis patibulum ascendit; à sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram iuxta Matth. cap. 27. atque adeo Christi Domini vmbra in omnimodis tenebris non discernebatur; præsertim, quòd non initio, sed aliquantò post latronis conuersio fuerit. Respondet 3. & benè eum Euthymio Theophylactus: Bonus latro *Cognouit benignitatem Iesu, eumque verum Regem esse ex voce, quam fecit pro crucifixoribus, dicens: Pater remitte eis.* Adeo proprium Dei filij, siue naturalis, siue adoptiui, est iniurias condonare, & inimicos diligere.

Chrysost. tom. 1. hom. de cruce, & latrone.

Lucæ 23. 42.

Hieronym. c. 27. in Matth. Ore suo pro inimicis audito bonus latro Christum Cælestem Regem esse cognouit.

99. Supra Stephanum oraturum pro lapidantibus, Spiritus sanctus vberiori gratiarum largitate descendit: *Cum esset Stephanus plenus spiritu sancto*: & paulò post eidem sancto Leuitæ cœli aperti sunt: *Ecce video cælos apertos.* Si quæratur cur huiusmodi gratiæ, & priuilegij genere Stephanus fuerit insignitus, ratio illa reddi potest, nimirùm, vt Stephanus filius Dei, quippe qui inimicos diligebat, declararetur: Nam, vt vox illa æterni Patris de Christo facilè crederetur: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui,* duplex indicium diuinitus datum est. Primò. Cœli aperti sunt; secundò, super Christum Dominum Spiritu Dei descendit. Simile indicium ad Stephanum pro inimicis orantem, vt Dei filium declarandum, datum est. Additur præterea ex Damiano, Stephanum flexis genibus orasse humilitatis affectu; sed ad humilitatem nonnè satis erat Stephano sine querela lapidantium iniurijs subiacere? Quæ maior erat tunc temporis humilitatis, ac demissionis indigentia? Quia scilicet pro inimicis orando, proprium filij Dei munus exercebat; quod quidem cum promereri se Stephanus minimè existimaret, vt id testaretur ad terram humillimè se demisit. Petrus Apostolus humillimè coram Domino genua posuit: *Simon Petrus procidit ad genua Iesu dicens: exi à me, quia homo peccator sum Domine*; idque non aliam ob causam, nisi quia Domini beneficio piscium multitudinem copiosam suis retibus concluserat: at multò maiori humilitate Domini beneficium agnoscere Stephanus debuit; quandoquidem pro inimicis orando in retiacula eius peccatores plurimi ceciderunt. Censet enim hoc in loco Oecumenius non solùm Saulum, sed plures alios lapidatores hisce Stephani precibus fidei, salutisque gratiam esse consecutos. Quibus addi possunt Maionæ vrbis Iudæi omnes numero 540. hi in eam vrbem illatis sancti Stephani reliquijs, relicto Iudaïsmo veram fidem susceperunt, vt Seuerus Maionæ Episcopus apud Baronium anno 418. testatur. Quàm magno charitatis ardore sanctus Protomartyr efferbuit; quandoquidem multò antea extinctus, adhuc suis cineribus, inclusos erga inimicos Iudæos charitatis fouebat igniculos. Quanto

Stephano vberior sancti Spiritus gratia communicatur, & Cœli aperiuntur, vt filius Dei, quia inimicos diligebat, declararetur. Act. 7.

Matth. 3.

Stephanus humilitatis affectu flexis genibus pro inimicis orauit, eò quòd Dei filij munus exercere daretur. Luc. 5.

Stephani in vrbé Maionam illatis reliquijs Iudæi quingenti quadraginta Euangelicam fidem amplectuntur: Stephani enim Charitatis ignem erga inimicos Iudæos extinctus viuus est.

Vindicta, quia maledictæ iræ affectus est, è terra, non è Cœlo clamatur. Gen. 4.

melius muti illi *cineres*, vt iniuriæ condonarentur, efflagitabant; quàm sanguis Abel vindictam à Deo exposcebat; *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Non sine mysterio vindictæ clamor de terra dicitur prouenire; de cœlo enim, vt condonentur iniuriæ, à sanctis expetitur. Ideo ait Ambrosius: *Benè vox sanguinis fratris tui clamat de terra; & si frater parcit, terra non parcit; si frater parcit, terra condemnat. Misericordia tua Domine, plena est terra,* dicitur Psalm. 118. 64. Deus misericordia terram replet; vltores verò sæuitie, & cædibus.

Ethnicorum testimonia de Diuinitatis mansuetudine. Æneid. 1.

100. Adeo verum est, vindictam terrenum affectum sapere, vt ipsis Ethnicis admirationi fuerit, si ad vlciscendas iniurias implacabilis iracundia in cœlo fuisse diceretur: *Tanta ne animis cœlestibus ira: Dij immortales,* inquit Seneca, *nec volunt obesse, nec possunt: natura enim illis mitis, & placida est; tam longè remota ab alienâ iniuria, quàm à sua. Dæmones itaque, & ignari veritatis, illis imputant sæuitiam maris, immodicos imbres, pertinatiam hyemis. Nihil horum in nostram iniuriam fit; immo contra, nihil non ad salutem.* Similiter Stoïci, alijque iræ perturbationem ad vlciscendam iniuriam à suis Dijs remouerunt, teste Lactantio: *Existimantur Stoici, & alij nonnulli aliquantò melius de Diuinitate sensisse, qui aiunt, gratiam in Deo esse, iram non esse. Fauorabilis, & popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi pusillitatem; vt ab vllo se læsum putet, qui lædi non potest; vt quieta illa, & sancta maiestas concitetur, perturbetur, insaniat; quod est terrenæ fragilitatis. Quod si hominem, qui modo sit sapiens, & grauis, ira non deceat; si quidem cum in animum cuiusdam incidit, veluti sæua tempestas tantos excitat fluctus, vt statum mentis immutet; oculi ardescant, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent; alternis vultum maculet, nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens: quantò magis Deum non deceat tam fœda mutatio? Et si homo, qui habet imperium, & potestatem, latè noceat per iram, sanguinem fundat, vrbes subuertat, populos deleat, prouincias ad solitudinem redigat; quantò magis Deum, qui habeat totius generis humani, & ipsius mundi potestatem, perditurum fuisse vniuersa credibile sit, si irasceretur? Abesse igitur ab eo tam magnum, tam perniciosum malum oportere:* Qui ergo Dei filij esse cupiunt, diuini Patris, iræ, & vindictæ affectum coërcendo, imitatores se ostendant. Deus ab Apost. ad Philipp. 4. dicitur *Deus pacis*: ergo vt Dei filij simus, non discordiæ, sed pacis amantes esse debemus. Ideo *Pacifici filij Dei vocabuntur,* vt Matth. 5. Dominus dixit: Ita tamen pacifici simus; vt non solùm in ijs, quæ ad alios, sed etiam quæ ad nos pertinent, dissensionem pacis inimicam remouere semper conemur. *Sunt qui si viderint quempiam vel leuiter scandalizatum, valdè solliciti sunt, quomodo eum in pacem reducere possint; & viderentur pacifici; nisi quòd eorum commotio, si fortè contra eos quidquam dictum, factumque fuerit, tardiùs vniuersis, difficiliusque poterit sedari*; ait Bernardus serm. 4. de Aduentu.

De ira Dei, c. 5.

Vindicta pusillitas est.

Pacis quidam amantes sunt, sed non cum ipsi læduntur.

101. Qui aliquando læsi difficillimè sedari possunt, & hinc generosos se prædicant, audiant à Lactantio hanc mentis perturbationem animi pusillitatem appellari. Præterea exprobrandi Ethnicis falsam ipsorum fidem ex Deorum ira præclarè occasionem desumit Arnobius. *O magni cultores, atque antistites numinum, cur irasci populis Christianis augustissimos illos asseueratis Deos? Ita non aduertitis, non videtis affectus, quàm turpes, quàm indecoras numinibus tribuatis insanias? Quid est enim aliud irasci, quàm insanire, quàm furere, quàm in vltionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione bacchari? Hoc ergo Dy magni norunt, perpetiuntur, & sentiunt, quod feræ, quod belluæ, quod mortifera continent venenato in dente nutrices? Quid ergo sequitur necessariò, nisi vt ex eorum luminibus scintillæ emicent, flammæ æstuent, anhelum pectus spiritum iaciat ex ore, ex verbis ardentibus labiorum siccitas inalbescat?*

Lactantius supra.

Irasci est stultorum, & ferarum. Lib. 1. contra gentes.

102. Falsissimâ hâc de Deo Ethnicorum opinione reiectâ, sanctæ, & Christianæ Ecclesiæ testimonio docemur Dei proprium esse non vlcisci, non irasci, sed potius *misereri semper, & parcere.* Quam cœlestis Patris propitiatem Dei filij imitari omninò debent. Quæritur à sacris Interpretibus, cur dictum fuerit à Domino Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Ratio prima ex Ruperto est Moysis humilitas dicentis: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto? Quoniam,* inquit Deus apud Rupertum, *tu mitissimus virorum cum Pharaone dimicare indignum te ducis, teque deprimis; ecce ego subextollam te, faciamque te Deum Pharaonis, vt imperes aquis, &c.* Secunda ratio Philonis est, vt Moyses per allata verba Dei amicus declararetur: *Cum amicorum,* inquit, *omnia sint communia, Deus potestatem, & opes suas cum sanctis communicat.* Tertia ratio desumi potest ex Apost. ad Hebr. 11. *Moyses negauit se esse filium filiæ Pharaonis, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Despexit igitur Moyses regiæ stirpis mendacem gloriam: qui autem inanem gloriam despicit, is quodammodo Deus efficitur teste Chrysost. hom. 2. in epist. ad Titum. *Quoties,* inquit, *difficile existimas contemnere gloriam, ita tecum omninò versa; si hac despexero, Deo similis efficiar.* Quare contemnens inanem gloriam Moyses, cum Pharaonis nepotem se esse negasset, Pharaonis Deus constitutus est: in eaque ipsa Ægypto, cuius pompas despexerat, prodigia talia effecit, vt ab Ægyptijs deinde Deus existimatus fuerit, & Mercurius appellatus, iuxta Cyrillum lib. 1. contra Iulianum, & Eusebium lib. 9. de præpat. Quarta ratio ad rem nostram est, quia Moyses ad Pharaonem missus, pluries Pharaoni iniurias condonare debebat; cumque à Pharaone toties promissa non seruante ad vindictam prouocaretur, ei tamen debebat ignoscere; propterea Pharaonis Deus constitutus est, vt Pharaoni veluti Deus ignoscere disceret. Adeò Dei proprium est peccantium delicta tolerare, illisque parcere. Quam ob causam in vitis Patrum sententia 107. Sanctus Macarius suorum subditorum Deus est appellatus: *Dicebant de Abbate Macario majore, quia sicut Deus protegit totum mundum, & portat peccata omnium; ita & ille quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta illorum, & ea, quæ videbat, vel audiebat, quasi non videns, & non audiens.*

Moses Pharaonis Deus constitutus ob quadruplicem rationem, et præcipuè quia sæpius Pharaoni parcere deberet. Exod. 7. Exod. 3.

Lib. 1 de vita Moysis.

Moses Mercurius ab Ægyptiis appellatus.

103. De S. Paulo Act. 28. dicitur in Melita insula: *Vipera cùm processisset, inuasit manum eius: & ille excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At barbari existimabant eum in tumorem conuertendum, & subitò casurum, & mori. Diù autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri; conuertentes se dicebant, eum esse Deum*; Vbi benè Iacobus Gretserus lib. 4. de cruce cap. 14. ait: *Si*

Maledicorum linguam pacienter perferentis ...

*quando à lingua viperea mordearis: neque tamen in tumorem, vel furorem conuertaris, excussa bestia in ignem diuinæ charitatis; in admirationem vel ipsos barbaros virtutis hostes, & osores rapies: & illi ipsi, qui initio fortassis putabant te vt male factorem mordacis linguæ ictus non iniuriâ experiri, mutata sententia, te maiorem cæteris mortalibus prædicabunt.* Gregorius Nyssenus in illa orationis Dominicæ verba: *Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, asserit nihil esse, in quo tantùm Deo homo assimilatur, quàm in iniurijs condonandis. Ideo benè B. Aelredus in Speculo charitatis cap. 7. pronunciauit: *Quid diuinæ tranquillitati tam proximum, quàm illatis contumelijs non nocere; nullo supplicio, nullaue persecutione terreri, vnam mentis, & in prosperis, in aduersis habere constantiam; inimicum, & amicum eodem oculo intueri?*

Vlciscens diabolo similis est, & temporarius dæmon dicitur, ignoscens vero Deo simillimus.

Porrò, sicut ignoscere, Deo hominem similem reddit; ita è contrario iniurias vlcisci, similem diabolo reddit. Quare benè S. Chrysostomus hom. 47. in Ioan. iratum hominem, qui ad vindictam exardescat, *temporarium dæmonem* appellat; eò quòd durante ira, & vltionis affectu, diabolo omnino similis reddatur: quòd si huiusmodi prauus affectus in vitæ finem perseueret; ex temporario æternus veluti dæmon vltor euadet. Christus Dominus resurgens, vt ex Euangelio colligit S. Augustinus l. 3. de consensu Euangelistarum, antequam discipulis alijs, & Apostolis appareret, Petro Apostolo apparuit; idque ad probandum, quòd vt verus Dei filius à morte ad vitam surrexisset; & propterea Petrum, qui ter eum negauerat, præ cæteris inuisere vellet: qui enim Dei filius est, iniuriæ immemorem se exhibere debet; & in eum, qui iniuriam intulerit, se præstare beneficum.

Christus se verum Dei filium surrexisse probaturus, Petro prius, qui eum offenderat, quam alijs discipulis apparuit.

104. Præterea ad comprobandum iustos repellentes à se vltionis affectum, ipsosque inimicos diligentes, Dei filios declarari, dicitur ad Rom. 8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Spiritus autem Dei ad inimicis ignoscendum animum impellit: nam Lucæ 9. cùm Samaritani Dominum recipere recusassent, ad vlciscendam iniuriam Iacobus, & Ioannes dixerunt: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos? & conuersus increpauit illos dicens: Nescitis cuius spiritus estis.* Quasi diceret: Cùm acceptam iniuriam vlcisci vultis, ignorare videmini Dei spiritum, quem profiteri debetis tamquam mei discipuli: Ex diuino enim spiritu iniuriam inferentibus ignoscere debemus. Propterea Act. 7. Cùm Stephanus inimicis lapidantibus ignosceret, ac pro ijs enixè oraret; antecedenter plenus sancto Dei spiritu dicitur, Spiritu scilicet sancto impellente ad condonandas iniurias. Porrò Luc 9. vbi legitur: *Nescitis cuius spiritus estis*, Antiochus Abbas hom. 71. legit: *Nescitis cuius Patris estis.* Qui enim Deum vt patrem agnoscit; hic vt sibi proprium, & hæreditarium habere debet, iniurias condonare. S. Ioannes Gualbertus in consanguinei sui homicidam incidens, ei veniam petenti vitam condonauit: paulò post cùm Templum ingressus coram Crucifixo oraret, Christus è cruce pendens, ei caput inclinauit, scilicet vt Gualbertum, tamquam Dei filium salutaret. Cùm enim in Caluariæ monte Dominus, *inclinato capite emisit spiritum*, Ioan. 19. piè contemplantes asserunt, caput Dominum inclinasse, vt extremum intuitum in matrem dirigeret. Non dissimiliter in Gualbertum caput Dominus inclinauit; vt in eum, qui iniuriam condonauerat, tamquam in Dei filium oculos intenderet. Si, vt Augustinus ait tract. de Virgin. in cruce Dominus *caput habet inclinatum ad osculandum*; Osculum Dominus à Gualberto petijt, tacito alloquio Patriarchæ Isaac verba repetens: *Da mihi osculum, fili mi.* Si iuxtà Beatum Laurentium Iustinianum lib. de triumphali agone cap. 20. *Dum passionum ludibria, & mortis supplicia pro hominibus pertulit Mediator, caput liquefecit ad misericordiam, flexit ad gratiam, inclinauit ad indulgentiam.* Ad hæc omnia Gualberto exhibenda caput Dominum inclinasse, dicendum est.

Inimico ignoscendi exemplum eximiũ S. Ioannis Gualberti.

Tom. 1. Bibliot. Vet. Patrum.

Gen 27.

105. Ad dæmones è corporibus obsessos ejiciendos, Christus Dominus, illos increpasse in Euangelio pluries legitur. Matth. 17. *Increpauit illum Iesus, & exijt ab eo dæmonium.* Luc 4. *In Synagoga erat homo habens dæmonium, & increpauit illum Iesus dicens: Obmutesce, & exi ab eo.* Et paulò post, *Exibant dæmonia à multis clamantia, & increpans non sinebat ea loqui.* Luc 9. *Increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum.* Eodem autem vehementi obiurgationis genere vsus est contra Iacobum, & Ioannem vindictam flagitantes: *Conuersus increpauit illos*, vt significaret iniuriarum vltionem, Diaboli, non Dei spiritu exoptari. Sicut enim Dei filij sunt, qui iniurias condonant; ita ijs, qui vindictæ affectu trahuntur, benè dici potest: *Desideria patris vestri vultis facere; vos ex patre diabolo estis*, Ioan. 8.

Vltores contra, & contra dæmones eodem increpandi genere vsus est Christus.

Luca 9.

106. Ad quod confirmandum iracundia ex communi Physicorum sententia sanguis accensus circa cor esse dicitur. Porrò Tob. 6. vt supra etiam diximus, piscis cuiusdam cor incensum dicitur; *extricare omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere; ita vt vltra non accedat ad eos.* Contra verò humanum cor ira ad vindictam incensum, diabolum ad se vocat, eique se tradit. 1. Regum 18. Hoc expertus est Saul, qui cum Hebræarum puellarum testimonio posthabitus esset Dauidi, *percussit Saul mille, & Dauid decem millia*; cumque hanc suæ æstimationis iniuriam Dauidis morte vlcisci meditaretur; statim aduenienti diabolo aditum reserauit. Testatur hoc Sanctus Basilius Seleuciensis orat. 16. *Saul cùm in talibus esset, & cædem Dauidis moliretur; dæmoni repentinum fit ipse domicilium, morum peruersitati dæmonem ad opus vocante.*

Cor vltionem machinans dæmonem ad se vocat, eique fit domicilium.

107. Cùm ab Apostolo dicitur ad Romanos 3. *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei*, ex communi interpretum sententia, gloria pro peccatorum remissione ponitur; ita vt inimicis peccatoribus condonare iniurias, suam esse gloriam existimet Deus. Quare Ioan. 1. cùm de Redemptore dicitur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Inter cæteras interpretationes gloria ibi pro facilitate remittendi: illatas iniurias accipi potest; ita vt hac ignoscendi clementia, & peccantium inimicorum dilectione, præcipuè Christus Dominus se Dei filium esse comprobauit. Propterea diuinam erga nos peccatores indulgentiam grato animo agnoscentes, Ecclesiæ verbis dicimus: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.*

Vltionem non prosequi, sed ignoscere, non ignominia, sed gloria est existimanda.

108. Duplex aduentus Christi Domini ex sacris litteris habetur; alter Redemptoris, alter Iudicis; ille à fidelibus celebratur, vt præteritus; iste expectatur vt futurus. In primo aduentu Dominus vocatur filius Dei. Lucæ 1. Gabrielis testimonio Beatæ Virgini dicitur: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur: quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* E contrario in secundo aduentu dicitur filius hominis Luc. 21. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate ma-*

Christus in 1° aduentu Dei filius, in 2° filius hominis appellatur; quòd in primo aduentu parcere, in secundo punire debeat.

*gna, & maiestate.* Huius discriminis si ratio quæratur, illa reddi potest; quia nimirùm in primo aduentu erga peccatores, suosque inimicos misericordiam, & dilectionem ostendit; de hoc enim aduentu Apostolus ait ad Tit. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei*: ac propterea diligendo inimicos se filium Dei vocari voluit: contra verò in secundo aduentu vindictam sumpturus de inimicis, eosque nulla parcendi spe in æternos cruciatus damnaturus, se non Dei filium, sed filium hominis vult vocari. Cùm à tot sanctis Patriarchis Dominus secundùm humanam naturam originem duxerit; quæritur, cur in sacris litteris præcipuè, & frequentius se Dauidis filium Dominus appellari voluit, cumque secundùm carnem Domini genealogia à Sancto Euangelista Matthæo texeretur, antequam aliorum nomina recenserentur, Dauidis filius nominatur? Benè respondet Stephanus Paris in Christiani institutione, quia Dauid *non reddidit retribuentibus sibi mala*: & Sauli sæuissimo persecutori, quem iustè occidere poterat, pepercit. Quare diligentes inimicos, non solùm Dei filij, sed etiam Patris nomine Deus honorare dignatur.

Christus specialiter Dauidis filius vocari voluit, qui à Dauid inimicis ignouit.

Psal. 7. 5.

109. Post natum Redemptorem ab Angelo Ioseph dicitur Matth. 2. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Cum autem ab Ægypto reuocaretur, dicitur à Deo Patre per Prophetam: *Ex Ægypto vocaui filium meum*, scilicet post toleratam Herodis persecutionem Christus Dominus Dei filius appellatur: vt significetur Dei filij nomen speciali titulo meruisse Redemptorem, eo quòd cum Herodis impietatem eiusdem morte vlcisci posset, vindicta omissa maluit longiori exilio, quàm inimici exitio suæ saluti consulere. Quòd si quæratur, cur ignoscentes inimicis Dei filios se demonstrent, illa reddi ratio potest; quia Dei filio peculiariter Diuina sapientia tribui solet: & sicut iram temperare, iniuriasque condonare diuinam sapientiam indicat; ita iniurias vlcisci insipientiæ est argumentum. Quare Paulus 2. ad Cor. cap. 11. ait: *Libenter suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes: sustinetis enim, si quis vos in seruitutem redigit; si quis deuorat; si quis accipit; si quis extollitur; si quis in faciem vos cædit.* Sed præter Pauli testimonium ad id probandum ita liceat Christianæ fidei lumine philosophari. Si quis non ex propria iniuria, sed ex consanguinei cæde ad vltionem incitetur, ad talis vltionis insipientiam nóscendam hoc sibi dilemma proponat. Vel mortuus consanguineus in loco salutis, vel in damnationis est loco. Si non modò in salutis, sed beatitudinis loco est, nihil ingratius ei præstare poteris, quàm vindictam exercere; eam enim ex charitate perfecta summopere abominatur, ob tui, proximique damnum. Quod si nondum in cœlum receptus, adhuc in Purgatorio detinetur, vt inde eum liberes, non vindicta, sed condonatæ iniuriæ oblatione impetrare debes. Rursus, si sublatus consanguineus damnationis pœnas subijt; cum pro eo vltionem appetis, eius cruciatus auges, eò quod rixando vetitæ vindictæ tibi occasionem dederit. Præterea si ad inimicum, cui vindicta paratur, dilemma conuertamus; Is, cui vindictæ spiritu aliquis est infensus, vel prædestinatus, vel præscitus est. Si prædestinatus; pudeat, quem Deus ab æterno ita dilexit, vt ad cœleste regnum elegerit, odio persequi. Quòd si speras cum electis cœlestis regni hæreditatem consequi; *plerumque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis*, ait August. Psalm. 54. Contra verò,

Osee 11.

Christus ex Ægypto reuocatus expressè Dei filius appellatur; quòd Herodis persecutionem non vlcisci, sed patienter declinare voluerit.

Vltoris stultitia aperto dilemmate conuincitur, hic, & n. 110. 111. 112.

Inimicus iniuriam inferens miseratione potius, quam vltione dignus.

A si inimicus (quòd facilius quispiam credat) præscitus est, & ad æterna incendia damnandus, quamuis is plurium scelerum sit reus: *Non hoc considera, sed cogita, quod non multò post accipiet corpus inconsumptibile, quod poterit continuum, & æternam pœnam ferre*, ait Chrysost. hom. 27. in Gen. Et hinc commiserationis potius, quàm vindictæ incentiuum erit: Certò enim existimare debemus, vt idem Chrysostomus ait: *Non eum, qui patitur iniuriam, sed qui facit, lacrymis, & lamentis esse dignum. Iniuriâ affectus, in mentem veniat, quod illi supplicium maneat: & non modo nulla in proximum ira feréris, sed deplorabis vicem eius*, ait idem Chrysostom. hom. 47. in Ioannem. Sed si ad id,

Chrysost. tom. 1. hom de Dauide, & Saule.

B quod in altera vita futurum est, tamquam ad aliquid remotum mentis aciem quis intendere nolit; etiam quoad præsentem vitam non dissimilis consideratio esse potest. Is, quem ad vltionem persequimur, vel præsenti hoc tempore Deo amicus est, vel inimicus; si Deo inimicus est, cum sub diaboli potestate sit, adeo miser est, vt potiùs commiserationem, quàm vltionem debeat excitare. Audiamus Chrysostomum hom. 2. in Parasceue: *Cùm quis te persequitur, non ipsum, sed dæmonem instigantem considera; & erga illum iram seda; & miserere, quod ita à diabolo irritetur. Quare qui maledicit, insectatur, furit, non ipse maledictis, sed lacrymis est prosequendus.* Similiter Augustinus; *Phrenetici sunt, qui à contrario spiritu possidentur, vt*

Tom. 2. Bibliot. PP.

Hom. 59. de tempore.

C *nos persequantur; & maiorem persecutionem à diabolo patiuntur.* Præterea stultum est, si inimicum, quem certò scimus ab immanissimo tyranno diabolo sæuissimè exagitari, velimus nos etiam persequi; idque vitæ, animæque nostræ iactura. Huiusmodi sanè vltoribus Ethnicus ille dicere posset: *Exerces pretiosa odia, & constantia magnò. Tuum corpus premit iniquitas, illius animum putrefacit iniquitas*, ait August. in Psalm. 36. *Caue ergo ne per vindictæ affectum in eamdem putredinem incidas.* Benè etiam Chrysostomus hom. 8. in epist. ad Rom. ait: *Te læsit inimicus; at illum vulnerauit diabolus: ne igitur, & tu propterea ferias, ne & tu vulnereris.* Alioquin de inimico cogeris dicere verbis Iob 16. 15. *Concidit me vulnere super*

Ouid. in epist.

D *vulnus*: altero scilicet ipsius inimici, altero longè grauiore diaboli. Subdit citatus Augustinus de vltoribus loquens: *Desipiunt, contra se sæuiunt, insaniunt, non se vident. tamquam si vellet aliquis per corpus suum ferrum trajicere, vt concideret tunicam alterius.*

110. Contra verò, si is, quem vt inimicum habemus, Deo amicus est; non solùm impium, sed etiam stultum est Dei amicum ad vltionem insectari: humanum enim odium contra Dei adiutorium præualere posse quis credat? Genes. 31. Labanus gentilis, cum iratus generum Iacob persequeretur; ita tandem eum est allocutus: *Nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum; sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Caue ne lo-*

E *quaris contra Iacob quidquam durius.* Labanus igitur Iacob genero irato pepercit, cùm eum sub Dei adiutorio esse cognosceret. Vbi Chrysostomus ait: *Vide quomodo præceptum Dei magnum illius calorem repressit, & furorem refrenauit. Qui tanto impetu comprehendere Iacob, & pœnam fugæ de eo sumere volebat; non solùm nihil asperum, & durum aduersus eum loquitur; sed sicut pater filium compellat. Vide quanta mutatio; vide quomodo is, qui vt bestia insaniebat, ouium imitatur mansuetudinem.* Similiter, cùm propter Abrahæ testimonium dicentis Saram sibi sororem esse, & tacentis esse vxorem, Pharao Ægypti Rex inscius in eum er-

Hom. 51. in Gen.

Gen. 12.

torem incidisset, vt sibi Saram in coniugem acciperet: propter quod, vt ibi dicitur: *Flagellauit Dominus Pharaonem, & domum eius*: poterat iure Rex in Abrahamum irasci, ab eoque pœnas exigere: *Consentaneum*, inquit Chrysostomus, *erat, vt in maiorem furorem inductus, quasi deceptorem iustum puniuisset, & extremis affecisset supplicijs* Nihilominus à vindicta Rex abstinuit; immò teste Iosepho, multa pecunia donatum Abrahamum liberum dimisit, cum eum Dei amicum esse nouisset: *Vipera, cum in manum Apostoli dentes iniecisset; & nullam peccati in ea mollitiem, & laxitatem inuenisset; statim resiliit, & in ignem se proiecit; quasi pœnam à se exegerit, quòd nihil ad se pertinens corpus inuasisset*, ait Oecumenius Act. 28. Similiter quamuis vipereo vltionis affectu quis in proximum incitetur; vindictam cohibere debet, ne in Dei amicum inuehatur; nisi vipera peior esse velit.

Hom. 32. in Gen.

Vltor viperâ peior.

111. Imperante Tiberio, damnatus fuit quidam, quòd seruum argenteam Cæsaris imaginem gestantem cæcidisset. At quo pacto impunis abibit, qui Dei amicum, non argento, sed diuinæ gratiæ lumine expressam Dei imaginem gestantem exagitat? *Signatum est*, inquiunt iusti, *super nos lumen vultus tui Domine*. Quod de sanctificante gratia, quæ diuinæ naturæ participatio est, intelligit Augustinus, & alij.

Verberans seruum gestantem Cæsaris imaginem capite damnatur; multò magis iniurius erga hominem Dei imaginem est damnabilis.

Psal. 4.

112. Rursus insipientiæ itidem indicium est contra proximum iniuriam inferentem ad vindictam irasci. Si enim pedes malè incedendo causa forent, vt caput prolabente corpore læderetur; stultum profectò esset manibus contra pedes iracundia commoueri: sunt enim pedes, & caput eiusdem corporis membra; ipsaque in pedes vltio, recideret contra caput. Similiter proximus quilibet quamuis iniuriosus, vt eiusdem corporis membrum respici debet: *Debemus* inquit B. Antiochus, *alienis indolescere malis, nec grauatim mutuas donare offensas; sumus enim vnum corpus, & alteri aliorum membra*. Et clarius hom. 38. *Si pes forte illisit, aut labatur, num insultabit manus? sane res hæc aliter se habet; nam olei infusione, aut cataplasmate pedi medetur, si quidem vnum corpus sumus*. Huic B. Antiochi sententiæ Epicteti Ethnici Philosophi sententia consonat in Enchiridio cap. 65. *Vnaquæque res duas habet ansas: vnam tolerabilem, alteram intolerabilem. Si frater iniuriam fecerit, non ea prehende quà facit iniuriam; ea enim eius ansa non est tolerabilis. Sed illinc potius, esse fratrem, esse vnà educatum. Sic prehendes eum, quà est tolerabilis*.

Homi. 71. Bibliot. Patrum.

113. Denique quoad loquendi modum in allatis verbis Tautologia esse videtur: *Vt sitis filij Patris vestri*. Filius enim non alterius, quàm patris sui filius esse potest. Maldonatus respondet ex Hebraïsmo, illum, qui alteri similis est, eiusdem filium dici Quare idem est: *Vt sitis filij patris vestri*, ac dicere, vt sitis similes patris vestri. Similiter Marci 3. Iacobus, & Ioannes *filij tonitrui*, id est tonitrui similes dicti sunt.

Filius alicuius, qui ei similis est, dicitur.

114. Respondendum 2. videtur: cùm homo secundùm duplicem vitam, naturæ scilicet, & gratiæ generetur, duos habere patres, naturalem, & cœlestem. Sententia igitur Redemptoris est: *Diligite inimicos vestros*, vt inimicorum dilectione potius cœlestis Patris, quàm hominis filios vos esse monstretis. Sicut enim vindictæ appetitus ab humana generatione originali labe maculata nobis communicatur: ita inimicorum dilectio per gratiam à cœlesti generatione transfunditur.

Vt sitis filij Patris vestri: in his verbis tautologia non est.

115. Quòd si iniurias condonantes Deo similes, Deique filij redduntur; vltores quibus similes erunt: Homines iniurias tolerare nescit, & ad eas vlciscendas semper parati, veluti generosos se iactant; sciant tamen se vilibus, valdeque timidis animalibus assimilari. Dauid Psal. 62. loquens de quibusdam, qui iusto iudicio Dei passuri erant sæuissimam ab inclementissimis hostibus vltionem, ait: *Tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt*. Cur crudelissimos vltores non potius leones, aut vrsos, quàm vulpes appellat? Ex Aponio l. 4. in Cant. respondetur: Quamuis *longa dies homini doceat parere leones*, aliasque immanes feras: Vulpium tamen hoc est proprium, vt numquàm mansuescant. Propterea implacabilia odia, animique passiones ad vlciscendum semper stimulantes, omnemque reijcientes mansuetudinem, benè vulpibus comparantur. B. Antiochus: *In anima*, inquit, *tenaci iniuriarum inj diosa vulpes suum sibi figunt, atque exædificant vmbratile tabernaculum; inque huiusmodi corde turbulento, tamquam in speluis retrusissimis delitescunt feræ immanes*. Porrò de ijs, qui iustitiæ zelo, non vindictæ studio inimicos se persequi fallacissimè asseuerant, verissimè dici potest illud Persij satyr. 5. Astutam seruant sub pectore vulpem.

Vltores cur vulpibus similes?

Hom. 55.

116. Sed vt dictis remedia addamus, quibus illatæ iniuriæ tolerentur; & praui auersionis, & vltionis affectus corrigantur, Chrysost. hom. 27. in Genes. ait: *Scio quòd graue, & molestum videtur, eum, qui in te hostiliter affectus est, videre, & cum eo stare, & loqui*. Sed ad hanc repugnantis naturæ difficultatem superandam, recolamus memoria, quod Romanus Orator ad Octauium affectuit: *Nulla remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quæ sunt salutaria*. Propterea citato loco de iniuriæ condonatione loquens Chrysostomus subdit: *Hæc animarum nostrarum medicina est; hæc vulnerum nostrorum pharmacum*. Quæ medicina, quod pharmacum si iniucundius, si amarius sensui videatur, Lactantij monitum audiamus: *Circumliniatur poculum cœlesti melle sapientiæ, vt possint ab imprudentibus amara remedia sine offensione potari; dum illiciens prima dulcedo acerbitatem saporis asperi sub prætextu suauitatis occultat. Veluti pueris absinthia tetra medentes cum dare conantur, prius oras pocula circum contingunt dulci mellis, flauoque liquore*. Mel ergo ad amarum poculum, quo vltionis affectus expellitur, temperandum, sit diuinum mandatum, quod dulcius *super mel, & fauum* Dauidis testimonio Psalm. 18. dicitur. Inimici, cum propter Deum diliguntur, veluti aureo charitatis poculo *propinant nobis beatitudinem*, vt ait S. Basilius: idque iuxtà Domini promissum Matth. 5. 11. *Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint & dixerint omne malum aduersus vos mentientes, propter me gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*.

Vltionem contra remedium.

Inimici aureo poculo propinant nobis beatitudinem.

Lactant. lib. 1. c. 1. institut.

Lucret. l. 4.

Basil. q. 176. ex breuiori-bus.

117. Præterea illatas iniurias patienter tolerabimus; si eas non tam ab inimico, quàm à Deo illatas existimemus, ad nostrum meritum; culparumque nostrarum satisfactionem. Iob cùm ex oculato nuncio benè nosset à Sabæis, & Chaldæis hostibus sua bona fuisse direpta: *Nuncius venit ad Iob, qui diceret: Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio*. Similiter dicitur de Chaldæis: Nihilominus non à prædonibus illis, sed à Deo Iob sua bona sublata cognouit dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit*. Hoc vsus remedio iniurijs affectus Dauid Psal. 38. aiebat: *Opprobrium insipienti dedisti me*. Excusas

Iob c. 1.

Vltionem contra remedium.

primùm ob insipientiam aduersari; quemadmodum etiam Christus Dominus in cruce pendens æterno Patri dixit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Subdit deinde Dauid: *Obmutui, & non aperui os meum; quoniam tu fecisti,* scilicet, vt in me opprobria iactarentur: ideoque hoc considerans meos erga aduersarios tamquam mutum, & surdum nihil respondendo me præstiti. *Propter te sustinui opprobria*, idem Dauid Psalm. 68. 8. repetijt. Idipsum Dauidem egregiè adimplesse legimus 2. Reg. 16. Cum enim eum Semei iniurijs, & lapidibus impeteret: respondit: *Sinite illum, vt maledicat: Dominus enim præcepit illi, vt malediceret Dauid.* Dicitur Dominus præcepisse, vt malediceret; quia cognoscens Deus malam Semei voluntatem, eamque permittens, dirigere tamen eamdem decreuit ad Dauidem humiliandum, & corripiendum: diuinum ergo decretum præcepti nomine appellatur. Porrò patienter iniurijs toleratis subdit citato Psalm. 38. Dauid: *Amoue à me plagas tuas.* Non temporalia flagella amoueri S. Propheta postulabat; sed spiritualia, nempè mentis excœcationem, cordis duritiem, sensum reprobum, æternamque damnationem, vt benè docet Bellarminus: ideo cum Semei ei malediceret, dixit: *Dimitte eum, vt maledicat iuxtà præceptum Domini; si fortè respiciat Dominus afflictionem meam; & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Optimum enim medium est ad diuinæ largitatis dona impetranda humilis iniuriarum tolerantia. Dices, cur Dauid erga Semei cum alienum se à vindicta præstitisset; postea ad vindictæ affectum relabens sub mortem Salomoni præceperit: *Habes apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione pessima: tu noli pati eum esse innoxium; deducesque canos eius cum sanguine ad inferos?* Respondeo id Dauidem præcepisse non vindictæ, sed iustitiæ zelo; ne scilicet Semei impuniti exemplo alij in reges contumaciter insurgere auderent.

Lucæ 23. 34. Iniuriarum tolerantia ad impetranda Dei beneficia valde efficax.

3. Reg. c. 2.

118. Contra ea, quæ ad repellendum prauum vltionis affectum hactenus diximus, opponitur primò Spiritus sancti monitum 5. Prou. 9. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.* Alienis, hoc est inimicis, qui erga nos alieno sunt animo, honor datur, si impunè ab eis iniuria affici nos sinamus. Nostræ etiam vitæ annos crudeli damus; si aduersarium nos crudeliter persequentem per vltionem non repellendo, ei perpetuò nos cruciandi libertatem relinquamus. Notum est etiam illud apud Isaiam cap. 42. & 48. bis repetitum: *Gloriam meam alteri non dabo.* Respondet Gregorius 3. p. past. cap. 13. *Qui alieni à nobis sunt, nisi maligni spiritus, qui à cœlestis sunt patriæ sorte separati? Quis verò honor noster est, nisi quia in luteis corporibus conditi, ad conditoris tamen nostri sumus imaginem, & similitudinem creati? Vel quis alius crudelis est, nisi ille Angelus apostata, qui & semetipsum pœna mortis superbiendo perdidit; & inferre mortem humano generi etiam perditus non pepercit? Honorem ergo suum alienis dat, qui ad Dei imaginem, & similitudinem conditus, vitæ suæ tempora malignorum spirituum voluntatibus administrat. Annos etiam suos crudeli tradit, qui ad voluntatem malè dominantis aduersarij accepta viuendi spatia expendit.* Rursus citata Isaiæ verba: *Gloriam meam nemini dabo*, non hominis, sed Dei sunt: cui soli gloria danda est. *Regi seculorum immortali, & inuisibili, soli Deo honor, & gloria*, ait Apostolus ad Tim. cap. 1. Homo autem bona conscientia contentus, humanæ gloriæ contemptor esse debet. Cùm ergo Deus dicat: *Gloriam meam nemini*

Oppositio prima ab vltoribus allata soluitur.

Iniurias ferre quàm hostes profligare præstantius.

A *dabo*, quærit Bernardus serm. 13. in Cantica: *Quid ergo dabit nobis Domine? Pacem inquit, do vobis, pacem relinquo vobis. Sufficit mihi; grantanter suscipio, quod relinquis; & relinquo, quod retines. Sic placet; sic meà interesse non dubito. Abiuro gloriam prorsus; ne fortè si vsurpauero non concessum; perdam meritò & oblatum. Pacem volo, pacem desidero, & nihil amplius. Cui non sufficit pax, non sufficis tu: Tibi gloria, tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata. Mecum benè agitur, si pacem habuero.* Ad pacem ergo consequendam, inimicis debemus libenter ignoscere propter Deum. Et in hoc honor non amittitur, sed augetur. Primò, quia in condonandis iniurijs si quid honoris praua hominum
B opinione amittitur, Dei cura est nostra damna cumulatius compensare: ideoque Dei filij Christianus imitator dicere debet: *Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat, & iudicet.* 2. quia *præstantius est injurias æquo animo ferre, quàm hostium copias profligare*, vt M. Aurelius Imperator, quamuis Ethnicus pronunciauit. Ideò benè Chrysostomus de Dauide, qui à Saulis inimici in spelunca latentis cœde abstinuit, ait: *Egressus est à spelunca tunc temporis magis exultans, quàm cum Goliath deiecisset, ac barbari caput amputasset. Si quidem hæc illi munificentior erat victoria; hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius
C trophæum. Rediit non barbari illius caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, sed iram eneruatam. Neque hæc spolia reposuit Ierosolymæ, sed in cœlo, inque superna illa ciuitate. Haudquaquam in choris obuiam veniebant fœminæ, excipientes illum cum laudibus; sed Angelicus populus è sublimi applaudebat.* Ad id confirmandum, Agesilao Lacedæmonum regi, cum quidam dixisset: *Regis munus esse præmijs amicos, pœnis inimicos afficere*, respondit: *Melius dixisses: Regis munus esse beneficentiâ ex inimicis amicos reddere.* Seneca lib. 1. de Clementia cap. 5. ait: *Magni animi est proprium injurias, atque offensiones semper despicere; Muliebre est furere in ira. Ferarum verò, nec generosarum quidem, præmordere, & vrgere proiectos. Elephantes,
D leonesque transeunt, quæ impulerunt. Ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet regem sæua, nec inexorabilis ira. Non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo exæquat. At si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus, & meritis amittere; facit quod nulli, nisi rerum potienti licet. Vita enim etiam superiori eripitur, numquam nisi inferiori datur. Seruare proprium est excellentis fortunæ, quæ nunquam magis suspici debet, quàm cum illi contingit idem posse, quod Dijs; quorum beneficio in lucem edimur, tam boni, quàm mali.*

Ioan. 14. 27.

Ioan. 8.

Sauli parcens Dauid laudabilior, quam Goliath prosternens. Chrysost. hom. 2 de Dauide, & Saule.

Regium est beneficentiâ ex inimicis amicos reddere.

119. Opponunt 2. mundani homines illud Apost. 9. ad Hebr. 22. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Sed pudeat sancta Dei verba ad prauos animi af-
E fectus iustificandos distorquere. Allatæ enim sententiæ, vt patet ex Leuitico c. 4. sensus est, in veteri lege per victimarum sanguinem debuisse tolli legalem immunditiem, vel temporalem pœnam ex peccato contractam: Quòd si Deus vt ob illatam sibi iniuriam pœnam remitteret, non hominum, sed animalium sanguinem requirebat; quàm iniquè, & peruersè homo infinitè à Deo distans, humanum sanguinem ad illatæ iniuriæ satisfactionem exiget?

Oppositio secunda ab vltoribus allata soluitur.

120. Opponuntur 3. alia sacrarum litterarum verba, in quibus claræ vindictæ affectus relucere videtur. Huiusmodi est Ps. 17. 43. *Comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos*, Et alibi huic similia reperiuntur. Respondetur quod supra etiam ostendimus, hunc Rabbi-

Oppositio tertia ab vltoribus allata soluitur.

norum fuisse errorem, vt ad priuati inimici vindictam exercendam testimonia desumerent, in quibus de publicis hostibus agitur; in quos inuehi ob publicum bonum, & fidelis populi defensionem licuit. Dauid igitur cit. Psalm. de Ammonitis, & Moabitis agit. Sic etiam de publicis hostibus ait Psalm. 43. 9. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu: & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos*, idest, contra nos, seu, vt Hieronymus legit: *Conculcabimus aduersarios nostros.* Sic iuxta Augustinum, Theodoretum, & Euthymium Psal. 78. contra Antiochum, aliosque Idololatras reges, qui Dei populum vexauerunt, templumque profanauerunt, ait: *Vltio sanguinis seruorum suorum, qui effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum: redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* Præterea cum citato superius Psalmo Dauid dixit: *Comminuam illos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos*; bonum, non malum inimicis exoptat, iuxta Ambros. in Psalm. 1. scilicet, *vt ille, qui comminuitur, vt puluis, non in nihilum dissipetur, sed commutetur in melius; vt ex terreno fiat spiritalis homo: & vt lutum platearum, sic deleatur, vt tollatur quicquid asperum, ac sordidum videtur, remaneat quicquid purum, & mundum est.* Similiter Chrysost. in Psalm. 11. imprecationem illam: *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam*; ait esse simul imprecationem, & orationem; imprecationem quidem contra dolos, & fraudes; orationem verò pro dolosis; scilicet, vt correctis, sublatisque dolis resipiscant; & disciplinæ virga stultitiam eorum fuget: Adde etiam orationem esse, vt innocentes à dolosis calumnijs liberentur: propterea subditur: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.*

Oppositio quarta ab vltoribus allata soluitur.

121. Opponitur 4. Ieremias cap. 20. 12. dicens: *Videam vltionem tuam ex eis.* Respondetur hæc, & similia verba à sanctis viris prolata fuisse, non ex odio, & vltionis affectu; sed ex iustitiæ zelo; & ad aliorum, ne similiter peccent, exemplum; & vt ipsimet, in quos vltio cadit, se corrigant; & innocentes à malorum oppressione liberentur. Sic Dauid Psalm. 27. ait. *Secundùm opera eorum tribue illis; redde retributionem superbis*; & Psalm. 30. 24. *Retribue abundanter facientibus superbiam. Psal. 93. 2. Redde retributionem superbis.* Potest autem huiusmodi verba proferre non quilibet, sed qui sit *vir secundùm cor Dei*, qualis fuisse Dauid legitur Act. 13. 22. vel qui Ieremiæ sanctitatem imitetur, cui Deus dixit: *Antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Apoc. 6. *Animæ Sanctorum Martyrum magno clamore petunt vindictam de interfectoribus suis. At isti Martyres dum hic viuerent non petebant vindictam de persecutoribus; sed potiùs vt eis ignosceretur: quia dum viuerent, peccare poterant; & periculum erat, ne, si vltionem peterent, id facerent ex cupiditate; propterea non petebant. Nunc autem eam petunt intuitu, & amore iustitiæ*; ait Beda. An nos ex iustitiæ, & diuinæ charitatis zelo, non propriæ vindictæ affectu moueamur, Lydius lapis esse potest, si in nos ipsos Dei offensas acriter vlciscamur. Si secus, sedulò caueamus, ne proximo quamuis iniurio malum aliquod exoptemus. *Quæ in te fiunt, cum mansuetudine feras: quæ verò in Dominum ingeruntur, multa cum vehementia vlciscaris*, ait Chrysostomus hom. 4. in Isaiam. Præterea quomodo sacræ scripturæ imprecationes, quales sunt supra allatæ, interpretandæ sint, infra dicemus.

Ierem. cap. 1.

Oppositio

122. Opponuntur 5. Psalm. 57. verba: *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam.* Similiter Iob 22. 19. de iustis, cum peccatorum supplicia vident, ait: *Videbunt iusti, & lætabuntur: innocens subsannabit eos.* Quare hunc in locum quid Gregorius dicat, audiamus: *Iusti cùm hic iniustos errare conspiciunt, de errore pereuntium lætari non possunt; si enim gaudent erroribus, iusti non sunt. Rursum si per insultationem lætantur, eo quòd tales non sunt, quales alios esse conspiciunt, omnino superbi sunt. Vnde & Pharisæus iustificationem perdidit, quia publicani meritis gaudendo se prætulit dicens: Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Rursum si dicimus, quòd perfecto gaudio exultare iusti possunt de morte prauorum; quale est in hoc mundo gaudium de vltione peccantium, in quo adhuc incerta est vita iustorum? Discernamus igitur tempora tremoris, & exultationis. Vident etenim nunc iniustos iusti, & de eorum nequitia tabescunt; cumque eos perire conspiciunt, de sua quoque vita suspecti fiunt. Quando ergo videbunt iusti iniquorum interitum, & lætabuntur; nisi cum districto iudici perfecta iam securitate exultationis inhæserint; cum in illo extremo examine illorum damnationem conspiciens; & de se iam quod metuant, non habebunt? Nunc itaque reprobos aspiciunt, & gemunt, tunc aspiciunt, & subsannant.* Similiter Hieronymus citato Psalm. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam* ait: *Quando illi damnantur in pœnis, isti lætantur in præmijs.* Sed adhuc in hac vita ante extremum iudicium quomodo hæc iustorum lætitia de peccatorum supplicio fit, explicat Gregorius l. 22. mor. cap. 11. dicens: *Euenire plerumque solet, vt non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet; & rursùm eius gloria sine inuidiæ culpa contristet: cum & ruente eo quosdam benè erigi credimus; & proficiente illo, plerosque iniustè opprimi formidamus. Sed ad hæc seruanda valdè necessarium est subtilissimæ discretionis examen; ne cum nostra odia exequimur, fallamur sub specie vtilitatis alienæ.* Ante Gregorium docuit etiam Augustinus iuxta Dauidem, iustos visa peccatorum vindicta lætari benè posse, idque etiam in hac vita: Quod benè confirmari potest ex eo, quod cum dixisset Dauid: *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam*: Subdit: *Manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

quinta ab vltoribus allata soluitur.

Gregor. lib. 6. c. 7.

Lucæ 18.

123. Quod Apoc. 1. affirmat Ioannes nos purissimo Redemptoris sanguine fuisse mundatos: *Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*: id certè mirum esse non debet: guttula enim vel minima illius diuini sanguinis ad multò plurium peccatorum sordes, easque fœdiores abluendas, est satis. Sed illud multò magis admirandum esse videtur, quòd ex fœdissimo impiorum sanguine iusti mundiores euadant: id autem contingit, cum visis peccatorum supplicijs, eorumque pro merita pœna effuso sanguine, suos iusti defectus emendant. Ideo à Dauide dicitur: *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam; manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Vbi Isidorus ait: *In peccatorum morientium sanguine iusti lauare manus; quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur: Cuius enim talis crudelis exitus cernitur, non solùm qui viderit, refugit; sed alios etiam imitatione ipsius, quantò valuerit, exhortatione compescit.* Quare suæ, & aliorum emendationis vitæ profectus iustos mouet, vt visa peccatorum vltione lætentur. Ideo Augustinus tom. 3. sent. 246. ait: *De beneuolentia est, non de malitia, cùm lætatur iustus in impios processisse vindictam; quia non ei exitium peccatoris placet, quem voluit corrigi; sed iustitia Dei, qua scit multos posse conuerti.* Hinc Apost. 2. ad Cor. 7 dixit.

Sanguine peccatorum abluuntur peccata; quia eorum visâ pœnâ alij se corrigunt.

3. Sent. c. vlt.

Supplicio peccatorum viso iusti, triplici ex causa lætantur.

*Gaudeo, non quia contristati estis; sed quia contristati estis ad pœnitentiam.*

114. Motiuum alterum lætandi iusto datur, quod ipse culpas, pœnasque, in quas alij incurrerunt, euaserit. *Iustus non de impiorum damnatione, sed de sua liberatione lætatur*, ait Beda. Tertium lætandi motiuum additur ex Bernardo serm. 8. in Psalm. 90. *Lætantur iusti, non quod veluti quadam immanitate crudelitatis in ipsa sibi vltione complaceant; sed quòd modus ipse pulcherrimus diuinæ ordinationis, vltra quàm credi possit iustitiæ zelatorem, & amatorem æquitatis oblectet.* Similiter Theodoretus in Psalm. 77. ait: *Gaudebit virtutis studiosus, cùm malitiæ operari supplicijs affectum videat; non illudendo illi, sed prospiciendo diuinam prouidentiam nolentem despicere ab illis injuria affectos.* Quare Psalm. 117. cùm à Dauide dicitur contra persecutores: *In nomine Domini vltus sum in eos*, iuxtà Richelium sensus est: *Eatenus vltio hostium mihi placuit; quatenus per eam sui nominis gloriam liberator Deus manifestauit.* Quo etiam sensu vltio à Ieremia, cap. 11. expetitur: *Videam vltionem tuam ex eis.* Benè ergo monet Gregorius: *Cùm peruersum quemque Omnipotens percutit, & condolendum est miseriæ pereuntis, & congaudendum iustitiæ Iudicis; vt nobis & in luctu sit pœna morientis proximi; & rursus in gaudium veniat exhibita æquitas iudicantis Dei: quatenus nec pereunti homini existimamus aduersarij, nec iudicanti Deo inueniamur ingrati.*

Idem, ac supra.

Greg lib. 22. Moral. c. 11.

125. Opponuntur 6. Frequentes imprecationes, quæ in inimicos in sacris litteris leguntur: vt Psalm. 53. 7. *Auerte mala inimicis meis*; seu, vt legit Hieronymus. *Redde mala insidiatoribus meis: & in veritate tua disperde illos.* Psalm. 108. *Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius*: ibique aliæ plures, & grauissimæ habentur. Ieremiæ 15. 18. *Induc super eos diem afflictionis; & duplici contritione contere eos*, & cap. 18. 21. *Da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij: fiant vxores eorum absque liberis, & viduæ; & viri eorum interficiantur morte*, &c. Thr. 1. 22. *Ingrediatur omne malum eorum coram te; & vindemia eos, sicut vindemiasti me.* Inter imprecationes autem illa Psal. 68. 28. ex pluribus ibi positis grauissima est. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam: deleantur de libro viuentium; & cum iustis non scribantur.* Circa huiusmodi imprecationes, quid August. tom. 4. l. 1. de serm. in monte cap. 21. doceat, audiamus: *Oritur hic sanè nullo modo dissimulanda quæstio, quòd huic præcepto Domini, quo nos hortatur diligere inimicos nostros, & benefacere his, qui nos oderunt; & orare pro his, qui nos persequuntur, multa alia Scripturæ partes minus diligenter, & sobriè considerantibus videntur aduersæ. Quia in prophetis inueniuntur multa imprecationes aduersus inimicos, quæ maledictiones putantur. Sed hæc facilè soluuntur, quia Propheta per imprecationem quod esset futurum cecinit, non optantis voto, sed spiritu prænidentis. Sicut Apostolus; cui euersionem imminere cernebat, dixit: Percutiet te Deus, paries dealbate. Prophetæ maximè solent figura imprecantis futura prædicere: sicut figura præteriti temporis, ea quæ ventura erant, ventura sæpè cecinerunt. Tale est illud Psalm. 21. 19. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Augustini sententiæ consonat Iustinus quæst. 125. ad Orthodoxos: Enunciant autem Sancti viri futura, vt præterita ad certitudinem vaticinij ostendendam. Ad confirmandum, quòd imprecatio futurum significet, cum Dauid Psalm. 82. contra Amalecitas, Agarenos, & Assyrios hostes, velut imprecando dixisset: *Deus meus, pone illos, vt rotam; sicut stipulam ante faciem venti*, &c. statim idem per vaticinium explicat: *Ita persequeris illos in tempestate tua; & in ira tua turbabis eos.* Quod patet etiam citato cap. Ieremiæ 18, vbi, cum dixisset: *Da filios eorum in famem*, &c. statim ad vaticinandum, quod futurum erat, transit dicens: *Adduces enim super eos latronem repente.* Præterea Psalm. 53. vbi dicitur: *Auerte mala inimicis meis*; ex Hebræo legitur: *Reuertetur malum inimicis meis.* Contra verò 2. ad Tim. 4. vbi dicitur: *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit; reddet illi Dominus secundùm opera eius*: Ex Græco legitur *Reddat.* Benè autem Apostolus ab iniquo aduersario sibi multa mala ostensa dixit, non illata: Qui enim Christianæ patientiæ clypeo munitur, aduersa quidem mala videt, non ea interius subit, ab ijsque lædi nullatenus, aut turbari interius potest. Quod supra docuit Augustinus, idem docet in Psalmi 11. verba: *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa.* Idem etiam in Psal. 108.

Oppositio sexta ab vltori bus allata soluitur.

Imprecationes in Sacra Scriptura quomodo intelligendæ.

Act. 23.

Iustis ostendi videntur mala, non infligi.

126. Si quæratur, cur huiusmodi futura optantis potius verbo, quàm futuro à Prophetis explicata legamus? Respondeo, cùm sancti viri prophetico spiritu illuminati futura Dei decreta præuidentes, diuinæ voluntati omninò conformes esse cupiant; hinc est, vt res futuras, & calamitates peccatoribus immissas optantis modo explicent. Hæc ratio colligitur ex Sancto Thoma infra citando: eamdem etiam indicat Augustinus in illa Psalm. 34. verba: *Fiant viæ eorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos; Hæc eis futura prædixit; non quasi, vt euenirent, optauit: Quamquam & propheta in spiritu Dei sic ea dicat, quomodo illa Deus facit, certo iudicio, bono, iusto, sancto, tranquillo: non perturbatus ira; non amaro zelo; non animo inimicitiarum exercendarum; sed iustitia vitiorum puniendorum: verumtamen prophetia est.* Benè autem distinguit Anselmus: *Aliter maledictum proferatur iudicio iustitiæ; aliter liuore vindictæ. Maledictum iudicio iustitiæ profertur, sicut Abrahæ dicitur Gen. 12. Maledicam maledicentibus tibi: Rursum, quia maledictum liuore vindictæ promitur, Apostolus admonet: Benedicite, & nolite maledicere.* Hieronymus explicans Ps. 11. verba: *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa*, ait: *Numquid maledicendo dicit? Non: quia non est mos sanctorum maledicere, sed pronunciando, quod futurum est, dixit; non optando, sed prophetando* idem explicans Ieremiæ verba Thr. 1. *Ingrediatur omne malum eorum coram te*, ait: *Quando sancti viri deprecatorio more contra hostes suos orant; non voto malitiæ, sed spiritu prophetico hoc, quod eis præsciunt futurum, prædicunt.*

Imprecationes sanctorum sunt vaticinia. Hic. & num. 127.

In Epist. ad Rom. c. 12.

ad Rom. c. 12.

127. Theodoretus explicans Ps. 34. vbi plures imprecationes contra aduersarium Dauid profert; præcipuè illam: *Veniat illi laqueus, quem ignorat; & captio, quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum*; ait; *Moneo eos, qui hæc legerint, ne vllam ex iusti hominis precibus offensionem accipiant; ne ansam inimicis obtrectandi hinc accipiant. Sciendum est, legis statum, & Euangelicum viuendi modum vatem attingere. Lex ait, vt proximum diligamus, & inimicum odio habeamus.* Hæc Theodoreti sententia non placet; cùm supra ostenderimus etiam in veteri lege odium in inimicum fuisse vetitum. Subdit postea, & benè Theodoretus: *B. Dauid non maledicens hæc dixit; verùm vaticinantis more prædixit ea, quæ penitus futura sunt. Quod autem idem secundùm Euangelij legem iniuria afficientes non vltus sit, audite ipsum dicentem: Si reddidi retribuentibus mihi mala; decidam meritò ab inimicis meis inanis, &c. Et non dixit quadam hæc, & non perfecit. Bis enim cum hostem captiuum accepisset, non modo ipsum*

Theodoreti sententia improbatur.

Psal. 7.

1. Reg. 24. 1.

*ipsum non occidit; verumetiam eos, qui interficere volebant, prohibuit, atque in prælio occumbentem fleuit; & eum, qui mortem nunciauit, tanquam gaudentem, & iuueniliter exultantem se illum occidisse, morte mulctauit.* S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 6. egregiè ita distinguit: *Imprecationes, quæ in Sacra scriptura inueniuntur, tripliciter possunt intelligi. Vno modo per modum pronunciationis, non per modum optationis; vt sit sensus Psalm. 9. Conuertantur peccatores in infernum, id est conuertentur. Alio modo per modum optationis, vt tamen desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, sed ad iustitiam punientis, secundum illud Psalm. 57. Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam: quia nec ipse Deus puniens lætatur in perditione impiorum, vt dicitur Sap. 1. sed in sua iustitia: Quia iustus Dominus, & iustitias dilexit. Tertiò, vt desiderium referatur ad remotionem culpæ, non ad ipsam pœnam, vt scilicet peccata destruantur, & homines remaneant.* Iuxta hunc S. Doctoris sensum fidelis quisque à Deo sperare, & exoptare debet, quod Psalm. 107. dicitur: *Ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.* Non ad nihilum vitæ, sed ad nihilum inimicitiæ, & odij: ita vt non viuere desinant; sed animi desinant auersionem retinere. Ibidem S. Th. quæst. 76. art. 1. ait: *Cùm malum dicitur per modum imperantis, vel optantis, est aliquid licitum, & illicitum. Si enim aliquis imperet, vel optet malum alterius inquantum est malum, quasi ipsum malum intendens; sic maledicere erit illicitum. Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni; sic erit licitum, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens: quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquid dici imperando, vel optando sub ratione duplicis boni. Quandoque sub ratione iusti, sicut Prophetæ in scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam diuinæ iustitiæ: licèt hæ imprecationes possint per modum pronunciationis intelligi. Quandoque dicitur aliquod malum sub ratione vtilis; cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel vt ipse melior efficiatur; vel vt saltem ab aliorum nocumento cesset.* Ideo à Domino peccatoribus expetebat Dauid Psal. 82. 17. *Imple facies eorum ignominia; & quærent nomen tuum Domine.* Quòd si ex his aliqui obdurato corde non resipiscant; tunc iuxtà tuæ diuinæ iustitiæ decretum: *erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi; & confundantur, & pereant.* Circa hæc eadem vide S. Clementem Alexandrinum l. 1. Pædagogi cap. 8. & 9. Origenem hom. 15. in Num. Hieronymum in Isaiam 10. & S. Thomam in 3. sent. dist. 3. art. 1. ad 4.

128. Notandum præterea est, quòd B. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 92. ait: *Illud Psalm. 68. 28.* pro … *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, æquiuocum est. Perinde enim est, ac si diceret: Appone cruciatum super iniquitatem eorum.* Quod autem iniquitas, seu peccatum per metonymiam pro ipsius peccati pœna, tamquam causa pro effectu sumatur, alibi in Scriptura reperimus: vt Num. 18. *Dixit Dominus ad Aaron: Tu, & filij tui portabitis iniquitatem Sanctuarij: & tu, & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij vestri:* id est vos debitis pœnis, si quod peccabitur in cæremonijs, aut si quis externus vestra negligentia se sacris immiscuerit, puniemini. Ibidem vers. 22. *Non accedant vltra filij Israël ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum; solis filijs Leui in tabernaculo seruientibus, & portantibus peccata populi.* Ex quo patet à Dauide citato Psalm. non peccatum, quod impium fuisset; sed peccati pœnam fuisse in proximum exoptatam: nisi malimus dicere eo in loco non desiderium, sed vaticinium contineri.

129. Opponitur 7. Leuitici lex cap. 24. & Deuteron. 19. *Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum, sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet; qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Ex quo patet lædenti tantumdem rependere diuina lege præcipi potius, quàm prohiberi. Respondetur: hanc legem datam esse non priuatis, qui læduntur, sed magistratibus, qui ob publicum bonum iniurias impunitas relinquere non debent. De qua lege benè Tertullianus lib. 2. cap. Marcionem, cap. 18. ait: *Non iniuriæ mutuo exercendæ licentiam sapit; sed in totum cohibendæ violentiæ prospicit: vt quia durissimo, & infideli in Deum populo longum, vel etiam incredibile videretur à Deo expectare defensam; interim commissio iniuriæ metu vicis statim occursuræ repastinaretur*, hoc est sepelietur: *& licentia retributionis prohibitio esset prouocationis; vt sic improbitas æstuata cessaret, dum secundâ præmissâ prima terretur; & primâ deterritâ, nec secunda committitur; quâ & alias facilior timor talionis per eumdem saporem passionis. Nihil amarius, quàm idipsum pati, quod feceris alijs.* August. lib. 19. cap. Faustum c. 25. per eam talionis legem docet excessum vindictæ potius prohiberi, quàm vindictam præcipi; ne scilicet quis dente læsus, aut oculo, eam iniuriam lædentis nece vellet vlcisci.

Oppositio septima ab vltoribus allata soluitur.

130. Opponitur S. Eliseus 4. Reg. cap. 2. 23. qui contumeliosis pueris *Maledixit in nomine Domini: egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos. Præsertim*, vt ait Iustinus quæst. 80. ad Orthodoxos, *cùm infantes mali ignaros vltus sit; & eis mortem à feris conciliauerit propter solam in eum contumeliam*, dicentibus pueris: *Ascende calue.* Respondet Iustinus: *Cùm eorum patientiâ, quibus fit iniuria, non emendantur, qui inferunt; tùm seueritas ijs, qui sint inemendabiles, vtilior est, quàm patientia. Itaque non est Propheta culpandus propter seueritatem. Cum enim comperisset patientiam non præbere peccantibus sensum peccati; cumque voces illas, quas dicebant pueri prophetam contumelia afficientes, à parentibus suis, qui semper infensi fuerant prophetis, didicissent; propterea occisione puerorum castigauit parentes; vt discerent non afficere contumelia prophetas, & per eos Deum.* Quia vt ait S. Thom. 22. quæst. 108. art. 1. ad 4. Dum serui, & prophetæ Dei irridentur, Deus ipse irridetur. Ex zelo igitur diuini honoris tamquam publicus Dei minister, motus est Eliseus. Præterea Eliseus puerorum interitu eis beneficus fuit, præuidens illos, si diutius vixissent, parentum exemplo, sceleratiores, & idololatras euasuros, vt Theodoretus quæst. 13. doceat.

131. Sed quid dicendum ad legem latam Num. 35. 19. 21. *Propinquus occisi homicidam interficiet. Si quis per odium hominem percusserit, & ille mortuus fuerit; cognatus occisi statim, vt inuenerit eum, iugulabit.* Similiter Deut. 19. 11. Cùm Asyla in refugij vrbibus statuta essent, subditur: *Si quis odio habens proximum suum percusserit illum, & mortuus fuerit, fugeritque ad vnam de supradictis vrbibus; mittent seniores ciuitatis illius, & arripient eum de loco refugij, tradentque in manum proximi, cuius sanguis effusus est, & morietur. Non misereberis eius; & auferes innoxium sanguinem de Israël, vt bene sit tibi.* Respondetur, vbi dicitur *interficiet, aut iugulabit*, sensus est: impunè interficere, & iugulare poterit, si voluerit: id autem lex permisit, non præcepit: permisit autem non ad innocentium cædem

Oppositio octaua ab vltoribus allata soluitur.

cohibendam, cùm in reum impunè à propinquis capitalis pœna cadere posset. *Vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere:* vt infra citato Deuteronomij loco dicitur. Quòd si propinqui non iustitiæ zelo, sed ex odio, & vltionis affectu, vt contingere facilè poterat, patratam cædem vlciscebantur; quamuis in externo foro, quod de internis non iudicat, rei non essent; in conscientiæ tamen foro verè grauem culpam incurrebant, contra Dei præceptum Leuit. 19. 18. *Non quæras vltionem.* Ad vltionem non quærendam, & ius talionis lege permissum renunciandum egregium exemplum præstitit Lacedæmoniorum rex Lycurgus. Hic Ethnicus, & rex, cui propterea iniuriæ grauiores videri poterant, quamuis iusta lex foret: *Oculum pro oculo:* nihilominus cum à feroce iuuene Alcandro oculo orbatus esset, eumque à populo accepisset in suam potestatem, vt ad libitum eum plecteret; nihil grauius in iuuenem statuit; neque oculum pro oculo mulctare voluit: sed ferociorem iuuenem optimè instituit; eique, à quo cæcus fuerat, mentis oculum benè aperuit; sic tandem bonis moribus efformatum in theatrum ad populum adduxit dicens: *En iuuenem, quem à vobis iniurium, & violentum accepi, iam frugi, & popularem vobis restituo.* De eodem præter Plutarchum meminit Origenes l. 8. contra Celsum. Tam eximiam Lycurgi mansuetudinem ei ab agno potius, quàm à lupo nomen meruisse dixeris; nisi ad antiphrasim iuuet confugere. Lycurgo non dissimilis fuit Alexander; cui cùm quidam obtrectaret, & ab aulicis rex, vt illum occideret, incitaretur; erga maledicum potius beneficum se præstitit: beneficentia verò maledicus delinitus, optimè de Alexandro locutus est. Tunc rex: *Hæc mea, inquit, est potentia; vt in mea suum sit voluntate ex inimicis amicos facere.*

*Iniurias condonādi exemplum eximiū Lycurgi. & Alexandri.*

*Plutarchus in Lycurg.*

132. Sed ne in hoc Christianæ virtutis exempla desideremus, quid Leoni 3. Pontifici maximo acciderit, refert Anastasius, & ex eo Baronius: *Hadriani Pontif. cũ nepotes inuidia tabescentes ob Leonis electionem, eum ex insidijs ferino more comprehendentes in terram projecerunt, & absque vlla misericordia scindendo, & expoliando, ei crudeliter oculos euulsère; & ipsum penitus necare conati sunt; nam & lingua eius ab ipsis præcisa est. Eumdem plagis, & fustibus cadentes laniauerunt, & semiuiuum in sanguine reuolutum, tandem sub custodia reliquerunt. Contigit postea, cooperante Domino, & Beato Petro Apostolo suffragante, quod prædictus Papa cum à carnificibus in monasterium S. Gerasimi in custodiam mitteretur, & visum recepit, & linguam ad loquendum diuinitus restituta est. Sed Carolus Magnus Francorum Imperator Romam veniens post paucos dies, iussit eos, qui Papam anno superiori dehonestauerant, exhiberi, & habita decisione secundum legem Romanam, vt Majestati rei, capite damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit, & vita, & membra eis concessa sunt.* Ita à sanctis viris grauissimè læsis in vltionis detestationem talionis pœna desumitur. Quod si pro vindicta omnino desumenda quis afferat allatam Deuteronomij legem, quæ de homicida ait: *Non misereberis eius:* dicendum hoc non ipsis interfecti propinquis, sed iudicibus præcipi, quibus non licet non ignoscente propinquo pœnam remittere. *Non prohibet compassionem naturalem; sed compassionem pœnam debitam dimittentem, vel differentem contra iustitiam,* ait Lyranus. *Compatiendum quidem est reo quoad malum culpæ, & est orandum pro ipso; sed malum pœnæ est infligendum,* ait Richelius B. Franciscus Borgia Gothalaniæ Prorex, cùm reos morte mulctaret, dicere

*Baron. tom. 9. an. Domini 799*

*Iniurias condonādi exemplum eximiū Leonis Tertij Pontificis.*

*Oppositio decima ab vltoribus allata soluitur.*

A consueuit: *Membra putrida secari, vt reliqua salua permaneant. Improbos à bonis iudicibus ad mortem damnari, vt bonis inter improbos tutis esse liceret. Vitia itaque, non homines oderat. sed eorum vicem miseratus deplorabat. Cumque ad supplicium raperentur, sacrificia singulatim triginta fieri suo ære iubebat.* Ita Andreas Scottus in eius vita l. 1. c. 8. Subdit præterea citatus Deuter. textus: *Auferes innoxium sanguinem de Israel, vt benè sit tibi:* hoc est: Ex innoxij sanguinis effusione illatam iniuriam tolles; eum scilicet homicidæ morte compensans. In regijs Complutensibus, alijsque Biblijs legitur: *Auferes noxium sanguinem,* scilicet iniqui homicidæ vitam tollendo. Sed prior lectio cũ Hebræo, & Græco textu consonat.

133. Notandum denique est, quòd quamuis Deus B dicat Deut. 32. 35. *Mea est vltio, & ego retribuam in tempore,* & ad Rom. 12. *Mihi vindicta; & ego retribuam:* non ramen ex his verbis ansam accipere quis debet, vt pro suis iniurijs contra lædentem proximum à Deo expetat vltionem. Ideo August. tom. 10. ser. 4. de S. Stephano, ait: *Iudex dicis: Occide; & tortor occidit: & tu quando dicis: Occide inimicum meum; te facis iudicem, & Deum quæris esse tortorem. Respondet tibi Deus: Non ero prorsus, non ero peccatoris tortor, sed liberator; quia nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Nam si voluntatem tuam haberem, te prius occiderem, antequam inuitatus venirem. Nonne me blasphemasti? nonne me in tuis malis operibus irritasti? Nonne nomen meum de terra delere voluisti? nonne me in præceptis, vel in seruis meis contempsisti? si tunc te occi-C dissem inimicum, quem modo facerem amicum? Quid ergo malè orando doces me, quod non feci in te? Immo ergo dicit tibi Deus: Doceam te, vt imiteris me. In cruce pendens dixi: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Docui hoc milites meos; docui hoc martyres meos. Prius esto & tu martyr meus, tyro meus aduersus diabolum, aliter inuictè nullo modo pugnabis, nisi pro tuis inimicis oraueris.* Idem monet August. ser. 168. *Per Salomonem loquitur Spiritus sanctus: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Hoc loco grandi diligentia obseruandum est, ne fortè dum eum bene non intelligimus, de medicamentis nobis vulnera faciamus. Solent D enim nonnulli hoc preceptum quasi ad satiandum furorem suum assumere. Dicunt enim apud se: Ecce cibo inimicum meum, vt ardeat in æternum. Auertat Deus huiusmodi intelligentiam ab animis nostris. Sed carbones ignis congeres super caput eius. Cum enim inimico tuo pio animo frequentius beneféceris; quamlibet sit impius, & crudelis, barbarus, & cruentus; tandem tamen aliquando erubescit, & dolet & pœnitere incipit: cùm pœnitentiam cœperit agere, sensus rationis, hoc est caput ipsius incipit charitatis igne succendi. Ecce quomodo Sancti Patres hunc Scripturæ locum intelligendum esse dixerunt. Absit à sensu catholico, vt eo animo quisque boni aliquid inimico suo conetur impendere, vt eum pro hoc beneficio ve-E lit æterno incendio concremari.* Idem docet Anselmus in ep. ad Rom. cap. 12. Et Greg. l. 22. Mor. c. 11. Cum Christiani olim contra iniquos tyrannos, eorumque ministros facilè potuissent clam flammis vrbes incendendo, illatas iniurias, immanesque cædes vlcisci: nihilominus non ad incendia, sed ad charitatis ignem confugerent pro ipsis persecutoribus orando. Quare sic Ethnicos Tertullianus c. 37. Apologetici alloquitur: *Nos inimicum vulgus inuadit lapidibus, & incendijs. Ipsis Bacchanalium furijs nec mortuis parcunt Christianis; quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis iam alios, iam nec totos auellant, dissecent, distrahant. Quid tamen de tam conspiratis vnquam de notatis, de tam animatis ad mortem vsque pro injuria repensatis? Quando vel vna nox pauculis faculis largitatem vltionis posset operari; si*

*Ezech. 33. Vltionem non expetere quis debet à Deo pro iniurijs sibi illatis.*

*Prou. 25. Ad Rom. 12.*

*malum malo di pungi penes nos liceret. Sed absit, vt igni humano vindicetur diuina secta.* Vindicta enim diuino igne est exercenda, Deum exorando, vt secuatis ad pœnitentiam inimicis, eorum scelera destruantur.

Oppositio vindictæ ab vltoribus a.lata soluitur.

134. Sed dictis opponi potest, quòd videatur ex Psalmo 17. 47. colligi vindictam aduersus inimicum à Deo expeti posse; cùm ibi Dauid Deo gratias agere videatur, quòd pro eo in eius inimicos vindictam ostenderit. *Benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ: Deus, qui das vindictas mihi.* Respondetur licitum esse de vindicta ex hostibus Deo rebellibus lætari, idque non ex priuato vltionis affectu; sed eo quòd hinc Dei potentia magis elucescat; & fidelis populi liberatio proueniat. Iuxta quem sensum interpretandus est Dauid loco citato, & alibi in Psalmis: similiter Moses Ex. 15. Numer. 16. & Ieremias cap. 17. & 20. Sed quid dicendum, quòd idem Dauid contra Saulem ei priuato odio aduersarium dixit 1. Reg. 24. 14. *Vlciscatur me Dominus ex te.* Concedit Tostatus ibi Dauidem petijsse quidem à Deo vindictam contra Saulem; sed ex primo animi impetu, actuque indeliberato; & propterea asserit eum leuiter peccasse. Sed quoniam de Dauide luculentum Dei testimonium reperimus Act. 13. 22. *Inueni Dauid virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas;* & auditâ Saulis morte Dauidem illam deflesse, & punijsse homicidam; eosque, qui extinctum Saulem sepelierant commendasse legimus 2. Reg. cap. 1. & 2. ideo probabilius dicendum est Dauidem non ex priuato odio, sed ex recto iustitiæ zelo à Deo vindictam contra Saulem petijsse; vt Saulis cognitâ pœnâ, alij in posterum à persequendis innocentibus abstinerent; & Dei erga innocentes protectio videretur; & ipse tandem Saul resipisceret. Sed Dauidis mansuetudo erga persecutorem Saulem vltra modum mirabilis visa est. vt mox cum Augustino dicetur, quando oblatâ commodâ opportunitate Saulem occidendi, *Dixerunt serui Dau d ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis:*

1. Reg. 24. Potestatem hanc circa Saulem à Deo Dauidi datam, ei significatam alij putant à Nathan Propheta; alij per Gad, alij per Samuëlem; alij denique immediatè à Deo ei reuelatam. Hinc benè August. ait tom. 6. lib. contra Adimantum: *Inimicum, & persecutorem suum nimis ingratum, & nimis inf. stum Saul regem accepit Dauid in potestatem, vt ei faceret, quod vellet; & elegit parcere potius quàm occidere. Diuinitus audierat se impune facere quicquid vellet inimico; & tamen tantam potestatem ad mansuetudinem contulit. Dicatur mihi quem timuit, cùm interficere noluit? Nec hominem possumus dicere timuisse, quem acceperat in potestatem; nec Deum, qui dederat.*

*Qui Solem suum oriri facit super bonos,*
*& malos, pluit super iustos,*
*& iniustos.*

135. POst datum præceptum, post promissum præmium, vt inimicos diligamus, Dei exemplum additur; qui ipsis peccatoribus beneficia confert, cùm *Solem suum oriri faciat super bonos, & malos; & pluat super iustos, & iniustos.* Quare Christus Dominus, vt se verum Dei filium, adeoque vt amicis, & inimicis Redemptorem se beneficum exhiberet; cùm homo nasci dignatus est, Solis, & imbris similitudinem

Solis, & pluuiæ sub nomi. ne cur de Redemptore futuro vaticinium.

A dicitur expressisse, canente Ecclesia in vigilia Natiuitatis: *Orietur sicut Sol Saluator mundi, & descendet in vterum Virginis, sicut imber super gramen.* Cui consonat Isa. 45. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Inter innumerâ autem Dei beneficia tantum Solis, & pluuiæ fit mentio, quia hæc alioquin ad peccatores puniendos instrumenta esse possent; quandoquidem non multò post mundi initium perennibus imbribus vnà cum terræ orbe obruti sunt peccatores: sub finem verò mundi obscurato Sole ad iniquos puniendos diuinus Iudex descendet Matth. 24. *Sol obscurabitur, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli.* Leuit. 26. Deus ait: *Si in præceptis meis ambulaueritis, dabo vobis pluuias temporibus suis.* Vbi benè

B quærit Cyrill. Alex. lib. 16. *Si pluuia hæc tamquam remuneratio pro laboribus datur ijs, qui mandata custodiunt, quomodo & ijs, qui mandata non seruant, vna, atque eadem datur pluuia temporibus suis; pluit enim super iustos, & iniustos?* soluit dubitationem Cyrillus, asserens spiritualem pluuiam cœlestis illuminationis, & gratiæ iustis pro diuinæ legis custodia à Deo dari. Pluuia hæc miram efficacitatem habet; fit enim alba in virginibus, rubra in martyribus, Hyacinthina in Confessoribus. *Vna pluuia in vniuersum mundum descendit, & alba fit in lilijs, rubra in rosis, purpurea in hyacinthis; ac in diuersis speciebus diuersa.* Vt alibi idem Cyrillus

C ait. Spiritualem hanc pluuiam ex sua clementia neque peccatoribus ad pœnitentiam confugientibus Deus denegat; *pluitque super iustos, & iniustos.*

136. Qui argumentum hoc, quomodo Deus iustis, & iniustis beneficus sit, fusius explicatum videre vult; Senecam lib. 4. de benef. legat, qui inter cætera cap. 25. ait: *Si Deos imitaris, da etiam ingratis: nam & sceleratis Sol oritur, & pyratis maria patent.* & cap. 28. *Deus quædam in vniuersum humano generi dedit, à quibus excluditur nemo · nec enim poterat fieri, vt ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis nec poterat lex casuris imbribus dici, ne in malorum, improborumque rura defluerent.*

D Qua in re decipitur Ethnicus Philosophus; quod enim impotentiæ tribuit, diuinæ bonitati erat tribuendum: quandoquidem potest Deus etiam naturalia beneficia ita partiri, vt illorum iusti participes sint; expertes iniusti. Quamuis enim, vt hic dicitur, *Deus solem suum oriri faciat super bonos, & malos, & pluat super iustos, & iniustos:* nihilominus cùm libuit, aquæ, Solisque beneficia diuisit; aquæ quidem, cùm ex Psalm. 77. ad puniendos Ægyptios, *conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent:* & Exod 7. *Eleuans Aaron virgam, percussit aquam fluminis; quæ versa est in sanguinem, computruitque fluuius, & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis; & fuit sanguis in tota terra Ægypti.* Vbi, vt testantur Ioseph, & Tostatus, aquæ in sanguinem Ægyptijs

Solis & Aquæ omnibus commune beneficium, Deus aliquando malis negauit & bonis impertijt.

E tantùm versæ sunt, cùm Hebræis fuerint dulces, & potabiles. Similiter sicut aquæ antea Deus, ita postea solis, lucisque beneficium diuisit. Exodi 10. *Facta sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus: nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat: vbicumque aut m habitabunt filij Israel, lux erat.* Quod etiam confirmatur Sap. 17.

137. Porrò ad coërcendum vltionis affectum, æternus Pater, eiusque Filius Christus Dominus exemplo nobis sunt et alijs Scripturæ testimonijs, & primò ex Apost. ad Hebræos 12. dicente: *Mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quàm Abel,* quo in loco Christi sanguis

Vindictam clamat sanguis Abelis, sanguis Christi veniam impetrat.

melius loqui, quàm sanguis Abeli dicitur, eò quòd Abelis sanguis vindictam clamaret: nam Gen. 4. ad Cainum dicitur: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: Christi verò sanguis vindictam auerteret, & iniuriarum condonationem impetraret. Greg. 13. Moral. cap. 12. *Melius*, inquit, *loquitur sanguis Iesu, quàm Abel; quia sanguis Abel mortem fratricidæ petijt; sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetrauit.* Est autem adeò pronus Deus ad benefaciendum inimicis, adeò illi iniucunda vltio est, vt quandò sanguis vindictam clamat, vltio vsque ad mundi finem differatur: Apoc. 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum, & clamabant voce magna dicentes: Vsquequò, Domine, non vindicas sanguinem nostrum? & dictum est illis; vt requiescerent donec compleantur conserui eorum.* E contrario, quando sanguis inimicorum dilectionem efflagitat; tunc in prima mundi constitutione, multò ante quàm effundatur, id, quod poscit, impetrat. Apoc. 13. Christus Dominus dicitur *agnus occisus ab origine mundi*; eo quòd ab origine mundi hominibus Deo inimicis peccatorum remissionem impetrauerit, iuxta interpretationem Hugonis Cardinalis, & aliorum.

*Vlcisci quàm Deo sit ingratum, benefacere quàm iucundum.*

*Christus cur Agnus occisus ab origine mundi.*

138. Secundò, cùm Deus varijs calamitatibus puniret Ægyptios. Exod. 8. dicitur: *Digitus Dei est hic.* At Exod. 15. cùm celebraretur diuina beneficentia erga Israëlitas, dicitur: *Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine; sanctuarium tuum, Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Vbi, vt significetur Deum beneficentia delectari, eidem verò vltionem displicere; beneficentia vtrique Dei manui tribuitur; vltio verò à Dei tantùm digito dicitur prouenire; eò quòd res gratas vtraque manu fouemus; iniucundas verò, & fœdas vix digito tangimus.

*Vltio Dei digito tribuitur, beneficentia geminis manibus.*

139. Rursus, vt vltionem inimicorum iniucundam, & beneficentiam sibi gratam esse Deus significet; iracundiam, qua inimicos punit sub angustissima mensura coërcet: beneficentiam verò amplissimè laxat. De diuina beneficentia dicitur Psalm. 35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Qui torrens, ne temporaneus, atque exsiccandus crederetur, adiungitur, *Quoniam apud te est fons vitæ.* Contrà verò, cùm iniurias sibi illatas vlcisci vellet Deus Ezechieli 20. præcepit; *Stilla ad Africum.* Vbi Hieronymus: *Stilla*, inquit, *ad Africum; vt non tota Dei ira videatur effusa; sed stilla quædam, & pars.* Similiter de iracundia Dei dicitur Apoc. 15. *Vnum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei.* Vnde habetur Dei iracundiam non in torrentem effluere, sicut de beneficentia dicitur; sed in arctissimi vasis, qualis phiala est, angustias redigi.

*Vltio Dei sub nomine Stillæ; beneficentia sub torrentis nomine significatur.*

*Ira Dei cur intra phialas esse dicitur.*

140. 2. Ad significandum Dei iracundiam, cùm ad vindictam inimicorum excurrit diuinæ charitatis clementia coërceri, iuxta testimonium Hieronymi dicentis: *Iustitia Dei vallatur misericordia*; dicitur loco citato Dei iracundia intra auream phialam contineri: *Auri autem nomine*, inquit Gregorius. *charitas intimatur; sicut Angelum, quem sibi loqui Ioannes aspexit, ad mammillas zona aurea cinctum vidit: zonam verò auream circa mammillas habere est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius amoris vincula restringere.* Præterea ad idem significandum dicitur Zach. 14. *Egredietur Dominus, & præliabitur contra Gentes, & stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum.* Oliuarum mons misericordiæ culmen significat, *Quos per oliuam*, inquit Gregorius. *nisi misericordes accipimus; quia & Græcè ἔλεος misericordia vocatur; & quasi oliuæ liquor ante omnipotentis Dei oculos misericordiæ fructus elucet.* E contrario quando in Ægyptios vltionem meditabatur Deus, non inter oliuas, sed inter spinas in rubo ardenti se Mosi ostendit Exodi 3. Spinæ autem Dei iram significant ex Hieronymo in Is. 27. Denique, vt habetur apud Baronium anno 34. tom. 1. non alibi, quàm in monte Olïueti sua vestigia Christus cœlum ascensurus reliquit impressa; vt doceret in Oliueti monte, idest in via pacis imprimenda esse vestigia cœlum ascendere volentibus.

*In Ioan. c. 11. Ira Dei cur intra phialas aureas.*

*14. Mor. 13. Auri nomine charitas significatur.*

*Apoc. c. 1. 13.*

*Vlturus hostes Deus cur supra montem Oliuarum pedes habere dicitur.*

*In Euang. hom. 10.*

*Vestigia cur in Oliueti monte Christus reliquerit.*

141. Tertiò vindictam Deus, & indignationem temporis momento, beneficentiam verò æternitate metitur. Is. 54. *Ad punctum in modico dereliqui te; & in miserationibus magnis congregabo te: in momento indignationis abscondi faciem meam parum per à te; & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Denique quamuis tam beneficentia in iustos, quàm vindicta in peccatores à Deo proueniat; nihilominus in sacris litteris Dei ira ad puniendos inimicos dicitur ascendere; Dei verè benedictio descendere dicitur Psalm. 77. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super illos.* Contra verò diuina benedictio, ac beneficentia sub similitudine descendentis pluuiæ exprimitur Ezech. 34. *Pluuia benedictionis erunt.* & Ioëlis 2. non solùm de temporalibus, sed etiam de spiritualibus donis iuxtà Hieronymum mysticè dicitur: *Descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum*: vt significetur Deum apud se beneficentiam retinere; iram verò, & indignationem tamquam à se alienum in terræ penetralibus, veluti in carcere conclusisse; & inde eam ad peccatores puniendos ascendere. Quod quidem adeò perspicuum est, vt ipsi profani auctores fulmina vltricia Dei arma in inferis cauernis fabricari dixerint.

*Vindictam indignatus Deus momento, Misericordiam æternitate metitur.*

*Vltio, & ira cur ascendere, beneficentia cur à Deo descendere dicatur.*

142. Quartò in Gethsemani horto, cùm Petrus ad vlciscendam iniuriam Redemptori illatam seruum Pontificis Malchum in aure percussisset; adeo sui causa vltionis affectum ostensum esse Christo Domino displicuit, vt ab eodem ministro coram Pontifice alapam accipere voluerit: quo facto maluit ex alapa, quàm ex vltionis nota erubescere. *Serui nomen*, inquit Chrysostomus, *meminit Euangelista, quoniam magna res erat, non tam, quòd eum curauerit; sed etiam quòd paulò post esset ab eo alapam accepturus: & hinc ad persecutiones tolerandas voluit discipulos erudire.* Inter discipulos autem præcipuè erudiendus erat Petrus, qui percutiendo seruum vltionis affectum ostenderat. Sed, quod mirabilius est, Petrus in perfidiæ culpam negando Dominum incidere permissus est, idque in pœnam, quòd gladium ad vindictam euaginasset, & hoc quidem insinuat Bernard. serm. 58. in Cant. his verbis: *Quisquis tunc discipulorum leuaret gladium, vel ferri, vel verbi; aut ferro truncandus erat, & neminem lucraretur, nec quidpiam fructus afferret: aut certè timoris gladio ad negandum cogendus; & sic magis ipse periret; iuxta verbum Domini; quod subiunxit ita dicens: Omnis, qui accipit gladium, gladio peribit.* Quòd si tam graue supplicium subijt, nempè perfidiæ culpam. is, qui pro Domino in scelestum satellitem vindictam exercuit; quâ pœna dignus est, qui in se illatas iniurias, quas quidem vt peccator meruit, velit vlcisci?

*In Ioan. c. 18. Vltionis in detestationem alapâ à Malcho Dominus percuti voluit;*

*Vltionis ex culpa Petrus Apost. in perfidiam incidit.*

*Matth. 26.*

143. Quintò de Caino præcepit Dominus Genes. 4. *Omnis, qui occiderit Caïn, septuplum punietur.* Cum maior iniustitia sit innocentem occidere, quàm nocentem; quare Caïn, qui Abelum in-

*Vltionis ad affectum reijciendum, dicitur Caini interfector septuplum puniendus.*

nocentem occiderat, non septuplum punitus est; is verò qui Caïnum interficeret nocentem, septuplum erat puniendus? Quia scilicet Caïni interfector videbatur ex vltionis motiuo illi necem inferre; nempè vt cædem cæde mulctaret, vt Abeli sanguinem vlcisceretur; propterea hunc septuplum puniendum esse præcepit Deus. Adeò diuina bonitas vltionem iniuriæ detestatur.

144. Sextò, cùm à Dauide Psalm. 21. de Dominica passione agatur, Christus Dominus comparatur Ceruo; & propterea iuxta Hieronymum Psalmus ille: *Pro ceruo matutino* inscribitur. In eodem verò Psalm. persecutores Iudæi tauris comparantur: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Si vtriusque comparationis ratio quæratur, illa est reddenda: nimirùm quia, quamuis tam ceruus, quàm taurus cornibus armetur; nihilominus taurus ad indignationem, & ad vindictam valdè procliuis est; sed è contrario ceruus iaculis à venatore confossus non ab inimicorum sanguine vindictam, sed ab aquarum fonte medelam, solamenque sibi quærit: ad quam cerui proprietatem alluditur, cùm à Christo Domino, sub persona Dauidis ab inimicis exagitati dicitur Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.*

[Margin: ...6. in Oseam.]

[Margin: Christus cum ceruo cur persecutores Iudæi tauris comparentur]

145. Septimò, Helias 3. Regum 18. Deo in sacrificium bouem obtulit supra altare lapideum, quod lignis onustum aqua circumdedit: Prophetæ autem precibus è cœlo delapsus ignis sacrificium omne, ligna, & lapideum altare ita consumpsit, vt illa omnia magno impetu, ac violentia vorasse dicatur; aquam tamen blandè, ac suauiter lambere cœlestis ille ignis visus est. *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides; puluerem quoque, & aquam, quæ erat inaquæductu lambens*, scilicet, vt significaretur cœlestem ignem cum contrario elemento inimicitias non exercere; sed aquam lambendo veluti pacis osculo eidem conciliari: lambere enim, seu lingere, osculari hoc in loco significare potest. Sicut Psalm. 71. *Inimici eius terram lingent*, idest osculabuntur, vt communiter interpretantur. Porrò per mysterium hoc, qualis Christianæ charitatis ignis erga aduersarios esse debeat, indicatur. Cœlestis autem huius ignis mores sui Iouis fulminibus melius exoptasset Erhnicus ille, cùm cecinit: *Hos cuperem mores ignibus esse Iouis.*

[Margin: ...inimicitiæ affectum reiiciendum ignis aquam lambens ostendit.]

[Margin: ...l. 6 ep.]

146. Octauò, Charitatis ignis erga inimicos qualis esse debeat, Deus nobis exemplum præbuit. Quamuis enim Deut. 4. ad terrendum Iudaïcum populum dicatur: *Caue, ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum; quia Dominus Deus tuus ignis consumens est*: nihilominus ipsis peccatoribus, quos vltione consumere posset, frequentissimè Deus ignoscit, ad quod significandum Exod. 3. Moysi sub ignis specie apparuit in rubo, quem non comburebat: rubus autem spinosam Synagogam Deo rebellem præfigurabat iuxta Gregor. super Ezechielem hom. 7. *Quid rubus ille, nisi Iudaïcum populum designauit peccatorum suorum spinis obsitum.*

[Margin: ...icis igno... igne ru... non con... ite do...]

147. Nonò quamuis Psalm. 1. dicatur: *Beatus vir, qui fructum suum dabit in tempore suo*: nihilominus beatior vir, esse poterit, qui fructum dabit in tempore non suo. Quomodo autem id contingat, reuocemus in memoriam, quod S. Marcus de Domino ait: *Cùm vidisset à longe ficum habentem folia, venit, si quid fortè inueniret in ea: & cùm venisset ad eam, nihil inuenit præter folia; non enim erat*

[Margin: ...igno... ...uersi... ...npore ...rum ...m ...s sed ...ior.]

A *tempus ficorum. Et respondens dixit ei: Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Hinc Apostoli *Viderunt ficum aridam factam à radicibus.* Vbi benè Caietanus ait: *Iesus exercuit actum quærentis fructum in ficulnea; non quòd dubitaret, aut crederet esse in ea fructum (cùm non esset tempus) sed quia id, vt parabola exercebatur. Quare sicut Iesus verba metaphorica dicebat proponendo parabolas; ita modo factis vsus est metaphoricè.* Quid autem parabola hæc exercitè proposita significet, benè explicat Orig. tract. 16 in Matth. *Si non erat tempus ficuum, quomodo venit Iesus, quasi inuenturus aliquid in ea? Respondemus: Numerati ab Apostolo ad Gal. 5. Fructus Spiritus sancti sunt Charitas, gaudium, pax. patientia, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Hi omnes aliquando in tempore suo reddantur. Melius autem est, quando circumstantibus aduersarijs, & prouocantibus ad non fructificandum potuerit aliquis proferre fructus Spiritus sancti. Vnus de fructibus Spiritus sancti Charitas est: huius tempus est, quando non est difficile reddere fructum charitatis, & diligere diligentem. Si quis autem excitetur ad odium, & insidias patiatur, & diligat insidiantem sibi tamquàm filius eius, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; non in tempore suo fructum dans charitatis, beatus est*: immò beatior, cùm tantum supernaturale motiuum habeat diuino mandato obediendi. S. Thom. in 3. sent. dist. 30. quæst. 1. a. 3. quærit, an maioris meriti sit diligere amicum, an inimicum? & respondet: *Si comparemus dilectionem ad obiectum; cum obiectum magis competens dilectioni sit amicus, quàm inimicus; melius est diligere amicum, quàm inimicum. Si verò comparemus dilectionem ad voluntatem; vbi est major conatus voluntatis, ibi oportet esse majus meritum; quia quantò est major conatus voluntatis, tantò est feruentior voluntas de fine, propter quem attentat illud, quod secundùm se est sibi magis repugnans: quamuis sit magis remissa, quandoque circa id, ad quod magis conatur.* Sæpè tamen ex inimici dilectione intensior charitas arguitur: modicus enim ignis tantùm ad proxima se extendit; vehementior verò ad remota: similiter cuiuspiam charitas, si non solùm ad amicos amicitia sibi coniunctos; sed etiam ad inimicos animi auersione remotos extendatur; hinc benè intensior, & efficacior esse arguitur. Ex tali charitate. *Pacem ei, qui longè est, & qui prope* habeamus, vt dicitur Isayæ 57. 19.

[Margin: Inimici, quàm amici dilectio, quamuis remissior, magis meritoria esse potest.]

148. Sed ad Domini verba redeamus: *Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos.* Poma ex primo alimento, quod per radices è terra attrahit, acerba, & amara prodeunt: eadem tamen dulcia, & gustui iucunda Sol, & pluuia reddunt. Ideo ad inimicorum dilectionem Sol, & pluuia nobis proponitur, vt Solis, & pluuiæ imitatores discamus acerbos inimicorum affectus per charitatem, & assiduam orationem ex acerbis reddere planè mites.

[Margin: Sol, & imber Poma acerba ... dulcia reddunt ... le præstat inimici dilectio.]

149. Augustinus hom. 59. de tempore quærit, de quo sole hîc sermo sit; de sole ne materiali, non solùm hominum, sed pecorum etiam oculis communi; an de spirituali sole, nempè de Christo, quem Malachias cap. 4. *solem iustitiæ* appellauit? Respondet August. vtrumque benè posse intelligi. *Bonis, ait, & malis euangelizatus est Christus: cur ergo inter æternos cruciatus iniqui vociferantur: Iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non ortus est nobis? Mendaces profectò sunt; ipsi enim in bestiarum morem ab oriente diuino sole se retraxerunt iuxta Psalmi 103. verba: Ortus est sol, & congregati sunt & in cubilibus suis collocabuntur.* De iisdem cecinit Dauid Psal. 57. *Supercecidit ignis (ignis quidem Gehen-*

[Margin: Sol non solùm materialis, sed ... bonis, & malis. ...ap. 5.]

næ) *& non viderunt Solem*; nempe ipsorum culpa, non solis defectu. Quare huiusmodi homines ex Chaldæo Paraphraste hoc in loco satis apposité Talpæ vocantur; quarum bestiolarum imperfectione fit, vt ipso meridie irradiantem solem non videant, eò quòd cæcæ sint, & insuper se intra terræ latebras obruant.

Talpæ cur peccatores dicantur
Plin. l. 9. c. 7. & l. 10. c. 1.

*Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonnè & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonnè & Ethnici hoc faciunt?*

150. Inimicos diligere omnium est; inimicos autem solorum Christianorum, ait Tertullianus lib. ad Scapul. Homo peccans, sicut supernaturalem imaginem Dei, quam per gratiam exprimebat, amisit; ita per peccatum, bestiarum similitudinem subijt; sed diligendo inimicos iterùm Dei imaginem acquirit: filius enim est patris imago; diligens verò inimicos filius Dei fit, vt supra ostendimus: contra verò diligens tantùm beneficos, & amicos, non solùm ab Ethnicorum, sed etiam à bestiarum similitudine non recedit, teste Augustino: *Filios, & parentes amat latro; amat & leo; amat & draco; amant & vrsi; amant & lupi: si amantibus vicem reddimus, adhuc nihil ab istis bestijs distare videmur.* Quantò nobilior pictor est inimicorum amor, quàm amicorum? iste sanguinis propensione, veluti penicillo bestiarum, pingit imaginem; ille verò celesti minio diuinam effigiem exprimit.

Amicos solùm diligens non Ethnicis, non bestijs dissimilis.
Hom. 59. de tempore.
Pictor melior inimicorum amor, quàm amicorum.

151. Porrò Christianæ legis professores, qui iniuriæ semper memores, & inimicis infensi, amicos tantùm diligunt, non solùm bestijs comparantur; sed illis peiores se ostendunt. Elephantorum tanta est ferocia, vt teste Plinio l. 8. cap. 9. *Magna ex parte Orientis bella conficiant, prosternant acies, proterant armatos.* Nihilominus ex eodem Plin. cap. 7. *celerrimè mitificantur hordei succo.* Iudicum 7. Subcinericius panis ex hordeo visus in castra Madian descendere, eaque subuertere iuxta sacros interpretes sanctissimam Eucharistiam mysticè significabat, qua diaboli vis omnis euertitur. Qui ex Christiana lege cælesti hoc pane vescitur, & amicum tantùm diligens, inimico se impacatum, & immitem exhibet, vtique immani Elephantis ferocia se magis efferatum ostendit. Ideo de Eucharistica mensa iuxta Chrysost. Ambrosium, August. & alios, prophetice Dauid dixit Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*: ne scilicet eorum iniurijs in prauum vltionis affectum inducar. *Læsit te quispiam, aut contumelia insectatus est; Deum precare, vt illi reconcilietur, & parcat. Frater enim est, tuum est membrum; eodem, quo tu partu genitus, ad eamdem vocatus est mensam.* nempè Eucharisticam, ait Chrysost. hom. de laudibus Dei. *Si quid aduersus fratrem tuum habes, vel ipse aduersus te, nec orationes tuæ exaudientur, neque Eucharistia recipientur propter subjectam iracundiam*, ait S. Clemens Rom. lib. 2. cap. 57. Sicut optimus cibus si veneno immisceatur, valdè noxius, non proficuus est: sic cœlestis Eucharistiæ cibus, si cum iracundiæ veneno desumatur, sumenti noxius redditur.

Elephantis ferocia hordei succo mitigatur. Cœlesti electorum frumento, nempè Eucharistia Christianum cor mansuefieri debet.

152. Sed cur præ carnalibus amicis sint magis inimici diligendi, motiuum aliud additur: nam amici plus boni à nobis auferunt, quàm afferunt: contrà verò inimici bonum maius afferunt, maius auferunt. August. serm. 59. de tempore: *Qui inimici sunt, corpori aduersantur, & animæ præparant æterna præmia: quia qui carnalia nostra, & terrena rapiunt, cœlestia nobis, & spiritualia congregant: amici verò carnis nostræ nobis suauia suadere contendunt, quæ animæ nostræ præparant æternam mortem.*

Inimici profunt, amici sæpè obsunt.

153. Si Christiani viri virtus præ Ethnicorum virtute excellere debet, quod imperante Tiberio de Mario homine Ethnico Romana historia refert, iusti pudoris notam Christianis animis debet inurere. Marius cum à propinquarum ædium incola iniuriam accepisset, eum ad se accersitum biduo perhumaniter domi suæ detinuit: interim primo die illius ædes diruit, posteriori verò multò superbiores, magisque magnificas excitauit; post biduum Marij hospes cùm suam domum reuiseret, & rei nouitate miraretur: Tuas ædes, inquit Marius, tamquàm non amicus demolitus sum; easdem tamquàm amicus restitui meliores. Profectò iuxta Habacuc verba, illarum ædium *lapis de pariete clamabit; & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit*; Vt indignabundo dialogo Christianorum inimicitias execrentur. Seneca licèt Ethnicus, egregiè contra inimicorum vindictam disserit libro 1. de ira cap. 32.

Marij Romani erga inimicum exemplū eximium;
Dion. l. 17. aliique historici.
Cap. 2.

*Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.*

154. Cœlestem patrem imitantes, paterno affectu delinquentem in nos proximum respicere debemus. Si infantulus, dum à parente in vlnis fertur, eius faciem cæderet; non proindè parentem ad indignationem moueret: simili modo persecutor à Christiano habendus est. *Quemadmodum in infantibus pueris*, inquit Chrysost. *cùm is, qui à patre portatur, infantulus, patris ceciderit faciem, nihil ex hoc obtundetur dilectionis affectus: ita & nos cum ab his, qui extra sunt, cædimur, nihil ex priori beneuolentia remittere omninò debemus.* Ibidem Chrysost. in eandem sententiam egregia plurima addit. Plura pro paterna dilectione contra iram, & vindictam idem scribit hom. 23. & hom. 25. & 27. in epist. ad Rom. & hom. 27. in Genes. tom. 5. sermone *Diligamus omnes etiam persequentes.* ibidem serm. *Benedicamus maledicentibus*: Basil. hom. 24. de legendis libris Gentilium; & oratione 9. de inimicis. August. tom. 10. serm. 167. 168. 169. 170. de dilectione inimici: Præterea epist. 5. & primo de Ciuit. cap. 6. & de serm. in monte cap 36. 37. Nazianz. or. 2. de pace, & orat. 2. contra Iul. Gregor. hom. 35. in Euang. Cyprian. de bono patientiæ: Ambrosius epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem, S. Dorotheus serm. 8. de iniuriarum memoria non habenda.

Pater suo ab infantulo cæsus non irascitur, nec nos contra inimicum.
Hom. 6. in ep. ad Tim.

155. Ad extremum, quòd cœlestis Patris imitatio ad inimicum diligendum, iniuriasque condonandas impossibilis non sit, benè probat Basilius quæst. 176. ex breuioribus dicens: *Neque præcepisset bonus ille, & iustus; si non possibilitatem largitus esset.* Idem alij SS. PP. docent: Chrysost. hom. 78. in Matth. Hieronymus in Matth. cap. 5. & 3. contra Pelagium; August. serm. 61. & 191. de tempore, & serm. 5. de Sanctis: & lib. 1 de peccatorum meritis cap. 3. & 6. Sed quomodo ex Christiana lege erga aduersarios nos gerere debeamus, difficultatem maximam ijs, qui inter mundi tumultus viuunt, affert, quod Apost. ad Rom. 12. monet: *Nos vos defendentes charissimi; sed date locum iræ.* Quid ergo Christiano homini faciendum est, cum ab iniurio aduersario, vt aliquid gladio definiatur, ad duellum prouocatur? An

Duello prouocatus quomodo sine mortis nota suum ac honorem tuendum gerere se debeat Christianus.

suum ius, & honorem, qui multis præ vita carior esse solet, defendere non debet, certamen vilis timoris nota recusando? Respondet Sanchez tom. 1. Summæ l. 2. cap. 39. num. 11. Prouocato ad duellum licere sic respondere prouocanti: *Paratus sum ad me defendendum, quandocumque me inuaseris: nolo tamen duellum acceptare, eò quòd legi diuinæ aduersetur.* Huius rationem affert, quia paratum esse ad se defendendum vacat culpa. Idem docet Valentia 2.2. disp. 3. quæst. 17. puncto primo. Bagnes 2.2 quæst. 40. art 1. & quæst. 64. art. 7. dub. 3. ad 3. Huiusmodi autem responso nullam timoris notam subit; cùm non vno condicto duelli loco, & tempore; sed vbique, & quocumque tempore ad se gladio defendendum paratum esse dicat. Comes Iulius Landus Placentinus l. 2. actionum moralium quinque duelli genera distinguit; eaque omnia virtuti veræque fortitudini contraria esse docet. Roterus Longobardorum Rex *consuetudinem impiam* duellum vocat. Federicus Imperator consuetudinem ream, à ratione, & æquitate aberrantem. Duellum inter alios inuexit militum acies cognomento Sancti Georgij; Draconis potius dicenda fuisset. S. Antoninus aciem illam potius latronum dictam esse refert; cum in eam scelesti plurimi, & prædones in Italiæ perniciem confluxerint. Theodoricus apud Cassiodorum lib. 3. ep. 24. Vniuersis barbaris, & Romanis in Pannoniam scribens, ait: *Illud vos credimus admonendos, vt non in vos, sed in hostem sæuire cupiatis. Cur ad Monomachiam recurritis? Deponite ferrum, qui non habetis inimicum. Pessimè contra parentes erigitis brachium, pro quibus constat gloriosè moriendum. Vnde pax esse creditur, si sub ciuilitate pugnetur? Imitamini Gothos nostros, qui foris prælia, intus norunt exercere modestiam.* Illud præter ea Christianis duello dimicantibus injicere ruborem debet, quod Liuius Decade 3. lib. 5. scribit: *Crispino Badius Campanus hospes fuerat perfamiliari hospitio iunctus ante defectionem Campanam; post quam Badius progressus ante stationes, quæ pro portâ stabant, euocari Crispinum iussit. Quod vbi est Crispino nunciatum, ratus colloquium amicum, ac familiare quæri, manente memoria, etiam in dissidio publicorum fœderum priuati iuris, paulùm à cæteris processit. Postquam in conspectum venere: Prouoco te, inquit, ad pugnam, Crispine, Badius; conscendamus equos, submotisque alys, vter bello melior sit, decernamus. Ad ea Crispinus, nec sibi, nec illi ait hostes deesse, in quibus virtutem ostendant: se ab eo, etiam si in acie occurrat, declinaturum; ne hospitali cæde dextram violet; conuersusque abibat.* Si Ethnico tanti momenti fuit ad duellum rejiciendum materialis domicilij hospitium: quantò maioris ponderis Christiano esse debet, ne cum alio congrediatur; in quo commune sanctissimum eiusdem Christianæ Ecclesiæ hospitium habet?

Duelli genera quinque, omnia vera fortitudini contraria.

Duelli conse[n]sudo impia vocatur.

Duellum homines pestiferi inuexerunt.

Theodoricus Rex duellum damnat suorum Gothorum exemplo.

Duellum recusantis Ethnici exemplum eximium.

156. Sed vt ad Apostoli verba redeamus: *Non vos defendentes, charissimi*: ijs non iusta defensio, sed vltio prohibetur, ex Græco enim textu legitur; *Non vos vindicantes*, & ita legit Chrysostomus. Similiter Tertullianus lib. 2. cap. Marcionem legit: *Non vos vlciscentes.* Sic Iudith cap. 1. *Nabuchodonosor iurauit, quòd defenderet se de omnibus regionibus*, id est vlcisceretur. Ibidem cap. 9. Iudith dixit: *Domine Deus, qui dedisti gladium in defensione alienigenarum*, id est vltionem iuxta Græcum textum. Notandum tamen est Christianæ perfectionis esse, vt defensio potius excipiendis, quàm infligendis ictibus fiat. Ad quod iudicandum Cant. 4. Fideli animæ dicitur; *Sicut turris Dauid collum tuum: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Spiritualiter fortium armatura omnis, non in hastis, non in gladijs, non in iaculis, quibus ictus infliguntur; sed tantùm in clypeis, quibus ictus excipiuntur, sita esse verissimè dicitur. Cum aduersus iniurias Christianæ tolerantiæ clypeum opponemus, efficiet Deus, vt iniquè aduersarij in piam tolerantiam mentis oculos intendentes, confundantur, & omnino victi recedant. Ad quod mysticè indicandum legitur: *Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis; & fortitudo Gentium dissipata est.* Ecclesia ex 1. Machab. cap. 6. 39. Psalm. 17. 3. vbi Deo dicitur: *Dedisti mihi protectionem salutis tuæ.* ex Hebræo, & Græco textu legitur: *Dedisti mihi clypeum Saluatorem meum.* Ideò benè S. Bernardus serm. 22. in Cant. docet, Christi Saluatoris nostri passionum, si piè, & attentè ruminetur, esse singulare munimen ad tolerandas quaslibet iniurias, probra, irrisiones, contradictiones, vilipensiones, & molestias. Benè ergo citato Psalmo ex Hebræo subditur: *Et mansuetudo tua multiplicauit me*: Christi enim mansuetudo, quam semper toto suæ passionis tempore ostendit, robur nostrum, vt patienter aduersa toleremus, eximiè auget. De Christi Domini in cruce erga persecutores clementia egregiè disserit P. Bartholomæus Riccius tract. 5. meditationis par. 2. cap. 2.

Defensio in[...]dum signi[...] vltio[...] & iuxta [...]c, & non [...]ta pro[...]um signi[...]um prohi[...]ur.

Defensio potius Clypeo, quàm gladio facienda.

Passio Christi munimen ad tolerandas iniurias.

*Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.*

157. Qvamuis iustitiæ nomine interdum eleemosyna intelligatur; eo quod præcipuum iusti, adeoque misericordis opus sit: ideoque Psalm. 111. dicitur: *Dispersit, dedit pauperibus; iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Nihilominus censeo hic Hebræorum more vsurpantium abstractum pro concreto, sub iustitiæ nomine significari quodlibet opus iustum; siue eleemosyna sit, siue oratio, siue ieiunium; de quibus omnibus hoc cap. Dominus loquitur. Monet ergo Dominus huiusmodi opera nunquam praua intentione captandi apud homines gloriam esse exercenda. Bona enim opera, tantùm abest, vt alienis oculis sint ostendenda, vt illa etiam proprijs oculis iusti occultare studeant. Gregor. in illa Iob verba cap. 31. *Si vidi Solem, cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè*, ait: *Sol in fulgore est bonum opus in manifestatione. Post premissum solem aptè quoque incedentem clarè lunam subdit: quia post opus bonum fama laudabilis sequitur, per quam celebre nomen in hac presentis vita nocte possidetur. Si enim verum est illustrationem lunam per occultum circulum à radio solis accipere; Fama quoque à bono opere vires accipit; & fauoris gratiam, quasi claritatem luminis aspergit. Habent proprium sancti viri, vt bona quidem, quæ agunt, videant; & tamen; cum peregerint, ab eorum memoria oculos auertant. Vnde rectè per Beatum Iob dicitur: Si vidi Solem, cùm fulgeret; ac si apertè dicat: Opus meum, etiam cum alys exemplorum lucem tribueret, ad præsumptionis gratiam non attendi: quia dùm de eo extolli timui, ab intuendo eo oculos auerti. Eum verò, quem ad opus bonum laudis amor prouocat, concupita fama quasi luna attingit. Plerumque si famæ nostræ laudibus inhiamus, à virtute vacuamur; quia dum delectatur animus in hoc quod de se extrinsecus habere considerat, illud obliuiscitur, ad quod introrsum censebatur; nempè ad gratiam, & meritum apud Deum consequendum. Vnde Lunam; neque in lunam incedentem clarè oculis spectasse, se cecidisse iustus Iob desectatur.*

Iustitiæ nomine eleemosyna significatur: idem n. 147. & 183. 220.

Gregor. 22. mor c 6 & 7.

Abstractum pro concreto Hebræi vsurpant.

Fama honorifica ceu luna mutabilis: ideoque non ambienda.

158. Iustus bene operans, cùm neque in seipsum bene operantem, neque in alios suorum operum testes, sed in Deum mentis oculos intendit, habet inde motiuum potiùs se humiliter demittendi, quàm superbè eleuandi. Iob cap. 9.31. Deum alloquens ait: *Sordibus intinges me.* Vbi benè Greg. ait: *Deus non sordibus intingere dicitur, sed intinctos sordibus demonstrare. Quia quantùm ad illum verius per bona opera surgimus, tantò subtilius vitæ nostræ sordes agnoscimus; quibus ab eius munditia discordamus. Ait ergo: Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ; tamen sordibus intinges me. Ac si apertè dicat: Quamuis lamentis supernæ compunctionis infundar; quamuis per studia rectæ operationis exercear, in tua tamen munditia video, quia mundus non sum.*

Sordibus intingere Deus homines quomodo dicatur. Greg. 1. 9 mor. c. 15. vel 18.

## *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

159. DE ijs, qui non recta intentione Deo placendi, sed hominibus, vt ab eis gloriam captent, dicitur Psalm. 52. *Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent.* Similiter Iob 33.19. *Omnia ossa eius marcescere facit.* Vbi Greg. ait: *Ossa in Scriptura sacra virtutes accipimus, sicut scriptum est: Dominus custodit omnia ossa eorum; vnum ex his non conteretur: quod vtique non de ossibus corporis, sed de viribus dicitur mentis. Nam certè nouimus, quod multorum martyrum corporaliter ossa confracta sunt: & persecutores Domini, latronis illius, cui dictum est: Hodie mecum eris in Paradiso; sicut latronis alterius, in cruce crura fregerunt.* Virtutes ergo ossium nomine significatæ marcescere, & dissipari dicuntur in ijs; qui non Deo, sed hominibus placentes inanem gloriam captant, quia fictæ virtutis opera diuinæ gratiæ mercedem non assequuntur. Auicenna lib. 1. Fen. 2. doctrina 3. cap. 9. docet flatus in animalium vacuis ossibus inclusus interdum erumpentes ea frangere. Non dissimiliter inanis gloriæ, veluti noxius flatus virtutis robur omne eneruat, ac dissipat.

Greg. 13. mor c. 14. Psalm 33. Ossa virtutes significant. Lucæ 23.43.

160. Sanctus Hilarius citato Psalm. ait: *Spes æternitatis in ossibus significari solet: ex quo dictum est: Hoc nunc os ex ossibus meis. Quod B. Apostolus, quia magnum mysterium est, ad Christum, & ad Ecclesiam refert, quæ ex Ada sui, nempe Christi æternitate æternitatis substantiam mutuauit. Os in Domini vulnerato corpore, confixoque non frangitur: Os eius non conteretur. Quia cum fuerit iniquis ius passionis in carne; in æternam tamen Diuinitatem, & impassibilem naturam nihil licuit passioni. Integram, & incorruptam spem æternitatis significari in ossibus etiam illic meminimus, vbi dicitur: Custodit Dominus omnia ossa eorum; vnum ex his non conteretur*: quia scilicet per resurrectionem sunt viuificanda, iuxta Ezech. vaticinium cap. 37. *Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis.* Quia ergo humanam gloriam captando, non Deo, sed hominibus placere studentes in mundi fine non *procedent in resurrectionem vitæ, sed in resurrectionem iudicij*; ideo à Dauide dicuntur, *dissipanda ossa eorum, qui hominibus placent*: ideo ijsdem hîc à Domino dicitur: *Mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est*: mercedem scilicet in æternam vitam resurgendo. Sicut enim ijs, qui ob Dei gloriam ab hominibus opprobria tolerauerint, dicitur Lucæ 6. *Merces vestra multa est in cælo*: ita è contrario despicientibus diuinam gloriam, & humanam captantibus meritò dicitur: *Mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Genesis c. 22. Ad Eph. c. Ossa non frangenda certam æternitatis spem significant. Numer. 9. Psalm. 33.21. Ioan. 5. 29.

161. Circa studium hominibus placendi duas sententias Apostolus protulit, quæ inuicem aduersari videntur. Ad Galatas cap. 1. *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem*: ad Cor. 1. cap. 10. *Ego per omnia omnibus placeo.* Respondet S. Anselmus: *Apostolus non quærebat hominibus placere, quia non hoc in suis operibus intendebat, vt ipse laudaretur ab hominibus; sed vt per ea, quæ faciebat, glorificaretur Deus. Quisquis enim se apud homines iactat, & ita ventilat bona opera sua, vt finem eorum in laude hominum ponat; eamdem laudem hominum, quasi mercedem computet operum suorum, nec dum Christi seruus est. Quisquis verò bona, quæ facit, aut loquitur, ideo placere cupit hominibus, vt eos ad imitationem bonæ conuersationis trahat, vel ad Dei laudem corda eorum accendat, non hominibus quærit placere, sed Deo. Hoc etenim modo Paulus placebat hominibus, qui se per omnia omnibus placere testatur.* Similiter S. Hieronymus: *Si fieri potest, vt pariter Deo, & hominibus placeamus; placendum est & hominibus. Sin autem aliter non placemus hominibus, nisi Deo displiceamus, Deo magis, quàm hominibus placere debemus.* S. Augustinus ibidem: *Homo non placet vtiliter, nisi cùm propter Deum placet; idest, vt Deus placeat, & glorificetur; cum dona eius attenduntur in homine; aut per ministerium hominis accipiuntur. Cum autem sic placet homo; non iam homo, sed Deus placet.* Idem August. tom. 9. lib. de ouibus cap. 9. *Ille laudetur, qui te fecit bonum; si bonus es; non tu, qui per teipsum non poteras esse nisi malus.* Ibi fusè Augustinus tum allatas Apostoli sententias; tum Domini verba Matth. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*: Et in præsenti Euangelio: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*; inuicem non repugnare ostendit; eo quod diuersus finis Matth. 5. præcipiatur; & diuersus hîc Matth. 6. prohibeatur. Cùm ergo consequitur Dei gloria, bona opera videantur; cùm ex ijs gloria propria prouenit, occultentur. Gloriæ quidem cupidos vult nos esse Deus; gloriæ tamen non inanis, sed plenæ, & solidæ. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*, monet Apost. Huiusmodi est mundana gloria; tumida quidem, & & inflata; non tamen solida. Contra verò, vt ait Hieronymus; *Plenæ gloriæ cupidi sunt, qui gloriam Dei desiderant, & laudem virtute condignam*; à Deo, & Angelis, non ab hominibus exoptandam. Ad quam gloriam plenum gaudium consequitur; de quo loquitur Dominus Ioan. 15. 11. *Gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.*

Hominibus quomodo placendum, & non placendum. Anselm. in ep. ad Galat. vel Herueus. Gloriæ inanis & plenæ discrimen. Hieron. in ep. ad Galatas c. 5. August ibid. Ad Galat. 5. 26.

162. Apud SS. PP. Basilium in Hexam. hom. 8. Chrysostomum in Psal. 110. & in Matth. hom. 17. Hieronymum in cap. 3. Ezech. Ambrosium lib. 6. Hex. cap. 21. Paulinum epist. 21. legitur Prouerbiorum 6. *Vade ad apem, & disce quomodo operaria est; operationem quoque, quàm venerabilem facit.* Quod autem ab ape discere debemus, est bona opera occultare, ne eorum fructu ab inani laude priuemur. Apis enim operatio à Salomone venerabilis dicitur per metonymiam; eo quòd apis mellificatio abdita sit, & planè secreta; & propterea ad eam, veluti ad aliquid arcanum, & oculis inaccessum veneratio consequatur. Ideo B. Antiochus monet: *Vir prudens thesaurum, suæ virtutis laborem occulit, & recondit: ingeniosam, & solertem imitatur apiculam; quos* externè

Apes mellificum occultant: homines inani gloriæ bona opera non exponant. Antiochus tom. 7. Biblior. hom. 41. de inani gloria.

*externè selegerit flores, defert in aluearium; internè mellificium, fauumque operosius conficit. Ne labores tuos humanæ gloriolæ exponas.* Memoriæ proditum est, curiosum quemdam ex vitro pellucidum aluearium conflasse, vt foris adstans in eo oculatim mellificandi modum intueri posset. Frustrata tamen est eius industria; cùm apes innato suos labores occultandi studio, aluearium vndique bitumine obliniuerint. Quare, si iuxta Salomonis monitum apes magistras habebimus, per humilem meditationem nostræ mortalitatis limo cor nostrum oblinemus; ne inanis gloriæ cupidi humanis oculis Christianæ virtutis opera exponamus. Aristotelis lib. 3. de generat. animalium cap. 10. nimis exaggeratè pronunciauit apes aliquid diuinitatis habere. Nihilominùs citra exaggerationem, Diuinitatis per diuinam gratiam participationem habebimus, si virtutum mellificium humanis oculis ad gloriam captandam non detegemus.

163. Pia anima veluti aromatum cella esse debet; vbi ex virtutum actibus, veluti ex aromatibus variis bonus Christi odor afflatur. Ideo cauere debet, ne in Ezechiæ erratum incidat; qui, vt legitur Isaiæ 39. Alienigenis Babyloniis *ostendit cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi; & vniuersa, quæ inuenta sunt in thesauris suis.* Propterea ea omnia à Babyloniis rapienda esse ab Isaia audiit: *Auferentur omnia, quæ in domo tua sunt in Babylonem.* Hoc Ezechiæ exemplum, ne ad inanem gloriam bona opera aliis ostentemus, B. Antiochus proponit: *Rex Ezechias hominum gloriam quasi quadam venantiuncula captans, ac profusiore gaudio victus, suos omnes thesauros Chaldæis visendos explicuit. Et ecce in vestigio misit Dominus Isaiam, qui diceret: Ecce dies venient, & sument, quæ viderunt omnia in Babylonem. Ezechias*, ait Beda, *ostentans thesauros suos significat seruum Dei, dum virtutes suas vana gloriæ prodiderit, mox eas perdere; & in dæmonum dominium thesauros bonorum operum infelici permutatione transire.* Vide Gregor. 8. Mor. cap. 36. 37. & 38.

164. Quàm amens esset, qui prædoni, vel hosti pecuniam solueret, vt ab eo ingenti thesauro priuaretur! Talis est, qui ob inanem gloriam eleemosynam erogat: Largitur enim, vt spiritualium bonorum thesauro priuetur. Nam, vt ait S. Basilius lib. Constit. Monasticarum c. 10. *Merito, & iure à diuinis retributionibus excidimus, non Deo laborantes, sed hominibus, detrimentum mercedis pro mercede ferentes. Fugiamus ergo inanem gloriam, dulcem spiritualium diuitiarum prædonem, iucundum animarum nostrarum hostem, virtutum vermem, bona nostra deprædantem.* Inanis gloria vento comparatur, iuxta illud Oseæ 12. De inanis gloriæ cupido, *Ephraim pascit ventum.* Ideo tamquam rapidus ventus ex infernis cauernis erumpens *inanis gloria*, teste Basilio, *nostræ salutis insidiatrix, vbi viderit pietatis mercatorem omnibus virtutum mercibus onerariam mentis nauim impleuisse, tunc commotis sua procella euertere, ac submergere nauim conatur.*

165. Leuit. 19. 23. Israëlitis à Deo præcipitur: *Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum.* Hoc est, resecabitis erumpentes gemmas, ne in flores, frondes, & fructus non bonos excrescant. *Poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.* Huius mandati, iuxta mysticum sensum rationem reddit Gregor. 8. Mor. c. 28. vel 35. dicens: *Ligna pomifera sunt opera virtutibus fœcunda. Præputia itaque lignorum auferimus, cum de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus. Poma autem, quæ germinant, immunda ducimus, nostrisque esibus non optamus: quia cùm primordia laudantur boni operis, dignum est, vt hoc animum non pascat operantis; ne dum accepta laus suauiter carpitur, fructus operis intempestiui comedatur. Qui ergo inchoatæ virtutis ab humano ore laudem receperit, quasi plantati ligni ante tempus pomum comedit.* Contra inanem gloriam egregiè scribit Augustinus 5. de Ciuit. c. 14. & 20. De quo etiam plura diximus Feria 4. Cinerum.

*Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus.*

167. QVæritur hîc, cur cùm antea de inimicorum dilectione Dominus egisset, trãsiit deinde ad eleemosynam. Respondetur eò quòd, qui patienter perfert iniuriam, eleemosynam danti sit similis. Audi Chrysostomum hom. de Dauide, & Saüle: *Quare non vis cum inimico redire in gratiam? pecunias eripuit? Sed si fortiter perferas rapinam, tantumdem accipies mercedis, ac si eas in manus pauperum reposuisses. Siquidem, qui dedit egenis, & qui aliena vsurpanti neque parat insidias, neque male precatur, ambo propter Deum id faciunt: proindè cùm impendij causa sit eadem, perspicuum est vnam, eamdémque fore coronam.* Similiter August. in Enchiridio c. 72. *Non solùm, qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro, vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subuectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium; & quod cuique necessarium est indigenti, verum etiam & qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat. Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus, adiuuamur, vt dimittantur nobis nostra peccata. Sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit. Minus enim magnum est erga eum esse beneuolum, siue beneficum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multò grandius, & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoque inimicum diligas; & ei, qui tibi malum vult, & si potest, facit; tu bonum semper velis, faciasque, cùm possis. Quem lateat Euangelij auditorem, siue lectorem, quis dixerit: Ego sum veritas. Qui cùm docuisset orationem, hanc in ea positam sententiam vehementer commendauit dicens: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater vester cælestis debita vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Ad tam magnum tonitruum, qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est. Huius tonitrui ictum vindictæ cupidus sentiet, quando, Sicut fulgor exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem; ita erit & aduentus filij hominis.*

167. *Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere, &c.* Antiquitùs consuetum est ad pauperes conuocandos statis horis tuba canere; idque ne pauperes ab vtili labore, & opere distracti per vrbem vagari cogerentur, & obuiis quibusque molesti forent. Quam laudabilem consuetudinem hypocritæ peruertentes, præuio tubæ sonitu, vt à spectatoribus pij, liberales, & misericordes haberentur, eleemosynas erogabant. Quare benè

Iniurias condonare species eleemosynæ est.

Idem August. cap. 73.

August. cap. 74. 30. 4. 6.

Matth. 6. 14.

Matth. 24. 27.

Inanem gloriam captans vento virtute pascitur, neque non refrigeratur, sed cum totus puluis sit, talis vento dispergitur.

iis aptari poterat illud Prouerb. 17. 23. *Munera de sinu impius accepit, vt peruertat semitas iudicij*, seu, vt Septuaginta legunt, *semitas iustitiæ*. Iustitiæ autem nomine in hoc Euangelio eleemosynam intelligit Chrysostomus. Hinc peruersi hypocritæ, dum pauperibus cibum ministrabant, inanis se gloriæ vento pascebant; iuxta illud Oseæ 12. *Ephraim pascit ventum*, seu clarius ex Hebræo: *Ephraim pascitur vento; & sequitur æstum*: ex S. Hieronymo: *Et sequitur Notum ventum vrentem.* Hic ventus vrens est ille, qui in humano corde bonorum operum fructus arefaciendo inutiles reddit, & marcidos, *Ventus vrens siccauit fructum eius*, dicitur Ezech. 19. 12. Quod si hypocrita vento pascitur, & ventum vrentem sequitur; ex huiusmodi inani, ventosoque cibo non modo non nutritur, sed nec refrigeratur: immo, quod peius est, dispergitur, & dissipatur: Ephraim enim ex Hebræo, puluerulentus interpretatur. Hypocrita ergo inanis gloriæ ventum sequens, cum totus terreus, & puluis sit, vnà cum suis operibus sine vllo meriti fructu; immo plurimo cum animæ damno, inaniter dissipatur. Quare cum hypocritæ ad inanem gloriam captandam tuba canunt, suorumque operum buccinatores sunt, bene de iis dici potest: *Periit memoria eorum cum sonitu.* Non enim, vt Ecclesiastici 44. dicitur: *Sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt*; seu ex Græco textu, *Oblivioni non sunt tradita apud Deum.* Benè etiam de hypocrita dici potest: *Mentietur opus oliuæ. Quos per oliuam, nisi misericordes accipimus?* ait Gregorius. *Oliuæ fructus charitatem significat*, ait Augustinus. Misericordiæ, & charitatis opus mentitur hypocrita; dum non ex misericordia in pauperem; sed ex inani gloria eleemosynam elargitur.

Habacuc cap. 3. 17.
Greg. hom. 20.
Oliua Misericordiæ, & Charitatis symbolum.
August. cap. 9. tract. 6. in Ioan.

*Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

168. Hypocritæ amissa vera, & æterna gloria transitoriam, & vmbraticam gloriam consequuntur. Præterea monet Chrysostomus: *Nemo panem videns pictum, etiam si multùm à fame vexetur, picturam attingit. Itaque neque tu vmbras sectare. Vmbra enim gloria hæc est, non gloria. Quid est tenere vmbram neglectâ veritate? Si quis filium auersetur, & vmbram illius diligat; quærerétne aliud insaniæ certius argumentum?*

Inanis gloriæ aptantis dementia.
Chrysost. hom. 29. in 2. ep ad Cor.

169. Hypocritæ nomen apud veteres histrionibus tribuebatur; qui scilicet alienam personam in scena gererent. Sicut ergo personatus histrio regis personam gerens, aut strenui militis, non proinde regno potitur, aut militare stipendium accipit; sed tantùm vilem histrionicam mercedem: similiter virtutem simulantes, nullum virtutis præmium, sed tantùm vilem, breuissimamque gloriolam consequuntur. De hypocrita eleemosynas, aliáque bona opera ad ostentationem faciente iuxta Remigium dicitur Aggæi 1. *Qui mercedes congregauit, misit eos in sacculum pertusum*: vnde cum decidant, qui eas quærit, amisisse reperiet.

Hypocrita est personatus histrio.

*Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.*

170. Eleemosynam elargiendo adeo soli Deo placere studeas; vt non solùm aliorum oculos, sed teipsum piæ liberalitatis opus latere velis; ita vt erogando pecuniam, illam dextra, sinistráque versando nullatenus tibi

A complaceas. Hoc ad litteram.

171. Erogantibus eleemosynam benè ait Beda: *Nolite timere, ne huius vitæ necessaria desint.* Plures enim ab eleemosynis elargiendis abstinent; ne sibi præsentis vitæ necessaria, immò commoda adimant. Ideo ne nimia hæc mortalis vitæ cura eleemosynæ largitionem impediat, Dominus mysticè monet: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*: hoc est, cum ad acquirendam in beata vita æternam mercedem, pauperibus eleemosynam impertieris, ne ad præsentis vitæ commoda tibi seruanda respicias. *Quid per sinistram nisi vita præsens; quid verò per dexteram, nisi perpetua vita designatur?* ait Gregorius. *Qui sapiens B est, semper de futuro sæculo cogitat, quod ducit ad dexteram; qui verò insipiens est, de præsenti, quod positum est in sinistra*, ait Hieronymus.

Beda lib. 4. cap. 14. in Luc. cap. 12.

Sinistra, hoc est mortalis vitæ cura eleemosynam nesciat, ne eam impediat.

172. Secundò, vt ait Chrysostomus. *Non dubium est in dextera homines significari iustos; in sinistra peccatores intelligi. Iuxta quod Salomon* Prou. cap. 27. *retulit: Vias, quæ in dextris sunt, nouit Dominus; Peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Huius autem dextræ, & sinistræ intelligentiam Dominus in Euangelio apertissimè manifestat; cum iustos à dextris, peccatores à sinistris collocandos declarat.* Hac positâ mystica intelligentia in liberalitate erga pauperes exercendas iustorum consilium, non peccatorum audire debemus: pec- C catores enim huius vitæ commodis addicti ab erogandis eleemosynis, & ipsi alieni sunt, & alios cum ipsis versantes retrahunt. Quare huiusmodi immisericordes homines Salomon, Prou. 3. 27. monet: *Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, & ipse benefac.* Tres Deas Gratiarum seu Charitum nomine finxit antiquitas; quæ liberalitatis, & beneficentiæ numina dicebantur. Ideo, qui alias à beneficentia retrahit, ei similem Plutarchus apud Stobæum esse dixit, qui Charitum manus, ac pedes ferreis manicis, ac compedibus illigaret. Sed iuxtà Christianam veritatem, non Charitum, sed diuinæ Charitatis manus quodammodo ligare videntur D ij, qui non modo suarum opum tenaces sunt; sed alios etiam à benefaciendo alienos reddere nituntur. Meritò enim fit, vt nec ipsis diuina beneficia impertiantur; & iusta talionis pœna puniuntur.

Gregor. hom. 11. in Euang. Chrysost. tom. 2. hom. 8 ex variis in Matth.

Sinistra, hoc est peccator eleemosynam nesciat, ne eam dissuadeat.

Beneficentiam dissuadens Charitum manus, pedesque ferreis vinculis adstringit.

173. Tertiò: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*; argutè Augustinus ait: *Si hoc aliquis secundùm litteram impleri posse credit, quid faciat, si ei manus dextera doluerit? Numquid de sinistra eleemosynam dare non potest? Aut, si vult captiuum redimere, quomodo aut sacculum soluere, aut arcam aperire poterit; si sinistram dextera sua non iunxerit? Aut si peregrinum optat excipere; & secundum E præceptum Domini Sanctorum pedes abluere, non video quomodo hoc, nesciente sinistra manu possit impleri.* Respondet idem Augustinus. *In dextera intelligitur amor Dei; in sinistra vanitas, vel cupiditas mundi. Si pro laude humana dederis eleemosynam, totum sinistra facit; dextera omninò nihil facit: si verò pro remissione peccatorum, & amore vitæ æternæ eleemosynam dederis, totum dextera facit. Quid est ergo, Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; nisi quod facit amor Dei, non corrumpat, aut perdat vanitas, vel cupiditas mundi?* Idem docet lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 2.

August. cap. 10. serm. 60. de tempore.

Sinistra, hoc est, humanæ gloriæ cupiditas eleemosynam nesciat.

174. Quartò idem Augustinus explicans Psalm. 120. verba: *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam*, interrogando ait: *Dexteram nostram Deus custodit, & sinistram nostram non custodit? Nonne ipse nos totos fecit? Nonne, qui nobis*

*Sinistra, hoc est, intentio impetrandi à Deo temporale præmium, eleemosynam nescit.*

*fecit dexteram, ipse fecit & sinistram? Dictum est in Euangelio: Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Hoc intellecto, inuenies quæ sit dextera, quæ sinistra. Sinistra nostra dicitur quicquid temporaliter habemus; dextera nostra dicitur quicquid nobis æternum, & incommutabile Dominus pollicetur. Ille, qui dabit æternam vitam, ipse de istis temporalibus consolatur præsentem vitam. Ipse fecit dexteram & sinistram.* Subdit deinde Augustinus: *Si opus bonum in terra propterea feceris, vt terrena tibi abundent; scit sinistra tua quid faciat dextera tua: miscuisti dexteram sinistræ. Noli facere, nisi propter vitam æternam. Si propter solas res humanas, & solam vitam istam facis, quod facis; sinistra sola operatur. Si autem propter vitam æternam operaris, dextera sola operatur. Si autem habes intentionem ad vitam æternam, sed subrepit tibi cupiditas vitæ temporalis, aut attendas etiam ista, quando facis opus bonum, vt hic tibi aliquid retribuatur; miscet se sinistra operibus dexteræ. Hoc vetat Deus.* Ex his ansam sumit Augustinus explicandi Psalm. 143. verba: *Dextera eorum, dextera iniquitatis.* Iniquitatis autem dexteram in illis fuisse docet, *qui dextram veram pro sinistra habebant; & veram sinistram dexteram sibi fecerant. Omnis homo, qui felicitatem non putat esse hominis, nisi solùm in istis temporalibus facultatibus, & delicijs, & affluentia, & copia mundi huius, iste est stultus, atque peruersus, qui sinistram sibi fecit dexteram.*

*Sinistram aliqui sibi dexteram faciunt.*

Vt cœlestia dona temporalibus bonis præponamus dicitur Cantic. 2. *Læua eius sub capite meo; & dextera illius amplexabitur me.* Quod explicans Augustinus ait: *Sursùm erat dextera, deorsùm sinistra; & sic complectebatur sponsus sponsam; supponens sinistram ad consolationem, imponens dexteram ad protectionem. Sinistra eius sub capite meo: ideo sinistra eius, quia omnia ista temporalia Deus dat. Nouit ille dispensare sinistram, qui vocat ad dexteram. Ergo si est sinistra, sit sinistra; sed sub capite sit. Supra illam sit caput tuum, idest supra illam sit fidei tuæ, vbi habitat Christus. Noli temporalia præponere fidei tuæ, & non erit sinistra super caput tuum. Sed omnia temporalia subde fidei tuæ, & fidem tuam præpone omnibus temporalibus; & erit sinistra sub capite tuo: & rectè dextera eius complectetur te. Audi hoc ipsum exponi in Prouerbiis: Longitudo dierum, & anni vitæ in dextera eius; in sinistra autem eius diuitiæ, & gloria. Longitudo illa dierum æternitas est. Longa vita est in dexterâ eius. At verò diuitiæ, & gloria; id est sufficientia vitæ huius, ea, quæ bona existimantur ab hominibus, sinistra est. Nescio quis venit, & vult tibi percutere dexteram, id est tollere tibi fidem tuam. Accepisti alapam in dexteram, præbe sinistram: id est, vt illud tollat; quod temporale est, non ea, quæ æterna habes.*

*August. in Psalm. 120.*

*Prou. 3.*

*Matth. 5.*

175. Quintò dextera ad operandum est expeditior; sinistra infirmior, & tardior: *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Scilicet ad eleemosynam indigenti elargiendam dextera promptior esse debet; nec sinistra suam tarditatem interponat: hæc enim segnis est, hoc est sine charitatis igne. Ideo Ecclesiastes c. 9. 10. monet. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare*; id est sollicitè, & celeriter, iuxta Bonauenturam ex Chaldæo Paraphraste: *Omnem eleemosynam, quam potest manus tua distribuere pauperi, fac.* Ideo rursùs 3. Prouerb. 28. Salomon monet: *Ne dicas amico tuo*, id est proximo tuo: *Vade, & reuertere, cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Si enim eleemosynam differas, demereris negando; antequam illam dando merearis.

*Sinistra, cum ad operandum minus expedita sit, eleemosynam citò dandam prohibet idem num. 76 [...]*

Nam, vt benè Seneca ait: *Qui tardè fecit, diu noluit. Omnis benignitas properat; & proprium facientis libenter, citò facere: si de die in diem trahens profuit, non ex animo fecit.* Si non ex animo fecit, nequaquam *afflictis ex corde compatitur*, vt ait Gregorius. Vt afflictis compatiatur ex corde, dicitur dextera tantùm, non sinistra eleemosyna facienda: nam, vt ait Ecclesiastes: *Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius.*

*Seneca, lib. 2. de Benefic. cap. 5.*

*Gregor. 20. Moral. cap. 17.*

*Ecclesi. cap. 10.*

176. Morituum subueniendi celeriter indigenti esse debet, tum parata à Domino merces, tum timor amittendi opportunitatem benefaciendi, vel ex morte, vel ex alio impedimento. Propterea Basilius hom. 6. contra diuites ait: *Iam quando suppetit, quid prohibet, quo minus liberaliter impertiaris? Nonne inops adest? Nonne plena sunt horrea? Non merces à Domino parata? Non mandatum manifestum? Esuriens fame absumitur; nudus frigore rigescit; & tu eleemosynam in crastinum differs. Audi Salomonem: Ne dicas: Regressus recurre, & cras dabo: ignoras enim quid sequens pariet dies.*

*Beneficentia citò exhibenda idem num. 177. 178.*

177. *Panis absconditus suauior*, dicitur Prou. 9. 17. Talis debet esse panis, qui ad vitandam inanem gloriam in sinu pauperis absconditur: si verò panis pauperi dandus differatur, non modò suauis non est, sed veluti calculis plenus videbitur. Beneficium morosè datum simile est pani lapidoso, quem esurienti accipere necessarium est, sed acerbum. *Nihil æque amarum est, quàm diu pendere: æquiore quidem animo ferunt præscindi spem suam, quàm trahi*, ait Seneca lib. 2. de beneficiis. Verè enim pronunciauit Salomon Prou. 13. 12. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Ideò Democriti, & Stobæi monitum est: *Si bene de aliquo mereri vis, citissimè da: morâ enim ingratum redditur, & parùm amabile quidquid dederis.* Similiter ex Luciano Ausonius: *Si bene quid facias, facias citò: nam citò factum gratum erit: ingratum gratia tarda facit.* Theodorici verba illa verè regia refert Cassiodorus l. 3. epist. 40. *Apud conscientiam nostram læsionis genus est profutura tardare: non possumus æstimare iucundum quod ingratum fuerit dilatione suspensum.* Meritò à benefica, & celeri gratia prænuncium nomen accipere Gratianus Imperator meruit: cui Burdigalensis eius præceptor dicere potuit: *Spem superas; cupienda præuenis; vota præcurris: quodque animi nostri celeritas affectat, beneficiis præeuntibus antecéditur: præstare tibi est, quàm nobis optare velocius.*

178. Celeritatem ad ferendam pauperi opem explicat Isaias 58. 11. Cum enim ad misericordiam in egenos exercendam hortatus esset, subdit: *Et eris sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Quibus verbis, & merces eleemosynario à Deo danda explicatur, & modus eleemosynam dandi exprimitur. Explicatur merces similitudine fontium; qui cum perenniter sitientibus aquas largiantur, ipsi ex perenni etiam scaturigine iterùm replentur. Sic Deus suis misericordiis abundè, & perenniter replet eos, qui in alios misericordes sunt. Porrò sicut ad hauriendas è profundo puteo aquas mora, & labore opus est: secus verò fontium aquæ nulla mora, sed celeri cursu accedentibus se exhibent; ita erogans eleemosynam mora nulla interposita celeriter eam largiri debet. Eumenius in oratione ad Constantinum cap. 10. Imperatoris liberalitatem commendans ait: *Sic ingenui, largique fontes in terra [...] vbique profusi, ire festinare [...] cœlo missa perueniant: sic dent [...] Sit celeriter in*

*què diuina illa mens, quæ totum hunc mundum gubernat., quidquid cogitauit, illico fecit.* Maximè decipiebatur Persarum rex, qui, vt Xenophon ait: *Putabat splendidum esse, quod negotia tardius conficeret.* Contra verò maximè laudandus Lacedæmonum Rex Agesilaüs, de quo idem Xenophon in eius vita subdit: *Hic maximè lætabatur, cùm homines id, quod cupiebant, celerrimè consecutos dimitteret.*

Agesilaus pede claudus, manu longior ad liberalitatem.

Quamuis autem fuerit Agesilaüs, teste Plutarcho, breuiori altero pede claudus: manus tamen ad celerrimam liberalitatem erga egenos exercendam cæteris habuit longiores. Cimon Atheniensis, vir munificentia, clarissimus non suas rantùm manus, sed sequentium etiam famulorum in aliorum inopia subleuanda adhibebat. Nam, vt de eo Æmilius Probus refert: *Semper pedissequi cum nummis sequebantur; vt si quis opis eius indigeret, haberet, quod statim daret; ne differendo videretur negare.*

Cimon semper pecuniam in egenorum subsidium à suis pedissequis afferri voluit.

Beneficentia præda, & thesaurus est, cuius acceptionem nemo differre debet.

179. Beneficentia præda est, quam quisque de proximo bene merendo indagare debet: Thesaurus est, quo cœlum emere possumus. Sicut auarus, qui thesaurum inuenit, eoque potiri potest, eius acquisitionem non differt: Sicut vigil venator inuenta præda, ad eam statim accurrit: ita omninò in proximum beneficentiam, tamquam eximiam prædam, & thesaurum facilè acquirendum differre nemo debet. De Abrahamo, qui visis egrinis tribus, ad eos benignè hospitio excipiendos statim accurrit. Genes. 18. dicitur: *Apparuerunt ei tres viri, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum.* Vbi benè Chrysost. ait: *Currit, & volat senex: vidit enim prædam, quam venabatur: non vocauit famulos; quasi diceret: Magnus thesaurus est, magna negotiatio; per meipsum hanc mercedem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum.*

180. Qui non citò, sed seriùs pauperi beneficentiam, & misericordiam impertitur, quomodo egens ipse Deo dicere poterit: *Citò anticipent nos misericordia tua, quia pauperes facti sumus nimis?* Ægyptij, teste Pierio, asserebant à Dei dextera promanare bona omnia, & beneficia; à sinistra verò mala, & supplicia. Si volumus à Dei dextera in nos beneficia deriuari; & diuinæ sinistræ supplicia auertere; nos etiam celeri dextera pauperibus benefici simus, sinistræ tarditate reiectâ. *Misereantur pauperum, qui sibi volunt parcere Christum*, ait S. Leo ser. 4. de collectis.

Psal 78. 8. Sinistrâ à Dijs mala immitti, dexterâ verò bona dari censebant Ægyptij.

181. Si Apostolus monuit: *Sol non occidat super iracundiam vestram*: moneret etiam: *Sol non occidat super auaritiam vestram.* Occidit autem sol super auaritiam, quando hodie pauperi petenti eleemosynam dicimus: *Vade, & reuertere, cras dabo tibi: carè satis emitur, quod precibus impetratur*, ait Seneca. Si ergo non hodiernas solùm, sed etiam crastinas pauperis preces ad dandam eleemosynam exigis, ea valdè venalis est, non liberè data, sed iteratis precibus empta; quam erogans vendit potius, non elargitur: vendit autem, maiori culpa, quod est alienum, & alteri debitum: *Tuæ, quas porrigis, non sunt opes*, ait Nazianzenus. *Quid frustra laboras ô diues, res pauperum in thesauris recondere? Cur indignaris petentibus illis, quasi de tuo expendas? Bona paterna petunt, non tua; quæ tibi commissa sunt, ipsorum gratia, non tecum nata. Da, quæ accepisti*, ait S. Chrysostomus. Idem hom. ad Populum Antioch. *Non ad hoc accepisti, vt in delicias absumeres; sed vt in eleemosynam erogares. Numquid tua possides?* Similiter S. Bernardus epist. 42. *Nostrum est, pauperes clamant, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod vos inaniter expenditis.* S. August. in Psalm. 147. *Superflua diuiti, necessa-*

Ephes. 4. Auari diuites eleemosynam denegantes velut furti, & homicidij reatum incurrunt: idem nu. 182. 221. 226. 228. Seneca supra

Nazianzen. in Zenia sua.

Chrysost. apud Arcontiû in Melilla l. 2. c. 20.

A *ria sunt pauperi; aliena retinet, qui ista tenet.* S. Th. idem ex communi omnium Theologorum sententia docet in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4. & 2. 2. quæst. 66. art. 7. ait: *Res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi.* Superabundare autem dicuntur, quæ exclusis delicijs, ad victum, & vestimentum necessaria excedunt. Ideo S. Hieronymus ep. 110. quæst. 1. ad Hedibiam ait: *Si plus habes, quàm tibi ad vestitum, victumque necessarium est, illud eroga; & in illo debitricem esse te noueris*: Ideo auaros diuites furti reos declarat S. Ambrosius ser. 81. *Non minus est criminis habenti tollere; quàm cum possis, & abundes, indigentibus denegare.*

B 182. Auarum in pauperes non solùm furti, sed homicidij crimen incurrere dicendum est. Quare dist. 86. Can. *Pasce*, iure canonico decernitur: *Pasce fame morientem; si non pauisti, occidisti.* Et August. in Psalm. 118. ait: *Hoc est occidere hominem, vitæ suæ ei subsidia denegare: Caue ne inter loculos tuos concludas salutem inopum, & tamquam in tumulis sepelias vitam pauperum.*

183. Ex dictis, quamuis propriè eleemosyna ex charitate fiat, adhuc iustitia appellatur in hoc Euangelio, iuxta Chrysost. & Daniel 4. 24. iuxtà Chaldæum, & Ecclesiasticum 14. mox citandum. Idque ex eo quòd diuitiæ cum onere pauperibus eas communicandi à Deo diuitibus dentur. Inter salutaria monita filio à iusto Tobia data, illud est

Eleemosyna pauperi vt merces debita danda est.

C cap. 4. 15. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omninò non remaneat.* Idque iuxtà Leuitici 19. 13. mandatum: *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane*; hoc est merces operario debita, si hodie danda est, ne in crastinum differatur. Quod de mercede operarijs debita dicitur, proportionaliter de eleemosyna pauperibus danda dicendum est. De paupere enim dicitur Psalm. 21. 25. *Dominus non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis.* Pauper ergo, cui per eleemosynam temporalem cibum ministramus, operarius est, qui suis precibus nobis apud Deum *operatur non cibum, qui perit, sed qui permanet in*

Dextro e latere Dominus sanguinem fundens, dexterâ eleemosynam dandam indicauit.

D *vitam æternam.* Propterea *non moretur merces mercenarij tui apud te vsque mane. neque ei dicas: Vade, & reuertere, cras dabo tibi.* Sic non segni sinistra, sed celeri dextera eleemosynam largieris. Ad quod præstandum nobis egenis Christus Dominus exemplo præluxit: Vltimam enim pretiosi sui sanguinis largitionem è dextero latere nobis effundere voluit. *Dominus meus Iesus post cætera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi. Quod videlicet non nisi de dextera mihi propinare vellet; non nisi in dextera locum parare refugij*: ait Bernardus ser. 7. in Psal. *Qui habitat.*

Ioan.

Prou. cap. 3.

184. Sextò, dextera significat Orientem, cùm inde primi mobilis motus incipiat; sinistra verò

E Occidentem. Ille ex dextera in sinistram erogandam eleemosynam transfert, qui non antea, sed in vitæ occasu suorum bonorum aliquid pauperibus erogandum relinquit. Contra verò dexterâ eleemosynam elargitur, qui ipso Orientis vitæ processu erga pauperes misericors esse assuescit. Talis fuit S. Iob, qui verè dicere potuit: *Ab infantia creuit mecum miseratio; & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Ideò benè monet Ecclesiasticus 14. 13. 17. *Ante mortem benefac amico tuo*, hoc est, iuxta Lyranum, proximo tuo: *& secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Ante obitum tuum operare iustitiam.* Simile est Arabicum monitum Centuria 1. num. 44. *Accende lucernam tuam ante*

Sinistra Occidentem, dextera Orientem significat: Sinistrâ non est danda eleemosyna, nempè sub vitæ occasu

Misericordiæ opera erga pauperes cur lucernæ faces, que nomine significentur?

Iob. 31. 18.

Auarus differens in vitæ finem eleemosynam, est velut aspis, caudâ aurem obturans.

*tenebras; idest, illumina te operibus bonis, præcipuè eleemosynis, antequam superueniat tibi mors.* Aptè eleemosyna lucernæ nomine significatur: sicut illa oleo; ita eleemosyna misericordiæ affectu alitur; & fouetur. Rursus sicut lucernæ, facisque lumen, ne incedens offendat, præcedere, non subsequi debet; ita potius vt præeant, quàm mortem subsequantur, eleemosynæ curare debemus. Ideo Isaiæ 58. post cohortationem ad eleemosynam: *Frange esurienti panem tuum*, &c. additur: *Anteibit faciem tuam iustitia tua*, hoc est eleemosyna, cuius meritò apud Deum iustificaris: & ideò: *Gloria Domini colliget te*: Eleemosynario enim. *Cum multa fiducia porta cæli aperiuntur*, vt Chrysost. hom. 32 in epist. ad Hebræos ait. *Melior est beneficentia in vita, quàm in morte; sicuti magis illuminant faces, quæ præeunt incedentem, quàm, quæ subsequuntur.* Syracusanæ Heroïnæ Luciæ est documentum. *Maioris amoris signum fuerit, maiorique dignum mercede, si Christum, dum viuis, paueris*, ait Chrysost. Basilius hom. 7. contra diuites auaros, eorum verba refert, & refellit: *Ego bonis, dum vixero, frui volo; post mortem verò in testamento heredes facultatum mearum ad dominos pauperes ascribam. Heu miser! tunc benignus, & liberalis hominibus eris, cùm ampliùs inter homines non ages; cùm te cadauer aspiciam, tunc fratris amantem appellabo? Magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debebitur, aut gratia; si in sepulchro iacens, & in terram conuersus, magnificus, ac sumptuosus apparebis? Si tempore, quod ad promerendum datur, in voluptatibus, ac delicijs absumpto, pauperes nequaquam aspexisti, mortuus cuiusnam actionis, aut operis mercedem petiturus es? Nullus post mercatum solutum negotiatur; neque post certamina accedens coronatur; nec post bellum fortia gerit; nec similiter post vitam pietatis laudem, premiumque capiet.* Illam sanè laudem, præmiumque quisquam non merebitur, quòd in vita eleemosynam tribuens meretur; in vita enim ea homo largitur, quibus vti potest; in morte verò ea, quibus nullatenus in posterum vti poterit. Eleemosynæ ergo tamquam lucidæ faces mortem præeant, non subsequantur. Augustinus in Psalm. 57. explicans verba illa: *Furor illis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium*, ait: *Aspis recusans audire illas voces, quibus se cogi sentit, allidit vnam aurem terræ, & de cauda obturat alteram.* Similiter auarus, qui, vt ait Salomon Prou. 21. 13. *Obturat aurem suam ad clamorem pauperis.* Alteram autem aurem nimio terrenarum opum affectu terræ admouet; alteram autem cauda occludit. Cauda autem est vitæ finis, in quem beneficentiam transfert, eoque prætextu in suæ vitæ cursu pauperum clamorem non audit. Voluntariam hanc auari surditatem detestando, eleemosynæ nobis tamquàm lucidæ faces mortem præeant, non subsequantur. Quia tamen ventus faces, vel extinguit, vel breui consumit; cauendum est, ne inanis gloriæ ventus pia misericordiæ opera veluti faces extinguat, vel exiguo tempore perdurare sinat. Ideo ad inanis gloriæ flabra vitanda Dominus monet: *Eleemosyna tua sit in abscondito*: hoc est, Eleemosynæ, veluti in laterna, fax occulatur.

Chrysost. hom. 18. in ep. ad Rom.

185. Sed si in eleemosynis erogandis nescire sinistra debet quid faciat dextera; cur de forti, & pia muliere, quam celebrat Salomon, dicitur: *Palmas suas extendit ad pauperem?* Respondetur ibidem dici: *Manum suam* non manus suas, *aperuit inopi.* Quare Salomonis dictum Euangelico non contradicit. Vtraque manu largiri videretur esse ad liberalitatis ostentationem: geminas autem palmas ad pauperem procul stantem vocandum, indicat efficax desiderium illum ad se accersendi, eique opitulandi. Sed quoniam aliter iuxtà Septuaginta legitur: *Manus suas aperuit pauperi, & palmam extendit inopi*: respondetur piam huiusmodi mulierem adeò liberalem erga egenos describi; vt in eleemosynis erogandis, tamquam ambidextra celebretur. Conuocata enim pauperum turba, eaque vndique circumstante, vtramque manum ad eleemosynas pluribus simul largiendas occupasse significatur. Itaque sinistra, quæ illi veluti dextera erat, eleemosynæ largitionem non tardiorem, sed celeriorem reddebat. Ad hoc comprobandum Hieronymus explicans Psal. 90. verba: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* ait *Dextera Sancti dicitur; sinistra non dicitur, sed latus. Non enim poterat iustum esse, vt iustus haberet sinistram. Ergo simpliciter dico, quoniam iustus duas dexteras habet. Ille Aod, qui scribitur in Iudicum libro, propterea duas dexteras habere dicitur, quia iustus erat. Dominus suscitauit eis Saluatorem vocabulo Aod, qui vtraque manu pro dextera vtebatur. Erimus ambidextri, quando nos rerum præsentium copia, vel inopia non mutarit*, ait Cassianus. Quando scilicet neque ex auaritiæ diuitiarum copiam appetentes, neque ex pusillanimitate inopiam metuentes, à dandis eleemosynis non abstinebimus.

Prou. 31. 20. Ambrosius in Hexaem. de operibus [illegible]

Iudicum c. 3.

Cassianus coll. 6. c. 10.

*Vt sit Eleemosyna tua in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

186. **E***Leemosyna est amica Dei, sempereique propinqua; pro quibuscumque voluerit facilè gratiæ munus impetrat; tantùm si à nobis non lædatur; si nullam à nobis patiatur iniuriam*, ait Chrysost. hom. 32. in epist. 1. ad Tim. Iniuriam patitur, & læditur à nobis eleemosyna, si ea ad inanem gloriam captandam dirigatur. Sic enim non ad Deum pro nobis deprecatrix accedit; sed in auras, eximiæ vtilitatis fructum frustrata, dispergitur. Ideo monemur à Domino, *Sit eleemosyna tua in abscondito.* Propterea eleemosyna semini comparatur; cùm de erogante eleemosynam ab Apost. dicatur: *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Semen, vt germinet, nec à volucribus comedatur, intra terram absconditur, vt Hugo Cardinalis notat. Similiter ne à volatica inani gloria eleemosynæ meritum rapiatur, in abscondito esse debet.

Eleemosyna cur semini comparetur. 2. Cor. 9.

187. Ecclesiastici cap. 3. 33. Aquæ eleemosyna comparatur: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*: seu vt S. Maximus legit: *Sicut aqua extinguit ignem; ita eleemosyna extinguit peccatum*: cum scilicet, vt dari debet, ex vero charitatis affectu datur. Porrò sicut in hac misera mortali vita quotidie in peccata labimur; ita ad ea extinguenda eleemosynæ largitio, veluti perennis aqua esse debet. Perennis autem aqua benè inter occultos aquæ ductus occluditur, ne frustrà in terra dissipetur, sed potiùs valdè vtiliter sursum assurgat: Similiter eleemosyna, vt per rectam intentionem sursùm ad Deum dirigatur, non ostentari, sed potiùs humiliter occultari debet. Ideo Ecclesiastici 29. 15. monemur: *Conclude eleemosynam in corde, vel, vt alij legunt, in sinu pauperis; & hæc pro te exorabit ab omni malo.* In eo tamen ab aqua eleemosyna differt; quòd ea, quæ intra aquam conijciuntur, ob medium

S. Max. hom. 1. de eleem.

Eleemosyna cur aquæ comparetur.

crassius, maiora apparent: Contra verò Eleemosyna peccata minora reddit. Ideo vbi iuxta vulgatam legimus: *Eleemosyna resistit peccatis*; in Arabico textu legitur: *Eleemosyna extenuat peccata.*

Cypr. de eleemosyna. Gaudent. de natal. Domini tr. 5. August. in hom. 39. inter 50. Laurent. hom. de pœnit. in appendice Biblioth. PP. Ambros. in allata verba Ecclesiastici ser. 2. Eleemosyna Baptismo comparatur.

188. Sancti Patres Cyprianus, Gaudentius, Augustinus, Laurentius Episcopus, & Ambrosius eleemosynam extinguentem peccata sacro Baptismi lauacro comparant: cum eo tamen discrimine; quòd Baptismum iterare sacrilegum sit; iterare autem sæpius eleemosynam sit omninò proficuum. *Ita eleemosyna resistit peccatis, sicut aqua Baptismi Gehennæ restinguit incendium. Ergo quodammodo eleemosyna animarum aliud est lauacrum: nisi quod indulgentior est eleemosyna, quàm lauacrum:* B *lauacrum enim semel datur; eleemosynam autem quoties feceris, toties promereris veniam*, ait Ambrosius. Idem repetit serm. 42. Ad eleemosynæ lauacrum peccatores speciatim Dominus inuitat Isaiæ cap. 1. 16. Cum enim dixisset: *Lauamini, mundi estote*; subdidit: *Subuenite oppresso.* In tam vtile eleemosynæ lauacrum, vt planè mundum sit; sedulò curandum est, ne puluis aspergatur, quem inanis gloriæ *ventus projicit à facie terræ*: hoc est à conspectu hominum, quibus eleemosyna ostentatur. Vt huius noxij pulueris sordes arceamus, benè Dominus monet: *Sit eleemosyna tua in abscondito.* Propterea, vt eleemosyna salutaris sit, bene etiam monet S. Cæsarius Arelatensis: *Prodest eleemosyna, si omittas peccare.* Chrysostomus hom. 32. ad populum ait: *Si quis casurum sursum traheret, quòd facit eleemosyna; alter autem deorsum retraheret; nil erit amplius ex huiusmodi certamine, quàm hominem discerpi.* Ne ergo erogans eleemosynam discerpatur, sed per eam in cœlum assurgat, se vitiorum pondere exonerare debet. August. in Enchiridio cap. 75. *Ne se fallant, qui per eleemosynas quamlibet largissimas, fructuum suorum, vel cuiuscumque pecuniæ, impunitatem se emere existimant; in facinorum suorum immanitate, ac nequitia permanendo.* Similiter Gregorius pastor. p. 3. c. 21. *Ne venalem Dei iustitiam æstiment; si cum curant pro peccatis nummos tribuere: arbitrantur se posse inultè peccare.* Quare cum Lucæ 11. 40. Dominus dixit: *Date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis.* Intelligitur de eleemosyna, quæ ex vera misericordia proueniat. Alioquin *Quomodo misericors es alteri, si crudelis es tibi? Miserere animæ tuæ, placens Deo*, ait August. *Placens Deo*, non hominibus, ab ijs inanem gloriam captando. *Vita, atque salute, quam alteri das, te fraudas; dum sana vacuus intentione, gloria inanis vento inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris; & lethali apostemate turgens interis.* ait Bernardus serm. 18. in Cant. Rursùs cùm dicitur: *Date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis*; non de spuria eleemosyna peccatoris in peccato perseuerantis intelligitur; sed de *eleemosyna filia deificantis Charitatis*, vt ait Theophilactus: Eleemosyna autem deificantis Charitatis filia, eleemosynarium deificatum reddit; adeoque planè mundum, Deoque similem, & hinc Domini mandatum impletur: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*: ita vt qui ex mera misericordia, & charitate eleemosynam erogat, viua Dei imago reddatur; vt infra etiam dicetur. Ex quo fit, vt eleemosynam erogantes, eam non dent, *Vt honorificentur ab hominibus. Non est, quo se immisceat vanitas, vbi totum occupat Charitas. Deus charitas est: & nihil est in rebus, quod possit replere creaturam factam ad imaginem Dei, nisi Charitas*, ait Bernardus serm. 18. in Cant. Deuter. 26. 13. ab erogante

Eleemosyna adulterina proles esse non debet, sed Deificantis Charitatis filia. Psal. 1.

Hom. 9.

Eccli. 30. 24.

August. ser. 30. de verbis Domini.

Luc. 6. 36.

A eleemosynam Deo dicitur: *Abstuli quod sanctificatum est, de domo mea; & dedi illud Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, ac viduæ.* Vbi quod egenis tribuitur, antequam detur, sanctificatum dicitur; eò quòd ex deificante, & sanctificante Charitate prouenire debeat. Subditur deinde: *Non separaui ea in qualibet immunditia.* Hoc est, nolui, vt inanis gloriæ ventus in ea, quæ darem, sordidum terrenum puluerem aspergeret; adeoque immunda diuinis oculis redderet.

189. Eliseus 4. Reg. 4. Cum mulieris viduæ paupertati subuenire vellet per miram exigui olei multiplicationem, mulieri præcipit: *Pete mutuò ab omnibus vicinis tuis, vasa vacua non pauca; & ingredere, & claude ostium tuum.* Quod Prophetæ mandatum exequens mulier, *clausit ostium super se, & super filios suos.* Vbi quæritur, cur tàm expressè ostium claudi Eliseus præceperit: Respondent aliqui, id Prophetam præcepisse, vt sola vidua oleo frueretur; ne quis olei partem ab ea postularet, aut subriperet. Secundò cùm per olei in vasa vacua infusionem mysticè misericordiæ, & eleemosynæ in egenos largitio significaretur; respondet August. serm. 206. de tempore: *Quod ais scriptura clauso ostio viduam illam oleum in vasculis infudisse, hoc significauit, vt vnusquisque eleemosynam clauso ostio faciat, idest, pro solo Dei amore; non ideo, vt laudetur ab hominibus; sed vt apud* C *Deum inuenire gratiam mereatur. Qui enim pro laude humana eleemosynam facit, aperto ostio facit. Qui verò pro sola vita æterna, & pro remissione peccatorum bona opera fecerit, etiamsi publicè faciat, clauso ostio facit; quia de illa eleemosyna non hoc quærit, quod videtur, sed quod non videtur. Laus enim humana videtur, æternum præmium non videtur.* Prætereà si quæratur cur tam mira medici olei multiplicatione, mulieris paupertati subuenire Deus voluerit? Respondetur, id factum esse, vt discamus, misericordibus, & eleemosynarijs, cum ipsi egent, misericordiam, & eleemosynam Deum elargiri, cùm se Deus pro erogatis eleemosynis debitorem constituat. Nam, vt refert Iosephus lib. 9. cap. 2. & ex eo Theodoret. Tostat. & alij. D Vidua hæc mulier in eam egestatem redacta, & tanto æris alieni debito oppressa, vt creditori filios in seruos dare cogeretur, coniux fuerat Abdiæ, de quo dicitur 3. Reg. 18. *Cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit Abdias centum Prophetas, & abscondit eos quinquaginta, & quinquaginta in speluncis, & pauit eos pane, & aqua.*

190. *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Non ex eo, quod in abscondito eleemosyna fiat, amittitur; sed à Deo omnia intuente mercedem largius consequetur. Ideo citato cap. 3. subdit Ecclesiasticus: *Deus protector est eius qui reddit gratiam*; hoc est, qui eleemosynam pauperi elargitur. Vbi dicitur *Eleemosyna gratia.* Primò, quia gratis liberaliter, & hilariter danda est. 2. per Metonymiam; quia à Dei gratia prouenit, qui eleemosynario diuitias dedit, & earum per eleemosynas meritorium vsum inspirauit. 3. etiam per metonymiam, quia eleemosyna eleemosynario à Deo gratiam impetrat, vel vberiorem, si iam Dei amicus sit; vel amissam gratiam, si sit peccator. Ad quod significandum de eleemosynario Ecclesiasticus addidit: *Deus meminit eius in posterum; & in tempore casus sui inueniet firmamentum*; seu iuxtà Syrum: *In tempore quo ceciderit, inueniet esse fulcrum.* Cùm in peccatum eleemosynarius ceciderit, ob erogatam antea eleemosynam diuino suo auxilio eum Deus fulciet, & roborabit, vt iterùm ad diuinam gratiam, & ami-

Cap. 29.

E

Eleemosyna cur gratia dicatur.

tiam restituatur. Quod significauit Tobias cap. 4. dicens: *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat; & non patietur animam ire in tenebras.* Idem testatur Dauid Psalm. 40. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Intelligit*, dixit, quia iuxtà S. Thomam ipsius eleemosynarij labor, & industria esse debet, inuestigare, & cognoscere pauperum indigentiam; non expectando eorum petitiones, & preces. 2. *Intelligit*, dixit; quia eleemosynarius tamquam spiritualis mercator benè callere debet lucrosissimam hanc pauperibus subueniendi artem; quam verè quæstuosissimam artem esse peculiari homilia probat Chrysostomus. 3. dixit: *Intelligit*, quia in hac arte exercenda dubitationem reijcere debemus; qua à pauperum subuentione impediamus, quòd ignari simus verè ne ij, an fictè sint indigentes, vt cum Chrysostomo Cassiodorus docet: *Sufficit*, inquit, *nobis, vt nos dare aliquid malis artibus nesciamus; nec opiniones hominum captando elati eleemosynam largiamur; sed operemur solo affectu subueniendi, non vt honorificemur ab hominibus.* Quod Dominus in hoc Euangelio monet.

Chrysost. tom. 5. hom. 33.

Eleemosynæ sex retributiones consequuntur.

191. Notandum sex mercedes, seù retributiones eleemosynario dandas, citato Psalm. significari. Prima est die mortis, & iudicij ab æterna morte liberatio: *In die mala liberabit eum Dominus* 2. in hac vita conseruatio, & custodia, *Dominus conseruet eum*, seù ex Hieronymo: *Dominus custodiet eum.* 3. viuificantis diuinæ gratiæ vberior communicatio: *Et viuificet eum*, seu ex Hieronymo: *Viuificabit eum.* 4. prosperitas in hac mortali vita: *Et beatum faciet eum in terra*: seu ex Hieronymo: *Beatus erit in terra.* 5. liberatio à prauis suggestionibus dæmonum: *Et non tradat eum in animam inimicorum eius*: seù ex Hieronymo: *Non tradet eum animæ inimicorum suorum; vel in manus inimicorum eius.* Inimicorum enim nomine Dæmones significantur iuxtà Ambrosium, August. Cassiod. & Hesych. qui ait erogantem eleemosynam, tamquam misericordiæ oleo inunctum, è Dæmonum manibus elabi; sicut athletæ materiali oleo delibuti antagonistarum manus euadunt. 6. Ægrotanti bonæ valetudinis restitutio: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius*; seu ex Hieronymo: *Dominus confortabit eum in lecto infirmitatis. Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Quod explicans Theodoretus ait: *Ab omni ægrotatione liberabit; & in bonam corporis valetudinem morbum permutabit. Versasti in infirmitate stratum. pro, Mutabis, posuit.* Vt præteritum enim futurum ponitur ad rei certitudinem significandam. Vbi iuxta Chrysostomum, & Ambrosium *versare stratum in infirmitate* est, Mutare statum ægroti in statum sanitatis; ita vt lectus inrequieti languoris, quieti soporis cubile reddatur. Ad vltimam hanc eleemosynæ mercedem significandam, cum Isaiæ 58. dictum esset: *Frange esurienti panem tuum; & egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum*; subditur: *Tunc sanitas tua citius orietur.* Vbi pro *sanitate* Septuaginta legunt: ἰάματα. i. *medicamenta*, seu *emplastra.* Eleemosyna enim pauperi erogata in salutare medicamentum, seu emplastrum conuertitur ad eleemosynarij plagas, languoresque omnes curandos.

Eleemosyna in cataplasma conuertitur ad eleemosynarij plagas, languoresque curandos. Vide Hieron. in Comment. Isaiæ.

192. *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Hoc idem confirmat Apost. 2. ad Cor. 9. vbi de eleemosyna agens ait: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Vbi eleemosyna benedictio vocatur, vt quod hilariter pauperi benè precando eroganda sit 2. Eleemosyna semen, retributio messis appellatur: sicut enim ex vno seminis grano in messe multò plura colliguntur; ita Dei retributio multò largius eleemosynæ erogationem excedit. *Fœcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum*, ait August. Ad quod significandum subdit Apost. *Multiplicabit semen vestrum*, & hoc, quoad mercedem temporalium bonorum; *& augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*: & hoc quoad spiritualium bonorum retributionem: Dabit enim Deus erogantibus eleemosynam, incrementum gratiæ hîc, & gloriæ in cœlo. Ideò benè S. Anselm. asserebat: *Eos, qui charitatem faciunt, aliquid maius habere, quàm is, cui charitas fit, & exhibetur. Hic enim recipit aliquid temporale tantùm, illi verò recipiunt spiritalia, & æternas gratias à Deo expectant.* S. Leo similiter ait: *Temporale donum in præmium transit æternum.* Chrysost. hom. 9. de pœnit. *Mercatura, & negotiatio tua, cælum est; da panem, & accipe Paradisum; da mortalia, & recipe immortalia.* Chrysolog. serm. 8. de ieiunio, & eleemosyna: *Da ò homo, pauperi terram, & accipies cælum; da nummum, & accipies regnum; da micam, & accipies totum.* August. in Psalm. 31. *Da modica, & accipe magna; da temporalia, & accipe æterna; da terrena, & accipe cælum.* Detestandum est Christiano animo politicum illud monitum: *Diuide, & impera.* Perperam enim, & iniquè eo suadetur ad regnum stabiliendum inter ciues fouendas esse discordias; ne concordes in regnantem insurgere queant. Sed si de facultatibus, diuitijsque sermo sit, optimè, valdeque vtiliter opulento dicitur: *Diuide, & impera.* Nam, vt cœleste regnum diues consequatur, pauperibus opes, diuitiasque diuidere debet.

August. ser. 25. de Verbis Domini.

Edinerus in S. Anselmi vita.

S. Leo serm. 6. de ieiunio.

193. Beatius est magis dare, quàm accipere: verissimè Dominus pronunciauit. Redditque rationem Paulus Burgensis, quia qui dat, magis imitatur Deum, quem constat dare, non recipere, cùm nullius rei egeat. Pauper ergo recipiendo, tamquam egenam creaturam se exhibet; misericors verò dando Dei munere fungitur. *Si misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi vt Deus fias, tamquàm insignitus propria nota Deitatis?* ait Nyssenus lib. de beatitudine. *Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando*, ait Nazianzen. orat. de pauperum amore. Idem orat. 16. *Nihil adeo diuinum habet homo, quàm benefacere.* Similiter S. Leo serm. 10. de Quadrages. *Vbi Deus curam misericordiæ inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. Dei imago est homo benefaciens*, ait Clemens Alexandr. lib. strom. cap. 9.

Act. 20. 35.

Misericors veluti Deus fit.

194. In eleemosynarij ergo morte quæret Dominus. *Cuius est imago hæc?* Cumque Dei imaginem coram sanctis Angelis esse constabit. Illis Dominus præcipiet: *Reddite quæ sunt Dei, Deo:* & Angelica manu hæc mihi iucundissima imago in cœlestis Patris mei regia collocetur; vt vbi est Prototypus, ibi imago reponatur. Dauid ad cœlestis patriæ quietem ardenter anhelans Psalm. 57. 7. aiebat: *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Has pennas ad æternam quietem consequendam misericordibus erga pauperes eleemosyna exhibet: *Eleemosyna leuis est penna; eique plurima fiduciæ sublimitas inest; atque ad ipsum ascendit regalem thronum, alumnos suos audacter euehens*, ait Chrysost. hom. 7. de pœnit. tom. 5.

Eleemosyna suis alis eleemosynarium ad Deum euehit: idem nu. 19.

Matth. 22.

195. Porrò citata Apostoli verba: *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*: intelligit etiam An-

selmus de temporalium bonorum mercede à Deo retribuenda; ditiores scilicet reddendo eleemosynarios, vt iterùm eleemosynas elargiri possint. Ad eleemosynas libenter largiendas eandem frugum similitudinem egregiè proponit Chrysost. tom. 5. hom. 7. de pœnitentia: *Opes distributa manent, custodita fugiunt: atque ab ipsis agricolis disce; nam illi frumenta si domi conclusa tenent, vermium in escâ amittunt: si verò disperserint in terras, non modo custodiunt, sed etiam augent. Sic & opes stantes in arca, atque sub sera & vecte defossæ, citò transfugiunt: si verò eas in aluos disperseris pauperum, non modo non fugiunt, sed maiores inde resurgunt. Hæc igitur sciens, in manibus fac eas millenis detineri, viduarum scilicet, orphanorum, infirmorum. Neque enim diffugere poterunt tot detentæ manibus; sed cum firmitate conseruantur, & crescunt.* Hinc eroganti eleemosynam Chrysost. ait: *Non te tam dare cense, quàm accipere lucrantem te, non quasi amittentem.* Verissimum enim est, quod à Deo Prou. 28. 17. promittitur: *Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Quod pluribus egregiè explicat S. Cyprianus l. de eleemosyna. *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordia*, dicitur Oseæ 10. Quod bene explicans Ambr. lib. de Naboth cap. 7. ait: *Bonorum fructus munerum in eos ipsos, qui contulerunt, conuertuntur, & gratia liberalitatis in authorem boni operis redit. Denique scriptum est: Seminate vobis ad iustitiam. Esto spiritualis agricola. Serè quod tibi prosit. Bona satio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus vberiores, quàm acceperit, quantò magis misericordiæ remuneratio reddet multipliciora, quàm dederis.*

Diues in egenos misericors diuitias non amittit, sed auget: idem num. 196.

196. Ad largiorem eleemosynæ mercedem explicandam notandum est, cùm ab vberibus lac exprimitur, iterum lac in ea confluere: contra verò, si ex vuæ acinis vinum exprimatur, non iterum liquor influit. Ideo piæ animæ pauperibus subuenienti, & largam à Deo mercedem recipienti, benè dici potest: *Meliora sunt vbera tua vino.* Eademque, *Puteus aquarum viuentium*, benè potest appellari. Quod explicans Clemens Alexandrinus ait: *Quemadmodum quicumque putei scaturiunt, exhausti in pristinam mensuram reuertuntur; ita etiam elargitio, quæ est bonus fons benignitatis, potum sitiensibus communicans, rursus augetur, & repletur: Quemadmodum ad vbera, quæ suguntur, vel mulgentur soletl ac confluere.*

Cantic. 1.
Cantic. 4. 15.
Clem. l. 3. Pedagogi c. 7.

197. In larga, & infallibili Dei retributione innititur S. Cypriani monitum, quod alioquin paradoxum videri posset; scilicet quòd eo largior in pauperes esse debet, quo maiorem filiorum numerum quis habebit. Proposito enim viduæ Sareptanæ exemplo, quæ simul cum prole in magnam egestatem redacta, nihilominus Eliæ subuenire non negauit; & hinc ex egena locupletior est reddita. Subdit Cyprianus: *Vt ex hoc appareat quantum in Ecclesia peccet; qui se, & filios Christo anteponens, diuitias suas seruat; nec patrimonium cum indigentium paupertate communicat. Sed enim multi sunt in domo liberi, & retardat te numerositas filiorum, quo minus largiter bonis operibus insistas. Quò amplior fuerit pignorum copia, esse & operum debet maior impensa. Si verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenam, & paternam dulcedinem charitatis; operari magis debes, vt filios tuos Deo iusta operatione commendes. Illi assigna facultates tuas, quas hæredibus seruas: ille sit liberis tuis tutor; ille curator, ille contra omnes iniurias seculares diuina maiestate protector. Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis*

Liberalior esse debet, qui numerosam prolem habet.

auertit. *In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode seruatur. Hoc est caris pignoribus in posterum prouidere; hoc est futuris hæredibus paterna pietate consulere, secundum fidem Scripturæ sanctæ dicentis: Iunior fui, etenim senui, & numquam vidi iustum derelictum, neque semen eius egens pane. Tota die miseretur, & commodat; & semen eius in benedictione erit.* Circa quod benè Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 7. ait *Si quis dixerit se sæpe vidisse iustum, cui panis deerat; hoc quidem rarum est, & id vbi non est alius iustus. Sed tamen illud quoque legat: Non in solo pane viuit iustus, sed in verbo Domini, qui est panis verus, panis cœlestis.* Huiusmodi pane se largius reficiebat Exuperius Episcopus Tolosanus, cum teste S. Hieronymo epist. 4. *Esuriens alios pasceret; & ore pallente ieiuniis, fame torqueretur aliena.*

Psal. 36.
Deuter. c. 8.

198. Ad significandam mercedem à Deo retribuendam eleemosynario, Ecclesiastes cap. 11. ait: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas; quia post tempora multa inuenies illum. Da partem septem; nec non & octo.* Vbi iuxtà Bonauenturam transeuntes per aquas, pauperes dicuntur; aquæ enim huius vitæ ærumnas, & calamitates significant; iuxtà illud Cant. 8. *Multæ aquæ non potuerunt extinguere charitatem*, & Psal. 17. *Assumpsit me de aquis multis.* Subdit deindè Salomon: *Post tempora multa inuenies illum*; hoc est, non tu solùm, qui eleemosynam erogas; sed posteri tui tuis meritis, & exemplo, & in hac vita; & in æterna mercedem consequentur. Propterea eleemosynam ex tuis bonis erogando, *Da partem septem; nec non & octo:* Eleemosynam elargire multis, & pluribus; & pluribus, quotquot se obtulerint: idque iuxtà Domini monitum Lucæ 6. 30. *Omni petenti se tribue*, iuxtà sancti viri exemplum, de quo Psal. 33. 26. dicitur. Non aliquoties, sed *Tota die miseretur, & commodat*: seu, vt Aquila legit; *Tota die donat, & fænerat*; non quidem illicito fœnore, sed laudabili, & valdè meritorio; de quo Prou. 19. 17. dicitur: *Fæneratur Domino, qui miseretur pauperis; & vicissitudinem suam reddet ei.* Omni ergo petenti te tribue, non ex auaritia coërcendo ad certum numerum largitionem; cùm possis omnibus benefacere: in quo Deum imitari debes: *Qui dat omnibus affluenter.* Si tempus aliquod sit, quo nos egeni à Dei beficentia eleemosynam non accipimus; sit nobis tempus illud à danda eleemosyna liberum: si secus, cùm potes, semper, & *omni petenti se tribue. Mendici Dei sumus; vt agnoscat Deus mendicos suos, agnoscamus nos nostros. Quam frontem habes petendo ad Dominum Deum tuum, qui non agnoscis parem tuum?* ait Augustinus serm. 5. de verbis Domini.

Aquæ ærumnas, calamitatesque significant.
Eleemosynam dare est fœnerari: idem n. 196.
Iacobi c. 1. 5.
Eleemosynæ parenti, potiori mercedem consequuntur.

199. Citatum Ecclesiastæ textum Chaldæus Paraphrastes sic explicat: *Porrige alimentum tuum pauperibus qui ambulant in nauibus supe facies aquarum; quoniam post tempus multorum dierum inuenies mercedem eius in sæculo hoc, & in sæculo venturo.* Quare, qui eleemosynas dat, sua bona per pauperes in tuta nauigia transferre videtur; vt ea per meritum in cœlum transferantur. *Facilis hæc est transuectio; securè illuc transferimus, & in thesauro indeprædabili reponimus, quæcumque per pauperum manus præmittimus*; ait Chrysost. hom. 48. in cap. 24. Genes. *Thesaurus cœli est manus pauperis: quod suscepit, ne pereat in terra, reponit in cœlum.* ait Chrysologus serm. 8. de ieiunio, & eleemosyna. Alchimistæ vilioribus metallis aurum conflare conantur. At spiritualis alchimia docet terrenam, & mortalem massam in cœlestem, & immortalem mutari posse per aurum, cùm illud in eleemosynam

[illegible]

Pauperes nauigia habent, quibus in Cœlū eleemosynas transferunt.

mosynam erogatur. Sic auro demutemur; vt ex terrenis cœlestes, & ex mortalibus simus æterni, ait S. Hilarius in Psalm. 51. *Negotiatori nulla alia est intentio nisi paruo emere, magno autem vendere Tales Deus nobis nundinas proposuit: modico iustitia emitur: tantum pro panis fragmento, pro calice aquæ frigidæ.* Cui frigidæ aquæ calici ex vera charitate pauperi dato, pro mercede æterni gaudij torrens respondebit, iuxta Psalm. 35. promissionem: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Misericordes nubibus comparantur.

200. Ad eamdem eleemosynæ mercedem significandam subdit ibidem Ecclesiastes: *Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent,* sicut, quamuis nubes largè pluuiam ad aridæ terræ indigentiam subleuandam demittant, fluuiorum tamen perennitate, & pelagi immensitate Deus prouidit, vt iterùm nubes attractis aquis repleantur: ita similiter, quamuis diuites suas opes pauperibus elargiantur; adhuc tamen immensa Dei liberalitas diuitijs eos replebit. Ad quod probādum in Ecclesiasticis historiis multa supperunt exempla, vt patet apud Leontium in vita sancti Ioannis Eleemosynarij; qui Dei liberalitate fretus aiebat: *Et si totus Orbis veniret Alexandriam, non arctaret nostram liberalitatem, & opes.* De Macedone Alexandro dictum est: *Vnus Pellæo iuueni non sufficit Orbis:* Si Alexandi regnandi cupidinem terrarum Orbis vniuersus explere non poterat; multò minus eleemosynarij Ioannis immensam liberalitatem poterat exhaurire. Tobias, vt in sacris litteris habetur, erga pauperes valdè misericors, Dei liberalitatem Raphaële Angelo ministro expertus est. Augustinus ait aptè pecuniam in sphæricam figuram formari; eò quòd facilè ex vna in aliam manum circumagatur, multò melius pecunia per eleemosynam erogata circularem motum habet. Talis enim pecunia ex eleemosynarij manu in manus pauperum transit: ex his in cœlestes thesauros per meritum transfertur: inde iterùm ad erogantem eleemosynam aucto fœnore ex diuina liberalitate reuertitur. Lege Iulium Fulcum de bono eleemosynæ.

Alexandri Macedonis, & S. Ioannis Eleemosynarij comparatio.

Iuuenalis satyra 10.

Pecunia cur circularis sit: pecunia egenis erogata sphæricum motum habet.

201. Psalm. 48. 17. dicitur: *Cùm diues factus fuerit homo; & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius; cùm interierit, non sumet omnia.* Vbi Chrysost. ait: *Vidisti dictionis subtilitatem, & manifestam diuisionem? Non dixit: Cùm multiplicata fuerit gloria eius; sed gloria domus eius; ostendens alteram esse hominis gloriam; alteram gloriam domus. Domus quidem gloria porticus deambulatoria, laquearia pulchra, pauimentum, gemmarum ornatus, prata, hortuli, seruorum multitudo, sumptuosa supellex; quorum nihil ad hominem:* cùm hæc omnia in terris relinquenda sint. Sed, vt in vita altera ædificium pulchrius, & locupletius ædificemus eleemosyna efficit, larga nos mercede remunerans. Nam teste S. Gregor. lib. 4. Decalog. cap. 36. Quidam in alteram vitam è corpore eductus vidit. *Amœna prata, atque virentia, odoriferis herbarum floribus exornata; in quibus albatorum hominum conuenticula esse videbantur. Tantusque in eodem loco odor suauitatis inerat, vt ipsa salutaris fragrantia illic deambulantes, habitantesque satiaret. Ibi mansiones erant diuersorum, singula magnitudine lucis plena: Ibi quædam miræ potentiæ ædificabatur domus, quæ aureis videbatur laterculis construi.* Subdit Gregorius: *Cui mansio ista construebatur, apertè datur intelligi. Nam qui præmia æternæ lucis eleemosynarum largitate promerebitur, constat, quia auro ædificat mansionem suam.* De huiusmodi mansione Dominus Lucæ 16. 9. dixit:

Chrysost. tom. 5. hom. 7. de pœnitentia.

Domicilium sibi nobilissimum miseri cors in egenos ædificat.

A *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*, id est de iniquis, & fallacibus diuitiis, *vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Ars artium peritissima est eleemosyna; non enim nobis domos fabricat luteas. Tabernacula Sanctorum solida sunt; æterna sunt, finem non habentia; Hanc in structuram pecuniam impendamus. Non architectorum, aut operariorum magna nobis fuerit cura: pauperum manus huiusmodi domos construunt: claudi, esurientes illas ædificant; eleemosyna ipsa artifex est*, ait Chrysostomus. Vt in cœlo potiùs per eleemosynam domicilium ædificemus; quam per retentas diuitias in terris, egregio exemplo ostendit idem Chrysost. *Si quis tibi prænunciaret post* B *annum casuram vrbem, num in casura vrbe ædificares? Id itaque nunc fac. Nequaquam in hoc ædificemus mundo: Cadet enim paulo post, & cuncta peribunt. Quid dico, cadet? ante ipsum casum ipsi peribimus.*

Chrysost. in Lucam.

Idem tom. 5. homil. 7. de pœnitentia.

202. Ad accipiendam æternæ mercedis retributionem anhelabat Dauid; cùm in hac mortali vita spiritualium hostium obsidione pressus Deo diceret: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti donec retribuas mihi.* Consueuerunt Palæstini ab hostibus obsessi per columbam ad amicos, & confœderatos litteras mittere, vt eorum auxilio ab obsidione liberarentur. Columba, per quam nos supplices litteras ad Deum mittimus, vt ab infernorum hostium obsidione liberi simus, est eleemo- C syna: *Pennata, & leuis est eleemosina, aureas habens alas. In ea penna columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*, ait Chrysostomus. Psalm. 31. Deo dicitur: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.* Hoc est iuxtà Hieronymum: Pro peccatoribus orabunt sancti; pro iisdem tamen extremi iudicij die per diluuium significato ad Deum intercessores accedere non audebunt. Nihilominus, sicut diluuij tempore emissa columba super aquas volare non timuit; ita eleemosyna columbæ instar iudicij tempore ad diuinum Iudicem fiducialiter accedet: *Hæc Christi adstat* D *tribunali, non tantùm patrocinans; verùm & ipsi persuadens iudici, vt reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat: & licet millies peccaueris, coronat, & victorem promulgat*, ait Chrysost. tom. 5. hom. 33. ad populum. Idem in Lucam ait: *Iudex noster per pauperes subornatur. Fac ergo per pauperis manum Iudicis posticum pulses; etenim ille munera tua per eum accipit, ac leges transuertit. Accipit, inquam, & ex iusto benignus efficitur: accipit, inquam, & veritati misericordiam anteponit; ac cùm peccatorum lance pauperum manum contra perpendit.* Cùm posticum sit secretius ædium ostium, acuiè satis per *posticum* eleemosynam dandam indicauit Chrysost. vt Domini mandatum seruetur: *Sit eleemosyna tua in abscondito.*

Psalm. 141.

Columbæ instar eleemosyna Deo litteras affert, vt ab obsidione liberemur.

Psalm. 67.

Chrysost. to. 1. hom. 7. de pœnitentia.

Iudex Diuinus quomodo subornandus.

E 203. Si quis nondum cœlo maturus, adhuc præsentem vitam prorogandi desiderio teneatur; is in egenos misericors sit. Cùm enim ad explicandum, quæ eleemosynæ merces rependitur, à Tobia cap. 4. 10. & ab Angelo cap. 12. 9. dicitur: *Eleemosyna à morte liberat:* id non solum de æterna, sed etiam de temporali morte benè intelligitur. Quod patet Act. 9. 36. *Fuit discipula nomine Tabitha; hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat.* Vbi notandum piam hanc mulierem, cùm à se suas opes alienasset, & pauperibus distribuisset, adhuc eleemosynis illis plenam esse dici; eo quòd, vt suprà citatus Chrysosto-

Misericordi in egenos vita prorogatur.

Vestes pauperibus datæ, sunt velut loricæ ad mortis ictus retundendos.

mus ait: *Opes distributæ manent, custodita fugiunt.* Subditur deinde de Thabitha: *Factum est, vt infirmata moreretur. Cùm aduenisset Petrus, circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis. Petrus ponens genua orauit; & conuersus ad corpus dixit: Thabitha dixit, surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro resedit.* Gen. 3. 21. dicitur: *Fecit Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.* Hæ tunicæ à Deo primis parentibus datæ indices, & prænunciæ venturæ mortis fuerunt. *Talibus oportebat indui peccatorem; quæ essent mortalitatis, quam primo peccato acceperat; & fragilitatis eius, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium*, ait Origenes. Contra verò Tabithæ tunicæ pauperibus datæ, non mortis, sed prorogandæ longioris vitæ certum pignus fuerunt. *Circumsteterunt Petrum viduæ flentes, ac rogantes; pallia, & tunicas, & omnia illa, quæ prius sumpserant indumenta, monstrantes; nec pro defuncta suis vocibus, sed suis operibus deprecantes; & quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia viuendi, meruit ad vitam, viduarum petitione reuocari*, ait Cyprianus lib. de eleemosyna. Tunicæ, quibus pauperes vestiuntur, eas largienti sunt veluti loricæ, & ægides ad mortis ictus retundendos.

Origen. hom. 6. in Leuit.

Suspirio saltem compatientes pauperi, Cœlum consequi possumus.

204. Addit citato loco Tobias: *Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Cum aliquem ad extremam necessitatem redactum significare volumus; cum vix halitum, & oris spiritum habere dicimus. Qui talis est, neque à facienda eleemosyna excusatur. *Da indigenti, & tribulato compatere. Si verò non habueris; vel suspirium si profers, omne tribuisti*, ait Chrysost. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, dicitur Psalm. 32. 6. Oris diuini spiritu ornatum cœlum, nobisque paratum, oris nostri suspirio consequi possumus; si ex vera charitate in pauperes proferatur.

Chrysost. to. 5. hom. 7. de pœnitentia.

Misericordiæ in egenos, & scalæ Iacob comparatio.

205. Gen. 28. celebris est scala Iacob, per quam *Vidit Angelos descendentes, & ascendentes, & Dominum innixum scalæ.* Nihilominus scala nobilior est erga egenos misericordia; cùm per eam non solùm homines ad Deum ascendant; sed Deus ipse, non scalæ innitatur, sed ad homines descendat. *Sola misericordia ad Deum deducit hominem; sola Deum deducit ad hominem*, scilicet vt hominem in cœlum transferat. *Numquam vidi hominem pium mala morte finiri*, asseritur apud August. serm. 44. ad fratres in eremo: Similiter Hieronymus ad Nepotianum: *Numquam memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit: habet enim multos intercessores; & impossibile est multorum preces non exaudiri.* Cùm B. Virgo tam ingentem meritorum cumulum haberet, vt omnium Angelorum, hominumque Sanctorum merita excederet: cúmque vt S. Thom. docet 1. part. quæst. 25. art. 6. Maternitatis dignitate suo modo infinita excelleret; eò quòd talis filij mater esset, quo maior esse non potest: consequenter cum ex merito, & dignitate certissimam spem haberet æterna præmia consequendi; adhuc tamen à S. Ambrosio lib. 2. de Virginib. dicitur, quòd Deipara *in prece pauperis spem reponeret.* Tanto ergo apud Deum efficacitatis deprecatio pauperis est; vt huiusmodi ad bene sperandum subsidium B. Virgo tam multiplici titulo Dei benignitate freta, sibi etiam sedulò procurauerit. Porro quamuis pauperes pro erogante eleemosynam non preces funderent; adhuc tamen ipsum æs, & argentum pauperibus eroga-

Deipara cœlesti gloria quauis dignissima, adhuc in pauperum prece spem reposuit;

A tum diuinis auribus resonat, & pro eleemosynarii salute intercedit: & quò magis occlusum, & in abscondito est erogatum, eò altiùs, & acutius resonat. Dum quis pauperis nuditati subuenit, eum vestibus operiendo, ipse misericordiæ viscera induit; quibus indutus malum vitæ finem incurrere non potest; cùm tamquam sanctus, Deique electus diuinis oculis repræsentetur, iuxtà Apost. ad Coloss. 3. 12. *Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ.*

Misericordia cur opus maius sit, quàm mortuos suscitare.

206. Misericordiæ viscera induit S. Martinus; cum vt nudum, algentémque pauperem tegeret, dimidia se chlamyde exuit. De eodem legitur suis precibus tres mortuos ad vitam reuocasse. Ex his sancti viri operibus, si scire velimus, quodnam maius fuerit; & Chrysostomum consulamus, respondet: B *Magna res, & pretiosa est vir misericors. Hæc maior est gratia, quàm mortuos resuscitare: Nam hic tu de Christo bene mereris; illic autem ipse de te: in miraculis enim ipse Deo debes; in eleemosyna verò Deum debitorem habes; & non debitorem solùm, sed cum fœnore debitorem; ita vt multò plus daturus sit, quam per pauperum manus accipiat. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi, & vicissitudinem suam reddet ei*, ait Salomon Prou. 19. 17. Quam sententiam cùm explicet S. Ambros. lib. de Tobia cap. 16. & eamdem aliorum SS. Patrum testimoniis Salazar illustret, nihil est, quod addam. Non omittendum tamen est inter diuinum, humanumque debitorem discrimen. C Homo debitor tempus numquam soluendi quod debet, aduenire vellet: contra verò debitor Deus soluendi opportunitatem quærit, eamque frequenter creditori offert: *Deus se principalem debitorem tuum, seque vult esse vadem; prebens tibi innumeras occasiones exigendi*; ait Chrysost. hom. 15. in Matth. *Debitorem prefer omnibus Deum, frustò rependit sceptra qui cœlestia*; ait Nazianzenus in tetrastichis.

Chrysost. hom. 56. ad populum.

Debitor Deus, & debitor homo in quo dissentiunt.

207. Idem Salomon Prouer. 3. ad explicandam mercedem eleemosynæ retribuendam, ait: *Misericordia, & veritas non te deserant*; seu, vt iuxtà septuaginta legit Chrysostomus: *Eleemosyna, & fides non deserant te. Circumda eas gutturi tuo, &* D *describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus.* Cuius salutaris moniti sensus est: Misericordiam in egenos, & veritatem, hoc est fidelitatem erga omnes numquam à te remoueas. *Circunda eas gutturi tuo*, seu, vt Septuaginta legunt: *Alliga eas super collum tuum.* Scilicet vt collum circumdantes; & in eo alligatæ numquam deserantur, sed è collo supra pectus pendentes semper sint ante oculos; atque adeo in corde firmiter infixæ. Sic enim nostris oculis Deum imitabimur, de quo Psalm. 10. dicitur: *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Quod autem hic de misericordia, & fi- E delitate dicitur: simili locutione vniuersè de diuina lege dictum est, Deut 11. 18. *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris; & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate.* Hoc quoad litteralem sensum: Quoad mysticum, misericordia, & veritas collo alligatæ, inde tamquam aureus, gemmatúsque torques pendere debet; quia pretiosi torques è collo pensiles nobilibus tantùm pueris concedebantur, tamquam illustrium parentum filiis. Cùm ergo ex Psalm. 85. 15. verè Deus dicatur, *Miserator, & misericors; & multæ misericordiæ, & verax*: ideo vt nos similes Deo, adeóque nos eius filios ostendamus; misericordiam, & veritatem veluti torquem è collo pendentem gestare debemus.

Chrys. hom. 1. in epist. ad Philipp.

Beneficentia in pauperes velut aureus torques è veræ misericordiæ collo pendet, nobilitatis index.

*Quemadmodum diuitum filij decus aureum circa collum gestant, illudque numquam deponunt, velut nobilitatis insigne circumferentes: ita eleemosynam nobis ipsis circumdemus oportet, declarantes nos esse misericordis illius filios; qui solem suum oriri facit super bonos, & malos. Torquem hunc aureum animo aptemus quamdiu hic fuerimus. Nam cùm ætas hæc præterierit, non amplius eo vtemur. Quod enim in pueris euenit, vt cùm ad virilem ætatem peruenerint, ista deponant, atque alium assumant ornatum; idem quoque in nobis ibi*, scilicet in cœlesti patria, *non erit eleemosyna ista, quæ pecuniis fit, sed alia quædam longè maior*, ait Chrysost. hom. 1. in epist. ad Philipp. Quænam maior illa sit eleemosyna à beatis eroganda, Chrysostomus non explicat; puto tamen sanctorum apud Deum pro humanis indigentiis intercessionem indicare voluisse.

Eleemosyna quæ à Beatis in patria erogetur.

208. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*, dicitur 4. Sap. 12. Vbi, quia à noxijs oculis fascini infectio prouenire vulgò putatur, concupiscentia oculorum, seu auaritia, *Fascinatio nugacitatis* appellatur; dicitur autem *nugacitatis*; eò quòd fallax opum cupiditas, hominum spem sæpe decipiendo, cùm iis nugari videatur. Quod explicans Franciscus Valesius de sacra Philosophia cap. 68 ait: *Fascinatio nugacitatis vocatur concupiscentia oculorum, hoc est auaritia, & cupiditas rerum alienarum: quia enim is morbus concipitur oculis, vocatur per allegoriam fascinatio: dicitur verò nugacitatis, quia bonorum fallacium, iuxta illud* Psalm. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? hoc est, vana, & mendacia bona. Itaque concupiscentia oculorum est fascinatio nugacitatis. Hæc obscurat bona, quia, vt dicitur* 1. ad Timoth. 6. *Cupiditas est radix omnium malorum: & vt ibidem Sapientiæ dicitur. Inconstantia, seu vt legit S. Fulgentius, instantia cupiditatis transuertit sensum sine malitia.* Auaritia enim sensum, mentémque hominis antea malitiæ expertem, sua instantia, & continua sollicitudine peruertit. Porrò, quia vt ex Plinio, aliísque constat, veteres contra fascinum bullam è torque pendentem gestare consueuerunt: ideo Salomon monet, vt contra auaritiæ fascinum, eiúsque fallacias misericordiam, & veritatem tamquam torquem aureum gestemus: *Alliga eas super collum tuum.* Præterea, vbi in Vulgata legitur: *Fascinatio nugacitatis*: legit Vatablus, *Fascinum vanitatis*: Vanitatis fascinum est inanis gloriæ affectus; hoc fascinum dicitur bona opera obscurare; cùm coram Deo, vt remunerantis conspectu non appareant. Eleemosyna ergo, vt Dominus præcipit, in abscondito facta; & veritas, quæ misericordiam non fingit, sed verè, & fideliter exhibet, vanitatis fascinum irritum reddent: propterea tamquam aureum torquem contra fascinum, *Alliga eas super collum tuum.*

Auaritia cur dicatur fascinatio nugacitatis? Talis fascinus omnia misericordiæ opera obtenebrat.

Fulgent. epist. 2. cap. 4.

Plin. lib. 28. cap. 4.

209. Auxiliaribus amicis, qui Romanæ Reipublicæ contra hostes opem ferebant, aurei torques dabantur, vt refert Plinius lib. 33. cap. 2. *Auxiliares, & externos aureis torquibus donauêre; at ciues nonnisi argenteis.* Pauperum multitudo in hac mortali vita fame, siti, nuditate, aliísque ærumnis oppressa ad Deum clamat; *eo quòd nihil habeat in obsidione, & penuria*; vt dicitur Deuter. 28. 55. Cúmque ad Dei misericordiam spectet pauperibus opitulari, cui Psalm. 9. dicitur: *Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adiutor*, & homini dicitur iuxtà Nyssenum: *Tibi pauper relictus est, vt Deo.* Ideo, qui ad subleuandos pauperes, Deo se tamquam auxiliares amicos exhibent, meritò misericordiæ, & fidelitatis insignibus, veluti aureo torque donantur: propterea horum vnicuique dicitur: *Alliga eas super collum tuum.*

Misericordes sunt Dei auxiliares amici.

Aureo torque auxiliares, sed ciues argenteo donabantur à Romanis.

Nyss. orat. de pauperum amore.

210. Honorem, quem Ioseph in Ægypto apud Pharaonem est consecutus, ita vt torque aureo donaretur, & secundus à Rege foret; tribuit S. Ambrosius obseruantiæ, & pietati erga parentes, quam Ioseph semper exhibuit. Porro eleemosynarij cap. 44. Ecclesiastici, appellantur *Viri misericordiæ*; eò quod ex misericordia quasi matre geniti videantur; sicut Ioan. 19. 25. Maria Cleophæ dicitur, hoc est à Cleopha genita iuxta Salmeronem & alios. Cùm ergo viri misericordiæ semper erga misericordiam matrem obsequentes se exhibuerint; illius opera erga pauperes exercendo, torque aureo sunt donandi; illísque dicendum: *Alliga eum super collum tuum.* Quod si exequeris, tibi merces erit. Quòd *Inuenies gratiam, & disciplinam bonam, hoc est bonam intelligentiam coram Deo, & hominibus*; vt subdit Salomon. Quamuis autem etiam coram hominibus gratiam & bonæ intelligentiæ laudem misericordes consequantur; inde tamen moueri non debent misericordiæ scilicet opera exercentes, *vt honorificentur ab hominibus*: quod Dominus in hoc Euangelio monet. Sed vt bonorum operum non reprehensibilem laudem consequamur, expectandum est. *Quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; Et tunc laus erit vnicuique à Deo.* Tunc coram vniuerso humano genere misericordibus dicet Dominus: *Esuriui, & dedistis mihi mãducare*, &c. Tunc iustis, & misericordibus Apostolus benè prædicit: *Cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem coronam*: ex qua coram Deo, & hominibus debitus honor proueniet. Tum manifestato vnoquoque misericordiæ viro, *Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.* In hac mortali vita satis erit iuxtà Salomonis etiam verba: *Vt addatur gratia capiti tuo: Viri caput Christus est*; ait Apostolus. Huic capiti pro bonis operibus gratia omnis habenda est.

Ambros. lib. de vita Ioseph.

Misericordes dicuntur viri misericordiæ, hoc est misericordiæ filij, à qua torque aureo donantur.

1. ad Corinth. cap. 4.

Matth. 25.

Epist. 1. Petri 5.

Eccli. 31.

Prou. 9.

1. ad Corinth. cap. 11.

211. *Aspice in me, & miserere mei*: quotidie singuli clamamus, aut certè clamare debemus. Vt misericordiam, immò mercedem à diuinis oculis impetremus; nos etiam misericorditer, & benignè in pauperes respicere debemus. Propterea filium Tobias monuit: *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; sic enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Cui consonat Ecclesiasticus cap. 4. *Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere.* Vbi notandum est, negare eleemosynam, fraudem appellari; quia iuxtà debitam charitatis obligationem in diuitum opes pauper ius habet; ideoque vacuus à diuite dimissus, suo iure priuari, adeòque fraudari dicitur. De quo plura supra diximus: Quibus addatur Basilius tom. 1. Conc. 6. de auaritia dicens: *Cui*, inquit *auarus, iniuriam facio, si mea retineo? Qualia, dic mihi, tua? Vnde accepta in vitam intulisti? Sicut si quis in theatro spectandi loco occupato, ingredientes prohibeat, proprium ipsius iudicans id, quod communiter omnibus iuxtà vsum propositum est: tales sunt diuites: communia enim preoccupantes, ea propter anticipationem propria faciunt. Si vnusquisque ad sua necessitati consolationem id, quod redundat, egenti; dimitteret, nemo esset diues, nemo inopi. Nonne nudus ex-*

Psalm. 118.

Auaritia erga pauperes fraus est.

Tob. cap. 4. 7.

Basil.

*vtero excidisti? nonne nudus in terram reuerteris? Præsentia verò vnde tibi sunt? si à casu dicis, impius es, non cognoscens conditorem; neque gratiam habens largitori. Si confiteris esse à Deo; dic rationem nobis, ob quam accepisti. Num iniustus est Deus, qui inæqualiter nobis ad vitam necessaria distribuit? Cur tu diues es, ille verò egenus? Profectò, vt tu bonitatis, ac fidelis dispensationis mercedem accipias; & ille ob magna patientiæ certamina præmia ferat. Tu verò omnia inexplicabilibus auaritiæ finibus complexus; neminem iniuria afficere te putas, cùm tot priues. Quis est prædator? qui, quæ singulorum sunt, aufert. Tu autem non es prædator; qui ea, quæ dispensanda suscepisti, tibi ipsi propria facis? An, qui veste indutum denudarit, fur nominabitur, ac prædator? Qui verò nudum non induit, cum hoc facere possit, alio num nomine dignus est? Esurientis est panis, quem tu detines: nudi est pallium, quod tu in vestiario conseruas: discalceati est calceus, qui apud te computrescit: indigentis est argentum, quod tu defossum habes. Quare tot hominibus iniuriam facis, quot dare potes.*

Pauperes altos, alios diuites cur Deus fecerit.

212. Ideo *Oculos tuos ne transuertas à paupere:* Cùm potiùs ad eius indigentiam subleuandam, in eum citò oculos intendere debeas. Ad iustos autem spectat non solùm oculos à paupere non auertere; sed vt ipsi à pauperum oculis aspiciantur, expetere. Actorum 3. De paupere mendicante ad speciosam Ierosolymitani templi portam legitur: *Is, cùm vidisset Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, vt eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit: Respice in nos.* Vbi iure Chrysostomus ait: *Confundamur nos, qui resilimus, dum orant nos inopes.* Cur non potiùs gloriosum, & amabile nobis sit beatos Dei oculos imitari; qui quamuis in suæ gloriæ throno sedeat, in pauperes tamen oculos intendere gaudet: *Dominus in templo sancto suo; Dominus in Cœlo sedes eius. Oculi eius in pauperem respiciunt*, dicitur Psalm. 10. 5.

Pauperes benignè aspiciendo, Dei oculos imitamur: idem num. 228.

Chrys. hom. 8. in Act. Apost.

213. Cùm eleemosynæ opus adeò Deo gratum sit, ab eòque valdè commendetur; illud pluribus ibidem inculcat Ecclesiasticus dicens: *Animam esurientem ne despexeris; & non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris; & non protrahas datum angustianti.* De abditis terræ cauernis ventos Deus educit, vt imbribus agros irriget, vt æstus temperet, vt segetes crescant, vt ventilatione fruges ruptis folliculis aperiantur, vt ventorum famulatu populis vtilia inuicem commercia deferantur: denique vt sua Deus liberaliter hominibus bona communicet. Ideo de Deo dicitur, Psalm. 134. 7. *Qui producit ventos de thesauris suis.* Contra verò cùm quis, vt suas sibi opes coaceruet, eleemosynam denegat, *pauperem exasperat, & cor inopis affligit, is è pauperum suspiriis sibi ipsi thesaurum colligit*, vt ait Basilius. Benè ergo monet Ecclesiasticus: *Non protrahas datum angustianti:* seu vt Tigurina legit: *Ne differas, quod erogaturus es in egenum.* Nam, vt benè idem Ecclesiasticus monet cap. 20. 10. *Est datum, quod non est vtile; & est datum, cuius retributio duplex.* Datum, quod non est vtile, est eleemosyna, quam erogans dat, *vt honorificetur ab hominibus:* Quæ planè inutilis, immò noxia est apud Deum. Ideò de tali eleemosyna subdit Ecclesiasticus: *Est propter gloriam minoratio, seu diminutio.* Quantùm enim affectus humanæ gloriæ crescit, tan-

Auarus eleemosynam denegans, vt opes accumulet; è pauperum suspiriis sibi impiè thesaur. z. c. supra.

Eleemosyna citò data est opus cuius retributio duplex.

Basil. tom. 1. Conc. 6. de auaritia.

A tùm eleemosyna coram Deo minuitur. Contra verò *est datum, cuius retributio duplex:* Cùm scilicet eleemosyna, non propter inanem gloriam, sed ex vera charitate fit, & diuini Spiritus impulsu; ideòque celeriter fit. Nam, vt Ambrosius ait: *Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia.* Et hinc Ecclesiastici monitum seruatur: *Non protrahas datum angustianti:* tunc enim eleemosynæ retributio est duplex: quia sicut, qui serò dat, vix dat, ita, *qui citò dat, bis dat;* vt cum Seneca sanctus Hieronymus ait. Respondebit ergo celeri eleemosynæ à Deo retributio duplex; altera propter eleemosynæ substantiam; altera propter celeritatis circumstantiam. De qua ad pauperem subleuandum celeritate, plura etiam supra diximus.

In Lucam 2.

B 214. Subdit Ecclesiasticus: *Rogationem contribulati ne abycias, & non auertas faciem tuam ab egeno; Ab inope non auertas oculos tuos propter iram; & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere.* Nisi enim quis citò ad opitulandum pauperi se misericordem exhibeat, Dei iram, & ipsius pauperis indignationem contra se excitabit. Et hinc eueniet, quòd Prouerb. 21. 13. 14. dicitur: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis; ipse clamabit, & non exaudietur.* S. Chrysostomus misericordiam in egenos perenni fonti, fluuióque comparans ait: *Hoc eleemosyna est, non solùm emittere flumen rapidum, sed etiam limpidum. Si vis, quasi ex fontibus tibi implusi Dei oleum*, hoc C est misericordiam, *& tu fontem habe. Si tu huius fontis aperueris ora, fontis Dei talia erunt ora, vt omnium abyssum vincant. Occasionem solùm quærit à vobis accipere Deus; & profundit ex penuariis suis bona. Quando insumit, quando sumptus facit, tunc ditescit, tunc abundat. Magnum illius fontis os, purum eius flumen, ac limpidum; si hoc non obturaueris, neque illud.* Ideo Nazianzenus ait: *Accessit ad me pauper; at frustrà tamen. Christe, extimesco, ne tuam quærens opem, abeam vicissim prorsùs abs te nihil ferens. Nam quod negat quis alteri, frustrà petit.*

Cap 4.

Misericordia in egenos, fonti, fluuioque comparatur, quibus diuinæ misericordiæ fons largissimus respondet: idem num. 2.6.

Chrysost. in Act. Apostol. hom. 24.

Nazianz. in Tetrastic.

215. Immisericordes in pauperes, non solum quod petunt, à Deo non consequuntur; sed ab D eo infligendas pœnas extimescere debent. *Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius*, subdit Ecclesiasticus. *Si iustus pauper in re graui iustè petat, & tu iniustè negas; audiet Deus cruentam imprecationem, & iustè te damnabit iniustum*, ait Palacius. Cuius mihi sententia non probatur. Pij enim pauperes, & iusti patienter repulsam tolerant, neque in repellentes imprecationibus insurgunt. Quomodo ergo dicitur maledicentis pauperis deprecatio à Deo exaudienda? Respondeo, id eo modo intelligendum esse, quo Gen. 4. Abeli sanguinis vox ad Deum clamare dicitur. Vbi iuxta Ambrosium, à Deo Caïno dictum est: *Non accusat vox ipsius, non anima eius; sed vox sanguinis E accusat, quem ipse fudisti: tuum te facinus, non frater accusat.* Sicuti igitur non Abel, sed ipsum Caïni scelus eum apud Deum accusabat; ita non pauperes, sed diuitum in pauperes sæuitiem in eos imprecari dicendum est; & ipsa pauperis patientia, & miseria diuinis oculis repræsentata contra auaros diuites est maledictio, diuinæque indignationis excitatio. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus:* nempe ad auaros immisericordes puniendos.

Pauperis maledicentis deprecatio qualis sit, & cur à Deo exaudiatur?

Palacij interpretatio refellitur.

Ambros. lib. de Cain cap. 9.

Psalm. 11. 5.

216. Subdit denique Ecclesiasticus: *Congregatio-* Eccl. c. 4. 8.

...bilem te facito. *Declina pauperi sine tristitia animam tuam.* Nam, vt magna fiducia Deo dicere possimus: *Inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea*: nos etiam sine tristitia aures pauperi inclinare debemus. Quis enim tristitiæ locus esse potest, cum exigua impensa cœlum lucrari possimus. Ideò Chrysostomus ait: *Quis regnum accipiens mœstus est? Quis peccatorum remissionem recipiens, in mœrore manet? Noli itaque pecuniarum respicere sumptum; sed magis, qui ex illo sumptu est, prouentum. Si enim, qui seminat, gaudet, quamuis in incertum seminet; multò magis, qui cœlum quasi agrum colit.* Idem Chrysost. hom. 37. ad populum ait: *Nescis, quòd non tam propter pauperes eleemosynam Deus, quàm propter ipsos impendentes instituit?* Similiter hom. de eleemosyna, & collatione in Sanctos: *Deus eleemosynam non ob hoc solùm constituit, vt pascantur indigentes; sed etiam vt dantibus accrescerent beneficia: atque adeò magis propter dantes, quàm propter accipientes: Et propterea vera eleemosyna est, sic dare, vt gaudeas te dare; putesque te magis accipere, quàm dare.* Ideò iuxtà Apostolum, *Eleemosynæ hilarem datorem diligit Deus.* Quamuis, qui eleemosynam pauperi erogat, non tam datorem, quàm debitorem dicere possimus: propterea monemur: *Pauperi redde debitum tuum; & responde illi pacifica in mansuetudine.* Nam, vt benè Augustinus ait: *Quicquid excepto victu mediocri, & vestitu rationabili, superfuerit, non luxuriæ reseruetur, sed in cœlesti thesauro per eleemosynam pauperum reponatur. Quicquid enim Deus nobis, plusquam opus est, dederit; non nobis specialiter dedit; sed per nos alijs erogandum transmisit: Quod si non dederimus, res alienas inuasimus.* De quo plura etiam supra diximus.

Psal. 16. 6.
Misericors in egenos, cœlum quasi agrum colit; cui pecuniam quasi semina mandat.
Chrysost. hom. 15. in ep. ad Rom.
2. ad Cor. 9.
2. ad Cor. 9.
Ecclesiastici cap. 4. 8.
August. ser. 219 de tempore.

217. Euangelicæ Domini sententiæ: Pater tuus reddet tibi; consonat Ecclesiasticus citato cap. 4. eroganti eleemosynam dicens: *Eris tu velut filius Altissimi obediens; & miserebitur tui magis, quam mater.* Egenis benefaciens verè tamquam Dei Altissimi filium se exhibet; cùm Dei, tamquam Patri similis, misericordiam imitetur. *Regina verè est eleemosyna similes faciens homines Deo. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est*, ait Chrysostomus. Eroganti eleemosynam promittitur: *Altissimus miserebitur tui magis, quam mater.* Nam matres primis tantùm annis filijs vbera, & lac exhibent: id verò Deus præstat vsque ad cœlestem beatitudinem consequendam; & ibi in æternum. Ideo Isaiæ 66. dicitur: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis: vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius; vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius.* Omnimoda Dei gloria, æterna beatitudo est.

Eleemosyna hominem Deo similem reddit.
Chrysost. hom. 12 in ep. 2. ad Tim.

218. Sed quoniam amantissimæ matres dilectam prolem, suam pupillam vocare solent: & Tobiam filium suum Anna *oculorum lumen* vocabat: ideo Dauid filiali suo erga Deum obsequio mercedem expetens aiebat: *Mirifica misericordias tuas; custodi me, vt pupillam oculi.* Hanc certè mercedem sperare, & consequi potest, qui in pauperes misericors est. Ideo Ecclesiasticus cap. 17. 18. asserit: *Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso; & gratiam hominis, quasi pupillam conseruabit*, seù vt aliqui legunt; *Miseratio hominis instar sigilli coram ipso*; idest coram Deo: *& beneficium cuiusque conseruat tamquam pupillam*: beneficium scilicet, quod ab eleemosynario sub pauperis persona Deus accipit. Si tamquàm pupillam conseruat Deus tale beneficium; tamquam pupillam etiam ipsum beneficum conseruabit. Meritò autem in pauperem beneficus tamquam Dei pupilla habetur; cùm benignè, & misericorditer pauperis indigentiam respiciens, Dei oculorum pupillam imitetur; ita vt tam de Deo, quàm de eleemosynario dici possit: *Oculi eius in pauperem respiciunt. In oculorum medio pupillæ sunt: hæ nequa incidentis injuriæ offensione lædantur, pilis hinc inde consertis, veluti quodam vallo per circuitum muniuntur*, ait S. Ambros. *Aciculæ pilorum circumsitæ parua animalia eminus prohibent, & puluerulenta non sinunt appropinquare pupillæ*, ait S. Basilius. Benefici erga pauperes, vt pupilla Dei conseruati, quos veluti pilos custodes habent ad immundos spiritus, qui in eos inuolant, procul arcendos? Respondet Chrysostomus hom. 33. ad populum: *Sunt hic castra pauperum, & bellum, in quo pro te pauperes pugnant. Cùm enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium; propitium autem facientes, dæmonum insidias repellunt; neque sinunt vehementer infestum esse malignum, neque semper irruere, sed ipsius dissoluunt potentiam.*

Tob. c. 10.
Psal. 16. 8.
Beneficus in egenos veluti Dei pupilla est.
Eleemosynarius, vt a dæmonum insidijs liber sit, pauperum castra pugnant.
Psal. 40. 36
Ambrosius l. 6. Hexam. c. 9.
Basil. hom. 11. Hexam.

219. Arcium custodes hoc in mandatis habere solent; vt earum aditus nemini pateat, nisi allato regis annulo. Vt cœli nobis aditus reseretur, erogata pauperi eleemosyna, tamquam annulus certæ fidei index proferri debet. Ideo dicitur: *Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso*, seù vt alij legunt: *Misericordia est, sicut signum annuli apud ipsum.* Ideo bene Chrysostomus hom. 36. ad populum ait: *Tanta vis est eleemosynæ; Cum multa fiducia suos introducit alumnos: est enim cœli nota ianitoribus, Sponsalis thalami fores obseruantibus. Venerabilis est; & quos sui cultores agnouerit; cum multa introducet libertate, & contradicet nemo, sed omnes cedent.* Præterea citato Ecclesiastici loco legunt Lyranus, & alij: *Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso.* Sacculus autem eleemosyna dicitur ad significandum, quàm citò, quàm libenter Deus cœlestium gratiarum merces eleemosynarijs tribuat. Emptoribus enim, qui ad emendum parato pecuniæ sacculo accedunt, citò, & libentissimè à mercatoribus merces dantur.

Eleemosyna cur annuli signum dicatur.
Eleemosyna est veluti paratæ pecuniæ sacculus ad cœl. merces emendas.
Eccli. c. 4.

220. Dauid Psalm. 118. vniuersæ diuinæ legi auaritiam opponit dicens: *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* Huius ratio est, quia, vt Matth. 22. 40. à Domino dicitur, in dilectione Dei, & proximi vniuersa lex pendet. Qui autem non diligit proximum, neque Deum diligit. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere*, ait S. Ioan. Hinc est, vt auarus in proximum immisericors, omnibus Dei mandatis, quæ in Dei, & proximi charitate consistunt, opponatur. Ex eadem ratione, qui erga indigentem proximum, tamquam in Dei omnium patris filium misericors est, dicitur vniuersam Dei legem implere: & ideò eleemosyna absolutè iustitiæ nomine appellatur, vt supra vidimus. Hoc profectò significare voluit Ecclesiasticus cap. 29. dicens: *Qui præualet manu, seruat mandata.* Vbi iuxta sacros interpretes, præualere manu dicitur, qui in egenos liberalis, & beneficus est. Sicut enim auarus dicitur, manum contractam habere, aut chiragra laborare; ita liberalis promptus, & expeditus manibus dicitur, ijsque præualere. Quàm valida est manus hæc, quæ per eleemosynam in cœlum vsque, aurum, argentumque ejaculatur? Præualebat sanè manibus fortis, & celebris mulier, de qua Salomon ait Prou. 31. 20. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Mulier immisericors portento, & monstro similis est*, ait S. Anselmus. Monstrosum quidem esset manum alteram lon-

Auaritia omnibus Dei mandatis opponitur.
Liberalis erga egenos diuinam legem implet.
Auarus alteram manum ad accipiendum longiorem, alteram ad dandum breuiorem habens, monstrosum quid est.
Ep. 1. c. 4. 20.

giorem, breuiorem alteram habere: quales fuisse Artaxerxis Persarum regis manus legimus. Ideò Ecclesiastici 4. monemur: *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta:* seu, vt legit Syrus: *Ne sit manus tua extensa ad accipiendum, & sit contracta ad dandum.* Cùm potius ad accipiendum contracta, & ad dandum extensa esse debeat. Quare citatus Artaxerxes cognomento Longimanus dixit: *Sibi Deum & naturam tamquam futuro regi ad dandum dexteram dedisse longissimam, sinistram verò ad detrahendum breuissimam;* Cùm magis regium sit addere, quàm adimere, dare, quàm accipere. Præterea vbi de erogante eleemosynam legimus: *Qui præualet manu;* alij legunt: *Qui vires, & robur addit manui suæ.* Cùm enim ex humana corruptela, & innata auaritia opes tenacissimè possessori adhæreant; magno robore, & vi opus est, vt eæ ad alienam egestatem subleuandam extrahantur. *Qui manui suæ imperat*, legit Vatablus. Cum hominibus Deus, & natura depositum dominium in manus dederit; liberalis tamen eo dominio vtitur; suasque opes per piam liberalitatem verè suas esse ostendit: *Omne, quod nostrum est, tunc magis nostrum erit, si sit commune cùm fratribus*, ait Chrysostomus. E contrario auarus imperare manui nequit; cùm potiùs in tenacis manus arbitrio in eum imperium esse videatur.

Artaxerxis Longimani ad liberalitatem commendandam præclara sententia.

Liberalis opes vere suas esse ostendit, secus auarus: idem num. 221

Chrysost. ser. de Ieiunijs, & lect. Gen.

221. Quamuis enim pauperum miseria humanam commiserationem moueat, aut certè mouere debeat; tenax tamen manus imperare, & reluctari videtur, ne ad pauperum miseriam subleuandam arca, aut crumena aperiatur. Ideo de auaris, & in pauperes immisericordibus Iob 21. ait: *Non sunt in manu eorum bona sua.* Vbi Gregorius ait: *Bona in manu habet, qui despiciendo temporalia sub dominio mentis premit. Nam quisquis ea nimiè diligit, se magis illis, quàm sibi ipsa supponit. Multi etenim iustorum in hoc mundo diuites fuerunt, rebus, & honoribus fulti, habere multa videbantur; quorum mentem, quia eorum, quæ aderant, delectatio nimia non possidebat, bona illorum in manu erant, quia potestati animi subjecta tenebantur. At contra iniqui ita se totis desiderijs in exteriorum rerum appetitionibus fundunt; vt non magis ipsa habita teneant, sed ab his, quæ habent captiua mente teneantur.*

15. Mor. c. 1.

222. De hac auaritiæ captiuitate Chrysost. hom. in Psalm. 48. ait: *Diuitiæ sunt tortore acerbiores: tortor enim corpus vincit; diuitiæ animum vinciunt. Vides illum vinctum, nec illius te miseret: illum propterea odi, quòd vincitur; quod non necessitate, sed consultò catenam attraxit.* Idem orat. de diuitijs, & paupertate ait: *Si carcerem introibimus, circumdatos videmus, & vinctos catenis. Ita si vniuscuiusque animam ingrediamur, videbimus eam durioribus ferro vinculis alligatam; & maximè si diuitum intremus animas: Sicut enim cum aliquem videris vinctum ceruice, manibusque, pedibusque ferratum, illius maximè misereris: sic etiam cùm videris diuitem cunctis rebus omnino circumdatum, noli eum propterea vocare locupletem, propter quod debes infelicem vocare. Præter illa quidem vincula, habet custodim carceris seniorem, amorem pecuniæ; qui semel à se vinctum, de hoc carcere exire non permittit; sed mille illi imponit catenas, & ostia, & seras, atque custodias; & in interiorem conjiciens carcerem, etiam delectari his vinculis facit.* Quomodo à tali carcere, & captiuitate liberari quis possit, docet Chrysost. *Cùm diuitijs fuerimus alligati, quomodo aduersarios vincemus? Sunt enim vinculum graue his, qui vti nesciunt; sæuus tyrannus, & inhumanus omnia imperans in perniciem illorum, qui illi seruiunt. Sed si voluerimus, hæc vin-*

Auarus veluti catenis vinctus, infelici carcere detinetur.

Auaros damnans, lapis de pariete clamat.

Chrysostomus hom. 14. in ep. 2. ad Corinth.

A *cula, & acerbam hanc tyramnidem de sede deturbabimus. Quomodo autem id fiet? si diuitias omnibus distribuerimus.* Quod fusius explicans citata hom. de diuitijs, & paupertate ait: *Pecuniam possidere oportet, vt dominos, non vt seruos: serui enim est asseruare; expendere verò Domini, & magnam potestatem habentis. Quare nihil insipientius seruo pecuniæ; tenere sibi videtur, cùm ipse teneatur; videtur sibi dominus, cùm ipse sit seruus: & cùm vincula sibi circumdederit, quasi in omnes imperium habens gestit, & saltat, in captiuitatem incurrens.* Optimè ergo monet Augustinus ser. 25. de verbis Domini: *Via in cælum est pauper; incipe ergo erogare, si non vis errare. Patrimonij tui, quo es ligatus, compedem solue, vt liber possis*
B *ad cælum ascendere.* Sed ad Ecclesiasticum redeamus.

223. Subdit eodem cap. 29. Ecclesiasticus 11. 13. *Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum.* Pecunia enim, quæ in terra videtur amitti, in cælo per eleemosynæ meritum auctior reperitur: pauper autem propter communem naturam, vt frater; & propter dilectionem proximo debitam, vt amicus est habendus subditur: *Et non abscondas illam,* nempe pecuniam, *sub lapide in perditionem;* hoc est, in animæ tuæ perniciem. Nam ipse lapis, sub quo defossum thesaurum seruas, in te tamquam inexplebilis auaritiæ, & in pauperes sæuitiæ reum coram cælesti iudice acerrimus te-
C stis erit. *Væ, qui congregat auaritiam malam*, idest exitialem, *domui suæ; quia lapis de pariete clamabit*, dicitur Habacuc cap. 2. 11. Quare ne in seuerum iudicem, pauperum miseriæ vindicem incidamus, monet S. Gaudentius: *Vende patrimonium, & eme patrocinium, cuius interuentu, certus de impetrata venia, venturum iudicem liber merearis aspicere.* Ideo S. Chrysost. ait: *Eleemosyna Christi adstat tribunali, non tantùm patrocinans; sed etiam ipsi persuadens indici; vt reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat. Et licet millies peccauerit, coronat, & victorem promulgat.* Promulgat victorem contra dæmones, qui contra hominis salutem plurium accusationum ictibus insurgunt. *Appre-*
D *hende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi: Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me. Dic animæ meæ: Salus tua ego sum.* Psalm. 34. Deum Dauid orabat. Arma, & scutum, quæ iudicij die ad nos liberandos Deus apprehendet, eleemosynæ erunt ex vera charitate in pauperes erogatæ. Ideo Ecclesiastici 29. dicitur: *Conclude eleemosynam in corde pauperis; & hæc pro te exorabit ab omni malo: super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.*

Gaudent. tom. 7. Biblioth. 1 P. tract. 13.

Chrysost. hom. 31. ad popul.

Beneficentia in pauperes clypeus erit in extremo iudicio, contra accusantium aduersariorum ictus.

224. Deuter. 26. 12. à Deo præcipitur: *Quando compleueris decimas cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, & viduæ.* Vbi quæritur, cur cum Leuitis, hoc
E est, cum sacerdotibus, & sacrificiorum ministris simul dandas esse indigentibus decimas præcipiatur? Quia scilicet, vt dùm Leuitis, hoc est sacerdotibus, eorumque ministris in vitæ subsidium decimæ dabantur, vt ad sacrificia Deo offerenda vacare possent; ipse idem, qui pauperibus subueniebat, suo modo sacerdos constitueretur, & sacrificij oblator: cùm misericordia erga egenos, ijsque eleemosyna erogata gratissimum Deo sit sacrificium, eique hostia in primis accepta: *Misericordia verum sacrificium est; ac per hoc, vbi scriptum est: Misericordiam magis volo, quàm sacrificium: Nihil aliud, quàm sacrificium sacrificio prælatum oportet intelligi*, ait August. 10. de Ciuit. cap. 5. Idem hom. 19. inter quinquaginta: *Sacrificium Christiani est eleemosyna in pauperem.*

Misericordia liberalitas in egenos, eximium sacrificium.

Osee c. 6.

Eleemosynam erogans veluti sacrificans sacerdos constituitur.

Liberalis in egenos, & antiquus sacerdotum comparatio.

Hinc enim fit Deus peccatis propitius. Nisi enim peccatis propitius fiat Deus, quis remanebit, nisi reus? Ideo Apostolus ad Hebr. 13. 16. de eleemosyna loquens ait: *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur Deus*, hoc est *placatur*, vt legit August. Idem Apost. ad Philipp. 4. vers. 18. Philippensium eleemosynas vocat *Odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Eleemosynarij autem sunt huius hostiæ, & sacrificij sacerdotes. Quod eloquentissimè Chrysost. hom. 20. in ep. 2. ad Corinth. docet, comparans erogantem eleemosynam cum antiquo legis Mosaicæ sacerdote. *Diuitiarum contemptus magnanimos efficit, & sacerdotes constituit; & sacerdotium, quod magnam mercedem affert. Nam qui eleemosynæ studiosus est, non est talari veste indutus, nec tintinnabula circumfert, nec corona redimitus est. Sed indutus est stola misericordiæ, quæ sancta veste sanctior est, dicente Apostolo: Induite viscera misericordiæ. Est autem vnctus oleo, non ex sensibili materia composito, sed à Spiritu sancto effecto. Coronam à miseratione contextam habet; sicut ait Scriptura: Qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Pro pectorali gestamine, Dei nomen gestat: immò similis fit Deo: Eritis enim, inquit, similes Patri vestro, qui est in cælis. Sed dicis: Sacerdos ingreditur in sancta sanctorum. Licebit & tibi sacrificanti hoc sacrificium, ad veneranda ingredi; vbi nullus adest; sed Pater tuus, qui videt in occulto, vbi nullus alius videt. Et quomodo dicis non videre, cùm in propatulo sit altare*, nempè pauperes? *Quando non ad ostentationem hominum feceris, licèt totus Orbis viderit, nemo tamen viderit; quandoquidem tu sic fecisti. Non enim dixit simpliciter: Non facite coram hominibus; sed addidit: Vt videamini ab eis.* Altare, in quo eleemosynæ sacrificium Deo affertur, ipsi pauperes sunt, qui Christi sunt membra. *Altare hoc non alius quispiam, sed ipse Deus extruxit; non lapidibus, sed materia cælo clariore, nempè animabus rationalibus. Hoc altare ex ipsis Christi membris compositum* est, ait ibidem Chrysost. Ideo huiusmodi altare præponendum asserit ipsi altari, in quo ab Euangelico sacerdote cœlestis agnus Deo offertur: *Hoc altare præsenti quoque altare augustius est, magisque venerandum.* Hoc enim altare, quo in Missæ sacrificio vtimur, eximium quidem est, & admirandum ob eam victimam, quæ in ipso imponitur. Illud autem hominis misericordis altare, non hoc solùm nomine est eximium; sed quòd ex ipso sacrificio, quod in alio altari offertur, constructum est: illa enim ara ex ipsis Christi membris conflatur. Rursùs altare aliud naturâ quidem lapis est; sanctum verò efficitur, quoniam corpus accipit Christi: illud autem altare sanctius, quoniam ipsum corpus est Christi. *Tu verò hoc quidem altare honoras, quod accipit corpus Christi; illud autem, quod est ipsum Corpus Christi, contumelia afficis, & despicis dum perit*, ait Chrysostomus. Qui concludit tandem in morali parte: *Cùm vides pauperem, corpus Christi, aram Christi te videre puta; ac eleemosynæ sacrificium offer; ex quo gloria, & gratiarum actio, quasi fumus ascendat ad Deum.*

August. l. 10. de Ciuit. c. 5.

Ad Colost. 3. 12.

Psal. 102.

Matth. 5.

Pauper altare Dei est, altaribus alijs præferendum.

225. Porrò eleemosynæ sacrificium, quod ad pauperis aram offertur, holocaustum esse debet, ita vt totum Deo offeratur, nihil ex eo sibi humana gloria subripiat. De hoc enim præcipuè holocausto Deus ait Isaiæ 61. 8. *Ego Dominus odio habens rapinam in holocausto.* Is in eleemosynæ holocausto inanis gloriæ rapinam vitat, *Qui tribuit in simplicitate*, iuxtà Apostol. ad Rom. 12. 8. vbi Origenes ait: *Qui tribuit indigentibus, oportet in simplicitate cordis hoc facere: id est, ne, dum videtur indigen-* *tibus benefacere, corde laudē quærat ab hominib. vt. Non est ergo simplicitas, si aliud agi videatur in manibus, & aliud quæratur in corde.* Ideo panis, qui pauperi tribuitur, ita simplex esse debet, vt admistum non habeat hypocrysis fermentum. Propterea Lucæ 12. Dominus monuit: *Attendite*, seu iuxta Matthæum, *Cauete à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Benè autem humanæ laudis per hypocrisim appetitus fermenti nomine dicitur, cum ex vtroque tumor proueniat. *Fermentum hanc vim habet, vt si farina missum fuerit, quod paruum videbatur, crescat in maius*, ait S. Hieronymus. Vt ergo eleemosyna apud Deum meritoria sit; non ex inani gloria, sed ex intimo cordis affectu, & erga pauperes commiseratione ad illis subueniendum moueri debemus. Ideò Isaiæ 58. 10. dicitur: *Cùm effuderis esurienti animam tuam*, hoc est, ex intimo, & sincero charitatis, & misericordiæ incentiuo; *& animam afflictam repleueris; orietur in tenebris lux tua*: hoc est, quamuis in abscondito, & veluti in tenebris eleemosyna erogetur; tuæ tamen charitatis ardor, & fulgor Dei oculis radiabit; qui tuas eleemosynas largissimis præmijs compensabit. Quæ præmia fusè ibi propheta commemorat, vbi sactos interpretes consule.

Misericordia erga egenos non sacrificiū.

Miseratio quodlibet, sed holocaustum esse debet.

Matth. 16. 6. Hypocrisis & fermentum causa est vtrumque tumoris.

226. Prou. 3. 9. iuxtà Augustinum, Bedam, & alios, cohortatio est ad eleemosynam erogandam: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da ei.* Vbi notandum primò dici Deo dari, quod pauperi datur; idque iuxtà Domini sententiam Matth. 25. 40. *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis:* & Prou. 19. 17. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis; & vicissitudinem suam reddet ei.* 2. iuxtà Bedam, eroganti eleemosynam dicitur: *Honora Deum*: non enim proprius honor, & laus; sed Dei honor, in cuius obsequium eleemosyna exhibetur, est quærendus. 3. eleemosyna de primitijs frugum danda esse dicitur; quia sicuti ad sacram templi aram Deo primitiæ offerebantur; ità ad pauperes, qui vt supra diximus, tamquàm Dei ara sunt, eleemosynæ sunt deferendæ. Præterea sicut ex frugibus, & fructibus optima quæque seligebantur, vt Deo in primitias offerrentur: ita non ex deterioribus eleemosynæ pauperibus dandæ, seligendæ sunt. 4. Cum Septuaginta legit Augustinus: *Honora Deum de tuis iustis laboribus.* Adeo enim quæstuosa, nobisque vtilis eleemosynæ erogatio est, vt si opes non suppeterent, ad eam exercendam labores nostros libentissimè impendere debeamus. Ideò Christianum monet Apostolus: *laboret operando manibus suis, quod bonum est*, scilicet decorum est, & valdè laudabile; *vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti.* Si enim non solùm *labores manuum tuarum manducabis*, sed etiam pauperes manducare facies: *beatus es, & benè tibi erit.* Id ex proprijs laboribus eroganti eleemosynam dicitur: diuiti autem eleemosynario Salomon ait: *Implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt.* Quoniam, vt Ecclesiasticus asserit: *Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi*: hoc est multò plura: septenario enim numero apud Hebræos plura significari docet Hieronymus in Isai. cap. 4. & cap. 54. Hinc 1. Reg. 2. vbi habetur: *Donec sterilis peperit plurimos*, iuxta Septuaginta legitur: *Donec sterilis peperit septem.* Similiter ad magnam beatitudinem significandam *terque, quaterque beatos* Latinus Poëta dixit. Quare citato Ecclesiastici loco Syrus legit: *Quia Deus retributor est, & millia millium ipse reddet tibi.*

August. tom. 9. l. de vita Christiana. Eleemosynæ cur primitiæ dicuntur.

Supra. Eleemosyna danda ex suorum laboribus, vbi opes non suppetunt.

Ad Eph. 4. 28.

Psal. 127.

Prou. 3. 9.

Cap. 35. 13. Septenarius numerus plures, in scriptura significat.

227. Quoniam verò eleemosynæ millia millium retribuere Deus dicitur; tàm liberalis Dei retri-

butio hîc, an in altera vita expectanda est? Respondetur insipientem planè esse, & suæ ipsi ius gulæ malè consulere, qui Regis conuiua futurus, antequam regias epulas adiret, vilioribus cibis stomachum infarciret. Talis profectò esset, qui ad æterna præmia animum non intendens, suis eleemosynis temporalium bonorum mercedem expeteret. Audi Chrysostomum hom. 36. ad populum: *Sicut gulosi insolentes, honestatis expertes, & ventris serui ad regale vocati conuiuium, nec congruum horam expectantes paruulorum infantium more, suam corrumpunt lætitiam, praeuenientes, & vilioribus seipsos cibis saturantes: ita scilicet & hi mercedem hic exquirentes, & accipientes, futuram diminuunt.* Subdit Chrysostomus: *Si mors redimi posset, homo omnia sua dedisset. Vide quanta sit Dei misericordia, temporalem tibi redimere mortem non concessit, sed concessit æternam redimere mortem. Ne breuem, inquit Deus, emas vitam hanc, sed vitam illam æternam: illam tibi vendo, non hanc: hanc si ceperis, ceperis nihil.* Quod ibi aptissimo exemplo Chrysostomus explicat: *Dic mihi, si ad aliquem profectus mercatorem, duobus propositis lapillis, altero falso, altero pretioso; tu falsi lapilli pretium deponens, pretiosum accepisses, numquid mercatorem incusasses? Nequaquam, sed tu potius fuisses admirationi. Similiter nunc propositæ sunt duæ vitæ; temporalis, & æterna; ipsas autem venundat Deus: sed hanc nobis, non illam vendit. Quid insipientium more tristamur, quod pretiosum accipiemus?*

Stultum est misericordiæ operibus temporalia præmia exoptare

228. Idem Chrysostomus hom. 22. in acta Apost. ad explicandam eleemosynæ mercedem, piam eleemosynæ liberalitatem perenni, ac pellucido fonti similem esse asserens ait: *Hic fons melior eo, qui est in paradiso, non in quatuor diuiditur capita, sed in cælum ipsum surgit. Hic parit flumen illud, quod salit in vitam æternam: in hunc, si mors inciderit, tamquam flamma à fonte consumitur.* Si è fonte, qui in terrestri Paradiso prodit, fluuius Phison emanat, de quo dicitur Genes. 2. *Circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum:* Eleemosynæ fons non aurum quærit; sed potius aurum ferens, pauperes, in quos illud impertiatur, indagat: & ideo benè *Melior eo, qui est in paradiso*, à Chrysostomo dici potest. E paradisi fonte emanasse similiter fluuium Gehonem, idest Nilum SS. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, & alij docent. Nilus autem antequam Ægyptios agros fœcundet, longo spatio in terræ abdito delitescit. Hunc tamen paradisi fluuium multò melius pius eleemosynarius imitatur; dùm seipsum occultare studet, vt iuxtà Domini monitum: *Sit eleemosyna in abscondito.* Prætereà elegantissimè prosequitur citato loco Chrysostomus fontis, & liberalis eleemosynæ similitudinem dicens: *Sicut in horto fons, non nunc quidem profundit fluenta, nunc autem arescit; alioquin non esset fons, sed semper scaturit: ita & noster,* nempè eleemosynæ fons, *semper largius profundit flumen in eos, qui maximè indigent misericordia, vt maneat fons. In summis locis fontes dicuntur nasci. Simus ergo & nos animo sublimes, & statim misericordia diffluet. Non enim potest fieri summum animum non esse misericordem, & misericordem non esse summum. Fontes plerumque sunt in solitudinibus: & nos animum à turbulentia educamus, & scaturiet apud nos eleemosyna. Fontes, quò magis aqua hauriuntur, clariores fiunt: sic sanè & nos quo magis insumemus, tanto magis bona scaturient. Qui fontem habet, non timet: si ergo & nos habuerimus eleemosynæ fontem, non timebimus. Etenim ad potum, ad irrigationem, ad ædificium, ad omnia nobis vtilis est hic fons. Melius est talem habere fontem, quàm auri fontes fluentes aureis glebis. Mulier, quæ hoc fert aurum, anima est: non enim in hæc regna, sed in ea, quæ sursùm sunt, aurum fons hic largitur ad Dei Ecclesiæ ornatum. Ex hoc auro gladius efficitur spiritus, gladius per quem draco obsecatur.* Porrò sicut iuxtà Chrysostomum ex pecunia per eleemosynam erogata gladius ad diabolum superandum efficitur: ita ex pecunia, quæ in indigentiam victum non impertitur, gladius fit, per quem auarus impij in proximam homicidij reatum subit. Nam, vt benè Ecclesiasticus 34. 25. ait: *Panis egentium, vita pauperum est; qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Hinc S. Ambros. auarum monet: *Pasce fame morientem; si non pauisti, occidisti.* Talis homicidij acerrimus vltor est Deus: *Faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum,* ait Dauid Psal. 139. Sed ad eleemosynæ fontem redeamus. Peccatores Is. 1. 16. monentur: *Lauamini, mundi estote. Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Ex quo fonte ad tam efficax, ad tam nitidum, & tam salutare lauacrum aqua est haurienda; vt peccata, hoc est anima peccatis valde inquinata, quasi nix munda reddatur? Profectò ex misericordiæ, & eleemosynæ fonte talis aqua quærenda est. De ea enim Chrysostomus ait: *Hæc non sinit sordidis indutos vestibus in nuptijs videri; sed lauat, & niue mundiores reddit.*

Beneficentiæ in pauperes, & terrestris Paradisi fontis comparatio.

Nilus antequam agros fœcundet, latet.

Gladius contra diabolum conflatur ex pecunia pauperi data.

Ambrosius S. præcitatus.

Vestem quamdam nuptialem misericors in pauperes habet.

Hom. 33. ad popul.

229. Fœcundis fabularum mendacijs Herculem monstrorum domitorem celebrauit Antiquitas; quòd is defesso cœlesti pondere Atlante, cœlum labans humeris suffulserit. Dicamus nos cum Ambrosio: *Maior est ambitioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides.* Nam qui auaritiam, monstrum extuberantem aluum, & vncinatas manus habens, domuit; quique in pauperes liberalis, & misericors est, Herculea laude mirabilius aliquid efficit. Quod egregiè sic explicat Chrysostomus: *Si nondum apertè didicisti, quali te Deus decorauit ornamento, paupertati subuenire iubens, illud intra te computa. Si talem tibi Deus dedisset potestatem, vt labens cœlum sustinere posses, nonne id opus honorem te multò maiorem existimasses? En igitur maiori te dignum fecit honore. Quod enim cœlis est dignius, hoc tibi refouendum commisit: apud Deum enim visibilium nihil homini par. Nam & cœlum, & terram, & mare propter hominem fecit; & in eo inhabitans, magis quam in cœlo delectatur. Dissoluta pauperum corpora omninò resurgent; & his productis, qui hæc imperauit Deus, laudabit eos, qui curam ipsorum gesserint; & admirabiles reddet, quòd pauperes iam casuros, nunc præ fame, nunc præ nuditate, & gelu omnibus modis refocillarunt.*

Misericors in pauperes opus præstantius efficit, quam si labanti Herculis instar, labens cœlum sustineret.

Lib. 1. de Abra. c. 2.

Hom. 35 ad populum.

SABBATVM

# SABBATVM POST CINERES.

## Cùm sero esset factum, erat nauis in medio mari, &c. Marci VI.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

1. NAvis hæc Euangelica, eiusque nautæ tripliciter exagitantur: primò venti in contrarium spirantis impetu: *Erat eis contrarius ventus.* 2. maris fluctuatione: *Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus.* Matth. 14. 3. ipsorum nauigantium ignorantia, & obcæcatione: *Erat cor illorum obcæcatum.* Ex qua obcæcatione, viso Iesu supra mare ambulante, non recreantur, sed exterrentur, *putantes phantasma esse; omnes enim eum viderunt, & conturbati sunt.* Per hæc autem triplex animæ perturbatio significatur. Animæ enim vel immundi spiritus suggestione; vel internarum passionum perturbatione; vel obtenebratæ mentis cæcitate turbari potest. Prima turbatio spirantis venti contrarietate symbolicè indicatur. 2. fluctuantis maris agitatione; hinc Isaiæ 57. 20. dicuntur *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* & à B. Iuda Apost. peccatores dicuntur *Fluctus feri maris dispumantes suas confusiones.* 3. denique turbatio nauigantium inscitia, & deceptione significatur. Hæ omnes animæ perturbationes, simul expressæ reperiuntur Psalm. 90. *A sagitta volante in die; à negotio perambulante in tenebris; ab incursu, & dæmonio meridiano. A dæmonio meridiano*, hoc est, iuxta Bernardum à diabolo transfigurante se in Angelum lucis, & sub boni specie prauas cogitationes suggerente: *à negotio perambulante in tenebris*; idest à turbatione proueniente ex obscuratæ mentis inscitia: *à sagitta volante in die*, idest ab inordinata cordis passione, quæ sagittæ nomine explicatur: quandoquidem præcipua humani cordis passio, à qua reliquæ pendent, nempe amor, iaculis corda sauciare ab ipsis profanis auctoribus dicitur: hæc autem sagitta volare dicitur in die, eo quòd remota mentis cæcitate, & nocte, adhuc vim habeat iuxtà illud: *Video meliora, proboque; deteriora sequor.* Porro sicut venti contrarietas, maris fluctuatio, nauigantium cæcitas sublata est, Domino in nauium ascendente; ita Dei ad animam accessu, ac præsentia per gratiam, immundi spiritus suggestio, passionum turbatio, mentis inscitia remouetur.

Turbatio animæ triplex.

*Cùm sero esset factum, erat nauis in medio mari, & Iesus solus in terra: & vidit discipulos suos laborantes in remigando.*

2. CVm Dominus statim nauigantes discipulos à venti impetu liberare potuisset; discipulos tamen remigando laborare voluit; vt nos doceret non ita diuino auxilio, & bene-

A ficentia esse innitendum, vt nostram etiam cooperationem non exhibeamus. Ad quod mysticè significandum 4. Reg. 2. legitur: *Ecce currus igneus, & equi ignei; & ascendit Elias per turbinem in cælum. Et Eliseus leuauit pallium Eliæ, quod ciciderat ei.* Scilicet, dum diuinitus Elias igneo curru, igneisque equis eleuaretur in cœlum, vt leui igneorum equorum cursui cooperaretur; pallij qualicumque pondere se etiam exonerare voluit. Si Eliam imitari volumus, rectoque cursu leues in cœlum ascendere; quæ impedimento esse possunt, pondera relinquamus, *Expoliantes veterem hominem cum actibus suis*, vt ad Coloss. 3. monet

Auxilio Diuino cooperandum. Elias sursum eleuatus cur pallium relinquit?

B Apostolus. Quomodo diuino auxilio cooperari debeamus docuit etiam sponsa Cantic. 1. Cœlesti sponso dicens: *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*: addendo scilicet diuinæ tractioni proprij etiam cursus conatum: *Qui vult attrahi, currat, vt comprehendat*, ait Ambrosius.

Ambros. de Isaac, & anima cap. 3.

3. De vniuersalis diluuij aquis dicitur Genes. 7. *Vehementer inundauerunt, & preualuerunt nimis super terram*; ita vt arbores eradicauerint, domosque & vrbes euerterint. Deus tamen arcam, in qua cum Noë iusto humanum genus seruabatur, ita texit, vt inter vehementissimas aquarum fluctuationes, ad rupes, & montes numquam illisa,

Noë contra inundans diluuium ad arcam seruandam diuino auxilio cooperatus est.

C à naufragio libera fuerit. Nihilominus, cum Deo regente ab aquis illæsa arca seruaretur; adhuc humanam industriam adhiberi Deus voluit; ne arca rimis patens inimicum imbrem acciperet: ideoque Noë præcepit Genes. 6. 15. *Fac tibi arcam de lignis leuigatis, & bitumine linies intrinsecus, & extrinsecus. Quadrata ligna fuisse referuntur, vt facilius alterum alteri posset aptari; & inundante diluuio totus aquarum prohiberetur incursus; cum intrinsecus, & extrinsecus oblita bitumine iunctura muniretur*, ait Origenes hom. 2. in Genes. Voluit ergo Deus diuinæ potentiæ, & arcæ custodiæ Noë etiam cooperari. Hinc inter humanæ vitæ fluctuationes in

Arca intus, & foris bitumine lita quid significet?

Bitumen Charitatis symbolum.

D seruanda nostræ animæ arca Noë Deo cooperantis industriam imitari debemus; quod benè citatus Origenes docet: *Vult te architectus Ecclesiæ Christus non esse talem. quales sunt, qui foris apparent hominibus iusti, intus autem sunt sepulchra mortuorum. Sed vult te & corpore sanctum esse extrinsecus, & corde intrinsecus purum; cautum vndique, & castitatis, & innocentiæ virtute munitum; hoc est intus, & foris bitumine esse oblitum.* Similiter Augustinus tom. 6. lib. 12. contra Faustum Manichæum c. 14. *Bitumine glutinantur arca ligna intrinsecus, & extrinsecus: vt in compage vnitatis, significetur tolerantia charitatis: ne scandalis Ecclesiam tentantibus, siue ab eis, qui intus, siue ab eis, qui foris sunt, cedat fraterna iunctura, & soluatur vinculum pacis. Est enim bitu-*

M

*men feruentissimum, & violentissimum gluten, significans dilectionis ardorem, vi magna fortitudinis ad tenendam societatem spiritalem omnia tolerantem.* Similiter idem August. tom. 7. lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 5. *Per bitumen, quia violentum gluten, & res feruentissima est significatur charitas. Vnde enim dicitur in Psal. 62. Agglutinata est anima mea post te; nisi flagrantissima charitate? Quæ quoniam præceptum est, vt sit nobis inuicem, & in omnes; ideo est intus, & foris arca bituminata. Aut certè, quia scriptum est 1. ad Cor. 13. Charitas omnia tolerat; vis ipsa tolerantiæ tenax vnitatis per bitumen significata est: quo ideo intus, & foris arca illita est; quia intus, & foris mali tolerandi sunt, ne pacis compago soluatur.*

*Erat enim ventus contrarius eis.*

4. NAuigantibus ex opposito littore versus Genesareth, ventus Aquilo contrarius est; quod quidem mysterio non vacat. Vt autem illud inuestigemus, considerentur verba Habacuc cap. 3. *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* Cùm Deus vbique sit, cur ab Austro, & de monte Pharan venire dicitur? Quoad litteram respondetur, Deum tàm scriptæ legis, quàm legis gratiæ legislatorem, hominibus apparuisse ex regione ad Austrum sita. De Deo quidem legem scriptam dante Israëlitis legitur Deut. 33. *Dominus de Synai venit, & de Sehir, ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia.* Rursus Redemptor noster legis gratiæ legislator, humana carne assumpta etiam ab Austro visus est, Hieronymus in Psalm. 106. *Deus* inquit, *ab Austro veniet, de saluatore dicitur, quoniam Deus natus est in Austro, à situ enim Ierusalem in Austro posita est.* Additur prætereà ex eodem Hieronymo, quòd sicut Ierusalem respectu Iudææ reliquæ Australis est; ita similiter respectu ipsius Ierusalem; Bethlehem Redemptoris natiuitate sanctificata, similiter Australem situm occupat. Si verò mysticè respondere velimus, Deus ab Austro venire dicitur, eò quòd diuinus spiritus per internam illuminationem in animam adueniens, Aquilonem expellit, hoc est immundum spiritum prauas suggestiones insufflantem, quibus charitas frigescit. Quod quidem in Euangelio hoc significat venti Aquilonaris cessatio, Christo Domino in nauim ascendente. Gregorius in Ezechielem hom. 2. *Pro eo, quod ventus Aquilo constringit in frigore, non incongruè Aquilonis nomine torpor maligni spiritus designatur. Quod Isaias quoque Propheta testatur; qui dixisse diabolum denunciat: Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Vnde & sponsi voce in Canticis Cant. dicitur: Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Cùm enim iubente Domino frigidus spiritus recedit, calidus spiritus mentem fidelium occupat: qui dum calefaciendo flauerit; statim de fidelium cordibus aromata virtutum fluunt.* Similiter Augustinus de gratia noui testamenti epist. 120. *Diabolus & Angeli eius à luce, atque feruore charitatis auersi; & nimis in superbiam, inuidiamque progressi, veluti glaciali duritia torpuerunt; & ideo per figuram, tamquam in Aquilone ponuntur. Vnde cum generi humano diabolus incubaret, ventura gratia Saluatoris; dicitur in Cantico Cant. Exurge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata. Veni Auster, inquit, spiritum inuocans gratiæ, flantem de meridie, velut à parte feruida, & luminosa, vt fluant aromata. Vnde Apostolus dicit: Christi bonus odor sumus in omni loco. Hinc etiam dicitur in quodam Psalmo: Conuerte, Domine, captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro, captiuitatem scilicet, qua sub diabolo, tamquam sub Aquilone tenebamur.*

Austri è regione cur Deus venisse dicatur.

Aquilonis nomine prauus torpor significatur.

Aquilonem cur diabolus, vt sibi sedem elegerit.

Isai. 14.

Cant. 4.

Cant. 4.

2. ad Cor. 2.

Psal. 125.

*Et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos.*

5. NEmpe circa vigiliam matutinam, quæ etiam antelucana dicebatur; quippe quæ post conticinium, post noctem intempestam, post Gallicinium succedebat. Porrò sicut matutina vigilia discipulos è maris periculo Dominus liberauit; ita etiam matutina vigilia in mare Ægyptios demersit, Exodi 14. *Iam aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum; & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Eadem autem vigilia duo hæc miracula fuisse legimus; an vt idem Deus amborum auctor crederetur? An inimicorum punitionem, & iustorum liberationem vsque ad vltimam vigiliam distulit Dominus; illis, vt resipiscendi tempus præberet, præsertim visa miraculosa maris diuisione; istis verò, vt tempus daret exercendi fidem, & tolerantiam, opemque diuinam implorandi.

Auxilium iustis, supplicium peccatoribus cur Deus differat.

*Ambulans super mare.*

6. QVamuis Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus cap. 2. par. 1. dicat: *Vt ignoramus quomodo de Virgine natus sit; ita quomodo super mare ambulauerit:* nihilominus quadruplici modo supra mare Dominus incedere potuit. Primò assumendo corporis gloriosi dotem, nempe agilitatem, vt Hugo Victorinus, & Ioannes Maior existimant. 2. per superadditam qualitatem reddendo solidas maris aquas. 3. vt Deus, non concurrendo ad corporeæ grauitatis effectum, nempe grauitationem. 4. non concurrendo ad aquæ motum, quæ alioquin sub graui corpore premente cedere debebat; neque etiam ad eiusdem aquæ humectationem concurrendo. Quartus hic modus videtur probabilior, magisque diuinam potentiam indicare; Cum sine vlla creatæ qualitatis indigentia, & retento omni connaturali sui corporis effectu; adhuc Christus Dominus sicco vestigio super aquas incedere potuerit.

Ambulandi Domini super mare quadruplex afferri potest modus.

7. Porro eo tempore ad discipulos supra mare incedens Dominus venit, cum ex Matthæi cap. 14. *Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus.* Potestas hæc Domini, quam in maris fluctus, super eos ambulando ostendit, diuinæ potestati humani cordis passiones, & perturbationes subiici significat. Hoc expressit Salomon Prouer. 21. cùm dixit: *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit inclinabit illud.* Ex alia lectione clarius ad rem nostram legitur: *Sicut pelagi aquarum, ita cor Regis in manu Domini, &c.* Cor autem Regis, cor humanum intelligit Hugo Card. cum excusso iugo seruitutis malæ, non alicui seruit, nisi Deo, cui seruire regnare est. Quod autem pelago potius, quàm flumini, humanum cor comparetur, passionum varietatem significat; quibus humanum cor in diuersas partes agitur, & turbatur; ita vt à sola diuina potentia in tranquillitatem redigi possit. Quoniam verò apud Hebræos quælibet ingens aquarum congregatio, etiam stagna minimè fluctuantia, maria nuncupantur: quemadmodum in hoc Euangelio Tiberiadis stagnum mare ab Euange-

Ambulante Domino super maris fluctus, eius potestati humani cordis turbationes subiici mysticè significatur.

Cor Regis cur hominis significat.

Cor humanũ pelago potius, quam flumini simile. Mare nomine apud Hebræos etiam stagna significantur.

ista appellatur; ideo non mari simpliciter, sed pelagis multitudinis numero cor hominis comparatur: est autem pelagus, mare propriè sumptum, illudque non vbicumque, sed vbi maximam profunditatem habet, ingentesque fluctus attollit.

*Et volebat præterire eos.*

8. HÆc verba non ita debent intelligi, vt Dominus, cum præterire vellet, noua et succedente cogitatione, mutatoque consilio non præterierit: id enim Domino omnia præscienti inconueniens est. Sed præterire volebat, hoc est prætereundi actum inchoabat; cùm clamantibus Discipulis vlterius non progrediens constitit. Voluit autem Dominus aliquantulum progredi, vt periclitantes discipulos ad diuinam opem implorandum magis excitaret: Credibile est enim Discipulorum clamorem cùm diuini auxilij imploratione fuisse coniunctum.

*At illi, vt viderunt eum ambulantem supra mare, putauerunt phantasma esse, & exclamauerunt omnes: Omnes enim eum viderunt, & conturbati sunt.*

9. PHantasma, seu spectrum, non autem Dominum Dei filium supra mare incedere Apostoli existimarunt; eo quòd Dominus cos periclitantes præterire visus esset: cùm Dei proprium sit suos in periculis, & angustijs non deserere, sed opportunam opem ferre. Est enim Deus, teste Dauide Psalm. 9. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione:* seu, vt legit Chaldæus: *Adjutor in temporibus angustiæ.* Ideo in eo Psalm. subditur: *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum; quoniam non dereliquis quærentes te Domine.* Quærebant autem Apostoli Dominum; cum iuxta eius mandatum Bethsaïdam versus nauigarent, vbi eum reperturi erant: *Coëgit discipulos suos ascendere in nauim, vt præcederent eum trans fretum in Bethsaidam.*

Auxilium Dei in angustiis præsto est.

*Et statim locutus est cum eis, & dixit illis: Confidite, ego sum: nolite timere.*

10. HIs verbis non solùm se sub humana forma, bene antea discipulis notum; sed verum Deum esse significauit. Nam Ioan. 18. cum idem Dominus turbis eum ad necem quærentibus dixit: *Quem quæritis? Ego sum:* iuxtà Rupertum, *Secundum Diuinitatem dixit: Ego sum. Quod verbum de seipso verissimè protestatur ille solus, qui ad Mosem dixit:* Ego *sum, qui sum.* Exodi 3. sed aliter hic fidelibus Apostolis, & aliter ibi infidelibus Iudæis se verè Deum esse factis ostendit. Ibi enim Dominus audaces satellites diuina voce territos, resupinos ad terram prostrauit: *Vt dixit eis:* Ego *sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Hîc verò territos Apostolos à metu, marisque fluctuantis periculo planè incolumes liberauit dicens: *Confidite, ego sum; nolite timere.* Propterea Dauid Psalm. 45. aiebat: Si tanta excitaretur tempestas, vt vehementissimi turbinis vi, non solùm in mari nautibus naufragium immineret; sed montes ipsi è terra auulsi in mare transferrentur, Dei amici timere non debemus: *Non timebimus, dùm turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris: Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum; conturbati sunt montes in fortitudine*

Ioan. 18. 6.

A *eius.* Causa autem non timendi est, quia iusti anima tamquam Dei habitaculum, Deum secum habet, qui eam numquam deleret: *Deus in medio eius non commouebitur. Sæuiat mare, conturbentur montes; Deus in medio eius non commouebitur,* ait Augustinus. *Adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Quod quidem experti sunt discipuli in nauicula fluctuantes; quibus quarta vigilia sub diluculum Dominus opem tulit. De tribus adolescentibus in Babylonicam fornacem missis Dan. 3. Nabuchodonosor dixit: *Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos, & species quarti similis filio Dei.* Hinc Augustinus tom. 6. Conc. ad Cathechumenos c. 15. sic Nabuchodonosorem alloquitur: *O alienigena,*
B *vnde tibi hoc? Quis tibi annunciauit filium Dei? Nondum quidem mundo nascitur, & similitudo nascentis à te cognoscitur. Vnde tibi hoc? Quis tibi istud annunciauit; nisi quia sic te diuinus ignis intus illuminauit, vt sic diceres testimonium filio Dei* Hinc Tertullian. lib. 4. cap. 10. de Christo Domino ait: *Hic erat visus Babylonico Regi in fornace cum Martyribus suis quartus tamquam filius hominis,* & cap. 21. *Perspice tu cum Rege Babylonico fornacem eius ardentem; & inuenies illic tamquam filium hominis, (nondum enim verè erat, nondum scilicet natus ex homine.) Saluas facit animas trium fratrum, qui eas pro Deo perdere conspirauerant.* Censet Tertullianus, cui subscribunt Iustinus, & Hilarius, quartum in fornace visum verè Dei filium fuisse; qui
C tunc, antequam humanam naturam assumeret, eius similitudinem, vt suis opem ferret, induerat; & veluti ad futurum Redemptoris officium proludebat. Hinc Ecclesia canit: *Surrexit Christus de sepulchro, qui liberauit tres pueros de camino ignis ardentis.* Quare cum citato capite versu 49. dicitur: *Angelus Domini descendit cum Azaria, & socijs eius, in fornacem, & excussit flammam ignis,* iuxta citatos Patres vel Angelus Domini Christus, qui magni consilij Angelus dicitur, intelligendus est; vel Angelus alius Dei filij minister. Certè *in typo præfigurat iste Angelus, siue filius Dei, Dominum nostrum Iesum Christum,* vt ait Hierony-
D mus. Hoc posito, quartum qui tribus alijs in ardente fornace se socium addiderat, interius illuminatus Nabuchodonosor Dei filium esse benè coniecit. quòd *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione* suos amicos non desereret. Idem ergo clementissimus Dominus tunc tres adolescentes ab igne saluos eripuit; nunc verò à fluctuante maris aqua suos discipulos incolumes eripit.

Deus suos amicos in angustiis non deserit.

Deus iustis in tribulatione adsistit.

Psal. 9.

*Et ascendit ad illos in nauim.*

11. ALlata verba videntur dissentire à verbis Ioannis 6. *Voluerunt accipere eum in nauim, & statim nauis fuit ad terram.* Negari
E enim videtur his verbis, præsertim ex particula illa, *statim,* prius Dominum ascendisse, & deinde nauim appulisse ad terram. Ex hoc autem motus Chrysostomus existimauit Ioannem diuersum miraculum referre ab eo, quod Matthæus & Marcus narrant. Sed cùm tam apud Matthæum & Marcum, quàm apud Ioannem plures circumstantiæ consentiant; nempè post quinque panum hordeaceorum multiplicationem, & in Galilææ seu Tiberiadis mari factum hoc referatur, idem omninò miraculum à tribus Euangelistis narrari dicendum est. Vt autem quæ apparere posset contradictio tollatur, notandum est ex Iosepho 3. de bello Iudaïco cap. 18. Tiberiadis mare, seu potius lacum, quoad longitudinem stadijs centum,

quoad latitudinem verò stadijs quadraginta extendi. Per hoc igitur mare teste Ioanne Apostoli remigarant *stadijs viginti quinque, aut triginta,* cùm Iesus ambulans supra mare eis apparuit: cognito autem Iesu, cum magnum spatium reliquum esset maris, vt ad terram appellerent, ne interim Domini præsentia priuarentur, illum discipuli in nauim inuitarunt, putantes longiorem moram temporis ad perueniendum Genezareth, remanere: ascendit autem inuitatus Dominus in nauim, non quòd longius tempus ad appellendum remaneret; nauis enim miraculosè statim ad terram erat peruentura; sed vt Apostolorum precibus satisfaceret: & hoc quidem significare voluit Ioannes, cùm dixit: *Voluerunt accipere eum in nauim, & statim nauis fuit ad terram.* Statim scilicet postquam Dominus nauim conscendit: quare statim, non omninò tempus excludit; sed longiorem moram temporis, quàm remanere putabant Apostoli.

12. 2. Ad propositam difficultatem responderem, verba illa: *Voluerunt accipere eum in nauim, & nauis statim fuit ad terram,* significare Apostolos, licet antea ex Domini incessu supra mare perterriti essent, veluti si phantasma viderent; nihilominus dicente Domino: *Ego sum; nolite timere,* abiecisse metum, ita vt Redemptore verè cognito, eum in nauim vltrò inuitauerint. Quare, *voluerunt accipere eum in nauim.* Ferè idem est, ac dicere, volentes acceperunt eum in nauim.

13. 3. Dici potest Apostolorum voluntatis executionem, nempe Domini ascensum in nauim Ioannem signanter explicare noluisse; eò quòd existimaret satis explicari ab effectu; scilicet à repentino, & celerrimo nauis ad terram aduentu, cuius miraculi ascendens Dominus causa fuerat.

14. Si verò quidnam insinuet celerrimus iste nauis ad terram aduentus, velimus inquirere; dicendum est miraculum hoc duplici ex capite euenisse; scilicet tum vt vis fidei, tum vt diuinæ liberalitatis promptitudo declararetur. Primò postquam Dominus nauim conscendit, illum discipuli, vt verum Dei filium adorarunt, testante Matthæo 14. *Qui in nauicula erant venerunt, & adorauerunt eum dicentes: Verè filius Dei es.* Meritum igitur fidei, quæ ex Redemptoris testimonio, montes in mare transferre potest, nauim hanc celerrimè è medio mari ad terram impulit. (Matt. 11.)

15. 2. Cum infra habeamus Dominum post descensum è naui, infirmos plurimos sanasse; dici potest tam mirabili celeritate, nauim hanc ad terram appulisse; quia Redemptor noster ad beneficia conferenda, infirmosque sanandos aduolabat. Verificari igitur debuit Malachiæ prophetia cap. 4. à quo, cùm de Christo Domino loqueretur, dicitur: *Sanitas in pennis eius;* sanitatem scilicet hominibus veluti alatus afferebat. Cum calor, aliæque huiusmodi qualitates successiuè producantur; illuminatio verò statim, non successiuè fiat; ideo ad celerrimam Dei in hominem beneficentiam explicandam, eam luminis nomine vocat Isaias 58. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum; & sanitas tua citius orietur.* Vbi Chrysost. ait: *Cur non apparebit, dixit, sed erumpet? Vt velocitatem scilicet, & copiam dantis exprimeret: vtque hoc verbo intelligamus valdè illum nostræ salutis cupidum esse, quodque muneribus plenus ex largiendi festinatione quasi prorumpit; cùm nihil sit, quod ineffabilem eius impetum prohibere possit. Quibus omnibus infinitam profectò bonorum copiam paratam nobis esse ostendit. Deinde videamus, quod sibi matutinale velit.* Le-

(Celeritas Diuinæ beneficentiæ: idem n. 16. 17. 18. 19.) (Diuina beneficentia cur lumini compa ratur.) (Chrysost. hom. 11 in Isaiah.)

git enim citato textu Chrysostomus: *Erumpet matutinale lumen tuum:* respondet autem quæsito: *Quemadmodum in frugibus matutinalia, seu præcocia, quæ citius, quàm sperauimus, in maturitatem peruenerunt, appellare soliti sumus: eodem hîc sanè pacto, quod vel ante tempus nobis illuceat, matutinale appellauit.*

16. Psalm 118. cum Dominus giganteo cursu viam percurrisse dicitur: *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio eius,* iuxtà Ambrosium, & Bernardum, de Domino sermo est, cùm sub humana carne ad redemptionis beneficia humano generi conferenda properaret. Ibidem ad celeritatem eandem explicandam, cùm ad nos descenderet iuxtà Augustinum: *In sole posuisse tabernaculum suum,* dicitur, *& ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Sed quamuis magna solis velocitas sit, quippe qui iuxtà Astronomos singulis horis nouies centies millies millia passuum peragit; nihilominus celeritate infinitè maiori, quàm sol Christus Dominus suæ beneficentiæ lumen diffundit; ita vt propterea de eo dictum sit Psalm. 71. *Ante solem permanet nomen eius.* Nomen scilicet illud celeritatis, quod illi apud Isaïam imponitur: *Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere; festina prædari.* Quod nomen Redemptori inditum est, cum eius Euangelica prædicatio celerrima fuerit in humani generis beneficium, vt in Isaïam docet Procopius.

(In Ps. 118.) (Serm. 49. in Cant.) (Ps. 18. & in epist. Ioan. tract. 1. & 2.) (Cap. 8.)

17. Rursus cùm ad summum Incarnationis, atque Redemptionis beneficium, humanæ naturæ tribuendum Dominus festinaret, iuxtà Chrysostomum, Cyrillum, & Ambrosium, celeritas benefici Redemptoris verbis illis describitur Psalm. 17. *Inclinauit cælos, & descendit; & ascendit super Cherubim, & volauit; volauit super pennas ventorum.* De Bellarricis nescio cuius celeritate hyperbolicè dictum est, *Cursu pedum præuertere ventos.* At iuxtà Ambrosium: *Maior est ambitioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides.* Verissimè enim, non hyperbolicè, præ ipso ventorum cursu est Domini celeritas ad beneficia largienda velocior: de eo enim cùm beneficus properaret, cecinit Dauid: *Volauit super pennas ventorum;* hoc est plusquam ventorum pennæ volauit; vt explicat Abulensis 2. Reg.

(Chrysostomus orat. 4. de Ascens. Cyrillus Catechesi 41. Ambrosius e polog. Dauid c. 11.) (De Abraham lib. 1. cap. ..)

18. Beata Virgo post æterni Verbi conceptionem statim cum festinatione in montana ad Elisabeth inuisendam abijsse dicitur. Ea autem celeritate benè, quam cœlestis sponsus ei tribuebat, similitudinem se meruisse probauit. Assimilata est enim Cant. 1. celerrimis Salomonis quadrigis, iam vsque ab Ægypto coëmptis: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Mysticæ huius tam eximiæ quadrigæ, quisnam erat dignus auriga? erat sanè sanctissimus ipsius Virginis filius in materno vtero insidens. *Olim Deus,* vt ait Hieronymus; *in auriga modum super Cherubim insidebat: postea cœlestis auriga ipsorum Cherubim, Angelorumque omnium Reginam pro quadriga habuit.* Cur autem sua hac in quadriga insidens, cœlestis auriga tam celeriter in montana dicitur festinasse? scilicet iuxtà Euthymium, vt citò Ioannes, eiusque mater spiritu sancto repleretur. Erat sanè iuxtà Dei consuetudinem beneficentia tanta beneficij celeritate cumulanda.

(Beata Virgo Dei quadriga.) (Ep. 141. & in Isai c. 6.)

19. Diuitiarum Deum alatum, & claudum finxit antiquitas; claudum scilicet cùm accederet; alatum cùm recederet: talem enim illum experiri se Ethnici testabantur. Quam benè Dauid cecinit: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non.* (Psal. 118.)

(Diuitiarum Deus apud Ethnicos alatus, & claudus.)

ut lex tua. Deus noster verus diuitiarum Deus, Diues in omnes, qui inuocant illum; cum ad nos ditandos accedit, alatus est, vt propterea de eo dictum sit: *Ascendit super Cherubim, & volauit super pennas ventorum*: Cùm verò recedit, non quidem claudus, sed lentissimus est. Cùm enim è mortuis resurrexisset, ascensurus ex hoc mundo ad Patrem, quadraginta dierum moram interposuit, testante Luca: *Prebuit seipsum viuum post passionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Ad hoc explicandum sacro resurrectionis die Ecclesia mutuata Dauidis verba, ita rediuiuum Dominum genus humanum alloquentem inducit: *Resurrexi, & adhuc tecum sum; posuisti super me manum tuam.* Quasi Dominus diceret: ô homo, quia super me manum tuam, hoc est tuam potestatem posuisti; ideò quamuis resurrexerim, adhuc tecum commorari propter amoris retinacula cogor: me à te discessurum, non quas pedibus, sed quas corde retineo, plagæ efficiunt tardiorem.

Ad Rom. 10. Psalm. 117. Act. 1. Psalm. 1 8.

*Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus. Et plus magis intra se stupebant: non enim intellexerunt de panibus, erat enim cor illorum obcæcatum.*

20. Videntur verba ista dissentire à verbis Matth. supra citatis: *Qui in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum dicentes: Verè filius Dei es*, sed dicendum est discipulorum cor non fuisse obcæcatum, ita vt Dominum non agnouerint, postquam eum dicentem audierunt: *Confidite, ego sum; nolite timere*; quandoquidem Ioannes 6. testatur à discipulis inuitatum fuisse Dominum, vt nauim conscenderet; quod certè non fecissent, si eum adhuc vt phantasma, non vt suum præceptorem agnouissent. Sed erat Discipulorum cæcitas in eo, quòd, vt explicat ipse Marcus, de panibus paulò ante miraculosè. Multiplicatis non intellexerint. Intelligere autem hoc loco, idem est, ac verbum Hebraïcum משכיל Maschil, quod significat attentè cogitare, & prudenter considerare; vt notauit Bellarminus in verba Psalmi quadragesimi: *Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem.* Cæcos igitur, & prorsus rudes discipuli se ostendebant, stupentes de Christi incessu supra mare, de repentina venti cessatione, & de celerrimo nauiculæ cursu: hæc enim illis stuporem non attulissent, si ex panum multiplicatione paulò ante visa in Christo diuinam potentiam, potestatemque operandi miracula qualibet, attentè considerassent. Porro discipulorum petentium Emaus oculi illuminati fuisse dicuntur ex panis fractione: *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis; & aperti sunt oculi eorum.* In hac verò Euangelica historia visa panum non fractione, sed multiplicatione, adhuc discipulorum cor dicitur obcæcatum; vt hinc colligere liceat cœlestis panis supra corporalem panem excellentiam; ille vel fractus illuminat; iste vel multiplicatus cæcitatem non aufert. De cœlesti autem pane sermo est apud Lucam loco citato, cùm Dominus à discipulis in panis fractione cognitus dicitur; vt constat ex Augustino lib. 3. de consensu Euangelistarum

Intelligere significat prudenter, & attentè conside-. Panem Christum ... Lucæ 24. Cap. 25.

21. Sed quamuis quod multiplicati diuinitus panis considerationem discipulorum cor obcæcatum fuisse dicatur, & propterea de repentina maris tranquillitate mirati fuerint; talis tamen cæcitas ex Domini præsentia omnino sublata est; Cum post eius in nauim ascensum *venerunt, & adorauerunt eum dicentes: Verè filius Dei es*; adeoque mirandum non fuit, quòd tam citò turbatum mare sedaueris. Ex quo habemus nostræ mentis inscitiam, & cæcitatem diuina præsentia, internaque illustratione remoueri: Ioannes epist. prima, cap. primo: *Deus*, inquit, *lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Lucem*, inquit Augustinus *nominauit, sed obscura sunt verba; bonum est nobis, vt ipsa lux, quam nominauit, illustret corda nostra, & videamus quod dixit: Hoc est, quod annunciamus, quia Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Quis auderet dicere quia in Deo sunt tenebræ?* Cur igitur Apostolus tam expressè in Deo tenebras non esse asserere voluit? præsertim cùm satis fuisset dicere, Deum lucem esse. Sed Ioannes excludere voluit à Deo tenebras, non solùm per inexistentiam: sed etiam per propinquitatem; quare subdidit: *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur.* Apostoli igitur sententia est per accessum diuinæ lucis statim à nostra mente tenebras inscitiæ remoueri. Hoc autem lucis proprium est, vt quamuis coram contrariis contraria semper, vel saltem aliquo tempore esse possint; propè lucem verò tenebræ esse nequeunt. Propè dulcedinem permanet amarities: hinc Cant. 5. quamuis à sponso dicatur: *Comedi fauum cum melle meo*; ibidem tamen dicuntur eiusdem sponsi labia lilia esse, *distillantia Myrrham primam.* Rursus propè candorem permanet nigredo: quamuis enim frequens esset, inter cœlestem sponsum, & sponsam consuetudo; sponsus quidem *candidus, & rubicundus dicitur*; sponsa verò licèt formosa, nigram tamen se confitetur. Denique coram frigore calor etiam perseuerat: quare à Ieremia cap. primo coram Aquilone frigidissimo vento, olla succensa visa est. Oppositum in luce contingit; coram luce enim ne temporis quidem momento tenebræ esse possunt. Quare si Deus lux est; anima, quæ cum eo versatur, tenebrosa esse nequit: & propterea ascendente Domino in nauim obcœcatum antea cor nauigantium dicitur illuminatum: *Qui in nauicula erant, adorauerunt eum.*

Deus ad se accedentes tenebris esse non sinit. Cantic 5.

22. His, quæ diximus opponi possunt verba Ioannis primò: *Lux in tenebris lucet*: tenebræ igitur coram diuina luce persistunt. Sed in sacris litteris tenebræ pro tenebrarum subiecto interdum accipiuntur: ex quo fit, vt tenebræ palpabiles dicantur Exodi 10. *Dixit Dominus ad Moysem: extende manum tuam in cœlum, & fiant tenebræ super terram Ægypti tam densæ, vt palpari queant.* Similiter citato loco tenebræ pro tenebrarum subiecto accipiendæ sunt; cùmque de spiritualibus tenebris sermo sit, spiritualium tenebrarum subiectum humana mens intelligitur. Quo sensu dicitur etiam ad Ephes. 5. *Fuistis aliquando tenebræ*, id est, habuistis mentem peccatis obtenebratam. Quare dicitur diuina lux in tenebris, hoc est in humana mente obtenebrata lucere; idque in sensu diuiso, ab ea scilicet tenebras expellendo. Hæc interpretatio est Cyrilli hic docentis, rationalem creaturam indigentem illuminatione tenebras appellari; eò quòd ex se nihil sit, nihilque habeat lucis. Cùm verò immediatè post à Ioanne dicuntur tenebræ diuinam lucem non comprehendisse, idem est, ac dicere tenebras aduersus lucem non præualuisse, vt eam obruere potuerint: *In Euangelio*, inquit Theodoretus, *docemur: lux in tenebris lucet*, ne-

Iob qui oculo fuit cæco, & pes claudo, Dominum præfigurauit. Lib. 1. de ... Græcar. ... affectuum.

*quæ à tenebris occultatur; si enim ex* Psal. 18. *non est, qui se à diuini solis calore abscondat, neque erit, qui se ab eiusdem lumine possit occultare.* Confirmatur hæc Theodoreti interpretatio ex eodem Ioanne cap. 12. *Ambulate*, inquit Redemptor noster; *dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant*, id est, ne tenebris oppressi iter sistere cogamini.

23. Ex hac eadem historia apud Matthæum 14. habetur, Petrum in fide claudicantem, ac propterea mergi incipientem, ita à Redemptore fuisse erectum, vt iterum supra mare, vsque dum nauim conscenderet, ambulare potuerit: *Continuò Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei quare dubitasti?* Deinde à Discipulis reliquis ignorantiæ cæcitatem Dominus expulit; ita vt qui antea Redemptorem phantasma putarant, adorauerint eum, dicentes: *Verè filius Dei es.* Hoc quidem præfigurare voluit Christus Dominus, cùm sub Iobi persona dicebat: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Oculus fuit Dominus cæcis, cum discipulos, quorum cor dicitur fuisse occæcatum, sua præsentia illuminauit: rursus pes fuit claudo, cum eodem tempore Petrum in fide claudicantem, atque adeò supra mare vlterius non valentem incedere, stabiliuit.

Iob cap. 29.

*Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt. Cumque egressi essent de naui, continuò cognouerunt eum.*

24. IN sacræ Scripturæ sententiis sæpè obscuritas oritur, eò quod Hebraïsmo suppositum, seu nomen, ad quod verborum refertur, omitti solet; ita vt ex contextu sit subintelligendum. Sic Psalm. 7. cùm de Deo dictum esset: *Arcum suum tetendit, & parauit illum; & in eo parauit vasa mortis; sagittas suas ardentibus effecit:* immediatè subditur: *Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem*: vbi peccator sub intelligi debet. Similiter hic, cum dicitur: *Continuò cognouerunt eum*, intelliguntur Genesareni, ad quorum terram nauicula appulerat: de discipulis autem, & nautis iam Matthæus dixerat: *Cùm ascendisset in nauiculam, qui in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum dicentes: Verè filius Dei es.*

Nomen regens verbum sæpè omittitur, & ex superiori contextu est supplementum.

*Et percurrentes vniuersam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se malè habebant, circumferre, vbi audiebant eum esse.*

25. SI Genesarenis tantæ curæ fuit aliorum corporis salus, vt non lentè euntes, sed festinanter percurrentes, suæ regionis languidos, vt à Domino curarentur, afferrent; quantò magis propria nobis salus, non corporis, sed animæ curæ esse debet, vt ad Dominum per pœnitentiam citò accurrentes à peccatorum morbo curemur? Cerui cum serpentes vorare soleant, ne lethalis cibi veneno lædãtur celerrimi ad fontes accurrunt, vt aqua pota à veneno se purgent. Ideo pœnitens Dauid, vt à peccati veneno liberaretur, aiebat Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum*, seu vt legit Symmachus: *Quemadmodum festinat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Sanctus Epiphanius ait: *Si trium horarum spatio aqua se Ceruus, postquam serpentes vorauit, explere non possit, mori: sin autem aquæ potus obtingat, ad annos denuo quinquaginta viuere.* Si paucarum horarum spatio dilata aquæ medela ceruis exitio est: multò magis timere debemus, ne exitiale nobis sit, si non paucarum horarum spatio, sed longiore tempore ob salutarem animæ medelam per pœnitentiam ad Dominum accurrere differamus. Nouam quinquaginta annorum vitam salutaribus aquis ceruus consequitur, nos non quinquaginta annos, sed annos æternos properatis pœnitentiæ lacrymis consequi possumus. De non differenda peccatorum correctione, & pœnitentia plura dicentur feria v. post Dominicam Passionis in illud de Magdalena, *Vt cognouit.*

Ceruis veneno infectis aquæ potum differre est lethale: eidem accelerarus potus quinquaginta annos vitam prorogat.

Epiphan. ad Phisiologum cap. 5.

Peccati venenum celeri pœnitentia citò eijciendum.

*Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant.*

26. EVthymius censet tres Domini fuisse vestes: primam inconsutilem, hoc est sine sutura contextam, quæ intima erat, velut subucula: secundam tunicam primæ intimæ superadditam: tertiam verò extimam instar pallij. Huius extimæ vestis, seu pallij fimbriam ægrotos tetigisse dicendum est. Cur autem fimbriam potius, hoc est infimam pallij extremitatem, quàm aliam vestis partem languentes tetigerint, triplex ratio afferri potest: primò ob maiorem reuerentiam. Secundò, quia languentes in grabatis, hoc est humilibus lectis decumbebant, & morbo oppressi assurgere nequibant. Tertiò, quia inter reliquas vestium partes fimbria habebatur, veluti quid sacrum, diuinæque legis veluti testimonium, & monumentum. Quod patet ex Num. 15. 38. vbi Deus Iudæis præcepit: *Faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vias hyacinthinas*, hoc est, cœlestis coloris: *quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini; nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes: sed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, sintque sancti Deo suo.* Huiusmodi autem in pallio fimbrias Dominum gestasse dicendum est. Cùm de seipso dixerit Matth. 5. 17. *Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut prophetas; non veni soluere, sed adimplere.*

In Matth. 17. 11.

Vestes homini quot, & quales fuerint.

Fimbria Domini, & non alia vestis pars, cur à languentibus tangebatur.

# DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

## Ductus est Iesus in desertum, &c. Matth. 4.

### *Euangelij nexus & ordo.*



VT Euangelium hoc certo ordine A complectamur, Christi Domini victoria de diabolo cum victoria, quam diabolus à primo homine reportauit, est comparanda. Humani igitur generis aduersarius Satan in deliciarum loco, hoc est in voluptatis paradiso primum Adamum mulieri coniugi associatum geminis armis superauit; scilicet proponendo comestionem cibi vetiti, & remouendo de ipsius corde diuina verba præcipientia: *Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Contra verò secundus Adam Christus Dominus nemini associatus in solitudine, ac deserto, non in deliciarum loco diabolum superat: adhibetque arma iis omninò contraria, quæ diabolus contra primum hominem adhibuerat. Opponit enim primò vetitæ comestioni ieiunium, & voluntariam famem: *Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuryt.* Deinde culpabili, diuinæ legis obliuioni opponit Dominus frequentem diuinorum verborum, sacrarumque scripturarum commemorationem, respondens primò ex Deuteron. 8. *Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: secundò respondens ex Deut. 6. Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum:* respondens tertiò itidem ex 6. Deut. *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* C Quare sicut victus à Diabolo, primus Adam Angelos prohibentes aditum ad arboris vitæ fructum comedendum habuit: Genes. 3. *Eiecit Dominus Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*, ita è contrario deuicto diabolo secundus Adam Angelos sibi ministrantes habuit: *Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.*

Domini in deserto de diabolo victoria & diaboli in terrestri Paradiso de homine victoria comparantur

Genes. 2.

*Ductus est Iesus in desertum à Spiritu.*

2. MArci primo habetur: *Et statim Spiritus expulit eum in desertum.* Cùm ad exequendum Spiritus sancti instinctum renitencia nulla in Christo Domino excogitari possit; cur expulsus in desertum à Diuino spiritu dicitur? Respondetur primo per verbum illud, Euangelistam non indicare voluisse renitentiam in Christo, sed feruoris vehementiam, qua à Spiritu sancto in desertum ducebatur. Sic impulsum vehementiam affectus, non illatam violentiam significare reperimus: *Ad hæc bona Chrysogonum accessisse impulsu suo*, Tullius dixit. Respondetur secundo per verbum illud expellendi non explicari difficultatem in Christo Domino

Dominum cur in desertum spiritus sanctus expulisse dicatur.

Tullius pro Roscio Amer.

ex parte termini, quem petebat, nempe deserti & quadragenarij ieiunij; sed potius indicari superandam aliquam difficultatem ex parte termini, à quo recedebat; nempe eo quòd à Ioanne Baptista diuideretur, quem proximè ante in Iordane conuenerat; quemque vel maternis inclusus visceribus cum festinatione inuisere voluit: Ideo etiam Lucæ 22. 41. de Domino à discipulis recedente dicitur: *Ipse auulsus est ab eis*: auulsus scilicet tanquam vi, cum solatium, quod ex societate charissimorum discipulorum capiebat, relinqueret.

Lucæ 22

5. Hinc quàm iucunda Domino suorum amicorum familiaritas sit, apparet. Consuetum est in- B ter homines à frequenti operatione, cui ex animo quisque deditus est, nomen accipere: bellatorem bellicis rebus intentum appellamus: qui mercibus emendis, vendendisque deditus est, dicimus mercatorem. *Angeli etiam nomina à ministeriis trahunt*, ait Gregorius. Deus autem omnium conditor, *qui omnia in omnibus operatur*; quonam ab opere sibi nomen inueniet? Respondet Isaias 7. *Vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus*: hoc est, cum hominibus Deus: ab eo igitur, quod cum hominibus libentissimè sit, sibi Deus nomen elegit: quod quidem nomen iucundius illi est, quàm si cœli conditor appelletur. Genes. 32. C 29. iuxtà Theodoretum, Iustinum, Tertullianum, Hilarium, Ambrosium, Cyrillum, & alios apud Pererium. Dei filius, homo futurus per Angelum repræsentatus, sciscitanti Iacob: *Dic mihi quo appellaris nomine?* respondit: *Quid quæris nomen meum, quod est mirabile?* vt ibi legit Theodoretus. Rursus Iudicum 13. iuxtà Augustinum Dominus sub Angeli specie sciscitanti Manue: *Quod est tibi nomen?* respondit: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Quodnam esset hoc admirabile nomen, quod tunc hominibus manifestare Dei filius nolebat? Erat sanè sanctissimum nomen Emmanuel: admirabile certe nomen; quandoquidem eò indicabatur Dei filium D tam voluptuosè cum hominibus consuetudinem habiturum: vt inde sibi nomen elegerit. Hoc profectò speciatim Patriarchæ Iacob admirabile erat; quoniam tunc temporis à Domino longiorem hominis consuetudinem dedignante audiebat: *Dimitte me.*

Domino iucundissima est amicorum hominum familiaritas.

Hom. 34. in Euang.

1. ad Cor. 12.

Dei nomen mirabile quodnam sit.

Quæst. 91. in Genes.

4. Sed adueniente plenitudine temporis tam iucundum fuit Domino cum hominibus esse, vt propterea indiuisibiliter humanam carnem assumpserit, indéque admirabile Emmanuelis nomen habuerit. Hinc Cyprianus ait: *O Domine quam admirabile est nomen tuum! Non mundi huius staturam admiror; non stabilitatem terræ, non lunæ defectum, non solem semper integrum, & labo-*

Dei deliciæ cur cum filiis hominum?

Serm. de Natiuit.

*rem eius perpetuum: Miror quomodo Verbo Dei caro adhæserit.* Præterea quæ Prou. 8. 31. leguntur: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*; Christi Domini verba esse docet Beda: ibique Hugo Card. ait: *Potius sunt ei deliciæ in filiis hominum, quàm in Angelis, vel in aliis creaturis à se conditis, quia de his, quæ aucupio, seu venatione capiuntur, fiunt deliciæ; non autem de domesticis. Angeli autem ad domesticas res pertinent: homines verò venatione prædicationis, & aucupio crucis cepit. Quod si vera est Hieronymi regula* Ezech. 30. dicentis: *Vocat eum filium hominis. Quod in Scripturis Sanctis in bonam partem semper accipitur, dumtaxat numero singulari: alioquin plurali numero in contrarium legitur. Vt est illud* Psalm. 56. *Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ*: & Psalm. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde?* Hinc intelligimus dicente Domino: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*; Diuinam clementiam tantam esse, vt etiam cum peccatoribus versari, eos ad salutem reuocando, suas esse delicias dicat.

5. *Ductus est Iesus in desertum à Spiritu.* A Spiritu sancto ductus debet intelligi, cui tamquam diuino amori supernaturales humanæ voluntatis motiones tribuuntur; sicut sapientiæ opera Filio, & omnipotentiæ Patri; quamuis opera omnia ad extra toti Trinitati communia sint. Videtur tamen huic intelligentiæ contradicere sancti Athanasij sententia epist. ad Serapionem; vbi disputans contra Macedonianos asserentes Spiritum sanctum esse creaturam, ait: *Dicite vbi in Scripturis sanctis reperitis Spiritum sanctum simpliciter nominari spiritum sine additamento Dei, aut Patris; aut à me, hoc est ex Deo; vel absque articulo; vel Christi, vel filij; aut non adiungatur sanctus, aut Paracletus, aut Veritatis, hoc est Filij, qui seipsum nominat Veritatem; vt simpliciter allegata hac voce Spiritus de Spiritu sancto dictum suspicemini?* Sed subdit ibidem Athanasius: *Excipiatur ab hac regula, cum quod prius distinctè commemoratum est de spiritu, postea simpliciter repetitur: ibi enim ex superioribus præcognoscitur de quo spiritu mentio fiat. Siquidem prædictum fuit à Luca descendisse Spiritum sanctum instar columbæ super eum. Vnde liquet cum spiritum postea simpliciter dicit, Euangelistam hoc de Spiritu sancto intelligere.* Adde etiam eumdem Euangelistam immediatè post dixisse: *Iesus plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur à Spiritu*; à Spiritu scilicet sancto immediatè ante nominato. Similiter S. Matth. immediatè ante dixerat: *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Adde præterea cum S. Lucas Grecè scripserit in Græco textu spiritum cum articulo nominari, quam articuli appositionem ad significandum Spiritum sanctum S. Athanasius requirit.

Spiritus quando pro Spiritu sancto in scriptura accipiatur.

Cap. 3.

Cap. 4.

Matth. 3. 16.

6. Præterea etiam si præcedentia Euangelistæ verba non haberentur, adhuc Dominum à Spiritu sancto in desertum ductum intelligi debere aliqui probant ex regula sancti Hieronymi in cap. 2. Micheæ, vbi ait: *Quòd spiritus tam in nouo, quàm in veteri testamento, vbicumque sine additamento ponitur, in bonam partem intelligatur, & sæpè diximus, & nunc ex parte ponemus, ne cui dubium sit.* Hieronymo subscripsit August. lib. 2. ad Simplicianum quæst. 1. Sed contra est, quia Lucæ 9. dicitur: *Spiritus apprehendit filium meum, &c.* Act. 23. *Sadducæi dicebant non esse resurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque spiritum:* vtrobique spiritus malum dæmonem significat.

Spiritus nullo alio addito in bonam partem accipi docet Hieronymus & Augustinus: habet tamen hæc regula exceptionem.

7. Præterea quoniam spiritus sumi potest pro

Spiritus accipitur pro rationali potentia diuinitus illuminata.

rationali potentia animæ diuinitus ad bona opera illuminata, & excitata, vt ad Rom. 8. 13. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis*: & ad Galat. 5. 17. *Caro concupiscit aduersus spiritum; spiritus autem aduersus carnem*: ideo cùm Dominus ductus in desertum à spiritu dicitur, ductus intelligi potestà proprio spiritu, nempe à propria mente humana diuinitus illuminata. Cui intelligentiæ fauet Gregorius dicens: *Vt illuc eum spiritus suus duceret, vbi eum ad tentandum spiritus malignus inueniret.* Hæc interpretatio primæ non contradicit; benè enim Dominus in desertum ductus dici potest tùm à diuino spiritu, tum ab humano ipsi diuino spiritui subordinato. Nec nouum est in scriptura eodem verbo duplicem literalem significationem contineri. Sic dicente Isaïa 53. *Generationem eius quis enarrabit?* tùm de diuina, tùm de humana Christi Domini generatione intelligendum esse docent Augustinus hom. 36. inter quinquaginta, Hieronymus, Procopius, Cyrillus, & alij. Quòd autem Gregorius Dominum in desertum à spiritu suo ductum esse ait; id etiam de diuino spiritu intelligi potest: Spiritus enim sanctus à Patre, & Filio simul procedit; ex quo benè Filij Spiritus dici potest.

Litteralis sensus multiplex iisdem verbis inesse potest.

8. A diuino igitur spiritu ad dæmonis insidias superandas Redemptor noster ductus dicitur in desertum; vt doceamur in solitudine procul ab humanis negotiis, hominumque consortio animum cœlesti illustratione aduersus dæmonem corroborari. Ad hoc insinuandum Lucæ primo de Ioanne Baptista dicitur, *Puer crescebat, & confortabatur.* His auditis verbis puer recens natus non alio modo crescere, & corroborari, quàm lacte iudicaretur: nihilominus ab Euangelista subditur: *Puer crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis*: vt significaret ad Dei prolem educandam, ac roborandam, optimam altricem esse solitudinem, cunas optimas esse speluncas, habitationesque remotas; ibique diuinum lac instillari. Ideo Oseæ 2. de anima iusti Deus ait: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem.*

Solitudine procul ab hominum turbis anima illustratur, & roboratur.

9. In solitudine diuinis illustrationibus, quibus Deus animam visitat, viam esse parandam docuit Isaïas 40. *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Quæritur autem cur Euangelista Matth. cap. 3. referens hæc verba tamquam Isaïæ testimonium de Ioanne Baptista, omiserit verbum illud in solitudine? scilicet, quia exprimere verbis non oportebat, quod ipse Ioannes exemplo clarius exprimebat, quandoquidem diu viuendo in deserto, non alibi, quàm in solitudine Deo viam esse parandam iam exercitè docuerat. Triginta prope annos in solitudine sanctus Præcursor peregit; vt duobus tantùm extremis vitæ annis benè diuini verbi prædicandi munus exercere posset; adeóque Redemptori viam pararet. Cum Christus Dominus Euangelicam legem docere cœpit; quòd ad se ingentem hominum numerum traheret, mirum esse non debet; tum ob miraculorum, quæ operabatur, multitudinem; tum ob eloquij suauitatem; cum ei verè Petrus dixerit Ioan. 6. 69. *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Mirum autem est, quòd Ioannes Baptista miracula nulla faciendo; & minaci voce Iudæos increpando dicens Lucæ 3. *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Nihilominus *egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Ierosolymitæ vniuersi*, Marci 1. Quod profectò magnæ spiritus efficaciæ, qua Ioannes loquebatur, erat argumentum: quam loquendi

Ioannes Baptista non miracula operando, sed è solitudine egressus Iudæos ad pœnitentiam trahere potuit.

Ioannes Baptista non miracula operando, sed è solitudine egressus Iudæos ad pœnitentiam trahere potuit.

loquendi efficacitatem non alibi, quàm in solitudine didicerat: eáque commoti Iudæi propria peccata conferebantur: res certè antea inaudita: *Baptizabantur ab isto in Iordanis flumine confitentes peccata sua.* Sanctus autem Præcursor dum peccatorum corpora Iordanis aquis baptizabat, eorumdem pœnitentiam animas diuino igne, quem in solitudine conceperat, expiabat.

10. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciet mihi homo*, à Dauide dicitur Psalm. 117. Hæc verba vsurpasse S. Martinum in eius historia apud Seuerum Sulpitium legitur, cum ei dæmon magna iracundia minitans obuius foret. Sed cùm S. vir Martinus ex dæmonis verbis diabolicam indignationem sibi aduersari manifestè intelligeret; quæritur, cur hominis machinamenta se non reformidare responderit? scilicet vt significaret diabolum hominum insidias adhibere ad iustos insectandos, eorumque perniciem procurandam. Qui igitur opportuno tempore in solitudine se ab hominum societate seiungunt, hi certè diabolo insidiandi instrumenta præcidunt.

Hominum turbas fugiens pia solitudine diaboli insidiantis instrumenta præcidit.

11. Apocalypsis 12. Fidelis anima sub mulieris typo, cùm ab inferno dracone incolumis esse vellet, non ad aliud asylum, quàm in solitudinem fugisse dicitur: *Draco stetit ante mulierem, & mulier fugit in solitudinem.* Si dracones desertorum locorum latibula, & antra incolunt, cur mystica hæc mulier, idest fidelis anima, vt à dracone se defenderet, fugisse dicitur in solitudinem? Inuisibiles dracones visibilibus dissimiles solitudinem auersantur; inter hominum turbas, & strepitus libentissimè immorātur. *Mulier fugit in solitudinem, idest in desertum mentis, vbi diabolus locum non habet, qui non amat nisi turbationem*, ait Hugo Card.

Solitudo asylum contra diabolum.

Dracones inuisibiles visibilibus in quo dissimiles.

Solitudo est mentis desertum.

12. De anima iusti mysticè dicitur Iob 39. *Clamorem exactoris non audit*: exactoris nomine in sacris litteris diabolum intelligi docet Hugo. Card. & alij; eò quòd diabolus tamquam durus exactor prauorum operum, vel saltem cogitationum, & affectuum tributum sibi reddi quotidie studeat. At quem in locum tàm munitum, tamque securum se anima recipit, vt in eo vox, seu suggestio exactoris diaboli non audiatur? Respondet Deus apud eumdem Iob: *Cui dedi in solitudine domum, contemnit multitudinem ciuitatis: clamorem exactoris non audit.* Domus hæc ipsius Dei manibus præparatur, vt in eam fidelis anima à dæmonis insidijs libera se recipiat: Apoc. loco citato: *Draco stetit ante mulierem, & mulier fugit in solitudinem; vbi habebat locum paratum à Deo. Illic*, ait Dionysius, *specialiter visitat Deus suos electos; quia quò amplius propter Deum ab humano consortio, alloquio, & tumultu fuerint separati; eò ad diuinam allocutionem, illustrationem, tranquillitatem sunt aptiores: vnde & Christus dixit Apostolis Marci 6. Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* De vtilitate solitarij recessus plura dicentur Fer. 5. post Dom. 3. Quadr. & Dominica 4.

Exactor cur diabolus dicatur? In Is. 9.

Diabolis vocis suggestio in solitudine non auditur.

Solitudinis domicilium iustis à Deo præparatur.

*Vt tentaretur à diabolo.*

13. Augus. t. 6. concione contra Iudæos, & Paganos quærit, *Quid est diabolus? Angelus per superbiam separatus à Deo; auctor mendacij à semetipso deceptus, qui alterum decipere concupiuit. Aduersarius humani generis, inuentor mortis, superbiæ institutor, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, persuasor turpium cogitationum.* Similiter tētatoris diaboli eximium elogium affert Chrysol. ser. 11. *Diabolus mali auctor, nequitiæ origo, rerum hostis, secundi hominis semper inimicus, laqueos tendit, lapsus parat, foueas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes*

Diabolus quid sit?

Diaboli concio ad malignos spiritus

que posteros Dei seruitio dicaret: *Anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi;* præmittit eodem Psalmo: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.*

17. Greg. 33. Mor. c. 6. in illud Iob 40. de Behemoth, idest de diabolo: *Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur; & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius;* cum docuisset fluuij nomine mysticè peccatores intelligi, Iordanis verò nomine intelligi iustos, ait: *Antiquus hostis hoc pro magno non habet, quod sub iugo suæ tyrannidis terrena quærentes tenet: Propheta quippe attestante cognouimus, quia esca eius electa. Neque enim mirum deputat si eos absorbeat, quos superbia erigit, auaritia tabefacit, voluptas dilatat, malitia angustat, ira inflammat, discordia separat, inuidia exulcerat, luxuria inquinans necat. Absorbebit ergo fluuium, & non mirabitur, quia pro magno non æstimat, cùm eos deuorat, qui per ipsa suæ vitæ studia deorsum currunt; sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studijs iungi iam cœlestibus cõtemplatur.*

Canis marinus emergentem è mari hominem deuorat: diabolus hominem prædari studet, dum è mundi fluctibus emergere nititur.

Habacuc cap. 1. 16.

Diabolus iustos magnopere tentare gaudet.

18. Ælianus lib. 2. de animal. c. 3. & Philostratus lib. 6. de vita Apoll. c. 22. docent leonem nonnisi raptoviuere, ita vt non attingat cadauer, nisi quod viuum venando ceperit. Similiter diabolus non tam peccatorum cadaueribus, quàm animarum, quas diuina gratia viuificat, præda delectatur. Ideò benè Hieronymus epist. 22. c. 2. ait: *Non quærit diabolus homines infideles; non eos, qui foris sunt, & quorum carnes Rex Assyrius in olla succẽdit: de Ecclesia Christi rapere festinat: Escæ eius secundùm Habacuc electæ sunt. Iob subuertere cupit, & deuorato Iuda ad cribrandos Apostolos expetit potestatem. Benè erga nos Apostolus monet: Aduersarius vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.*

Leo relictis cadaueribus, viua, quæ capit animalia vorare gaudet, similis est inferni leonis consuetudo.

Ierem. 29.

Hab. 1.

Marci 10.

1. Petri 5.

19. Sed cum in sacris litteris dæmones, vel leonibus, vel draconibus, aliisque immanibus bestijs comparentur: Psal. 90. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis; & conculcabis leonem, & draconem.* Quæritur cur in iisdem sacris litteris dæmonũ princeps, Beelzebut, quasi muscarum Deus, & Dominus nominetur? scilicet, vt significetur dæmonum ingluuiem hominibus vesci, veluti muscis: proponendo enim inanes transitoriæ vitæ voluptates, eas veluti aranearum telas ad homines capiendos dæmon exponit: Hinc Psal. 140. dicitur: *Cadent in retiaculo eius peccatores.* Secundò ad rem nostram, vt significetur dæmones hoc habere commune cum muscis; vt eorum proprium sit in res mundas, & candidas impudenter insilire, easq; sordibus inquinare. Cum igitur Christo Domino Ioannis Baptismate ad humilitatem, non ad necessitatem ablui placuisset; cumque quadraginta dierum ieiunio animum cœlesti contemplatione illustrasset; in eum Beelzebut, vt prauis illum suggestionibus fœdaret, insilit. 3. denique muscis dæmones ob impudentiam similes sunt: sicut enim muscæ cùm abiguntur, eodem impudenter redeunt: ita dæmones semel rejecti, iterùm ad tentandum redeunt, vt videre est hîc in Satana dæmonum principe, qui prima tentatione à Domino reiectus, ad secundam, & tertiam impudentissimè rediit.

Diabolus ex triplici capite Beelzebut, hoc est muscarum Dominus dicitur.

20. De fideli anima Dei sponsa per desertum, hoc est procul à mundanis curis cœlum versus ascendente, dicitur Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* Cui interrogationi tunc respondetur teste sancto Paschasio, cùm eadem fidelis anima esse dicitur. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata. Idcirco vt castrorum acies contra hostes ordinata narratur ascendere, quia illi viam eundi ad cœlum obsident, vt in nullo frangatur conamine,* ait Paschas. Dei seruus diuino obsequio dicatus, diuinæque contemplationis desiderio ardens, sæpè cum Dauide ait: *Quis dabit mi-*

In Matth. lib. 11. sub initium.

Cantic. 6.

A *hi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam:* Ideo procul ab humanis curis sancto quietis desiderio potius subdit: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* In solitudine ergo procul à mundanis tumultibus constitutus, & Dei obsequio prorsus intentus, existimari fortasse potest à diaboli insidiis, prauisque suggestionibus omnino securus? nequaquam: ideo subdit: *Expectabam eum, qui saluum me faceret à pusillanimitate spiritus, & tempestate. Ex quo liquidò monstratur, quòd ideo solitudinem petiit, ne mundi non mereretur angustiis: sed tamen nec dum in solitudine liberum se intelligit à periculo, dum adhuc se flagitat liberandum,* ait Paschasius supra.

Psalm. 54.

Psalm. 54. iuxta August. Pasch. & Roman. Psalt.

21. Matth. 13. dicitur: *Venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici.* Quæritur cur inimicus homo, per quem diabolus significatur, non potius antecedẽter ad triticum zizania semi-
B narit? Quia scilicet valde delectatur diabolus ijs, qui ad seruitutem Dei accedunt, sanctarumq; cogitationum semina mente exceperunt, zizania, hoc est prauas suggestiones ingerere. Quare appositè in hanc parabolam Chrys. ait: *Superseminauit zizania in medio tritici; quia diabolus inter sanctos peccatum; inter pacificos lites; inter simplices dolos; inter innocentes nequitiam gratis serere consueuit; non vt acquirat zizaniam, sed vt triticum perdat; nec vt reos capiat, sed vt adimat innocentes. Hostis plus ducem, quàm militem petit: nec obsidet mortuos; sed impugnat viuentes. Sic diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subiugatos; sed vt iustos capiat sic laborat.* Serpẽtes in odo-
C riferis syluis frequentissimos esse docet, Plin. l. 12. c. 17. Similiter dæmones, tartarei serpẽtes, quorum caput est *serpens antiquus, qui vocatur diabolus* Apoc. 12. Frequentes in eos occultis suggestionibus repunt; qui virenti virtutum robore cum Apost. 2. ad Cor. c. 2. dicere possunt, *Christi bonus odor sumus.* Ad balsami arbusculas viperæ repunt, libenterque in iis nidulantur, vt docent Lausanius in Bœotiis, & Theophrastus l. 4. c. 6. de hist. Plant. Similiter dæmones viperarum instar in iis per peccata nidum figere conantur, de quibus canit Ecclesia: *Sancti tui Domine, sicut odor balsami erant ante te.*

Diabolus cur non ante, sed post satum triticum zizania seui...

Serm. 90.

Serpentes in odoriferis sylvis frequentant: diabolus eos, qui Christi bonus odor sunt.

Balsami ad arbusculas viperæ serpunt; diabolus ad sanctos, quorum odor, sicut odor balsami est ante Deum, praua suggestione trahitur.

22. Si in vitibus vuam, oleumque in arbore oli-
D uam pensilem agricola relinqueret; ibi vel arescerent, vel marcescerẽt, deciderentq; in terram inutiles; si verò vua in vinum transeat, & oliua in oleum, vtraque in multos annos seruatur; vt transeat autem in vinum vua, & oliua in oleum, vtraq; torculari subijcitur. Augustinus in Psal. 8. pro torcularibus inscriptum: *Vua pendet in vitibus, & oliua in arboribus; his enim duobus pro fructibus solent torcularia præparari: & quamdiu pendent in frutetis suis tamquam libero aëre perfruuntur: & nec vua vinum est, nec oliua oleum ante pressuram. Sic sunt & homines, quos prædestinauit Deus; antequam accedant ad seruitutem Dei, fruuntur in hoc sæculo tamquam deliciosa libertate, velut vua, aut oliua pendentes. Sed*
E *quoniam dictum est: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem; accedens quisque ad seruitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat; contribulabitur, conteretur, comprimetur; non vt in hoc sæculo pereat, sed vt in Apothecas Dei defluat.* Ideo de Dei seruis verè dici poterit: *Hi sunt velut oliuæ, & candelabra lucentia ante Dominum.* Oliuæ nonnisi torcularibus pressæ in candelabris lucere possunt.

Iusti vuarum & oliuarum instar, tentationum torculari premuntur.

Eccli. 2.

Ecclesia in festo SS. Ioan. & Pauli, et Apoc. cap. 11.

23. Si homines ob humanæ carnis conditionem lutea vasa se esse vident; si ob peccati lapsum iumentis insipientibus se similes esse cognoscunt; illud tamen cum Dauide recogitare debent: *Deus cognouit figmentum nostrum;* ex quo infert Apostolus: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari*

Psalm. 48.

Psalm. 102.

Deus tentationes supra vires non permittit.

*supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Ideo sanctus Ephrem ait: *Si homines suis iumentis non plus oneris imponunt, quàm ferre queant; multò minus hominibus plus tentationum imponet Deus, quàm ferre queant. Rursus si figulus vasa sua igne excoquit eò vsque, dum ritè coquantur; nec ante ea eximit, ne minus cocta, & solida sint; nec rursum vlterius ea sinit in igne, ne adurantur, fiantque inutilia: multò magis idem faciet Deus, vt igne tentationum eò vsque nos coquat, dum percoquat & perficiat.*

1. ad Cor. 10. Tract. de patientia.

*Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*

24. *Hinc factum est, quòd vniuersalis sancta Dei Ecclesia ex doctrina Spiritus sancti,* B *sub hoc quadragenario numero annuis temporibus pœnitentiæ sibi tempus generaliter indidit: quatenus per hoc maculas, quas iugiter variis contrahit excessibus, sub hoc sacrato numero copiosius exemplo Christi ieiunando dilueret,* ait Sanctus Paschasius. Præter Christi imitationem, quadragenarius ieiunij numerus mysterio non vacat: nam Gen. 6. Cùm Dominus Noë dixisset: *Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem;* subditur: *Facta est pluuia super omnem terram quadraginta diebus, & quadragita noctibus.* Fuit hoc diuinæ iustitiæ opus. Nunc verò diuina misericordia, non quadraginta dierum imbres, sed pium quadraginta dierum ieiunium instituit C ad carnalis concupiscentiæ maculas eluendas. Quod benè sanctus Paschasius docuit dicens: *Diuinitus institutum est, isto præfigurationis numero nos acrius dimicare: quatenus per quem in diluuio aquis necata est omnis caro, præter quos arca continuit; per ipsius figuræ numerum nostra necentur carnis delicta; vt nullus nostrum pereat, quos Christi probatur Ecclesiam circumcludere.*

In Matth. c. 4

Diluuij, & ieiunij cur æqualis quadragenarius numerus.

Genes. 7.

25. Porrò, vt cælestem vitam, quæ pia contemplatione procul ab hominibus agitur, ieiunio esse coniungendam Redemptor noster doceret, in deserto quadraginta dies, & noctes ieiunium seruare voluit. Ad idem confirmandum apud Ieremiam primo Lament. dicitur: *De excelso misit* D *ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Verba hæc de igne vltionis in Iudæos immisso, vt Deo obedire discerent, litteraliter ex Hieronymo intelliguntur. Mysticè verò iuxta Hugonem Card. eadem verba de igne ex amoris motiuo immisso ad iustos erudiendos intelligi possunt. Horum ergo verborum iuxtà Hugonem mysticus talis est sensus: *Deus ex amoris motiuo in interioribus meis meditationibus, quæ veluti ossa animam fulciunt, ignem immisit, seu ignem proposuit ad me erudiendum.* Si de igne diuino, hoc est de Spiritu sancto sermo sit, quæ, & quanta eruditio ab eo in animam proueniat, manifestum est; cum ex Isaïæ 11. inter Spiritus sancti dona sapientia, intellectus, consilium, & scientia numeretur. Si verò de naturali igne E allata verba dicantur, quæritur in quo ab eo anima erudiri possit? Respondeo inter sublunaria nihil esse igne voracius; si tamen elementaris ignis in sua spæra cœlo proximus conquiescat, à voracitate ita est alienus, vt ibi nullo prorsus pabulo nutriatur. Ex hac igitur ignis natura erudimur ieiunium, ciborumque abstinentiam maximum argumentum esse ad indicandum hominem, quamuis in terris viuat, cælestem tamen vitam agere; eiusque animum cælo quàm maximè appropinquare. Meritò igitur ignis tamquam ieiunij assertor, & vindex epulones in inferis torquet,

Ignis sua in sphæra vorax non est: iustus ad cœlum contemplatione elatus, abstinens, est.

Hieron. Ionæ 3.
Ieiunia arma spiritualia animæ.

omnis armatura fortium. Cur cælestis ista bellatrix, A sacra hæc Heroïna, vniuersum armorum genus collo potius, quàm manu gerit? collumque ita armis munit, vt ipsi colli crines sauciare didicerint, testante sponso: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in vno crine colli tui?* Collum gulæ sedes est; quare Philoxenus ille ventris ingluuie nobilis, exoptasse Gruis collum dicitur; vt edendi voluptatem deglutiendo longius produceret. Porrò cum anima, Dei sponsa, non gulam cibis expleat, sed abstinentia, ac ieiunijs collum muniat; cumque corporis ieiunia, animæ spiritualia arma sint, teste Hieronymo; hinc est, vt cœlestis sponsa aduersus vitia omnia omne armorum genus collo gerere dicatur: ieiunio enim ex Ecclesiæ testimonio, vitia comprimuntur.

Lilium virginitatis symbolum.

Basil. in Ps. 41. Hieron. aduersus Iouin.

Lilia vel diuinam prouidentiam, vel cibi abstinentiam indicant.

29. De eadem Dei sponsa Cantic. 7. dicitur: *Vmbilicus tuus crater tornatilis. Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Cum cœlestis sponsæ, idest Beatæ Virginis gremium veluti crater, & tritici aceruus frumentum illud, vinumque seruauerit, de quo dicitur Zachar. 4. *Frumentum electorum & vinum germinans virgines*; mirum esse non debet, si vallatus esse dicitur lilijs, natiuo candore virginitatem significantibus, iuxtà Basilium, & Hieronymum. Rursus inter flores lilia hoc habent proprium, vt eradicata, atque adeo à terrestri alimento seiuncta, ac veluti consueti cibi ieiuna diutissimè perseuerent. *Considerate lilia agri quomodo crescant*, ait Dominus Matth. 6. Si in agrò considerentur lilia, diuinæ prouidentiæ documentum præbent; si ab agro semota cernantur, terrenorum ciborum abstinentiam docent, suntque ieiunij symbolum. Sponsa igitur, hoc est, anima Deo dilecta non ventrem ciborum satietatem replet; sed lilijs, hoc est abstinentia, & ieiunijs vallare dicitur aduersus gulæ incitamenta, & ciborum illecebras.

Sponsæ venter cur lilijs vallatus?

30. Porrò, vt ieiunij vtilitas elucescat, quam gulæ humano generi perniciem attulit, considerandum est. Quod insinuat Ierem. 9. *Ascendit mors per fenestras nostras.* Fenestræ, quæ morti aditum præbuerunt, oculi, & os primorum parentum D fuerunt; qui vetito pomo inspecto, illud contra Dei præceptum comederunt. Sed primorum parentum transgressione potius mortis sententia, quàm actuali morte homo mulctatus est, dicente Deo Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Alia igitur fenestra adinuenienda est, per quam actualis mors in homines proximum aditum habuerit. Caïn primus fraterna cæde mortem in humanum genus inuexit; quæ prima tanti sceleris causa fuit, hæc mortis fenestra dici potest. Genes. 4. habetur: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* Seu, vt docet Sanctus Hieronymus iuxtà Hebraïcam lectionem: *Immisit ignem Dominus super Abeli sacrificium, super sacrificium vero Caini ignem non immisit.* Hoc autem discrimen ideo Dominus ostendit, quia scilicet Abel Pastor delecta, & pinguiora munera Deo obtulerat: Genes. 4. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* Simile verò cùm de Caïno sacræ litteræ non testentur, significatur, Caïnum agricultorem è terræ fructibus deteriores Deo sine delectu aliquo obtulisse; meliores autem sibi ad comedendum reliquisse. Quare ex gula, suique ipsius inordinato amore Cain sacrificium Deo obtulit deterius; ex deteriori autem sacrificio immissus est à Deo ignis, non super Caini sacrificium, sed Abeli: ex

Caïni gula primùm actu mors in humanum genus inuexit.
Lib. tradit. Hebraic. in Gen.
Epist. ad ...

igne immisso super Abeli sacrificium orta est inuidia in Caïno; ex inuidia fratrem occidit, mortemque primus in humanum genus inuexit. Caïni igitur gula fenestra fuit, per quam sibi mors aditum ad hominem reserauit.

Fides temperantiâ stabilitur.

31. Cùm Apostolus Petrus ad sobrietatem fideles esset hortatus: *Fratres sobrij estote, & vigilate; quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*; subdit deinde: *Cui resistite fortes in fide.* Si fidelibus fidei scuto aduersus Diaboli insidias est resistendum; ad fidem potius firmandam, & augendam, quàm ad sobrietatem cohortatio præmitti debuerat. Sed significare voluit Apostolus, fidem virtutem omnium B fundamentum sobrietate, temperantia, & ieiunijs stabiliri. Quod vt verum esse probetur, plurium sacrarum litterarum testimonijs ex gulæ incitamento amissam fuisse fidem admonemus.

32. Primò Eua humani generis parens diuinæ legi præcipienti: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas; quocumque enim die comederis, morte morieris*; fidem denegauit; idque ex gulæ incitamento: *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit* 2. Israëlitæ in Deserto de diuina Omnipotentia diffidentiam habuerunt; idque non nisi ex gulæ incentiuo: Psal. 77. *Tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent* C *escas animabus suis; & malè locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?*

Gula fidei defectū in Euam induxit. Genes. 2.

33. 3. Legitur Exodi 32. Eosdem Israëlitas deficientes à diuina fide adorasse vitulum aureum: *Fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Tantum scelus gula præcessit: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, idest, ex communi interpretum sententia, idololatrare: ijs enim, qui crapula obcœcantur, quodlibet ingens scelus, qualis est idololatria, lusus videtur.

Gula idololatriæ causa: idem n. 34. & 36.

Idololatrare ludendi verbo significatur.

34. 4. Populus Hebræus è deserti solitudine egressus, cum in terra, lacte, & melle manante collocatus esset, dicitur Deut. 32. contra Deum recalcitrasse. Bestiarum autem est vel mordere, vel cornu impetere, vel recalcitrare: cùm bestiæ mordent, vel cornu impetunt, quæ vident feriunt; cum verò recalcitrant, quæ non vident repellunt. Moses ergo, vt significaret Hebræum populum peccasse contra fidem repræsentantem ea, quæ non videmus, illum recalcitrasse dixit: quod quidem sequentibus verbis clariùs explicauit: *Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo: prouocauerunt eum in Dijs alienis.* Si tanti sceleris causa quæratur, ibidem præmittitur: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit; incrassatus, impinguatus, dilatatus.*

Recalcitrare est contra fidem peccare.

Gula cordis duritiem ad pœnitentiam recipiendam inducit.

E 35. 5. De fratribus epulonis diuitis pronunciauit Abraham Lucæ 16. *Neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.* Vnde tanta ad credendum durities, vt neque visâ mortui resurrectione ad pœnitentiam molliendi fore dicantur? quia scilicet in domo, vbi quotidie splendidè epulari consueuerant, viuebant.

36. 6. Denique de gulosis dicitur ad Philippenses 3. *Quorum Deus venter est*; eò quòd ventri lectissimas escas, fructuumque primitias, veluti in sacrificium offerant. Si igitur gulæ dediti ventrem vt Deum habent, vtique à Diuina fide deficiunt. Ex Petri igitur sententia sobrios nos esse oportet, vt fide contra diabolum resistamus.

37. Ideo vbi fides feruet, ibi debita ieiunij ob

Sapponum Christianorum in ieiunio seruando mirum exemplum. In annuis litteris Soc. Iesu anno 1625.

seruantia maximè viget. Quare de Iaponibus Christianis, in quibus fides recens admissa maximè feruebat, legitur ex eis plures integros annos perpetuò ieiunasse, & à cibis vetitis semper abstinuisse; eò quod obliti ignorarent in quod anni tempus Quadragesima, aliaque præcepta ieiunia inciderent. A

38. Præterea citato loco ex Apostoli Petri epistola prima, positâ cohortatione ad sobrietatem, immediatè post diabolus leoni comparatur: *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens.* Huius leonis morsibus frangentes ieiunium exponuntur: ad quod figuratè significandum 3. Reg. 13. habetur Prophetam, qui ieiunium contra diuinum mandatum fregerat, à leone fuisse peremptum. B

Ieiunium frangens à leone voratur.

39. In monte Thabor ad videndam gloriam, quæ in transfigurato Christi Domini corpore relucebat, delecti sunt spectatores, & testes Moses, & Elias, vt habetur Matth. 17. Cur non ex Patriarchis Abraham pater credentium? Cur non ex Prophetis Isaïas ad Deum videndum aliàs admissus, testante ipso cap. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum?* Respondetur, diuinæ gloriæ satiandi vim inesse, dicente Propheta Psalm. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Satietas autem esurientibus à Domino promissa fuit Lucæ 6. *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Transfusa igitur diuinitatis gloria in Christi Domini corpus, illi ea frui, & satiari debuerant, qui eiusdem Domini ieiunium quadraginta dierum spatio erant imitati. C Tale autem ieiunium legitur tantùm de Mose Exodi 24. & de Elia 3. Reg. 19.

Ieiunij merito Moses, & Elias ad transfiguratum Domini numen videndum admissi.

40. Egregium æquè, & verissimum encomium ieiunij Chrysologus affert serm. 8. *Est ieiunium vitiorum mors, vita virtutum: est ieiunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ: est ieiunium robur mentium, vigor animarum: est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis: est ieiunium schola meritorum, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina: est ieiunium Ecclesiasticæ viæ viaticum salutare: est ieiunium inuictus Christianæ militiæ principatus.* Verè ieiunium fidelis militiæ D inuictum esse principatum expertus est Iosaphat Israëlitarum rex, qui irruentibus in eum innumeris hostibus, Moabitis, Ammonitis, & Idumæis, de ijs pio indicto ieiunio victoriam reportauit; eorumque spolia diripuit, vt legitur 2. Paralip. 20. Sed quid mirum est Iosaphat pium regem ieiunio hostes prostrasse; quandoquidem Achab Samariæ regum pessimus, de quo dicitur 3. Reg. 21. *Non fuit talis, sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini; & abominabilis factus est, vt sequeretur Idola, quæ fecerant Amorrhæi*: talis, inquam, Achab, cum pœnitens ieiunasset, ieiunio munitus, non hostes prostrauit; E sed, quod maius est, diuinam iram ad clementiam flexit: ita vt postea à Deo dictum sit: *Non inducam malum in diebus Achab.* Benè ergo *arma pœnitentiæ* ieiunium vocat Hieronymus tom. 9. in Reg. Monach. Vbi, cum in ieiunijs moderationem esse adhibendam docuisset, addidit: *Cæterum in Quadragesima continentiæ vela pandenda sunt; & tota aurigæ r. tinacula equis laxanda properantibus.* Qui quidem validiores, & velociores sunt ad cœlestem metam, quò minus alimenti ceperint.

Ieiunij encomium.

*Postea esuriit.*

41. AN ante quadraginta dierum, & noctium terminum ieiunans Dominus

famem aliquan
quæritur; ex q
Negat Suar. 3.
sect. 1. affirmat
tiam probabil
partis: affirmat
scribit Cornel
ua sententia su
*esuriit*, & Lucæ
*bus illis, & cons*
indicare vident
42. Pro affir
quamuis Dom
tuerit caloris r
causarum famei
tamen totaliter
nobis prælucer
solùm cibi oble
mis stimulos,
Dico igitur an
Dominum cibi
diuinitus tamen
ex parte natura
ne vitam exting
43. Dicitur
cent Sancti Pat
ta dierum ieiu
quæ antea remi
sa esse cœpit:
appetitus, sed c
Domino Matth
*mæstus esse*, qu
ror ita significa
tia nulla fuisse
quam intensam
minente passio
dicat: *Iesus tur*
*dixit*: *Amen, a*
*tradet me*: & P
August. & Gre
sionem præuid
*& dolor meus*
Ioannes cap. 1
*troiuit in eum*
ante cœnam, &
tanam; cùm se
Iudæis pactus e
gustinus docet
Satanam in Iud
*mus à diabolo*
*contra in bono i*
*ctum, quando e*
*Accipite Spiritu*
*missus esset die*
Sicut igitur pl
per Satanæ ing
tea Satanæ ing
cordis possess
esuries, eiusd
excludere no
sancti largiti
sancti accept
Sancti Patre
terminum e
fuisse docen
quod post 4
dum diabo
modus diu
sub visibil
docet S. T
non fuit
supra in

dicatur, antea famen nullam in eo fuisse non concludit.

44. 2. Quamuis antea fames fuerit, eam tamen Dominus diuinæ contemplationi vehementer intentus, non sensit: cessante autem illa cœlestium contemplatione, dicitur esurijsse: sicut in profundè dormiente, quamuis ex inedia naturalis facultas in stomacho à fame libera non sit; quia tamen eam profundè consopitus non sentit, hinc non dormiens, sed euigilans esurire dicitur. Similiter Act. 10. dicitur: *Ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam.* Cur circa horam sextam? Respondent communiter interpretes, quia prandij, & corpus reficiendi hora erat: & ideo benè ait Lyranus, voluisse Apostolum orationem præmittere ante comestionem: *Dando nobis exemplum similiter faciendi, vt simus in comestione circumspectiores, ne grauentur corda nostra vel crapula, vel ebrietate,* ait Carthusianus. Quare cùm postea de Petro dicitur: *Cùm esuriret*; non sequitur antea famem non habuisse; alioquin se per orationem ad prandium non parasset sine fame. Dicitur, tamen post orationem esurijsse, eò quòd in ipsa oratione famem non sensisset.

Fieri aliquid dicitur, cum innotescit.

45. 3. à S. Thoma 1. parte quæst. 24. art. 3. & 3. p. quæst. 13. art. 2. ad 1. & quæst. 24. art. 1. ad 3. docetur interdum in scriptura sacra tunc dici aliquid fieri, cùm innotescit: hinc Apoc. 5. dicitur: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Diuinitatem, & sapientiam*: quia hæc omnia diuinus Agnus à morte resurgens maximè manifestauit; quamuis non in resurrectione, sed ab instanti Conceptionis, diuinitatem, & sapientiam acceperit. Ex eadem ergo regula dicitur Dominus post 40. dies esurijsse, quia tunc ab intensa contemplatione cessans, esuriem maximam corporis languore manifestauit: & hinc diabolus eum tentandi ansam atripuit.

Gulæ tentatio cur non fuerit ante quadraginta dierum finem: cum etiam tunc Dominus famem pateretur: Idem n. 47. & 48. In Matth. c. 1

46. Dices, cur positâ Domini fame non antea diabolus proponendo gulæ tentationem ad Dominum accessit? Respondeo primò in ea, quæ intra sanctissimum Christi corpus Diuinitatis habitaculum fierent, diabolo suam cognitionem extendere non licuisse. Pari nixus ratione S. Hieron. quærens cur Dominus non de simplici virgine, sed de desponsata conceptus sit; respondet cum S. Ignatio Martyre: *Vt partus eius celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de vxore generatum.* Similiter quamuis in terrestri Paradiso arbor vitæ naturalem virtutem haberet iuxtà Strabum, Hugonem Victorinum, & S. Thomam prima part. quæst. 97. art. vltimo: Nihilominus talis arboris vim ignorasse diabolum aliqui non improbabiliter asserunt.

Arboris vitæ virtutem diabolus ignorauit. Menoch. in Gen. c. 2 v. 21.

Diabolus à feruentibus orantibus refugit.

47. Respondeo 2. Tentatorem non antea, sed postea accessisse; eò quòd antea Dominum orationi intentum videret. Ad orantem enim, qui cum Dauide dicere potest: *In meditatione mea exardescet ignis*; Belzebub, hoc est muscarum princeps, accedere timet: musca enim à feruentibus vasibus refugit.

Psal. 38.

48. Respondeo 3. Diabolum antea ad tentandum non accessisse; eo quod Dominum Dei filium esse suspicaretur, cùm eum tot dies sine cibo vitam seruare videret; cumque audisset æterni Patris testimonium: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; postea Domini languore, & esurie cognitâ circa præhabitam suspicionem vacillans ad Dominum tentandum Satan accessit. Quia, vt ait Beda: *Cùm Dominum fatigatum ieiunio videret, hominem verum esse intellexit: Cernens esurientem diabolus Dominum hominem putat, dubitat Saluatorem*, ait Ambrosius serm. 35. Quare *Domini famem piam fraudem* appellat idem Ambrosius; eo quòd Christus sub esurientis hominis specie Diuinitatem Diabolo occultaret. *Boni duces non aperto prælio, sed ex occulto semper attentant,* ait Vegetius. Porro cùm ad diabolum decipiendum de Domino Ambrosius ait: *Post multa ieiunia esurire se simulat*: simulandi verbum sano sensu est intelligendum; non quòd re vera Dominus non esurierit; sed quod esuriem veluti alieno subsidio indigentem ostenderet: dici etiam potest simulasse Dominum esuriem, eo quòd non tam corporalis cibi esuriem, quam ostendebat, haberet; quàm spiritualem animarum famem; ex quo dixit Chrysol. serm. 11. genus humanum alloquens: *Cùm propter te ieiunat Christus, te esurit.* Propter hanc spiritualem esuriem Dominus, non lapides in panem mutauit; sed, vt ait idem Chrysost. *Lapides conuertit in homines, qui de lapidibus Abrahæ filios ad indicium suæ Majestatis exsuscitat.* Similiter citato loco Act. 10. vbi de Apostolo Petro dicitur post orationem esurijsse, ait Ambros. serm. de SS. Petro, & Paulo: *Mirandum cur sanctum virum post orationem fames sequatur; cùm soleat fames oratione depelli; & esuriens anima non nisi obsecrationibus saginari. Sed puto Petrum post orationem non cibum esurijsse hominum, sed salutem; nec inedia vexatum corporis, sed inedia credentium laborasse: Cùm enim Iudaicus populus perfidus, & ingratus illo prædicante, Christo non crederet; famem quodammodo Petrus sui officij sustinebat: famem enim patitur, qui minimè fructum sui laboris assequitur.* Similiter Hieron. epist. 4. ait: *Petrus esuriens in Iudæis, Cornelij saturatur fide; & famem incredulitatis eorum, Gentium conuersione restinguit.* Porrò sicut hîc prius Domini tam longo ieiunio, deinde eiusdem fame diabolus ancipiti cogitatione torquebatur; ita ad eumdem similiter torquendum, prius tamquam Deus adorari voluit Christus à Magis; deinde tamquam homo in Ægyptum ad vitandum Herodis sæuitiem fugit. Rursus prius tamquam homo à Ioanne Baptista ablui voluit; deinde tamquam Deus ab æterno Patre dilectus filius est declaratus. Quare diabolum ita S. Ignatius Martyr alloquitur, eiusque dubitationis motiua fusius explicat dicens: *Multa te latent: Maria virginitas, & admirandus ille partus, de cuius corpore Deus processit; stella, quæ duxit eos Magos, qui in oriente erant, dona offerentes; Archangeli salutatio Virgini facta; ipsius Virginis viro desponsatæ insolens conceptus; præcursoris pueri præconium ob illius præsentiam, qui ex Virgine nasciturus erat, illius intra maternum vterum ob ea, quæ prauidebat, subsultatio; Angelorum hymni ob natum puerum; pastoribus facta bona nuncia; Herodis timor metuentis sibi regnum eripiendum; mandatum de necandis infantibus; in Ægyptum commigratio, & inde in illa loca reuersio; fasciæ pueriles, census, & humana descriptio; lactis nutritio, patris nomen attributum ipsi Ioseph, qui tamen nullum semen ad generationem attulit; præsepia, quod nullus alius locus ei esset, nec vllus humanus apparatus: incrementi accessio, humana verba, fames, sitis, profectio, labor, sacrificiorum oblatio (quandoquidem & circumcisionem admisit) baptismus, vox Dei super baptizato audita: quis esset, & vnde profectus, testificationes Spiritus, & Patris desuper facta: vox Ioannis prophetæ significantis passionem futuram, appellatione agni, diuersorum signorum efficacia, curationes variæ; increpatio Dominica imperans mari, & ventis; maligni spiritus fugati: tu ipse tortus, & potestate eius, qui apparebat, flagellatus, nesciens quò te verteres, hæc videns vertigine æstuas. Obstupefacie*

Matth. 17.

Fames Domini cur pia fraus dicatur. Lib. 4 in Luc. c. 4. Vegetius l. 3. c. 9. Famem simulasse Dominus quomodo dicitur? Ambros. serm. 35.

Fames Christi, & Apostoli Petri, spiritualem animarum cibum appetebat. Chrysologus ser. 11. Matth. 3. Diabolus circa Christi notitiam ancipiti torquebatur.

Epist. ad Philipp.

*bant te Angelorum laudes; Magorum adoratio, stellæ exortus: verùm ipsarum rerum vilitas in ignorantiam denuò te impingit. Exigua enim quædam tibi videntur fasciæ, passiones humanæ, circumcisio, lactantis educatio. Vniuersa hæc Deo indigna tibi visa sunt. Rursus videbas hominem 40. dies, & noctes perdurare ieiunium, sine humano alimento; vt communem hominem baptizatum, causamque ignorabas: post ieiunium verò esurientem: sumpta denuo audacia tentabas, vt communem hominem, nesciens quid esset.* A

*Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* B

49. PRopria, ac præcipua rebellium Angelorum occupatio, prauumque munus est homines tentare, & ad peccatum inducere iuxta S. Thom. 1. parte quæst. 714. Hinc Tertull. in Apologet. cap. 22. ait: *Operatio dæmonum est hominum euersio.* Theodoretus lib. 3. de Græcis affectionibus asserit malos Angelos rabie quadam contra humanum genus incitatos, quod ad imaginem Dei factum videbant, atrox bellum aduersus homines accepisse. Hunc tamen, qui ad Dominum tentandum accessit, non aliquem ex inferioribus spiritibus, sed Luciferum dæmonum principem fuisse, docet Augustinus de Ciuit. C lib. 9. cap. 21. & Hieronymus in Habacuc cap. 3. idque, vt illustrior foret reportanda de vaferrimo hoste victoria. Quòd præterea inde patet, quia cum tandem Dominus tentatorem procul expelleret, vocat eum Satanam: *Vade Satana.* Quo nomine etiam dæmonum principem iuxtâ Hieronymum, Ambrosium, Cyprianum, & alios Dominus vocauit Lucæ 10.18. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem. Tu, qui lapsus es ex altissima illa gloria, ceu fulgur, audes Domino dicere: mitte te deorsum?* ait S. Ignatius M. Quamuis autem Lucifer, & quilibet immundus spiritus diabolus, hoc est calumniator, seu criminator appelletur; respectu tamen Christi Domini peculiari, & præcipuo titulo Lucifer dictus est Satan, D hoc est aduersarius; cùm ab initio Christi dignitati vehementer obstiterit, superbè contendens decentius esse, vt diuinum Verbum Angelicam, & Seraphicam inter ipsos Angelos supremam naturam assumeret, quàm humanam multò Angelica inferiorem; & hinc plures Patres Lucifero inuidiæ peccatum tribuunt. Præterea communiter sancti Patres, præcipuè Gregorius patientissimum Iob Christi Domini figuram fuisse doceat. Cum ergo Iob ab infernæ malitiæ principe, vt Sanctus Prosper, & Sanctus Ignatius Mart. docent, tentatus fuerit; qui sæpius in Iob historia Satan dicitur, ab eodem Dominum tentatum fuisse dicendum est; vt figurato figura benè respondeat. E Quare Domini tentatorem *omnium malorum spirituum scelestissimum* S. Ignatius M. vocat.

Tentator Domini Lucifer fuit.
Hier. l. 2. contra Ioui.
Ambros. de fuga sæculi l. 3.
Cypr. de ieiu. Christi
Epist. ad Philip.
Lucifer inuidiæ peccato peccauit.
Gregor. in præfat c. 6.
Prosper. 1. par. c. 22 in Gen.
Ignat. epist. ad Philip.
Lucifer Iob tentauit.

50. *Si Filius Dei es:* Si Dei erat filius, sapientissimus, & sanctissimus erat; cur ergo diabolus sub humana religiosi viri forma, vt communiter censent interpretes, ad Dominum tentandum accessit? Cogitare enim faciliè poterat, neque sapientissimum fictam suam formam latere posse; neque sanctissimum eius suggestioni consensurum; talis enim consensus fuisset culpabilis. Nam, vt ait S. Thom. 3. p. quæst. 41. *Est inordinatum, quòd aliquis vbi potest recursus haberi ad humana subsidia, pro solo corpore sustentando miraculosè sibi cibum quærere velit.* Notanter autem dixit

Diabolus cur sub humana specie Dominum tentauit.

A S. Doctor, p
dum in panc
suggerebatu
neque ad ali
tantùm ad
vanam pote
transmutatio
rum in Chri
stante Euang
*discipuli eius.*
*lapidibus pan*
*sed signa fide*
*danda sunt,*
nauentura q
B tentationem
pondet: *Si I*
*est quæstio; qu*
*est verisimile*
*uerit, quia m*
*nem, & in pr*
*panit duabus*
*bus paucis.* P
turæ vires su
lis ministratu
confectus, d
sitam difficu
Dominum d
51. Respond
C nocendi des
Chrysostom
*quam fieri po*
*omninò confic*
*verùm etiam*
*superiores.* Pr
tus nimis ar
Ideo de eo I
*det;* scilicet
redditur, qu
*perbiæ.*
52. Respon
ni Patris tes
dubitaret a
habitantem
D stus esset; pe
transmutati
Dei filius er
non cognos
gestioni co
tentasset, in
verò non ex
dum æterni
gloriam Chr
inde tunc ve
filij, diabolu
53. *Dic, v*
boli versuti
E tandum mi
teriam sum
camus. *N*
*elicere:* In d
Num de ru
stionis mat
tuit sanè.
*bolo de par*
*pomorum*
*bum, quem*
*mutari.*
pauiment
petat; no
in veteri
fluxisse
nistran

Diaboli in humanum genus odium, & inuidia.

C. 35 Isaiæ.

54. Sed non per conuersionem lapidum in panem Dominus erat Dei filius cognoscendus; sed quia, vt Isaïas prædixit, Cùm *Deus ipse veniet, & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Cur igitur diabolus ad talia miracula, vt cognosceret, an verè Dei filius Christus esset, eum non incitabat? Respondetur hinc diaboli in humanum genus odium, & inuidiam indicari: eum enim huiusmodi miracula non in solitudine essent facienda, sed necessariò homines testes habere deberent; & consequenter inde spirituale fidei bonum, & corporale sanitatis esset prouenturum, ideo ad huiusmodi miracula Dominum allicere inuido, & versuto Diabolo minimè placuit; sed tantum ad lapidum in panem conuersionem in solitudine faciendam; vnde nil boni in homines proueniret.

Diabolus cur non vnum sed plures lapides panem fieri petierit.

Diabolus ad superflua instigat.

Quæritur præterea hîc, cum lapis vnus in panem conuersus ad vnius hominis famem satis esse posset; cur plures lapides, vt in panem conuerterentur, Satan proposuit? Bene respondet Theophylactus: *Non dixit, vt lapis hic panis fiat, sed lapides; volens Christum ad superflua instigare.*

Chrysost. Homilia 4. in 2. ad Cor.

55. Apoc. 12. de diabolo dicitur; *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri Diabolus*, ait Chrysostomus, *Deum accusat apud homines, & nos apud Deum; & rursus nos inuicem inter nos.* Quomodo homines apud homines accuset trita, & in dies plurima sunt exempla; est enim serendis zizanijs Satan cultor egregius. Iob accusauit apud Deum, cùm diceret: *Numquid Iob frustra timet Deum?* Significans Iob non ex vera charitate, sed à Deo ditatum, & prosperatum ex proprio commodo Deum colere. Ideo addidit: *Tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* E contrario Deum apud Iob accusauit dicens: *Ignis Dei cecidit è cœlo*; scilicet, vt hinc ad indignationem contra Deum ignem immittentem è cœlo Iob commoueret. Similiter Deum insimulauit apud Adam, cum diceret: *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij.* Quasi diceret; falsò vobis mortis timorem Deus incussit; sed pomi comestionem vetuit; vt nos insigni, quam indicaui, felicitate priuaret. Sic etiam in præsentia Deum apud Christum accusat dicens: *Dic, vt lapides isti panes fiant:* quasi dicat: Debuerat Deus iam dudum suæ fami subuenire, vel pluendo sicut Israëlitis manna in deserto; vel Angelos ad cibum ministrandum è cœlo demittendo. Quoniam verò tuam indigentiam curare non videtur, vtere potestate tua; & *si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Quàm aptè elegit ex lapidibus panes exposcere, vt quàm durus sit, qui loquitur tali signaretur exemplo*, ait S. Paschasius. Durus diabolus est erga Deum, ob obstinatum cor; durus erga seipsum, similiter ob impœnitentiam, durus erga homines, quos simul ac suo iugo subdiderit, durissima, & asperrima pati cogit. Chrysologus serm. 11. diabolum sic alloquitur. *Miser, malus vis esse.* idest malum inferre vis; *sed non potes: cupis tentare, sed nescis. Esurienti tenera offerre, non dura debuisti: famem non asperis palpare, sed blandis; inediam non horridis vrgere debueras, sed gulosis.*

Iob c. 1.

Diabolus tripliciter accusator.

Genes. 3.

Diabolus aptè ex vno capite, & altero ineptè lapides in cibum conuertendos proposuit.

Serm. 11.

56. Sed miraculum transmutandi lapides in panes hoc loco diabolo denegatum, in Leuitæ Stephani martyrio patrandum est reseruatum: qui enim in Beatum Protomartyrem lapides à Iudæis iaciebantur, in dulces escas sanctissimæ illius

A animæ transmutari videbantur; testante Ecclesia: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Præterea, vt diuinitus lapides in panes transmutari cognoscamus, reuocemus in memoriam, quod Dominus Ezech. 36. 26. ait *Auferam cor lapideum de carne vestra.* Huiusmodi lapideum peccatoris cor in salutarem animæ panem conuertitur; cum in pœnitentiæ lacrymas eliquatur. Quod quidem expertus est pœnitens Dauid dicens Psal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes.*

Lapides in panem quando Deus transmutauerit. idem n. 17.

Mystica lapidum in panem transmutatio. idem n. 17.

57. Aliam lapidum in cibum conuersionem diuinitus factam mysticè affert Augustinus in Psal. 46. Ioannis Baptistæ verba ad Iudæos referens scripta Matth. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Non enim remanserat est Abraham sine filijs. Si vos damnauerit Deus, potens est & damnare quos odit, & illi reddere quod promisit. Et vnde illi redditurus est filios, si damnaret Hebræos de carne eius progenitos? De lapidibus istis. Ostendebat illi lapides in eremo. Qui erant lapides, nisi Gentes, quæ lapides adorabant? lapides quare? Adorando lapides dicti erant lapides: quia Psalmus 113. prædixerat: similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Tamen de ipsis lapidibus reddidit filios Abrahæ. Modò omnes, qui lapides adorabamus, conuersi ad Dominum filij Abrahæ facti sumus; non ducendo ab illo carnem, sed imitando fidem.* Conuersi autem huiusmodi lapides ad Dominum, Domini cibus facti sunt. Dicente enim Domino Ioan. 4. 34. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me:* ibi Chrysostomus ait: *Hominum salutem, cibum appellat.*

B

C

58. Præterea miraculum hoc lapidum conuersionis in panem hîc Satanæ denegatum, ad Dei gloriam, & in auaritiæ, & diaboli auaritiam suadentis opprobrium, inuerso ordine, in aliud tempus Domino differre placuit. Nam teste S. Gregorio Turonensi lib. de gloria Confessorum cap. 108. Cum durus mercator pauperi eleemosynam petenti sua in naui nihil, nisi lapides habere mentitus esset; statim illius nauis cibaria in lapides sunt mutata. Simile transmutationis miraculum legimus apud Sozomenum lib. 8. cap. 5. *Vir quidam è Macedoniana hæresi vxorem eiusdem opinionis habebat: hic cum Ioannem quomodo de Deo sentiendum esset docentem audisset; dogma illius laudabat, & vxorem quoque, vt secum sentiret, hortabatur. Cùm verò illa magis nobilium mulierum sermonibus, quàm illius consuetudini obtemperaret, & post frequentes admonitiones vir illius nihil effecisset: Nisi, inquit, in diuinis mihi consors fueris, neque in vita communione posthac eris. Mulier hoc audito, & consensum pollicita, rem eam famulæ cuidam communicat, quam sibi fidam esse indicabat; illiusque opera ad fallendum virum vtitur. Circa tempus autem Mysteriorum, illa, quod accepit*, nempè Eucharistiam, *continens quasi oratura procumbit: famula adstans clanculum illi dat, quod secum in manu*, nempe panem hæretico ritu consecratum, *attulerat. Hoc cum dentibus admoueretur, in lapidem congelascit. Mulier perterrefacta metuens, ne quid sibi mali propter eam rem, quæ diuinitus acciderat, contingeret, ad Episcopum cursu contendit ac si ipsam prodens lapidem ostendit adhuc morsus vestigia habentem, & materiam incognitam, coloremque admirabilem ostendentem, simulque veniam cum lacrymis petens, viro suo consensuram se pollicetur. Quod si hoc cuipiam incredibile videtur, lapis ille testis est, qui etiam nunc inter clinodia Ecclesiæ Constantinopolitanæ asseruatur.*

Panis miraculosa in lapides transmutatio. Idem n. 59.

D

Ioan. Chrysost.

E

59. Allata in lapidem panis mutatio in perfidiæ pœnam accidit. Aliam tamen in pietatis præmium, pijque viri tutelam contigisse legimus.

Iacob. B. hist. ... Ioan. ... lib. ...

Iero-

Ierosolyma sub infidelium ditione cum à Christianis obsideretur; inter Christianos Ierosolymæ incolas pius vir Ierosolymitani Xenodochij rector Gerardus ad vrbis mœnia properans, vt indè ad obsidentes fideles panis subsidium demitteret, quod sæpè antea fecerat; ab infidelibus deprehensus est. Cumque ante Præsidis tribunal, quod clam ferebat, palàm detegere cogeretur; panes diuinitus in lapides conuersos protulit. Hinc deceptus Præses Gerardum ad arcendos obsidentes iacere voluisse lapides, non cibi subsidium demittere, facilè credidit.

*Scriptum est: non in solo pane viuit homo; sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.*

60. CVm imminentibus hostibus Israëlitæ Ierosolymam instaurarent, altera manu lapides ad murorum ædificium habebant; altera verò gladium ad arcendos hostes, vt habetur 2. Esdræ cap. 4. Sed Redemptor noster post susceptum à Ioanne baptismum; post 40. dierum ieiunium, cùm iuxtà Dauidis precationem: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua, vt ædificentur muri Ierusalem*, mysticæ Ierosolymæ, hoc est Ecclesiæ muros esset erecturus; tenuit quidem contra communem hostem *gladium spiritus, quod est verbum Dei*; cum semper Satanæ tentationes sacrarum litterarum testimonijs repulerit: diabolo tamen Iudaïci deserti lapides, hoc est obstinata Hebræorum corda reliquit: non enim lapidibus ijs mystica Ierosolyma erat erigenda; sed potius sanctis fidelium operibus, virtutumque gemmis; cum de ea dicatur: *Lapides pretiosi omnes muri tui, & turres Ierusalem gemmis ædificabuntur.*

Psal. 50.

Ad Eph. 6.

61. Christi ergo exemplo contra principem tenebrarum *arma lucis*, hoc est sacrarum scripturarum eloquia adhibenda nobis esse docemur: ideo monet Apostolus ad Rom. 13. *Induamur arma lucis.* Quàm benè diuina verba; & mandata sacris litteris contenta fauum, & mel superare dicuntur Psal. 18. Fauus enim distinctè ceram in vsum luminis, mel in vsum dulcissimi saporis in se continet: diuina verò eloquia vtrumque eadem indiuidua virtute concludunt: cùm pias mentes contra offusas à diabolo tenebras illuminent, & iustorum corda cœlesti dulcedine exhilarent, & reficiant. Quare eodem Psalmo dicitur: *Iustitia Domini*, hoc est verba, quibus iustitiam nos docet, *rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos.*

Arma lucis, scripturæ testimonia.

Fauum, & mel quomodo diuina eloquia superent.

62. Psal. 119. Quærit Dauid, quod armorum genus adhibendum sit contra dolosi diaboli praua opera suadentis insidias: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Respondet: *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs.* Iuxtà Cassiodorum ardentes sagittæ sunt diuinæ legis verba, quibus subdolè blandientes confugimus. Benè ergo huiusmodi sagittis Dominus diaboli dolos repellit; ijsque confixum Satanam veluti ardentibus carbonibus rabie aduri cogit: idemque nobis contra dæmonis insidias faciendum docet.

Sagittæ ard n tes contra diabolum, diuinæ legis verba.

63. Gregorius 33. Moralium cap. 8. versutiam Diaboli scrutantis Christi Diuinitatem, naribus explorantibus odorem comparat; Christi verò verba sudibus, acutisque telis assimilat. Quare de Christo suis responsis diaboli versutiam retundentis prophetiam illam Iob 40. interpretatur: *In sudibus perforabit nares eius Diabolus*, inquit Grego-

A tius, *cum D*
*tis miraculis*
*Dei es, dic, v*
*rum indicijs o*
*pinit; quasi*
*respondetur:*
*tabis Dominu*
*acuminibus in*
*lit; quasi na*
64. *Non in*
*quod procedit*
telligentiam
sueti recoler
significat ca
per quod al
B *lauit in fortitu*
*dtibus.* Psalm.
2. *Panis* non
libet cibum
mensam reg
*Tu comedes p*
significat im
*dite verbum*
& allocution
*tus est Domin*
rem significa
*Deum omne*
ci textus sen
cibum alium
per omne v
C Potest enim
imperio hom
ribus sanctis
zius de signi
15. signo 58.
dam solo im
potest, vt res
pli gratia ip
menta sint.
procedit, hò
per internan
seruari posse
corporali cib
D vt ipsemet l
ad suauissim
dam, hyperb
uitatem vent
fectò sine hy
per interior
non solùm v
sed ipsum n
ne corporale
alimento in
Domino cu
*tia Dei diu*
*adiumenta:*
E *morantibus*
*mori non po*
liter Tertu
*Moses, &*
*solo Deo al*
sine vllo
Dominica
multò me
test cum
*nis, cui v*
chabeoru
morituro
tò meliu
tuit: *La*
nos so
manan

rat Isaïæ 60. *Mamilla regum lactaberis*; hoc est A mamilla illa, qua Reges ij lactari solent, qui exultantes dicunt Apoc.5. *Fecisti nos Deo nostro regnum*, hoc est Reges, *& Sacerdotes*. Gedeonis gladius in panis speciem mutari visus est Iud. cap. 7. *Videbatur mihi subcinericius panis. Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.* Ad Ephesios 6. Dei verbum gladius dicitur; gladius hic multò melius, quàm Gedeonis gladius ad hominem pascendum panis vicem præstare potest.

Margaritæ in Romanis conuiuijs, in cibum sunt datæ: Margarita pretiosior sermo Dei est Prou. c.25.

65. Pretiosas margaritas in Romanis conuiuijs gustandas appositas fuisse testatur Plinius lib. 9. c. 35. Margaritæ autem sapientis sermo à Salomone in prouerbijs assimilatur. Benè ergo diuinæ Sapientiæ sermo pretiosa veluti margarita in eximij B alimenti vsum esse potest.

Ioan. 6. 69.

66. Quàm benè Apostolus Petrus dixit: *Domine verba vitæ æternæ habes!* Dei verba efficere possunt, vt id in hac mortali vita experiamur, quod electi in æterna vita perfectè consequentur. *Sublatâ morte victus fulcimenta ad præsidia vitæ non erunt*, ait Tertullianus; cum victu beati non indigeant: hanc etiam indigentiam cum in mortali vita diuinum eloquium auferre possit; benè Dei verba æternæ vitæ verba dicuntur. Ideo subdidit Tertullianus: *Non in solo pane viuit homo, sed in Dei verbo: ecce virtutis futuræ lineamenta.*

Tertull. lib. de resurrectione c. 61.

### *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Ciuitatem.*

67. AN in templi apicem, & in excelsum montem diabolus Christum incedentem duxerit; an verò ipse per aërem deportauerit, id Domino permittente, problema in vtramque partem disputabile esse potest. Pro prima sententia asserente Dominum ea loca suis pedibus adijsse, est Euthymius in Lucam 4. cui fauet Chrysostomus in Psal. 2. dicens: *Quando Christus ascendit in montem, vt tentaretur à Diabolo.* Pro secunda sententia asserente Christum ad ea loca fuisse à Diabolo aëria via deportatum, est Hieronymus in Matth. & Gregor. in Euangelia homil. 16. & Bonauentura in meditat. vitæ Christi cap. 17. apertè dicens: *Permisit se portari, & contrectari ab illa cruenta bestia.* Pro prima sententia militant verba Lucæ cap. 4. dicentis: *Duxit illum diabolus in locum excelsum: & duxit illum in Ierusalem.* Pro secunda sententia militant verba Matth. dicentis: *Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem: iterùm assumpsit eum in montem excelsum.* Pro prima sententia est, quod Gregorius ipse notauit: *Cùm dicitur Deus homo vel in excelsum montem, vel in sanctam ciuitatem assumptus, hoc est deportatus à diabolo, mens refugit credere; humanæ hoc audire aures expauescunt:* idque eo quòd huiusmodi diaboli deportatio reuerentiæ Christo debitæ congruere non videtur. Pro secunda sententia est locorum distantia, nimirum è deserto vsque ad templi apicem; & hinc vsque ad excelsum montem; ad quam distantiam pedibus pertranseundam longissimo temporis spatio opus fuisset: tanto autem tempore diaboli ductum Dominum secutum fuisse non valdè probabiliter dicitur: cum probabilius sit non multum temporis ad repellendam tentationem, vltimamque de diabolo victoriam reportandam Dominum expectasse. Sed ad allata argumenta, siue pro prima, siue pro 2. sententia tamquam non omninò efficacia responderi potest primò, quòd à diabolo Dominus ductus dicitur, non necessariò sequitur Dominum deportatum non fuisse. Cum enim volentes dicantur duci, nolentes dicantur trahi; v. significetur Dominus volens à diabolo fuisse deportatus, ideo dicitur Dominus à diabolo ductus. 2. quod à Matth. diabolus Dominum assumpsisse dicatur, neque necessariò sequitur Dominum à Diabolo fuisse per aërem deportatum: sicut neque aërius ascensus significatur, cùm tres Apostoli excelsum montem conscenderunt; quamuis à Matth. dicatur: *Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelsum:* Similiter 1. Reg. 9. cum dicitur: *Assumens Samuel Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium.* 3. Respondetur cum reuerentia Christo Domino debita diaboli deportationem non repugnare: nam ex Gregorio, *Mirum esse non debet permissum fuisse diabolo, quod diaboli membris, nempe crucifixoribus permissum fuit.* Quamuis omnino credendum sit, non irreuerenti impetu, sed potius formidolosa quadam reuerentia Domini corpus à diabolo fuisse contractum, dum illud per aërem deportaret. 4. distantiam locorum velocissimo motu propria virtute breui tempore pertransire Dominus potuit. Neque per hoc se Dei filium detexisset. sicut neque diabolo se omninò detexit, cum supra mare securus incessit: incertum enim quoad hoc poterat esse diabolo, an huiusmodi velox motus ab intrinseca Christi virtute proueniret; an verò illum Deus extrinsecè operaretur. C Per hoc autem diabolus maiori incertitudine torquebatur, dummodo conijciendi, modo non conijciendi in Christo Diuinitatem diuersa indicia viderentur: vt supra in illa verba: *Postea esurijt*, adnotauimus. Denique Dominum à diabolo non fuisse deportatum probabilius autumat Maldonatus; eo quòd Satan tali deportandi modo, se vt tentatorem prodidisset; sed vel diabolus suadendo præcipitium, suique adorationem, se vt malum Angelum detegi existimabat; & tunc deportationem per aërem ad se occultandum frustra vitasset: vel præcipitium, suique adorationem suadendo, adhuc se vt bonum Angelum apparere credebat; & tunc deportationem D per aërem boni Angeli virtuti tribui posse iudicasset: sicut Danielis cap. vlt. Habacuc per aëra à bono, non à malo Angelo ferri se existimauit, cùm illi Angelus, sicut Christo diabolus, sub visibili specie apparuisset.

Problema de Christo à diabolo in sanctam ciuitatem, & in montem ductu.

Cap. 17.

68. *In sanctam ciuitatem.* Ierosolyma sancta ciuitas dicitur; quòd in ea esset sanctum Dei templum, in quo diuinus cultus exercebatur, vt docet Hieronymus. Sed quia tunc temporis sacerdotum auaritia templum reddiderat *speluncam latronum* iuxtà Domini testimonium Matth. 21. ideo sciendum est vsitatum esse in scriptura, vt aliquid, etiam facta mutatione, vocetur eo nomine, quod antea habebat; sic Exodi 7. dicitur: *Tulit Aaron virgam, E quæ versa est in colubrum:* similiter incantatores Ægyptij *proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones; sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Sicut ergo ibi Aaronis virga in venenatum, & voracem colubrum mutata, adhuc sacræ Aaronicæ virgæ nomine appellatur: ita Ierosolyma, quamuis corruptis ciuium moribus praua potius, & profana ciuitas foret; adhuc sancta ciuitas dicitur; quòd in ea olim vera religio, diuinæ legis obseruantia, & in templo pius Dei cultus, & munda sacrificia à pijs fidelibus, pijsque sacerdotibus oblata viguissent. Similiter Iudas quamuis actu proditor foret, quia antea sub amici nomine ferebatur, tali nomine à Domino appellatur Matth. 26. 50. *Amice ad quid venisti?*

Hieronymus epist. ad Hedibiam q. 1. Mutatæ res pristinum nomen interdum retinent.

*Et statuit eum supra pinnaculum templi.*

Pinnaculum templi, vbi inanis gloriæ tentatio fuit, quid indicet?

69. QVidam templi pinnaculum acuminatam turrim fuisse censent, in qua lamina esset ad ventorum mutationem indicandam versatilis, alæ, vel pinnæ similitudinem referens. In huiusmodi loco Dominus à diabolo inanem gloriam suadente tentatur; vt hinc liquidò constaret, quàm futilis, inanis, & leuis in hoc mundo sit gloriæ, & honoris ostentatio: cum enim ad gloriæ ostentationem Dominum Satan vellet impellere, non aptiorem locum, quàm ventosum apicem, spirantium flaminum varietate constanter instabilem, deligi Deus voluit. Quare benè Ambrosij verba vsurpare possumus: *Docemur hîc inanis ambitionis flabra despicere, quòd omnis dignitas secularis diabolicæ subiacet potestati; ad vsum fragilis, & inanis ad fructum*: Non dissimiliter Apoc. 17. Meretrix terrenarum voluptatum dispensatrix, non alibi, quàm super aquas multas, sedem dicitur collocasse: *Veni, & ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ.* Sicut igitur ad transitorias voluptates largiendas super decurrentes aquas solium statuitur; ita ad inanem gloriam ostendendam ventosus apex eligitur.

Mundana gloria, & voluptas instabilis.

70. Notandum hîc est, cum Dominum supra templi pinnaculum statuisse diabolus dicitur, ex hoc non colligi Dominum eò fuisse à diabolo deportatum: statuisse enim ibi Dominum diabolus dicitur; quia ibi sistens diabolus effecit, vt ibidem Dominus iterum cum tentatore congredi volens etiam sisteret. Sic Numer. 17. 22. dicitur Moyses *cum tulisset Iosue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote*; hoc est, *cum Moses secum duxisset Iosue, ambo coram Eleazaro constiterunt.*

*Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum.*

71. FIliorum proprium est, paternam loquelam imitari; quare dicente diabolo hîc: *Si filius Dei es, mitte te deorsum*; repetunt Iudæi Matth. 27. *Si filius Dei est, descendat nunc de cruce*: scilicet, vt probent verissimum fuisse Christi testimonium de perfidis Iudæis: *Vos ex patre diabolo estis.* Ioan. 8.

*Scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te; & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

Diaboli versutia.

72. COnsultò versutus diabolus citatæ scripturæ partem illam omisit: *In omnibus vijs tuis*: ex his enim verbis manifestum contra diabolum erat responsum; scilicet Angelos custodire debere in vijs humano vestigio calcandis; non in præcipitijs temere tentatis: *Quid mandauit*, inquit Bernardus? *nempe quod in Psalmo sequitur: vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Numquid in præcipitijs? qualis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina: & si via, tua est, non illius.* Similiter per versutiam diabolus sequentem Psalmi versiculum reticuit: quia per eum prædicebatur fore ipse Satan à Christo, & Christi imitatore superandus. Hanc versutiam egregiè diabolo Sanctus Ignatius martyr exprobrat dicens: *Cætera simulas te ignorare, furtim ea subtrahens. An non de te, tuisque ministris prophetauit: Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & con-*

In Psal. Qui habitat, ser. 14.

Diaboli via præcipitium.

S. Ignatius Epist. ad Philipp.

Hæretici S. Scripturam mutilantes.

A *culcabis leo*
scripturæ
biliendos
versutiam
73. *Ne*
Quamuis
quium erg
huc eius p
Augustinus
capillis Do
*bes superflu*
*sti. Habes,*
*sunt, sed Do*
mystici ped
B mosynam
mini pedes

*Ait illi Ies*

74. E
quàm effec
pro imperat
*dotis custodie*
tiam deben
*debuisti face*
*Opera, quæ n*
C *cides, non m*
est: *Ne occi*
liter hîc, &
*num Deum*
ne tentes;
Mandatum
det. Miracu
miraculum
uire, & bea
Deo consequ
ti esse manc
gnare: mira
re, & altero
75. Peccat
D tant. Tentar
cipites se ex
rantes. Huic
1. Mach. cap
*tes in bello. d*
*filio exeunt*
tentant, qu
terminum p
ciues, qui C
*Si transactis*
*faciemus hac*
tem Assyrijs
dith dixit:
tant Dei sapi
communica
E tur: *qui ali*
lus. Simili
idem Apost
*lentes esse leg*
*loquuntur, n*
pientia ad
di doctorib
negligente
alloquium
*Ante ora*
*quasi, qui*
nitatem,
Procrast
Hodie
da ve

tant denique Dei clementiam, qui Deum scelera non punire censent: *Propter quid irritauit impius Deum?* Respondetur: *Dixit in corde suo: Non requiret.* Psal. 9.

Tentare Deum quid sit; & quare culpabile. 76. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 97. art. 2. quærit, an Deum tentare sit peccatum? & respondet: *Tentare est experimentum sumere; nullus autem experimentum sumit de eo, de quo est certus. Vnde manifestum est, quod tentare Deum, vt ipse tentans cognoscat Dei virtutem, est peccatum. Si quis autem ad hoc experimentum sumat eorum, quæ ad diuinam perfectionem pertinent, non vt ipse cognoscat, sed vt alijs demonstret; hoc non est tentare Deum, cum subsit iusta necessitas,* &c. Sic 3. Reg. 18. Elias diuino motus afflatu (sine quo non liceret) vt quem colebat, verum Deum esse ostenderet, idololatris, dixit: *Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus:* & ideo orauit: *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israël, ostende hodie, quia tu es Deus Israël, & ego seruus tuus; & iuxtà præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me, Domine, exaudi me; vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum.* Ideo Isaïæ 7. dicente Domino Regi Achaz: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo: & dixit Achaz, non petam, & non tentabo Dominum:* Reprehenditur Achaz, quasi impediens commune bonum, & salutem, cum signum petere nolebat; eo quòd tale signum dabatur Regi non pro ipso solùm, sed pro totius populi instructione, vt citato loco benè differit Sanctus Thomas.

77. *Non tentabis Dominum Deum tuum:* hæc Deuter. verba Dominus protulit, non vt diabolum corrigeret, ne scilicet ipsum Christum verum Deum tentaret: tali enim sensu si verba protulisset, se Dei filium diabolo manifestasset; quam manifestationem Christus tunc certè nolebat. Quare Chrysologi interpretatio non placet, cùm ait: *Si vtique Dominum, se vtique Deum intelligi voluit hæc dicendo.* Sed verba illa Christus protulit vt sibi dicta, quà homo est; non autem vt diabolo incorrigibili dicta; ijsque Christus significauit se nolle deorsum demittere, quod diabolus suadebat; quia sic ipse Deum contra Dei mandatum tentasset. Quod patet ex eo, quòd dixit: *Non tentabis Dominum Deum tuum: diabolo enim non dixisset Dominum Deum tuum:* Nam vt differit Rupertus, *Quamuis vniuersorum Dominus Deus sit, sanctorum tamen, non peccatorum Deus dici vult.* Quòd autem Deus sanctorum Deus, & Dominus appellari dignetur, hoc ipsum diuinæ bonitati est referendum. Nam Exodi 3. Deus dicitur *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob:* & hinc Apostolus ait: *Non confunditur Deus;* hoc est propter suam infinitam bonitatem non erubescit *vocari Deus eorum.* Prætereà, vt benè notat Tostatus, si diabolo dixisset: *Non tentabis Dominum Deum tuum;* hoc diuino Redemptoris imperio coactus diabolus recessisset; neque in monte tentationem tertiam addidisset.

Serm. 13. Chrysologi de Christi verbis interpretatio reiicitur.

Epist. ad Hebr. cap. 11. 16.

### *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde.*

78. MOntem hunc posteà montem diaboli dictum fuisse habetur ex Adrichomio in descriptione terræ sanctæ p. 18. num. 90. Quod si mons, vnde deuictus diabolus à Domino reiectus fuit, mons diaboli dictus est; quantò iustius peccatoris anima, à qua diabolus non repellitur, sed in ea regnat, diaboli anima est appellanda. Iustorum congregatio meritorum cumulo, pijs affectibus, & sublimi contemplatione in cœlum euecta dicitur à Dauide Psal. 67. *Mons Dei; mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* E contrario superbientium peccatorum Synagoga, quamuis vallis miseriæ sit, obsuperbiam tamen, & iniquam super alios elationem, merito titulo mons diaboli dici potest; mons, in quo beneplacitum est diabolo habitare in eo. Quare si in hac mortali vita peccatores diabolo habitaculum præbent, æquum sanè est, vt post mortem illis diabolus vicem rependat, eisque habitaculum suo in inferorum regno libentissimè tradat.

Iustorum cætus Mons Dei; iniquorum turba mons diaboli.

### *Et ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.*

79. IN explicando modo, quò à Lucifero hæc distantium regnorum omnium, eorumque gloriæ ostensio facta sit, laborant interpretes; ita vt aliqui ad innumeram speculorum multitudinem confugiant, asserentes diabolum per innumera specula sibi inuicem obiecta species regnorum, ex vno speculo in aliud, & in aliud continuò vsque ad Christi oculos reflexisse. Quæ quidem sententia, vt vitrea, minus solida videtur; eiusque difficultates cordatus quisque expendere potest. Certè terrenorum regnorum gloria, nempe thesauri, pompa, apparatus, obsequentium aulicorum numerus regia intra palatia cum essent, per specula species transmittere non poterant. Dicendum ergo videtur diabolum, cum sub humana specie appareret, gestu, & verbis varia mundi regna ostendisse; eorumque gloriam magnifico præconio extulisse: Exaggerando quàm speciosa, quàm pretiosa omnia essent. Addi præterea duo possunt; primò diabolum, ita proximas aëris partes quasdam vndique attemperasse, vt instar telescopij, seu tubospicilli valde distantia loca Christi oculis repræsentarent. Quare Franciscus Lucas asserit hanc regnorum ostensionem factam esse Perspectiuæ, seu Opticæ arte, cuius peritissimus Lucifer est. 2. probabiliter dici potest ingentem dæmonum turbam sub humana specie, & pretiosis vestibus apparuisse; quorum alij reges, alij aulicos, alij explicatas militum acies referrent; alij argento, auro, & gemmis repletas arcas ostentarent. Huiusmodi autem ostensioni non repugnat S. Lucas citandus infra; qui eam temporis momento factam esse ait. Momentum enim debet non physicè, sed moraliter pro breui tempore accipi: sicut de Sodoma dicitur à Ieremia: *Subuersa est in momento:* iuxta id, quod dicitur Genes. 19. *Subuertit Dominus ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Quod certè non in instanti, sed breui tempore factum esse, censendum est. Similiter Dan. 14. n. 41. de Danielis accusatoribus dicitur: *Deuorati sunt in momento,* scilicet à Leonibus.

Mundi regna quomodo à diabolo ostensa Christo.

Momentum pro breui tempore sumitur.

Thren. 4.

80. Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum S. Lucas cap. 4. *Ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Cur temporis momento, & non potius prolixiori mora? Fecit id Satan diabolica versutia, quia nimirum in terris regnantium gloria adeo fuga, & futilis est; vt si prolixius inspiciatur, eius inanitas, & variatio facillimè deprehendatur. Transitoria igitur regna, & veluti momentanea momento temporis sunt indicata. Ideo Ambrosius ait: *Benè in momento temporis secularia, & terrena demonstrantur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quàm*

Mundi gloria caduca, & fugax: ideas ...

caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim momentu illa prætereunt, & sæpè honor seculi abjit, antequam venerit. Quid enim seculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint secula? Similiter Chrysost. in Psalm. 2. *Quando Christus ascendit in montem, vt tentaretur à diabolo; tunc archidæmon in puncto temporis omnia regna mundi, & gloriam eorum coëgit; & cum omnibus visus est, vt cum omnibus euanesceret; & omnibus contendebat, vt in omnibus caderet, & vinceretur.*

81. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*, dicitur Iob 20. Hypocrita antonomasticè diabolus dicitur; quod frequentissimè per hypocrisim se in Angelum lucis transfiguret: gaudium igitur, quod Satan suis sectatoribus offert, adinstar puncti momentaneum est. Sicut autem ad signandum punctum simul ac stylus applicatur, remouetur; ita mundana gaudia à diabolo allata simul, & ablata sæpissimè cernimus. *In puncto stylus mox vt ponitur, leuatur; nec mora vlla agitur*, ait in citatum locum Greg. E contrario quod suis gaudium Deus affert, vt à puncto contradistinguatur, tantam habere latitudinem, longitudinem, & profunditatem dicitur, vt in illud ingredi, eoque vndique circumdari possimus. Ad tale gaudium nos Dominus Matth. 25. inuitat: *Intra in gaudium Domini tui: Intra, vt ex omni parte sit gaudium*, ait Hugo Card. Diaboli verò gaudium ad instar puncti est; cumque dimensionem nullam habeat, vndequaque talis gaudij sectatores gaudij expertes extra gaudium reperiuntur.

### *Et dixit illi: Hæc omnia tibi dabo.*

82. PRomissionem de mundanis reghis à diabolo Christo factam, ita exprimit S. Lucas: *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum; quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia.* Verè hìc mendaci Satanæ dici potest: *De ore tuo te iudico, Angele nequam.* Nam si terrenas opes, & regna sua esse Satan asserit; cur cum Iob Idumææ Rex esset, teste Isidoro; nihilominus ipse idem Satan Iob facultates à Deo datas esse, ijsque Iob spoliandi apud Deum potestatem esse confessus est dicens: *Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam eius per circuitum; operibus manuum eius benedixisti* (hoc est benefecisti, augendo diuitias omnes, quæ sub Iob possessione, ac potestate erant; Dei enim benedicere est benefacere) *sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet.* Falsò ergo mundi regna sua esse diabolus ait: *Falsò promittit ea, quæ sua non sunt*, ait Irenæus. Verè autem Diuina sapientia ait: *Per me reges regnant, per me principes imperant.* Quare, cum in veteri Testamento terrena bona seruantibus diuinam legem dabantur, ait Augustinus: *Illo tempore, quo visibilia promittebantur diuinitus præmia, vnus colendus commendabatur Deus; ne mens humana pro ipsis terrenis vitæ transitoriæ beneficijs, cuiquam, nisi vero animæ creatori, ac Domino subderetur. Omnia quippe, quæ præstare hominibus, vel Angeli, vel homines possunt, in vnius esse Omnipotentis potestate quisquis diffitetur, insanit.* Diabolus autem cum princeps tenebrarum sit, non nisi opera tenebrarum, hoc est, peccata, & scelera promittere, ac dare potest. Væ humano generi, si diabolo potestas foret extrahendi è terræ cauernis, vel à mari argentum, aurum, & gemmas; eaque hominibus adeo in terrenas opes propensis largiendi. Vetuit id summa Dei bonitas; ne vehementi huiusmodi tentatione homi-

Luc 19: Diabolus mendax promittit quæ sua non sunt.
Isid l. 1. de vita, & morte sanctorum.
Iob. c. 1.
Benedicere Dei, est benefacere.
C. hæreses l. 5. c. 12.
Prou. 8.
10. de Ciuit. cap 14.

nes facilè se pe[...]
83. Porrò qu[...]
diabolus neque[...]
dolosè promit[...]
promittit, æqu[...]
vera promittat[...]
Genes. 3. Euæ [...]
*enim Deus, quòd*[...]
*aperientur oculi*[...]
*num, & malum.*[...]
egregiè Ruperti[...]
*pens, & dubia* [...]
*fuerit, nihilomin*[...]
*chinno confirmet*[...]
*animæ, & altera*[...]
*erant morituri,* [...]
*dit. Non enim q*[...]
*ter mortui sunt;*[...]
*sibimet eodem di*[...]
*æquiuocando cum*[...]
*alio sua dicta* [...]
*inquit, quia in q*[...]
*rientur oculi ve*[...]
*tem omnis sapie*[...]
*gnum illi interd*[...]
*turum esse, Ape*[...]
*in agnitionem* [...]
*& eritis sicut D*[...]
*cibus Angelis* [...]
*debat; cum ali*[...]
*sua. Addendo* [...]
*liebatur, vt eos*[...]
*moriam, & m*[...]
*aliud vellet int*[...]
*consecuturi esse*[...]
*scientia solius* [...]
*dicitur: Aperie*[...]
*sapientiæ altitu*[...]
*sionem: hæc ra*[...]
*milem cogitat i*[...]
*nem scientiæ,* [...]
*Molestissimum* [...]
*decipit, palman*[...]
*verum dixerit.* [...]
*de insultantem* [...]
*ille fallacissim*[...]
gna, præcipu[...]
nem, vnà cu[...]
na essent, test[...]
puli scelera c[...]
*terra argento,* [...]
*eius: & reple*[...]
*les quadrigæ* [...]
Quòd si Iud[...]
tus innotue[...]
quacia reg[...]
Gentilium [...]
ostensa mu[...]
*tibi dabo;* [...]
enim omn[...]
tamen om[...]
mundi reg[...]
ita vt Iu[...]
uiam, Æ[...]
iactantian[...]
ritatem, [...]
riem, Gr[...]
Mauroru[...]
biam Ro[...]
daturum[...]
sione, [...]
boli i[...]

*qua ostendit Domino, intellige diuersa peccata, auaritiam, luxuriam, iracundiam, detractionem, furta, periuria.* Cognoscens autem Dominus æquiuocam diaboli fraudem, *statim vt aciem luminum suorum ad contemplandum vertit, & peccata regnantia, & eos, qui regnarentur à vitiis conspexit*, ait Origenes. A

Hieron. in Habacuc cap. 3. Psalm. 134. Origenes Hom. 30 in Lucam.

84. Deus ventos de thesauris suis producere dicitur, cum cœlestia sancti Spiritus dona suis fidelibus diuinitus elargitur, vt Riccardus Victorinus interpretatur. Contra malignus Dei æmulator diabolus è suis thesauris, hoc est è terrena opulentia, quam suis sectatoribus pollicetur, nil aliud, nisi ventos educit. Quamuis ergo peccatores diaboli ductum sequendo Deo permittente aliquando ditescant; diuites tamen diuitiis intumescunt potius, quam replentur. Solidæ verò plenitudinis, & tumoris discrimen oculo discerni vix potest: sed vt inter inanem intumescentiam, solidamque plenitudinem discrimen appareat; tumidi, solidique corporis ponderatio fieri debet. Hinc August. ait: *Diues superbus, & egenus pariter est. In carne crepat, in corde mendicat; inflatus est, non plenus: Vnde autem, si duos videas, vnum plenum, alterum inflatum, in vtroque eadem est magnitudo, sed non eadem plenitudo. Si attendis falleris; si appendis, inuenies. Qui plenus est, difficile mouetur, qui inflatus facilè aufertur.* Ad Augustini comprobandam sententiam, Baltassari terrenis diuitiis non quidem pleno, sed inflato, morte imminente dictum fuit; *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens: diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.* Cur autem à Baltassare regni opulentia ad Medos, & Persas translata est? quia, vt ait Nazianz. *Vt puluis à turbine, sic opes ab aliis ad alios subinde ventilantur, atque iactantur.*

Psalm. 134. Diabolus Dei æmulus ventos, hoc est inanem opulentiam de thesauris suis educit. August. serm. 212. Diuitiæ terrenæ tumore inflant; non solidè repleant. Dan. 5. Orat. 23. ad Julian.

85. Porro ex his satanæ verbis intolerabilis amentiæ, & sceleris conuincitur, qui præ terrenis opibus acquirendis animæ salutem despicit. Nam licet & more mendax fuerit diabolus asserendo sua esse mundi regna, quæ certè ipsius non erant, neque ex iis quidquam Deo non permittente aliis poterat impertiri: nihilominus verax fuit iudicando se iudice ad hominis animam lucrandam mundi regna post haberi. Quod si fœda anima inferis acquirenda tanti fit à diabolo, vt pro illa terrenorum regnorum gloriam libenter impenderet: quanti æstimare debent Dei serui mundam animam, quæ cœlo acquiratur. Quare iuxta Nazianzenum orat. 7 Apostolus Paulus ad animas acquirendas, non terrena regna, sed cœlestia impendere cupiebat, cùm dixit ad Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.*

Diabolo ipso iudice terrenis opibus anima est præferenda.

86. *Omnia tibi dabo.* Lege sancitum est, vt omnium donatio inualida sit; ita habetur apud Iasonem L. de quæst. C. de pactis; & Bartholum l. stipulatio hoc modo concepta ff. de verb. obligat. Ex quo axioma illud iuristicum prodiit: *Qui dat omnia, nihil dat.* Cum igitur à diabolo in donationem, seu verius in damnationem omnia offerantur, ab eodem nihil dari manifestum est. Sed ex eo quòd peccator, vt talis est, nihili valeat; pro eo acquirendo nihil offerri meritò videdetur, Psalm. 43. Deo & populo præuaricante dicitur: *Vendidisti populum sine pretio*: Quo in loco quæri potest; si traditio populi præuaricantis in manus hostium venditio fuit, tamquam inobedientis mancipij; cur pro eo vendito pretium nullum acceptum dicitur. Traditio enim cui nullum pretium, compensatio nulla respondet, venditio non est, sed liberalis donatio. Respondetur, iustum pretium in venditione esse illud, quod rei venditæ valorem adæquat: peccator autem ex culpa ad nihilum redigitur teste Dauide Psalm. 72. *Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt.* (Peccando scilicet ex carnali concupiscentia in renibus regnante iuxtà Hug. Cardin.) *ad nihilum redactus sum.* Pro emendo igitur peccatore ad nihil redacto, pretium, quod soluitur, nihil similiter est? ex quo fit, vt peccator sine pretio adhuc venditus dici possit: Ambrosius explicans citatum Psalmi locum ait: *Sine pretio populus Iudaeorum est, pretiosus populus Christianus: ille pretium non habet, quia peccatum habet; iste in pretio est, cui peccatum remissum est.* Quare ad rem nostram diabolus, vt Dominum, quem purum hominem tunc esse suspicabatur iuxta Hieronymum, in peccatum induceret; omnia, & consequenter nihil in donum obtulit; cum nihil impendere ad peccatorem acquirendum iusta retributio videatur. B

Diabolus cum omnia promittit, nihil dare colligitur.

Peccator, vt talis, ad nihilum redactus venditurque iustum pretium nihil est.

87. Porrò per summum mendacium ad Dei æmulationem omnia pollicetur diabolus; cum hoc proprium diuinæ liberalitatis sit, omnia, quæ habet elargiri. Genes. 33. Cum Iacob fratrem alloquens dixit: *Suscipe benedictionem, quam donauit mihi Deus tribuens omnia.* Omnia, inquit, non solùm quæ ipse possideo, sed quæ ipse possidet Deus; aptiori enim titulo Deum nominare nequeo, quàm illum tribuentem omnia appellare. Omnia, quæ possidet Deus visibilia, vel inuisibilia sunt: visibilia in hac vita videmus; inuisibilia in vita altera reseruantur. Propterea Theodoretus ait: *Quæcumque videntur omnia ad vestrum vsum fabricata sunt; & quæ expectantur, vestra causa parata sunt.* Inter ea, quæ expectantur, nonne ipse Deus numeratur, tanquam nostræ beatitatis & principium, & obiectum? Verissimo igitur titulo Deus tribuens omnia appellatur. C

Deus omnia quæ habet homini elargitur.

*Si cadens adoraueris me.*

D 88. *Ipse diabolus confitetur, quoniam adorare eum, & voluntatem eius facere, cadere est à gloria Dei. Et quid aut suaue, aut bonum participare potest, qui cecidit? Aut quid sperare, & expectare potest, qui talis est, nisi mortem? Ei enim qui cecidit, proxima mors est*, ait Irenæus hæresum lib. 5. cap. 22.

89. Sanctus Hieronymus explicans verba illa apud Danielem 3. *Cadentes adorate statuam, quam constituit Rex Nabuchodonosor*, ait: *omnem scripturam sanctam mente percurrens, nisi tamen me fallit obliuio, nequaquam reperio, quòd sanctorum quisquam cadens adorauerit. Sed quicumque idola, & dæmones, & res illicitas adorauerit, cadens dicitur adorare. Vt in hoc loco non semel, sed crebrius: & in Euangelio diabolus dixit Domino: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Huic Hieronymi sententiæ Christianorum mos genuflectendi contradicere videtur; & tamen mos hic antiquissimus est ex Tertull. ad Scapulam: *Marcus Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum fusis, imbres in siti illa impetrauit. Quando non geniculationibus, & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?* Et Origenes orat. 5. in Numeros ait: *In Ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla, quæ omnibus quidem facere necesse est; nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quod v. g. genua flectimus orantes, &c.* E

Hieronymi sententia de adoratione quæ cedendo fit, expenditur.

Præterea Actor. 7. de Protomartyre expreſsè di- A
citur: *Poſitis genibus clamauit voce magna dicens:*
*Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Præterea
Apoc. 7. *Angeli ceciderunt in conſpectu throni in*
*facies ſuas, & adorauerunt Deum.* Apoc. 19. Ioan-
nes: *Cecidit ante pedes Angeli, & adorauit eum:*
idemque alibi. Sed quoniam tam clara ſcripturæ
loca, & Chriſtianorum morem Hieronymum la-
tuiſſe non eſt putandum; dicendum eſt primò
Hieronymum loqui tantùm de veteri Teſta-
mento, quod tunc explicabat; ibique à ne-
mine cadendo Deum eſſe adoratum aſſerit. Quod
ſi opponas Pſalm. 94. *Venite adoremus, & proci-*
*damus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos.*
Reſpondetur, ibi Hieronymum non legiſſe *Proci-* B
*damus*, ſed *Curuemur.* Secundo dicendum eſt Hie-
ronymum inter cadentis, & genuflectentis adora-
tionem diſtinguere; cum cadentis adoratio to-
tius corporis proſtrationem inferat; & hanc Hie-
ronymus erga Deum conſuetam fuiſſe negat.
Porro quod Matth. 26. dicitur: *Procidit in faciem*
*ſuam orans:* & Marci 14. *Procidit ſuper terram, &*
*orabat;* & Lucæ 22. *Poſitis genibus orabat. Hinc,*
inquit Maldonatus, *intelligimus Dominum non*
*fuiſſe omninò in terram proſtratum; ſed genua fle-*
*xiſſe; ideoque Marcum dixiſſe procidiſſe in terram,*
*quia qui genua ponit, in terram procidit.* Ita etiam
explicari poteſt illud Tobiæ 12. *Proſtrati per horas*
*tres in faciem benedixerunt Deum;* ita vt in faciem
ſignificet facie inclinata terram verſus. Similiter C
explicari poteſt illud Mach. 2. cap. 10. *Macha-*
*bæus, & qui cum ipſo erant, deprecabantur Domi-*
*num ad altaris crepidinem prouoluti.* Quamuis
enim ex Græca lectione dicatur: *Ad altaris crepi-*
*dinem in ventrem proſtrati;* id tamen vulgata edi-
tio nobis ſequenda non explicat. Denique, quod
ita explicandus ſit Hieronymus, patet ex eius
verbis in illud Pauli ad Eph. 3 *Propterea curuo genua*
*mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlis,*
*& in terra nominatur, Hæc*, inquit, *ſpiritualiter*
*exponentes, non ſtatim iuxtà litteram orandi conſue-*
*tudinem tollimus, qua Deum genu poſito ſuppliciter*
*adoramus; & fixo in terram poplite, magis, quod ab*
*eo poſcimus, impetramus. Legimus enim & Paulum*
Act. 20. *in littore ſic oraſſe, & geniculationes in oratione* D
*præceptas.*

90. *Si cadens adoraueris me.* Caietanus ientacu-
lo 12. quærit, cur tentator in prima, & ſecunda
tentatione dixerit: *Si Filius Dei es;* in tertia verò
id omiſerit, & ad ſe adorandum tantùm allexerit?
Reſpondet *diabolum eadem intentione, qua præce-*
*dentes tertiam exercuiſſe tentationem; ſcilicet animo*
*explorandi, an Chriſtus verè Dei filius eſſet. Sed non*
*eodem modo ingeſſit tertiam, quo ingeſſerat primam,*
*& ſecundam: nam illas apertè propoſuit; iſtam verò*
*occultè, & inſidiosè. exploraturus indirectè de Chriſti*
*diuinitate. Duo igitur propoſuit; alterum eſt, ſe da-*
*turum ei omnia regna mundi; alterum, vt cadens*
*ipſum adoraret: idque non ea intentione, vt putaret*
*Ieſum huic ſuggeſtioni conſenſurum; ſed potius indi-* E
*cauit, cùm Dominus ad primum reſpondere vellet,*
*allaturum auctoritatem aliquam ſcripturæ, ex qua*
*omnia mundi regna ipſius Chriſti eſſe colligeretur; at-*
*que adeo non indigere, vt à Satana ſibi darentur:*
*Et hinc intentam Diuinitatis explorationem tentator*
*haberet; vel ſaltem ſi ad ſecundum reſpondendo*
*Chriſtus tentatorem increparet dicens: Tu debes me*
*adorare, non ego te; vel aliquid ſimile; hinc etiam*
*intenta Diuinitatis inueſtigatio haberetur.*

*Tunc di*

91. EX hc
gnus
fernum fuiſſe de
vſque ad Antic
ſionem Apoc.
*cœlo, habentem*
*in manu ſua*, C
*antiquum, qui e*
*per annos mille*
*& ſignauit ſupe*
*tes, donec conſu*
*tet illum ſolui m*
rij executionem
detrudendum
differre Domin
diaboli confuſi
ptioni, & inu
conſtantiæ fore
per annos mill
Antichriſti tem
Auguſt. Gregor
*nos*, ait Auguſt
*poſuit*; quod pl
pitur enim nu
mille plurimi
*Deus cuſtodien*
*cuſtodiunt præce*
in generatione
Similiter Pſalm
*menti ſui, verb*
*nes.* Quod eti
reperitur. Cur
determinato te
plicauerit Ioan
ra: *Ioannes con*
*annos numeraſ*
*nifeſtè fere exp*
*finem mundi,*
*non oportebat*
*ſtolis notum eſ*
*lerit: Non eſt*
*qua Pater poſu*
*nem ipſum, nec*
*hoc cognouiſſe*
*die illo, vel h*
Porrò, cum A
monet: *Adue*
*giens circuit q*
tero in inferi
ſpiritu intelli
vniuerſum à
Præterea dil
Domini paſſi
cente: *Diabo*
licet paſſioni
Ioannes 13. a
*deret Ieſum*
*Satanas:* & I
*mon, Simon*
*ſicut triticum*
ce adſtitiſſe
impatienti
nihil in e
Ioan. 14.
habet quic
92. *Vad*
ex miniſ
vt infra
fuiſſe

nitur à Matth. quamuis Lucas non seruando temporis ordinem, eam secundo loco posuerit: quod tamen mysterio non vacat. Vltima enim tentatio fuit circa auaritiam, penultima circa superbiam, & inanem gloriam: ideo vt significetur interdum à superbia auaritiam prouenire; interdum verò ab auaritia superbiam; iuxtà Matth. superbiæ tentatio auaritiæ tentationem præcedit; iuxtà Lucam verò præcedit auaritiæ tentatio superbiæ tentationem. *Quidam dum potentiores videri appetunt, ad alienarum rerum ambitum succenduntur*, ait Gregor. 15. moral. Sic ex superbia auaritia prouenit. Contra verò cum per auaritiam augetur rerum temporalium possessio, ex ea superbia nascitur. Propterea Deut. 32. dicitur: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*, idest per superbiam se debitæ obedientiæ subtraxit. Similiter Oseæ 13. *Adimpleti sunt, & saturati sunt, eleuauerunt cor suum*; Hinc benè Gregor. 15 Moral. ait: *Sicut ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur: Superbia quippe cordis quasi quadam pinguedo est crassitudinis.* Nam sicut pinguedine corpora dilatantur, ita superbia animus intumescit.

Superbia ex auaritia: auaritia ex superbia prouenit.

93. *Vade Satana*, Petro Apostolo cupienti Dominum à mortis passione auertere Dominus dixit: *Vade post me Satana*: hic autem diabolo tentanti Dominus ait: *Vade Satana.* Nam, vt acutè S. Ignatius Mart. aduertit: *Non ait Vade post me; nec enim fieri potest, vt conuertatur.* Ire enim post Dominum est à praua via in salutis viam gressus conuertere. Quare cum Petro dixisset: *Vade post me*: proximè discipulis subdidit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

Matth. 16.

Diabolo tentanti, & Petro Apost. Dominum à passione auertenti dicitur: *Vade satana*; sed diuersimodè.

Epist. ad Philipp.

94. Satan Hebraïcè aduersarium significat: dicente Domino Matth. 5. 25. *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo*; vbi aduersarij nomine diabolum intelligendum esse Tertull lib. de anima asserit. Quæ quidem Tertull. intelligentia primo aspectu non satis probari videtur: à Domino enim dissensus, non consensus cum diabolo præcipitur, & suadetur. Sed benè respondet Hieronymus epist. 8. ad Demetriadem c 5. *Quia seculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu inisti pactum cum aduersario tuo dicens ei: Renuntio tibi, diabole; & seculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis: serua fœdus, quod pepigisti; & esto consentiens, pactumque custodiens cum aduersario tuo, dum es in via huius seculi; ne forte tradat te iudici, & te de suo aliquid vsurpasse conuincat, tradarisque ministro, qui ipse est inimicus, & vindex; & mittaris in carcerem, & in tenebras exteriores.*

Consensus cum diabolo quomodo iniustus, & laudabilis.

*Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli serues.*

95. QVasi diabolo Dominus dicat, ait Chrysologus: *Tu Dominum tuum illum, cui genu flectunt omnia, non solum cœlestia, & terrestria, sed etiam inferna, adorabis.* Sed directè iuxtà litteram, hæc verba à Domino dicta sunt, non vt se tamquam Dei filium à diabolo adorandum esse significaret; sic enim, vt supra diximus, se vt Dei filium, quod tunc certè nolebat, diabolo indicasset. Dicendum est ergo contra diabolum ad sui adorationem allicientem protulisse Dominum hoc scripturæ testimonium, vt à se tamquam homine non alium, quàm Deum adorandum esse significaret. Porrò quamuis hic à Domino dicatur: *Dominum Deum tuum adorabis.* Deut. 6. vnde hoc profertur testimonium legitur: *Dominum tuum timebis.* Sed timere Deum est venerari, &

Serm. 13.

Timor Dei cultum, & venerationem significat.

A adorare in Scriptura significat. Hinc Genes. 20. cum Abraham dixit: *Forsitan non est timor Dei in loco isto*; timoris nomine religionem, & cultum intellexit. Similiter Psalm. 33. dicitur: *Timete Dominum omnes sancti eius*; hoc est Dominum veneramini, & adorate: Idem alibi passim, præsertim in Psalmis & Ecclesiastico. Quare fideles Dei cultores timorati dicuntur. *Curauerunt Stephanum viri timorati.* Act. 8. & alibi. Porro cum hic, & in Deuter. dicitur Deus esse adorandus, & illi soli seruiendum; hoc intelligi debet de adoratione Latriæ à verbo Græco λατρεύειν, id est colere, totoque affectu, & studio mancipari, vt docet Origenes hom. 8. in Exod. Qui cultus soli Deo, summo bono, rerumque omnium principio est, exhibendus; iuxtà diuinum mandatum eodem

Adoratio triplex, erga Deum, erga Sanctos, erga B. Virginem.

B Deuter. loco datum: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*: quo sensu dicitur ibidem Deo soli seruiendum. Excepta autem adoratione Latriæ, sanctis etiam adorationem Duliæ, hoc est subiectionis, & venerationis, & B. Virgini adorationem Hiperduliæ, hoc est præ sanctis eximiæ subiectionis, & venerationis exhibendam esse docent communiter sancti Patres, & Theologi, præcipuè August. 10. de Ciuit. cap. 1. Quod si in scriptura interdum legimus hominibus etiam adorationem exhibitam, vt 3. Regum primo, vbi dicitur Nathan Propheta Dauidem regem adorasse pronus in terram; in huiusmodi locis adoratio pro obsequiosa

Adoratio etiam humilem erga superiorem hominem reuerentiam significat.

Angelus cur à Ioanne adorari noluerit: circa quod altera, Thomæ ratio probatur, altera refellitur.

C veneratione, qualis hominem prærogatiua aliqua præstantem decet, accipitur. S. Thomas 2. 2. qu. 84. art. 1. vbi de adoratione disserit, ait: *Secundum reuerentiam, quæ exhibetur Deo, prohibitus est Ioannes Angelum adorare.* Apoc. vlt. Sed cum certum sit Ioannem nullo pacto intendisse Angelum Deo debita adoratione adorare; non erat, cur ex tali motiuo se adorari Angelus prohiberet. Melior est igitur ratio altera, quam sanctus doctor affert; noluisse scilicet Angelum à Ioanne adorari, *ad ostendendam dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, vt Angelis æquetur; vnde subditur, Conseruus tuus sum.* Quæ dignitas præcipuè in Sanctissimo Apostolo Ioanne relucebat.

D 96. Præter enumeratas tentationes, quas expressè Euangelista commemorat, toto 40. dierum spatio Christum tentatum fuisse plures Patres affirmant. Hieronymus in Habacuc 3. *Exeunti de aquis Domino occurrit diabolus, coluber antiquus, qui 40. diebus tentauit eum in solitudine.* Beda in Marc. cap. 5. *Tentatur 40. diebus, & 40. noctibus; vt indicet, quòd quandiu hic viuentes Domino seruimus, adest aduersarius, qui iter nostrum tentando impedire non cessat.* Quandiu ieiuniis, & orationibus, Christum imitantes, Deo seruimus, rectè Beda dixit, iter à nobis fieri, nempe cœlum versus: *Ieiunij enim obseruantia appropinquamus*

Ieiunium, & oratio iter est ad cœlum.

E *Deo*, ait S. Leo è contrario, qui crapulæ indulgent, cœlum versus iter inire nequeunt; sed terræ affixi à cœlesti patria procul absunt, ipsis fatentibus: *Conglutinatus est in terra venter noster.* Orig. hom. 29. in Lucam: *Quadraginta diebus tentatur Iesus; & quæ fuerint tentamenta nescimus; quæ ideo forsitan prætermissa sunt, quia maiora erant, quàm vt litteris crederentur: & si sic oportet dicere, sicut mundus capere non poterat omnes libros si scripta fuissent, quæ fecit, & docuit Iesus; sic 40. dierum tentationes, quibus tentatus est Dominus à Diabolo, mundus ferre non poterat, si Scriptura docuisset.* Quibus Origenis verbis comparatio fit inter Christi miracula, operaque eximia, & eius tentationes; ita vt hæ illis veluti numero æquiparentur. Quare, vt nobis ad

Serm. de ieiunio mensis decimi.

Psalm. 43.

Ioan. cap. 21.

ad tentationes ſuperandas incitamento foret, per tentationum victoriam ad miraculorum gloriam aditum ſibi Dominus aperuit. Propterea de Redemptore æternus Pater Dauidis vaticinio prædixit: *Eripiam eum, & glorificabo eum:* nempe eripiam eum liberum, & victorem à Satanæ tentationibus, & inſidiis: & glorificabo eum ad ingentia, plurimaque edenda miracula poteſtate tributâ.

*Pſalm. 90.*

97. Sed an ante ieiunij terminum, 40. dierum ſpatio Dominus tentatus à Satana fuerit (quod aliqui negant) & qualis tunc tentatio eſſe potuerit benè diſſerit Suarius tom. 2. 3. part. qu. 41. art. 4. diſp. 29. ſect. 3. Idem quæſt. 44. art. 4. diſp. 3. ſect. 3. diſputat, an dæmones aliquando Chriſtum vel vt Dei Filium, vel vt Meſſiam in lege promiſſum cognouerint: probatque affirmatiuam ſententiam ratione, ſcripturis, & PP. teſtimonio: circa quam ſententiam videri præcipuè poteſt S. Ignatius Mart. epiſt. ad Philipp. ſub finem, & S. Auguſt. lib. 9. de Ciuit. cap. 21.

*Dæmones cognouerunt Chriſtum vt Meſſiam Deique filium.*

### *Tunc reliquit eum diabolus.*

98. CVr reliquit? Primò Domini imperio abſcedere coactus: *Vade Satana.* Secundò etiam ſponte Chriſtum ſuperare poſſe deſperans iuxtà Athanaſium. Tertiò, quia cum primò tentaſſet circa gulam, deinde circa inanem gloriam, tandem circa auaritiam, ſeu terrena regna poſſidendi cupiditatem, nihil ſupererat de quo tentaret; cum in prædictis prauis affectibus, tamquam in fontibus vitia reliqua continentur. Itaut propterea dixerit Lucas: *Conſummatâ omni tentatione diabolus receſſit ab illo.* Quod his verbis Chryſoſt. docet: *Quomodo Lucas ait, quòd omnem tentationem conſummauerit? Mihi videtur is, qui præcipua capita tentationum enumerauit, omnia dixiſſe; vt tu quoque omnia pariter intelligas, quæ ſub iſtis quaſi principalibus continentur. Hæc enim ſunt, quæ in ſe mala innumera comprehendunt; ſeruire ventri; inanis appetitu gloriæ quidpiam facere; ac furioſo pecuniarum amore ſuperari.* Vt autem à poſſidendi cupiditate nobis caueamus, addit Chryſoſt. *Sceleratus iſte cognoſcens omnibus vitiis fortiorem pecuniarum cupiditatem extremo loco poſuit. Hic quippe mos deceptionis eius eſt; vt quæ magis ad ſupplantandum idonea eſſe credit, hæc adhibeat extrema.* Quartò receſſit Diabolus ob Chriſti victoriam, fuga confuſionem quodammodo declinans: *Inſtare formidat, quia refugit triumphari,* ait Ambroſius. Quintò, *reliquit eum diabolus,* ait S. Thomas, *quod ad noſtram proficit conſolationem; quia non tamdiu homines Dei diabolus tentat, quamdiu vult; ſed quamdiu Chriſtus permittit: Dandus enim eſt terminus tentationum legitimè pugnanti,* vt Nyſſenus ait.

*Diabolus Dominum tentans, tandem quinque ex cauſis ab eo receſſit.*

*Pecuniæ cupiditas omnibus vitiis fortior.*

*Ambroſ. in Lucam.*

*S. Thom. in Catena.*

### *Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.*

99. ACceſſiſſe, non veniſſe dicuntur Angeli: nam antea eminus adſtabant certaminis ſpectatores, non adiutores; vt ſoli Domino poſt reiectum, expulſumque Satanam

A victoria tribu... lantes, & mi... *quod te quoque... Angeli repente... patorum vbique...* Apoſtolorum... *riret, cecidit ſu... lum apertum.* Apoſtolo cæle... *ſuro Petro deſu... quia famulorum... uina non deſun... quòd deeſt in t... enim Petrus, no... lum ipſum prot...* 100. *Miniſtra...* B ratum cibum a... cenſet S. Bon... dicens: *Ite ad... habet ad mann... benter veſcor, ...* Angeli, ſed B. ... attuliſſent; ad... *Panem cæli dea...* gio *Cœlum vi...* dicatur. Com... los ſuauiſſima... Bonau. Æquu... tanæ vocibus... rum concentu... C dicitur: *Vener... nerſæ ſorores ſu... dederunt ei vn...* ex aliis, quæ ... donum ſanct... inſtinctu id fa... aures patiente... toleraſſent; it... corandæ: nam... aures ornaba... ſumpta refect... lis dixiſſe: *Re... ra; me adhuc ...* D *terram, & be... dierunt ad Pa... ſtem curiam in...* 101. Quæri... Domino min... minum ex mo... lerat, rediiſſe... ſubitaneo qu... dotem agilita... ſterium. Con... te refectione... *fectione Dom... monte deſcen...* diſcedente S... E niſtraſſe dic... langor exig... tas vtendi... ſertum redi... ctionem ad... licet, vt n... abſentiam... illis tolera...

# FERIA SECVNDA POST DOMINICAM primam Quadragesimæ.

## Cum venerit filius hominis in maiestate sua, &c. Matth. 25.

### *Euangelij nexus & ordo.*

1. EXTREMVM vniuersale Iudicium, quale futurum sit, hoc Euangelio ante mentis oculos ponitur. Quoniam verò, quæ in legitimo iudicio interueniunt, ea quatuor sunt, Iudex, testes, reus damnandus, vel iustus, ac benemeritus præmiis afficiendus; & sententiæ pronunciatio. Ideo Christus Dominus venturus dicitur, vt extremo iudicio Iudex assideat: *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo.* Testes erunt vniuscuiusque conscientia, & bona, vel praua opera, interna illuminatione primum, deinde diuini Iudicis ore omnibus manifesta: *Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Esuriui, & non dedistis mihi manducare:* itaut iustus, vel iniustus verè tunc dixerit: *Opera, quæ ego feci, hæc testimonium perhibent de me. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*, ait Apost. 2. ad Cor. 5. & ad Rom. 2. 15. de iudicandis ait: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum; & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum.* Similiter August. lib. 12. de Ciuit. cap. 14. *Fiet virtute diuina; vt cuique opera sua bona, vel mala, in memoriam reuocentur; & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset, vel excuset scientia conscientiam.* Sanctus Hilarius de Iudicij die ait: *Dominus obstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet; & ea, quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget.* Ideo Ierem. 2. peccatori damnando dicitur: *Arguet te malitia tua.* Benemeritus prœmiis afficiendus erit iustorum cœtus iudici à dextris adstans: *Statuet oues à dextris suis.* Reus damnandus erit grex peccatorum: *Statuet hados à sinistris.* Denique pro iustis sententiæ prolatio illa est: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* In peccatores verò sententiæ pronunciatio verbis illis exprimitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum; qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Quam sententiæ prolationem, quanta rabie, & sæuitiæ maligni spiritus, tamquam diuinæ iustitiæ satellites exequentur, cogitatione potius expendendum, quàm verbis explicandum relinquitur.

*Testes in extremo Iudicio vniuscuiusque opera erunt.*

*Ioan. 10. 25.*

*Hil. in Matth. cap 10.*

2. Actuum Apostol. 24. cum Paulus seditionis reus accusatus coram Felice Iudice de extremo futuro iudicio disputaret, contremuisse dicitur iudex; vt hinc conijcere liceat ante cœlestis Iudicis tribunal homini læsæ maiestatis diuinæ reo quanto horribilior metus sit incutiendus.

*Paulus de extremo Iudicio disserens Felici iudici ingentem timorem incussit.*

A

*Cum venerit filius hominis in maiestate sua.*

3. DE Christo Iudice dicitur Habacuc 3. *Stetit, & mensus est terram: Quomodo mensus est*, inquit Rupertus, *nisi tamquam iudex viuorum, & mortuorum?* Porrò immediatè ante, ab eodem Propheta dicitur: *Ante faciem eius ibit mors:* ex Hebræo legitur: *Ante faciem eius fugiet mors.* Quare mors è diuini Iudicis conspectu fugam arreptura dicitur; cum potius extremi iudicij tempore, tamquam diuinæ iustitiæ ministra

*Mors cur ante faciem diuini Iudicis fugiet.*

B ad cœlestis Iudicis tribunal adstare deberet? Respondetur ex Apoc. 9. *In diebus illis*, cum scilicet ad iudicandum Dominus veniet, ob tanti, tamque irati Iudicis formidinem, pœnamque infligendam, *In diebus illis, quærent homines mortem, & non inuenient eam; & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* In inferis enim numquam mortem, quæ illis tormentorum finem afferat, peccatores reperient: & quamuis de damnatis Psalm. 48. dicatur: *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos*, nihilominus talis mors ad cruciatus æternandos immortalitati coniungetur: *Sicut animalia*, inquit Hugo Cardinalis

C cit. Psalm. *depascunt herbas, quas non penitus eradicant; sed radicibus remanentibus, iterum herba crescit; ita miseri in inferno à morte corrodentur; sed afflicti iterum reseruabuntur ad pœnas.*

*Et omnes Angeli cum eo; tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.*

4. DE Angelorum omnium sub humana forma comitatu; & de sensibili diuini Iudicis throno bene disserit Suarius 3. part. tom. 2. disp. 57. sect. 3. Maiestatem è sua sede ab amore

*Angeli sub humana forma Christum Iudicem comitabuntur.*

D expelli etiam ethnici pronunciarunt: *Nec in vna sede morantur maiestas, & Amor.* Quare cum suam Christus Dominus maiestatem sub humana forma, veluti sub serui specie occultauit; tunc diuinus amor apparuit: *Apparuit*, inquit Paulus, iuxtà Chrysostom. *benignitas, & amor ergo homines Saluatoris nostri Dei.* Contra verò extremi Iudicij die, vt amor, atque adeo commiseratio erga rebelles homines excludi significetur, in maiestatis sede sessurus cœlestis Iudex dicitur. Ad idem significandum, quoniam diuina misericordia in Dei oculis residere dicitur Psalm. 118. *Aspice in me, & miserere mei*, & Psalm. 33. *Oculi Domini super iustos* esse dicuntur, vt eos aspiciendo misericordia-

*Epist. ad Titum cap. 3.*

*Christus Iudex in maiestatis sede sessurus dicitur, ad amorem erga delinquentes exclusum indicandum.*

Ioan. cap. 1. ergo S. Bernardus, vt peccator per pœnitentiam resipiscat, ei futurum finale Iudicium ante oculos ponit dicens: *Præsentaberis ante tremendum iudicium; accusaberis multis, & magnis offensis; non dubijs, sed certis; non breui accusatione, sed tam longa, quàm longa est vita tua: non vnò accusatore, sed tot, quot sunt delicta tua. Ipse Iudex erit districtus accusator tuus. Omnes etiam spiritus boni, & mali coram Deo te accusabunt. Vndique erunt tibi angustiæ: hinc erunt accusantia peccata, inde terrens iustitia; subtus patens horridum Chaos inferni; desuper iratus Iudex; intus vrens conscientia, foris ardens mundus. Si iustus vix saluabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se premet? latere erit impossibile, apparere erit intolerabile.*

S. Bernard. tract. de interiore domo cap. 15.

1 Epist. 1 Petri cap. 4.

5. Ex quo insuper apparet, quàm fœdum, quàm abominabile monstrum sit peccator pœnitentiæ spe destitutus, cum ab eo intuendo cœlestis Iudicis oculi abhorreant: qui quidem oculi antea, nondum occluso pœnitentiæ aditu, erga peccatores adeo benigni erant, vt respicientes Magdalenam, ab ea dæmonia septem eiecerint: respicientes Petrum, eum iterum diuinæ amicitiæ copularint; respicientes latronem, ei regni cœlestis prodegerint hæreditatem. Quare discedere à se reprobos cœlestis Iudex præcipit: *Quasi, qui non sufferat*, ait Chrysostomus, *illorum præsentiam vel aspicere. Nam sicut carnales sæculi carnalem speciositatem videndo delectantur; si quæ autem deformia videamus, quasi vulneratus est aspectus noster: sic & Deus, qui in sanctitate delectatur animarum, peccatrices animas aspiciens, quasi grauatus non suffert.* Similiter Beda lib. 5. cap. 77. ait: *Quæ amamus, videre cupimus: ab iis, quæ execramur, intuitum festinamus auertere.*

Peccator pœnitentiæ spe destitutus, abominabile monstrum.

*Et congregabuntur ante eum omnes gentes.*

6. IVxta hanc Domini sententiam omnes, nemine excepto, extremo Iudicio præsentes fore, docet etiam Apost. ad Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi:* & 2. ad Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Quod etiam benè probat Suarius supra citatus. Vniuersalis autem Iudicij locum, quò omnes congregandi sunt, fore vallem Iosaphat, indicatur Ioelis 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi:* seu, vt alij legunt: *Iudicio contendam eis.* Et infra: *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat; quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu. Mittite falces, quia maturauit messis.* Quibus verbis indicari finalis Iudicij locum egregiè ibi probat Ribera, & Suarius supra citatus. De valle autem Iosaphat sic Adrichomius scribit: *Vallis Iosaphat, quæ est vallis Cedron, & vallis montium vocatur, vallis est lata, & profunda, inter Ierusalem, & montem Oliueti interiecta, totam ab Oriente cingens vrbem, quem torrens Cedron transiens suis aquis egregiè fœcundat. In valle pij, ac religiosi congregandi; vt Christo iudice recipiant debita pro meritis præmia quisque suis. Vnde & vallis concisionis appellatur; quòd ibi mali à bonis separabuntur.* Cur autem in hac valle potius, quàm alibi finale iudicium futurum sit, plures rationes afferunt Ribera, & Cornelius in Ioelem, & Suarius supra citatus. Quibus addi potest ex Beda, quòd *Vallis Iosaphat & parua campi planities irrigua, & nemorosa, plenaque deliciis sit.* In maius ergo

Iudicij extremi locus est Vallis Iosaphat.

B peccatorum supplicium, à deliciarum loco ad Inferni cauernas detrudendi sunt, vt quantam terrenæ deliciæ, quibus adeo homines alliciuntur, miseriam afferant, hinc discamus. Præterea in valle Iosaphat, teste Adrichomio, Beatæ Virginis sepulchrum fuit, & inde ad cœleste regnum assumpta est. Ex eadem ergo valle electi ad beatificam gloriam ascendere debent, vt Deiparæ, quæ eadem viâ, veluti dux præcessit, intercessioni, & meritis beatitudinis omnem acceptam referant.

Sepulchrum B. Virginis in Valle Iosaphat.

C *Et separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hædis.*

7. SEparatio hæc Angelorum ministerio futura communiter asseritur. Dubitari tamen potest, an ad separationem hanc exequendam mali etiam Angeli sint adhibendi; ita vt sancti Angeli electos secum ducant; mali autem Angeli præscitos ad se rapiant? Sed solùm sanctorum Angelorum fore hoc ministerium, habetur Matth. 13. 41. vbi dicitur: *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis.* Sancti autem Angeli, qui probabiliter vniuscuiusque custodes

Angeli bonorum custodes electos à præscitis separabunt.

D fuerint, præeuntes electis erunt veluti duces, vt ad diuini Iudicis dexteram in sublimem aërem eleuentur; Angelorum autem auxilio, vt sursum ascendant, non egebunt; cum ab ipso primo resurrectionis instanti gloriosa corpora assumpserint, adeoque agilitatis dotem habuerint. Contra verò præsciti à sanctis etiam Angelis violenter ad sinistram terræ partem rapientur. In huiusmodi autem inretractabili separatione accidet separari fratres, & sorores à fratribus, & sororibus, & parentes à filiis: Cumque exempli gratia sancta martyr, & Virgo Barbara ad Christi Domini dextram ascendet, eiusdem parricida parens ad sinistram

Electi à præscitis consanguineis diuisi non tristabuntur.

E trahetur, mox in inferos detrudendus. Similiter à sancto Dauide malus filius Absalom separabitur; iustus Ionathas ab iniusto patre Saule; pius Patriarcha Iacob à reprobo fratre Esau diuidetur. Sicut enim Christus Dominus in primo aduentu, vt veram fidem Euangelicamque legem sequantur: *Venit separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam:* ita in secundo aduentu consanguineos ob meriti, demeritique contrarietatem separabit. Ex tali tamen consanguineorum diuisione, electi mœrorem nullum sentient; neque ex hoc vllo pacto eorum gaudium imminuetur; cùm diuinæ voluntati omninò conformes sint. Contra

Matth. cap. 10. 35.

Præsciti à consanguineis electis diuisi, non ob consanguinitatis amorem, sed ob iniquitatem tristabuntur.

verò præsciti seorsim à consanguineis, & olim amicis separari, ingenti dolore, & tristitia afficientur, non ex amore in consanguineos, & olim amicos, cum beneuolentiæ eorum status expers sit; sed ex inuidiæ stimulis, quibus in æternum vehementissimè cruciabuntur.

*Separabit eos ab inuicem.*

Iudex in mundi creatione Deus appellatur.

8. GEnes. 1. vbi dicitur: *In principio creauit Deus cœlum, & terram*; ibi ex Hebræo Deus Iudicis nomine appellatur Elohim. Vt significetur eumdem esse mundi Creatorem, & iudicem; eumdemque homines esse iudicaturum, qui eos creauit: ita vt qui mundi initio cœlum à terra discreuit, ipse etiam Deus bonos à malis in mundi fine æternæ mercedis, æternæque pœnæ discrimine sit segregaturus. Supra Matthæi 24. Vniuersalis Iudicij tempus verno tempori, primæque æstati, cùm arbores nouis folijs vestiri solent, comparatur: *Ab arbore fici discite parabolam; cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis, quia prope est æstas: Ita & vos, cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis.* Cum ver, primaque æstas tempus sit placidissimum, cur non potius Iudicij tempus hyemi comparatur, quando cœlum nubibus, imbribus, ventis, & tonitribus exhorrescit: præsertim cum diuini Iudicis aduentus fulguri comparetur Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque ad Occidentem; ita erit aduentus filij hominis.* Rursus cur Iudicij tempus non comparatur extremo autumno; cum ex arboribus arentia folia decidunt? Homines enim à Deo iudicandi benè deciduis folijs assimilari possunt; testantibus peccatoribus apud Isaiam 64. *Cecidimus quasi folium vniuersi; & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos*: Clamante etiam Iob ad cœlestem Iudicem: *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam: scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Respondet Chrysost. *Sicut hyemis tempore inter virides, & aridas arbores discretio non est; cum autem venerit tempus illud beatum vernale, discernuntur: ita tunc vnusquisque secundùm fidem suam, & secundùm opera sua manifestabitur; impijs quidem nulla præferentibus folia, nullum ostendentibus fructum: Sancti autem, & folijs vestientur vitæ æternæ, & fructibus gloriæ ornabuntur.*

Iudicij extremi tempus cur potius veri, quàm hyemi comparetur.

*Et statuet oues quidem à dextris suis.*

9. OVes dicti sunt, qui saluantur, inquit hîc Origenes, *propter mansuetudinem, quam didicerunt ab eo, qui dicit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Et propter quod vsque ad occisionem venire parati sunt, imitantes Christum, qui sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce fuit.* Oues, inquit Chrysost. *sunt homines iusti propter mansuetudinem; quia ipsi neminem lædunt; propter patientiam, quia, cum ab alijs læsi fuerint, sustinent: Et sicut oues quando ligantur, aut tacent, aut in simplicitate balant; sic & sancti quando læduntur aut tacent, aut certe in benignitate probati preces transmittunt ad Deum.* Præterea ouium nomen decet electos, eo quòd illis à Domino infra dicitur: *Esuriui, & dedistis mihi manducare; nudus eram, & cooperuistis me*; oues enim & lacte

Matth. 11.

Isa. 53.

Electi duplici ex capite dicantur oues.

A alios pascunt, & se proprio vellere exui sinunt, vt ex eo aliorum operimenta fiant. *Vberes*, inquit Chrysostomus, *& multi ab ouibus fructus proficiscuntur; alij lactis copia, alij elegantia lanæ.*

Porrò à dextris collocari dicuntur electi, primò, vt ibi æternas delectationes possideant, testante Psalm. 15. *Delectationes in dextera tua vsque in finem.* Secundò, quia electi, Christi cor esse dicuntur ex Gregorio in illud Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat: Electi*, inquit, *cor sponsi bene vocari possunt; dormit enim sponsus, & cor eius vigilat; quia dum Christus iam glorificatus in beatitudine quiescit, quicumque eum perfectè diligit, vt ad ipsum perueniat laborat.* Cum igi-B tur Christi Domini cor sint Electi, à dextris ipsius sunt collocandi, testante Ecclesiaste cap. 10. *Cor sapientis in dextera eius*: nempe Christi Domini: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.*

Electi à dextris collocantur, quia ibi delectationes, ibi cor.

Ad Coloss. c. 2.

*Hædos autem à sinistris.*

10. AVctor Operis imperfecti apud Chrysostomum in Matth. ait: *Homines peccatores hædos dicit; quia in his naturaliter hæc sunt vitia, libido præ cæteris animalibus, superbia, rixa; semper enim se percutientes incedunt; & mo-*C *do humero pulsante, interdum cornu percutiunt. Item sibi inuicem inuident, sicut significat Salomon de inuidis dicens: Sicut capra* (ex qua hædi progignuntur) *sic aspicit ruinam proximi sui. Item iactantes sunt, & gloriantes; sicut idem Salomon significat dicens: Tria sunt, quæ secure, idest magnificè ambulant, leo inter iumenta, gallus inter gallinas, & hircus præcedens capras. Item hæ belluæ multùm trahuntur concupiscentia gulæ, propter quam per saxa, & præcipitia ambulant, & super præcipitia se suspendunt; item clamoribus super omnia garulæ sunt. In omnibus his vitijs peccatores abundant; & ideo hædis sunt assimilati.*

Hom. 54. Operis imperfe in Matth.

Hædorum, quorum nomine præsciti vocantur, plurima vitia.

Ecclef. 12.

Prou. 30.

11. Proponit dubitationem Suarius supracitatus, quomodo in dextera collocandi dican-D tur Electi, in sinistra verò præsciti? Dubitandi autem ratio est, quia ad eos separandos satis fore videtur; quòd electi in sublimem aërem prope Domini thronum eleuentur, iuxtà Apostoli sententiam prima ad Thessalonicenses 4. *Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëre.* Contra verò reprobi in terra remaneant. Ex qua ratione probabilius censet dexteram, & sinistram non in sensu materiali secundùm locum; sed in sensu formali secundum significatum accipi debere: ita vt dextera honorem, & felicitatem; sinistra abiectionem, & infelicitatem significent. Quare *ad dexteram sursum in* E *gloria; ad sinistram deorsum in terra*, explicat Anselmus in Elucidario. Sed quoniam, vt littera sonat, quantùm possumus, sacræ Scripturæ verba sunt intelligenda; probabilius dicendum videtur, verè electos ad Domini dexteram esse eleuandos; reprobos verò cum ab Angelis separantur, ad sinistram esse reijciendos: cum ex ea parte terra ad damnatos absorbendos immani hiatu sit diuidenda. Nam Dominus ad Orientem respiciens cœlum ascendit; iuxta Psalmum 63. 34. *Ascendit super cœlum cœli ad Orientem*, & Zachariam 14. 4. *Stabunt pedes eius super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem.* Et quoniam Act. 1. dicitur; *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic*

Electi ad Iudicis dexteram, præsciti ad sinistram litteraliter, non solùm mysticè sunt collocandi.

ueniet: ideo etiam Orientem versus diuini Iudicis thronus collocabitur: adeoque eius sinistra erit ad Aquilonem. Ad Aquilonem ergo rejiciendi sunt reprobi, quibus ab Aquilone proueniet æternæ damnationis miseria, iuxta Ieremiam cap. 1. 14. *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ*, hoc est super omnes terrenos homines tenaci affectu terræ affixos, & diaboli sectatores, qui in reprobos homines regnaturus dixit: *Sedebo in lateribus Aquilonis*. Isai. 14. 13. *Mali, qui terrena diligentes, à Christo recesserunt, remanebunt in terra: boni verò, qui Christo adhæserunt, obuiam Christo occurrent in aëre subleuati: vt Christo conformentur, non solum gloria claritatis eius, sed in loco sociali*, ait S. Thomas op. 2. cap. 244.

---

## QVÆSTIO INCIDENS.

### *Cur electi oues maturioris ætatis nomine, præsciti verò hædi tenerioris ætatis vocabulo nominentur?*

*Præsciti cur non capræ, aut hirci, sed hædi tenerioris ætatis nomine dicantur.*

12. SI seruetur ætatis, & generis oppositio, ouibus capræ opponi deberent; cur igitur, cùm Electi oues vocentur, reprobi non capræ; sed hædi nominantur? Respondetur ex Chrysostomo supra citato è capris fœtuum, lanæ, & lactis fructus haberi; hædos verò nullum ex his fructibus reddere: quare, vt significetur à reprobis nullum cœlesti pastori redditum esse fructum, hædis reprobi assimilantur.

13. Præterea hædi, non capræ, non hirci, reprobi nominantur; eò quod sæpissimè ob scelerum pœnam ad maturam ætatem peruenire prohibeantur. Propterea præsciti à sinistris statui, non in dextera collocari dicuntur: Salomon enim de increata sapientia ait: *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius, diuitiæ, & gloria*. Vbi siue de temporalis vitæ longitudine, cum Iansenio, siue cum Augustino, de æterna fælicitate sit sermo; prima quidem dierum longitudine reprobi sæpè; secunda semper priuantur; & ideo à Dei dextra arceri, & in sinistram rejiciuntur. Cum autem à Salomone dicitur: *In sinistra eius diuitiæ, & gloria*; temporales diuitias, mundanam felicitatem, & honorem intelligit Augustinus supra citatus cum Gregorio: & quia erga huiusmodi diuitias, & honores reprobi toto corde fuerunt propensi; ideò à sinistris diuini Iudicis collocantur.

*Præsciti, hædi dicũtur, quòd in peccati pœnam ad maturam ætatem non perueniant. Prou. 3. In Psal. 120. Gregor. 3. par Past. dist. 27.*

14. Apoc. 6. dicitur: *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & Infernus sequebatur eum*. Si quæratur mors equitans ad iter celerandum, quo stimulo, seu calcari vtatur? Respondet Apostolus: *Stimulus mortis peccatum est*. Ex quo constat peccatis mortem hominibus accelerari, vitamque iuuenilibus annis præcidi. Quosdam mors in maturioris vitæ meta expectat. Quibusdam verò ob peccata medio itinere obuia procedit. Ideo Gregorius ait: *Præfixi dies singulis ab æterna Dei præscientia nec augeri possunt, nec minui: nisi contingant, vt ita præsciantur, vt aut cum optimis operibus longiores sint; aut cum pessimis breuiores: sicut Ezechias augmentum dierum meruit impensione lacrymarum: & sicut de peruersis scriptum est. Indisciplinatis obuiat mors.*

*1. Ad Cor. 15. Mors peccatis acceleratur: idem num. 16. 17. 20. 22. 21. 23. 24. 29. 30. 31. 39. Gregor. 12 Moral. c. 23. 4. Reg. 20.*

15. Idem ...

minus præscindet eam quando placet; & propter desideria, quæ habet homo diù viuendi, citius moritur. Porro desiderium diu viuendi in reprobis regnat: *Peccator enim*, vt ait idem Gregorius, *exire de corpore trepidat; & videre eum, quem contempsisse se meminit, iudicem formidat: Et quia carnaliter viuere appetit, longas animo dies proponit.*

*Gregor. hom. 13. in Euang. Idem 11. mor. c. 31.*

16. Rursus quòd propter peccata sæpius peccatoris vita, iusto Dei iudicio, breuior reddatur, & ante terminum, quem ex naturali complexione potuisset peccator attingere, moriatur, frequentiora sunt in sacris litteris testimonia. Isaïæ 38. vbi ab Ezechia rege dicitur: *Quæsiui residuum annorum meorum*, legit Vatablus: *Priuatus sum residuo annorum meorum*. Quoniam priuatio naturalem aptitudinem supponit, significat se Rex aptum fuisse ad longiorem vitam protrahendam: hac tamen priuabatur, quod fortè non satis gratus Deo fuerit, dignasque Deo gratias non egerit pro collatis paulò ante beneficijs, vt existimat Auctor de sacræ Scripturæ mirabilibus. Peior igitur Lachesi, aut Atropo Parca est ingratitudo erga diuina beneficia ad humanæ vitæ stamina præcidenda. In eamdem sententiam à Dauide dicitur: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*: id est non modo naturalem vitæ cursum non complebunt, sed neque eius medietatem attingent. Propterea Iob 22. dicitur: *Viri iniqui sublati sunt ante tempus suum*. Vbi Gregor. ait: *Cum tempus vitæ à diuina nobis præscientia sit procul dubio præfixum; quærendum est, qua ratione nunc dicitur, quòd iniqui ex præsenti seculo ante tempus proprium subtrahantur*. Respondet primò idem Gregorius: *Benignitas Dei est peccatoribus spatium pœnitentiæ largiri: Sed quia accepta tempora, non ad fructum pœnitentiæ, sed ad vsum iniquitatis vertunt; quod à Diuina misericordia mereri poterant, amittunt*. Respondet 2. *Quòd omnes, qui præsentem vitam diligunt, longiora sibi vitæ spatia promittunt; sed cum eos mors superueniens à præsenti vita subtrahit, eorum vitæ spatia, quæ sibi longiora, quasi in cogitatione tendere consueuerant, intercidit.*

*Ingratitudo erga Dei beneficia veluti Parca est ad præcidendum vitæ stamen. Apud S. Aug. tom. 3. lib. 3. c. 18. Psal. 54. 24.*

17. Allatæ Iobi sententiæ consonat Ecclesiastes 7. *Ne impiè agas multùm; & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*. Sicut segetum semina, aut arborum fructus si decidant, vel decerpantur, antequam ad maturitatem perueniant, tempore non suo decidere, aut decerpi dicuntur. Similiter iuxta Olympiodorum: *Peccator, cum imparatus moritur, antequam in eo virtutis, & pœnitentiæ fructus maturescat, tempore non suo mori dicitur*. De hoc loquitur Sapientia cap. 4. *Spuria vitulamina, seu adulterina plantationes non dabunt radices altas; & si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur; confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum*. Propterea monebat Ioannes: *Facite fructum dignum pœnitentiæ*. Qui fructus non germinare tantùm debet, sed ad maturitatem vsque peruenire: germinat quidem, cum per internas inspirationes peccans ad pœnitentiam excitatur; maturescit, cum peccata detestans pœnitentiam ipsam exequitur. Propterea vbi Psal. 1. de iusto dicitur; *Fructum suum dabit in tempore suo*, à Chaldæo legitur: *Cuius fructus maturescet in tempore suo*. Moritur ergo peccator tempore non suo; eo quod suo tempore pœnitentiæ fructus in eo non maturescant. De fructibus dicitur Sap. 4. Fru-

*Fructus reproborum acerbi qui sint. Matth. 3. Fructus pœnitentiæ eò maturiores, quò amariores.*

peccatorum velleitates; cum scilicet inefficaciter de pœnitentia cogitant; & bona desideria procrastinando, antequam maturos pœnitentiæ fructus educant, è vita tolluntur: si enim in ijs pœnitentiæ fructus ad maturitatem peruenissent, efficaciter ante actam vitam correxissent, amaro præteritarum culparum dolore compuncti. Veræ enim pœnitentiæ fructus tunc maturiores sunt, cum sensui sunt amariores.

18. Addi potest alia ratio, cur peccator tempore non suo mori dicatur. Nam cum ex Psalm. 33. *Mors peccatorum pessima* sit, propter innumeras insidias, quas illi mortis tempore Diabolus tendit; tempus illud, tempus diaboli dici potest, ita vt immundis spiritibus, peccatoris lectum ambientibus verè dici possit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Cum igitur diaboli tempore peccator moriatur, tempore non suo, sibique non proficuo mori dicitur.

Peccator mori dicitur tempore non suo, quia diaboli tempore moritur.

Lucæ 22.

19. Ad hoc confirmandum cum Iob de reprobis dixisset: *Sublati sunt ante tempus suum.* Subdit immediatè post: *Fluuius subuertit fundamentum eorum.* Fluuij nomine intelligit Gregor. *quotidianum temporis lapsum, & præsentis vitæ mortalitatem decurrentem.* Sed ad rem nostram, nomine fluuij intelligi debet diabolicæ suggestionis inundatio, nempe fluuius ille, qui è tartarei draconis ore emissus legitur Apoc. 12. *Misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tamquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.* Hoc igitur flumen reproborum fundamentum subuertit. Peccator enim, qui antea per Baptismum Christo nomen dederat, fundamentum duplex habebat: alterum erat fides: *Fides,* inquit Apostolus, *est sperandarum substantia rerum,* hoc est fundamentum. Alterum erat spes; si enim mortalis vitæ dies nauibus comparantur Iob 9. *Pertransierunt quasi naues poma portantes:* hæ naues non alia, quàm spei anchora fundari possunt; cœlestis autem patriæ spem, anchoram sanctus Maximus meritò appellauit: Diaboli igitur fluuius, nempe prauatum suggestionum inundatio, vtrumque fundamentum subuertit, inducendo scilicet imminente morte peccatorem in infidelitatem, & desperationem: *Fluuius subuertit fundamentum eorum.*

Præscito sub mortem fidei, & spei fundamentum diabolus subuertit.

Ad Heb. 11.

Hom. 19.

20. Præterea ad confirmandum reprobos benè hædos appellari, eo quòd in peccatorum pœnam sæpè ad maturam ætatem non perueniant; de reprobo ait Iob 15. *Antequam dies eius impleantur peribit; & manus eius arescent: lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius; & quasi oliua projiciens florem suum.* Circa solstitiale tempus, cum sol recedere incipit, nec vites maturas vuas, nec oleæ maturas oliuas, sed tantùm flores, seu germina habere solent. Plinius 16. cap. 25. *Floret solstitio vitis, & quæ paulò post serius incipit olea.* Dicitur propterea peccator tamquam vineæ, & oliuæ germen decidere, nempe solstitiali tempore; cum scilicet ab eo, propter eius scelera Deus, iustitiæ, misericordiæque sol omninò recedit: Tunc *manus eius arescent:* quia pœnitendi, & benè operandi tempus non datur vlterius.

Præpropera peccatoris mors.

Solstitij tempus mysticum.

21. Matthæi 13. de reprobis per zizania significatis Dominus dixit: *Colligite zizania, & colligate ea in fasciculos ad comburendum.* Cum magna zizaniorum, hoc est reproborum multitudo sit, cur in fasciculos, & non potius in ingentes fasces sunt alligandi? scilicet vt significetur prauæ illius sementis germina immaturo tempore decidisse; quando nondum grandioribus granis folliculos, & spicas impleuerant.

Zizania cur in fasciculos, non in fasces colligenda.

22. Cùm Deus præfinitum tempus ad viuendum hominibus dederit, toto talis temporis spatio ab ijs mors distat: nihilominus sæpè accidit, vt homo peccans distantem mortis diem accersat: & hoc modo peccatis efficit, vt mors alioquin distans, ad ipsum celeriter appropinquet: ex quo fit, vt hominis vita paucioribus annis contrahatur. Id, vt supra diximus, indicatur, cum peccatum equitantis mortis stimulus, seu calcar esse dicitur: Præterea id significare voluit Ezechiel 22. *In sanguine tuo, qui à te effusus est, deliquisti; & in idolis tuis, quæ fecisti, polluta es; & appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum.* Vbi Theodoretus addit: *Tempus certa quadam mensura præfinitum secundùm diuinam longanimitatem, iniquitas amplior effecta contrahit;* quod etiam *factum esse Noë tempore videre licet: Cum enim centum viginti annorum tempus hominibus illis, qui tunc viuebant, ad pœnitentiam præfiniuisset, conspicatus eorum impietatem augescere, præfinitum tempus illud contraxit, & anno centesimo per diluuium supplicium illis inflixit.* Ne autem Prophetæ verba de idololatris tantùm dicta putentur, vbi legitur: *In idolis tuis, quæ fecisti, polluta es,* legit Theodoretus, *In cogitationibus tuis, quas fecisti, polluta es.* Vbi notandum est pro idolis cogitationes poni, quasi hæ illis æquiualeant: peccator enim vel superbus, vel impudicus, licèt falsa deorum simulacra non colat; nihilominus intra sui cordis arcana, vel inanis gloriæ, vel caducæ formæ idolum cogitatione confictum veneratur; ijsque identidem anhelitus, gemitusque execranda thura succendit.

Peccata, v. 22.

Distans mors celeriter accedat, efficitur.

Idola prauæ cogitationes in superbis, vel impudicis sunt.

23. Præterea peccatoris vitam breuiorem reddi apertè declarant Domini verba sacerdoti Heli prolata: *Præcidam brachium tuum, & brachium patris tui, vt non sit senex in domo tua. Pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit.* Cuius sententiæ veritatem exitus comprobauit, cum Saül Achimelechum, vniuersamque eius domum, nempe octogintaquinque sacerdotes sacris vestibus indutos interemit: ita vt vniuersa Heli progenies fuerit extincta, vno excepto Abiatharo ad Dauidem confugiente. Vbi insueta diuinæ sententiæ seueritas est notanda. Solet aliàs à Deo prænunciatum supplicium in executione, quàm in comminatione mitius reperiri. Sic cum primo parenti dixisset Deus: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Huius sententiæ euentum mitiorem expertus est Adam; nam mortuus quidem est, vt comminatus fuerat Deus, eodem commestionis die; die tamen non viginti quatuor horarum secundùm humanam mensuram; sed die mille annos complectente, secundum mensuram diuinam. *Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus,* ait Petrus Apost. Propterea ait Irenæus: *Adam non est supergressus mille annos, sed in ipsis mortuus est.* E contrariò sententia prolata contra Heli exitu terribilior fuit. Dictum enim fuerat magnam partem, non vniuersam eius domum morituram; & tamen ex vniuersa domo vnus tantum euasit; ita vt pars vitæ in vno, pars mortis in octoginta quinque fueret. Mors simpliciter prænunciata fuerat; mors tamen sæuissimæ cædis euenit. *Pars magna,* ait Beda, *domus Heli ad virilem ætatem veniens, mortua est, quando prodente Doëgh Idumæo, octoginta quinque sacerdotes sunt pariter Saulis furore trucidati.*

1. Reg. 2.

1. Reg. 22. Seueritas diuinæ sententiæ insueta.

Genes. 2.

Petr. 2. epist. c. 3.

Lib. 5. contra hæres. c. 23. consonat Iustinus in Dialogo cum Triphone.

24. Qui onusti magni ponderis grauitate vrgentur, celerioribus gressibus festinare solent, vt onera citius deponant. Peccator frequentibus scele-

faciem eccidit

... properant. Propterea Psalm. 77. peccatoris annis festinatio tribuitur: *Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione.* Proditoris Iudæ vita, vt ingentis sceleris pondere leuaretur, suspendium elegit. Propterea Psalm. 108. vbi de eo ad litteram dicitur: *Fiant dies eius pauci*, ex Chaldæo legitur: *Fiant dies eius celeres.* Iudæ ergo dies ad suspendij metam celeres currebant, quod proditionis scelus sustinere nequirent. Ad cuius quidem sceleris grauitatem indicandam, eam ne suspendij quidem lignum sustinuit; ita vt propterea omnia eius viscera in terram fuisse diffusa dicantur: vel, vt Magister Scholasticæ historiæ ait, propterea *fractus sit laqueus.* Syrus autem interpres de Iuda suspenso ait: *Cecidit in faciem suam humi.* Humi certè deprimenda erat facies, quæ se ad cœlestis faciei osculum per summam impudentiam extulerat. Quare contra Iudam ex Ecclesiaste 8. 13. dici potest: *Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius; sed quasi vmbra transeat, qui non timet faciem Domini.* Domini faciem impudens proditor non timuit, cum ex ea osculum libare non puduit; propterea qui diuini solis faciem fœdo osculo inquinare est ausus; in temeritatis supplicium *eius vita transijt quasi vmbra.* Lucis accessu vmbra transit, atque dilabitur; sic Iudæ vita resurgente Domino iustitiæ sole è suspendio euanuit: laqueo enim se suspendit, cum, quod non sperabat, Christum resurrexisse cognouit, vt docet Salmeron Proleg. 13. Lorinus in Actis Apostolorum cap. 1.

Act. 1.

Peccatorum dies cur pauci dicantur: idem n. 26

Psal. 119. 5.

25. Sed vt ad superius dicta redeamus ex alia ratione de Iuda, & de quolibet reprobo dicuntur fieri *Dies eius pauci*: nam sicut electis, qui ad æternam felicitatem anhelant, longius videtur mortalis vitæ spatium: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; multùm incola fuit anima mea,* iustus Dauid aiebat: ita è contrario reprobi, cùm æternas pœnas subituros se noscant, ipsis pauci præsentis vitæ dies omninò videntur.

Atria Domini cor iustorum.

26. Præterea pauci sunt peccatoris dies: *Fiant dies eius pauci*: multi verò sunt dies iustorum; metiendo tamen dies, non secundùm materialem numerum, sed secundùm formalem valorem: quia dies vnus iustorum æquiualet, immò supergreditur mille peccatoris dies. Id testatus est Dauid Psalm. 83. *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia.* Atria Domini iustorum corda sunt; inde enim assidua Dei memoria, & meditatione ad cœlestem Regiam patet ascensus iuxtà Dauidem eod. Psalm. *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum.* Vt ad huiusmodi atria peccatores redeant Dominus hortatur: *Redite præuaricatores ad cor: Quid vicinius*, ait Gregorius, *nobis est corde nostro? Et tamen cum per prauas cogitationes spargitur, à nobis cor nostrum longius euagatur. Longè ergo Propheta præuaricatorem mittit, cum eum ad cor suum redire compellit: quia quò se exterius fudit; eò ad se vnde possit redire, vix inuenit.* Propterea aiebat Dauid: *Inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret ad te.* Peccator, qui Dauidem non imitatur, cor suum non inuenit, vt de Deo cogitet, & ad eum pœnitens preces fundat; quamuis plurimos annos vixerit, tales anni in vitæ spatio non sunt numerandi, cùm eos potius perdidisse, quàm

Ibid. 46.

Peccatores sunt annos nō viuunt, sed amittunt: idem n. 41.

16. Mor. c. 13.

2. Reg. c. 7. v. 27.

Quomodo autem apud Dominum dies ille peragatur, docet Bernardus supra citatus: *Mens sapientis semper est apud Deum: illum semper ante oculos habere debemus, per quem sumus, viuimus, & sapimus. Ipsum namque, vt essemus, habemus auctorem; ipsum etiam vt sapiamus, debemus habere doctorem; & vt beati simus, suauitatis largitorem.*

mille annis æquiualeat, apud Dominum est peragendus.

28. *Sicut vmbra dies nostri sunt super terram*, dicere possunt peccatores, vt Iob 8. dicitur. Cur
B sicut vmbra peccatorum sunt dies? Præter ea, quæ supra diximus, peccatorum anni sunt sicut vmbra, quia vt ipsimet respondent Sapientiæ 5. *Iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non ortus est nobis.* Rursus sicut vmbra peccatorum sunt dies; quia super terram paraguntur, ita, vt numquam ad cœlum animus eleuetur, *Sicut vmbra dies nostri sunt super terram.* Contra verò, cùm iusti in terra viuentes animo in cœlo sint, ijs numquam noctescit: propterea Iob cap. 11. iusto dicitur: *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam.*

Dies peccatorum cur sicut vmbra.

29. Prouerbiorum 10. dicitur: *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur.* Quomodo humanæ vitæ Dei timor dies addat videa-
C mus. Sanctus Domini timor generosum Iosue æmulatur. Si enim Iosue Solem sistere iussit, *Sol contra Gabaon ne mouearis, steteruntque sol, & luna*: Domini timor aliquid maius est aggressus, non tantùm solem sistere, sed etiam à consueto cursu regredi impetrauit. Cum enim se reuerenter sancto Dei timori ingenti fletu subderet Ezechias; Domini timor illius vitæ quindecim annos addidit: *Hæc dicit Dominus Deus: addam diebus tuis quindecim annos.* Ad quod confirmandum, vt sol per decem gradus regrederetur, effecit: *Reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat, in horologio retrorsus decem gradibus.*

Iosue c. 10.

Timor Domini annorum numerum auget: idem n. 30. 31.

Timor Domini Ezech. a Solis regressum, Iosue solis moram impetrauit.

4. Reg. 20.

D 30. Homines sub arborum nomine mysticè significantur Matth. 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*: Et Matth. 15. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur*: Marci 8. Cæcus ille cùm à Domino illuminari inciperet: *Video*, ait, *homines velut arbores ambulantes.* Harum arborum radix adueniente morte arescit. Radices autem ne areant, sunt sæpius irrigandæ: ne humanæ vitæ radix arescat pœnitentiæ lacrymis est irriganda. Munus hoc humanam vitam contritionis lacrymis irrigandi, sanctus Domini timor habet. Irrigatus est à Domini timore lacrymis Ezechias: *Fle-*
E *uit Ezechias fletu magno*: & propterea ei dictum est: *Vidi lacrymas tuas, & ecce sanaui te; & addam diebus tuis quindecim annos.*

4. Reg. 20.

31. Ad mortem homo ab immoderata concupiscentia trahitur, vt in Lucam 7. docet Ambrosius. Propterea remedium ad immaturam mortem arcendam indicat Dauid Deum alloquens Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas*: quare sanctus Leo, ait: *Cum quispiam obseruantiæ Christianæ se limitem sentit excedere; & in id cupiditates suas tendere, quod cum à recto itinere faciat declinare, recurrat ad crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis affigat, ac voce Prophetica ad Dominum clamet, & dicat*: *Confige clauis timoris tui carnes meas.* Si iuxtà Sancti Pontificis verba ligno vitæ humanam carnem alligare timor Domini potest; inde certè

Ser. 19. de passi.

immoderatam concupiscentiam moderandi, adeoque mortem arcendi, & vitam protrahendi vim eliciet: & hoc pacto iuxtà Salomonem: *Timor Domini apponet dies.*

Prou. 10.

32. Alexander ab Alexandro lib. 1. cap. 6. de vrbe Roma refert: *Ciuitate morbo laborante, cum vis pestilentiæ, & insatiabilis pernicies, tabesque ciuitatis, ita per omnium capita peruagata esset; vt nec ope diuina, nec humanis consilijs leuari posset; quotidieque varijs morbis corpora affecta caderent; ex seniorum memoria repetitum pestilentiam quondam fixo à Dictatore clauo decessisse: clauus autem dextero lateri ædis Iouis in Capitolio fixus fuit.* Vana quidem hæc Ethnicorum fuit superstitio: certè Romano Dictatore multò felicior sanctus Domini timor ad mortem arcendam clauis humanam carnem configit: iuxtà Dauidis petitionem: *Confige clauis à timore tuo carnes meas.* Quod si ethnica superstitio ad mortem vitandam clauum in Capitolino Iouis templo figendum esse putauit: Christiana religio templum nobilius habet, vbi ad morbum, mortemque propulsandam clauus est configendus, nempe humanum corpus; cum ab Apostolo dicatur: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* Huic templo à Dei timore clauus configatur: *Confige timore tuo carnes meas.* Itaque fiet, vt idem & templum sit, & victima iuxtà Nazianzenum, qui iustos Deum timentes ait esse: *Viua viuentis Dei templa, victimas viuas, holocausta ratione prædita, sacrificia perfecta; Deos denique Trinitatis adoratæ beneficio.* Vbi à nobis inter diuinum amorem, Deique timorem sancta æmulatio suspiciatur; diuinus amor, vt Deus homo fieret effecit; è contrario, vt ex diuina gratia homines per participationem dij fiant, efficit Dei timor.

Clauo timoris Domini configenda caro est ad mortem vitandam.

Templum Dei, & victima Iusti sunt.

Timor Dei homines Deos facit: amor Dei hominem Deum fecit.

August. Ps. 118. Conc. 25.

1. ad Tim. 6.

Orat. 25.

33. Sed, vt ad superioris sententiæ reliquum reuertamur: *Timor Domini apponet dies; & anni impiorum breuiabuntur.* Vt videamus quo pacto impiorum dies breuientur, consulendus est sanctus Paschasius, qui explicans illud Matthæi 24. *Propter Electos breuiabuntur dies illi: quærendum,* ait, *quomodo breuiandi dicantur ipsi dies? Vtrum numero breuiabuntur? An sic breuiabuntur suis spatijs ipsi dies, sicut facta est orante Iesu Naue longior dies? Nequaquam hoc pacto, quod debeant momenta temporum mutari; eo quòd scriptum legimus: Ordinatione tua perseuerat dies. Propterea melius iuxtà temporum qualitatem sentire debemus abbreuiatos dies, non mensura horarum; sed numero: non quòd de cursu temporis detracti sint; sed quia ex qualitate imminuti. Nam & Ezechiæ quindecim aucti dicuntur anni, non ad cursum temporis; sed ei, qui futuri erant anni, ad vitam donati. Sic quippe, & in benedictionibus dicitur: Longitudine dierum adimplebo eum; quia dum bona vita quisque adimpletur, plenus dierum esse dicitur. Et ideo cum mala dierum illorum breuiantur, ipsi dies iure breuiari dicuntur. Dicuntur enim & dies mali in Scripturis diuinis, non quod per se ipsi dies mali sint, sed ea sunt mala, quæ fiunt in eis. Ergo cum ipsa repromittuntur abbreuiari, vt Deo donante saltem per tolerantiam minus sentiantur mali, non immeritò breuiari dicuntur, cum qualitas eorum immutatur, vt qui mali futuri erant, nisi à Deo breuiarentur, boni, & tranquilli fiant.* Hactenus Paschasius. Sicut igitur Electis dies abbreuiari dicuntur, abbreuiata scilicet dierum malitia, & infelicitate; quatenus dies plurimi, qui mali futuri erant, boni, & tranquilli fiunt: ita è contrario reprobis in præsenti vita abbreuiantur dies, quatenus peccatorum dies plurimi, qui alioquin ex diuina benignitate boni, & felices futuri erant, in scelerum supplicium malis,

Prou. 10.

Dies quomodo diuersimodè Iusti, & iniusti breues fiant: idem n. 34.

Ps. 118. 91.

Psal. 90.

miserijsque obnoxij fiunt; ijsque in angustias peccatores rediguntur.

34. Rursus iuxtà Salomonem, *Impiorum dies abbreuiari* dici possunt, quatenus eorum vitæ dies in ordine ad spiritualia hyemales sunt, adeoque breuiores, frigidi, & obscuri; non autem æstiui, & longiores lumine, & vitali calore pleni. *Cum Sol,* inquit Ambrosius, *longius abest, terra rigescit gelu, stringitur frigore; & plurima noctis vmbra terras operit; vt multò prolixiora sint noctis spatia, quàm diei.* Quod autem terram propter materialis solis distantiam patitur; idem spiritualiter propter diuini solis absentiam impiorum animus experitur. Quare idem Ambrosius ait: *Hyems non temporis, sed infirmitatis, agrum animæ fœcundum omni flore dispoliat. Est enim nostra hyems terreni solis; est hyems mentis, quando animo frigus illabitur, quando vapor animi euanescit; quando soluitur vigor sensus; quando nimius humor exundat, & mentem grauat; quando interior caligat aspectus; & ideo ait Dominus: Videte, ne fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbatho.*

Prouer. 10.

4. Hexamer. c. 5.

Dies Iustorum longiores, quia tamquam æstiui; iniquorum breuiores, quia tamquam hyemales.

Apolog. Dauidis circa medium.

Matth. 24. 20.

35. *Præcepta mea cor tuum custodiat,* Salomonis ore Dominus dixit. Diuinorum præceptorum custodia vera sapientia est, de qua paulò post Salomon ait: *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam.* Scilicet, quod primis parentibus, eorumque stirpi lignum vitæ in medio Paradiso situm suis fructibus præstare debebat, vt in longum tempus vitam proferre possent: idem diuinæ legis obseruantia hominibus præstat: & propterea cum dictum esset: *Præcepta mea cor tuum custodiat,* subditur, *Longitudinem dierum, & annos vitæ apponent tibi.* Meleagri cuiusdam vitam à fatali stipite pendentem finxit antiquitas; ita vt stipite illo combusto Parcæ Meleagri vitam extinxerint. Quod quidem si, vt fabulosum est, ita verum fuisset, qua custodia, qua sedulitate fatalem illum stipitem, re vera sibi vitæ lignum, Meleager rei conscius asseruasset. Quoniam autem hominibus verè non fabulosè dicitur, Diuinæ legis obseruantia; *Vitæ lignum esse longitudinem dierum, & annos vitæ afferens:* mirum esse non debet, si peccatores diuinam legem non custodientes, ante debitum vitæ finem celeriori morte corripiantur.

Prou. 3.

Lignum vitæ vitam protogans, est diuinæ legis obseruantia.

Metamorphos. lib. 8.

36. Propterea Prouerb. 13. Salomon ait: *Lex sapientis fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.* Vbi ex Hebræo legitur: *Lex sapienti vena vitarum ad declinandum à laqueis mortis.* Vitarum scilicet multitudinis numero dicitur, vt & naturalem, & spiritualem vitam à diuinæ legis custodia veluti à fonte prouenire significetur. Subditur deinde: *Ad declinandum à laqueis mortis:* nam, sicut venatores laqueos habent, quibus fugientes feras, vel auolantes aues impediant, ne vlterius fugere, vel euolare possint; ita mors peccata veluti laqueos habet, quibus peccantium vitam, quæ ad vlteriores annos progredi debebat, sibi captiuam sistat.

Mors veluti venatrix laqueos habet, quibus progredientem vitam sistat, suamque prædam faciat.

38. Genes. 2. dicitur: *Tulit Dominus Deus hominem; & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Quomodo operandus, hoc est excolendus esset paradisus, quærit Augustinus, & contra quos esset custodiendus? *Non,* inquit, *aduersus improbos, & inimicos, qui nulli erant; sed fortassis aduersus bestias: numquid bestiæ iam in hominem sæuiebant? quod nisi peccato non fieret?* Paradisi damnum, aut iacturam non à bestijs, non aliunde, quàm ab ipsius Adami inobedientia timeri potuisse concludit Augustinus. Quare custodiendus erat ab Adamo Paradisus, non aduersus aliud, quàm suam aduersus inobedientiam. Positus est igitur Adam in Paradiso, vt operaretur,

Adam diuinæ legi obediendo, paradisum excolere & custodire debebat.

Lib. 8. de Gen. ad litteram. c. 10.

Cor hominis Paradisus.

Imperatori in annos decem vitam protulit.

*nique accepit praeceptum, vt sic, per quod sibi custodiat paradisum.* Eadem ergo erat & paradisi, & diuinae legis custodia. Similiter humanum cor custodiendo diuina praecepta, seipsum, vitamque ab ipso prouenientem custodit: Et propterea à Deo homini dicitur: *Praecepta mea cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum, & annos vitae apponent tibi.*

Prou. c. 3.

Opuscul. de Paradiso & l. spirituale in Biblioth. SS. PP. tom. 5. Edit. 2. Prou. 4.

Hoc beatus Marcus Eremita verbis pijssimis indicauit: *Iubet Scriptura hominem omni custodia seruare cor suum, vt conseruans in eo paradisum, fruatur gratia spirituali; nec audiat serpentem intus se implicantem, & consulentem, quae faciunt ad voluptatem.* Profectò sanctus hic vir suo in corde paradisum, in eoque vitae lignum habebat: quandoquidem Leonem sextum Imperatorem miraculo cum curasset; ei vitam in annos decem protulit, quos illi certò futuros praedixit, vt Zonaras, alijque Graeci Historici testantur.

58. E' contrario, ad celeriorem peccatoris mortem significandam peccatoribus dicitur Ioannis 8. *In peccato vestro moriemini.* Vbi ex Phrasi Hebraea particulam, *In*, causalem esse docet Euthymius, idemque esse, ac *Propter.* Sic Thren. 4. cum dicitur: *Christus Dominus captus est in peccatis nostris*, idem est, ac dicere, Christus Dominus captus est propter peccata nostra. Quare similiter cum dicitur: *In peccato vestro moriemini*, sensus est, propter peccatum vestrum moriemini, vobisque vita ante tempus in peccati supplicium praecidetur.

Particula, In, significat, Propter.

39. Ecclesiastae 8. non solùm de Iuda, vt supra vidimus; sed de quolibet reprobo dicitur: *Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant, qui non timent faciem Domini.* Consuetum est iuxtà phrasim Hebraeam in sacris litteris res futuras per imperandi, optandiue modum exprimere: quare cum Psal. 68. dicitur: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Non optantis animo, sed praedicentis mysterio, ea verba pronunciantur*, ait Anacletus. Iuxtà quam Anacleti interpretationem similes in sacra scriptura imprecationes intelligendae sunt. Propterea ex Hieronymo cum Psal. 11. dicitur: *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam*, non imprecatio, sed praedictio est, ac si *Disperdet* diceretur. Et ratio huius est, quia cum à prophetis futura vt praesentia videantur; cumque diuinae voluntati subscribere velint, hinc est, vt per imprecandi, vel optandi modum futura praenuncient. Quoad rem nostram, allata ex Ecclesiaste sententia, ita alia lectione profertur: *Non erit bonum impio, nec prolongabûtur dies eius; sed quasi vmbra transibunt.* Similitudinem autem vmbrae in eo sitam esse puto; quod sicut corporum vmbrae ex breui diurnae lucis praesentia apparent; adueniente autem nocte, protinus euanescunt; ita peccatoris vita post breuissimam lucis vsuram, adueniente peccati nocte, ocyus in mortem effluit. De hac peccati morte nocti proxima, qua in vitiorum tenebris peccatores obdormiunt, iuxtà sacros interpretes locutus est Apost. cum ad Thess. ait: *Qui dormiunt, nocte dormiunt.* De eadem peccatorum nocte, & somno egregiè Chrysostomus: *Malitiam somnum vocauit; eo quòd ad virtutem ignauus, & deses est, qui malus est: deinde omnia imaginatur, nihil vere est malitia, & vita, quae in malitia est: quae sunt non videt, hoc est spiritualia, caelestia, perseuerantia; sed videt, quae diffluunt, & auolant, & celeriter à nobis resiliunt.* Ab hoc peccati somno à Chrysostomo descriptio ad aeternae mortis somnum breuissimo tramite transeunt peccatores, de quibus dicitur Ieremiae 51. *Inebriabo eos, vt sopiantur, & dormiant*

Futurorum per Imperandi, optandique modum, interdum significatur.

Peccator, eiusque vita vmbrae comparatur: idem u. 4.

Ep. 1.

Epist. 1. c. 5.

B *somnum sempiternum, & non consurgant, dicit Dominus.* Caietanus in allata Ecclesiastae verba: *Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius; sed quasi vmbra transeat*, ait: *Sicut vmbra non est corpus, sed tenue simulacrum corporis; sic impius non tam est homo, quàm inane hominis simulacrum, & vmbra: quia inanem tantùm speciem habet hominis, non veritatem; eo quod non viuat, vt homo ratione praeditus, sed vt bestia ratione carens.*

40. Contra ea, quae diximus, Ecclesiastae testimonium cap. 7. esse videtur: *Iustus perit in iustitia sua; & impius multo viuit tempore in malitia sua.* Ex quo testimonio apertè constare videtur iustitiâ potius breuiorem reddi vitam, & impietate longiorem.

Iustus breui viuens tempore, senectutis fructum habet.

C Profectò negandum non est interdum iustis breuiorem fuisse vitam, peccatoribus verò longiorem. Sed cum id contingit, respondendum est cum eodem Salomone Sap. 4. *AEtas senectutis vita immaculata.* Quare si iustus immaculatè viuens moritur, senex mori dicendus est. Senectus enim eatenus expetenda est, quatenus longa annorum serie multa merita possumus comparare: quod si *Iustus*, vt ait Sapiens, *consummatus in breui expleuit tempora multa*; iam praematurum senectutis fructum habet. *Perfecta est aetas, vbi perfecta virtus*, ait Ambrosius de obitu Theodosij. *Moribus*, vt loquitur Bernardus, *antiquandi sunt dies, praeuertenda tempora meritis; & quod aetati deest, est virtutibus compensandum.*

Ep. 41.

D 41. E' contrario, peccator, quamuis multos vixerit annos, cum eos sine meritis, sine diuina gratia peregerit, amisisse illos potius, quàm vixisse dicendum est. S. Hieronymus citata Ecclesiastae verba de impio affert iuxtà lectionem Septuaginta dicens: *Non prolongabit dies suos in vmbra; hoc est dies vitae suae, qui quasi vmbra viuentibus sunt. Non enim hi, qui multo tempore viuunt prolongant dies suos; sed qui grandes eos faciunt bonorum operum magnitudine. Vnde & Iacob quasi peccatorem se confitens dicit: Parui, & mali dies mei: sicut & in Psalmo confitens: Dies, inquit, mei sicut vmbra declinauerunt; & ego sicut foenum arui. Non quod longam vitam quaesierit in praesenti (in quo omne, quod viuimus breue, & vmbra est, & imago: In imagine enim perambulat homo) sed quod de futuro timeat, ne longitudo vitae ipsius, vbi est vera vita, breuietur:* ita scilicet breuietur, vt paulò post quam extremo iudicio resurrexerit, in aeternam gehennae mortem detrudatur.

Ecclesiastes cap. 8. v. 13.

Genes. 47.

Psal. 101.

E Psal. 38. v.

42. De humana vita, cum hominis caput canitiem profert, intelligitur illud Ecclesiastae 12. *Florebit amygdalus*; vbi *Capillus incanescet*, vertit Hieronymus. Cum igitur amygdalus humanae vitae similitudinem referat; sicut inter amygdali nuces, ea non numerantur, quae vacuum nucleum interiori fructu non replent: sic neque in humana vita ij anni numerandi sunt, qui bonorum operum fructibus non replentur. Propterea aiebat

Amygdalus humanae vitae symbolum.

Q

Psal. 71. Dies pleni qui sint. Propheta: *Conuertetur populus meus hic,& dies pleni inuenientur in eis: pleni scilicet bonis operibus*, ait Euthymius. Qui huiusmodi plenos annos non habet, vitæ annos veluti non habens æstimandus est. Quæ *pro nihilo habentur, eorum anni erunt*, de peccatoribus dicitur Psalm. 89. Ad quod explicandum præclara sunt verba Eucherij: *Solemus annos nostros, & temporum spatia, quibus nunc viuimus supputare: non te fallat, quicumque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter seculo, consumpsisti, illum tantùm diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti; in quo malis desiderijs restitisti; quem sine vlla regulæ transgressione duxisti: Illum diem vixisse te computa, quem non malitia, non inuidia, non superbia commaculauit; qui peccato non cessit; qui diabolo repugnauit: illum diem vixisse te computa, qui pietatis, & sanctæ meditationis habet lucem. Illum diem applica ad vitam tuam, cuius vsus peruenit ad animam tuam.* Quare Isaïæ 65. dicitur: *Puer centum annorum morietur; & peccator centum annorum maledictus erit.* Si puer, quomodo centenarius? si centenarius, quomodo puer? Centenarius quidem quoad mortalem vitam, quæ ex Gregorio *Mors est potius dicenda quàm vita*: Puer verò iuxtà vitam gratiæ, secundùm quam numquam adolescit.

Vel Eusebij Emisseni. hom. 9. ad Monach.

Puer centum annorum cur peccator dicatur.

Hom. 37. in Euang.

43. Ad id confirmandum de lapidantibus Stephanum dicitur: *Testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* Post paucos dies idem Saulus, cum conuersioni iam maturus, & orationi deditus esse diceretur Dei monitu, ab Anania vir appellatur. *Domine, audiui de viro hoc.* Paucorumne dierum spatio adolescens in virum mutari potuit? At adolescentia, & virilitas, non ab annorum numero; sed à peccati, gratiæque statu desumenda est. Quare de Paulo ante conuersionem ait Ambrosius: *Adhuc adolescentior dicitur, qui nondum maturam in canitie fidei gerebat ætatem; nondum in virum perfectum excreuerat, in illam (sicut ipse ait) mensuram plenitudinis Christi. Denique adolescens legitur tantùm ibi, vbi lapidantium Stephanum vestimenta seruabat.*

Act. c. 7. Habebat tunc annos 15. iuxta Baron. tom. 1. Saulus cur prius adolescens, paulò post vir appellatur. Cap. 9.

Ambros. De Ioseph Patriarcha c. 10. ad Eph. 4.

44. Sed, vt ad superiorem Ecclesiastæ sententiam redeamus; ne nobis inuidiam moueat, cum audimus: *Impius multo viuit tempore*: recolendum nobis est longiorem impij vitam tantùm abesse, vt expetenda sit, vt sit maximè timenda. Gregorius: *Vita pueri in longum trahitur, vt à factis puerilibus corrigatur; sed si à peccati perpetratione, nec temporis longinquitate compescitur; hac ipsa vitæ longinquitas, quam per misericordiam accipit, ei ad cumulum maledictionis crescit; vnde necesse est, vt cum nos diutius expectari conspicimus, ipsa prorogata pietatis tempora, quasi damnationis argumenta timeamus; ne ex clementia Iudicis crescat supplicium peccatoris; & vnde quisque eripi de morte poterat, inde grauius ad mortem tendat.*

Cap 7.

Gregor. 17. Mor. c. 4.

Longior vita à peccatore ti menda potius, quam expetenda.

*Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

45. Genesis initio; vbi dicitur: *In principio creauit Deus cælum, & terram*, ex Hebræo etiam legitur: *In principio creauit Deus cælum, quia terram* scilicet creauit. At quo pacto verum videtur, vt à diuina sapientia nobilior creatura cuiusmodi Cœlum est, ad creaturam ignobiliorem, quippe ad terram, tamquam ad

Terræ nomine homo appellatur.

A suum finem dirigatur? Sed si terræ nomine hominem è terra formatum intelligamus, cui ab Isaïa dicitur: *Auribus percipe terra*: tunc Genes. verba Euangelij benè consonabunt: ideo enim cœlum Deus mundi initio creauit, vt in eo homines electi regnarent; quibus propterea à Domino dicitur cœleste regnum fuisse ijs à mundi constitutione præparatum. Isaias c. 1.

46. Ad idem significandum Isaïæ 49. sanctæ ciuitati Ierusalem, nempe Electorum cœtui dicitur: *In manibus meis descripsi te*, seu, vt Septuaginta legunt: *Depinxi te* Ideo in Dei manibus Electorum imago depingitur, vt in diuinarum manuum opera electi ius habere intelligantur, iuxta Domini sententiam Matth. 22. *Cuius est* B *imago hæc?* Cumque responderetur esse Cæsaris: *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Sunt autem cœli speciatim diuinarum manuum opera, testante Dauide: *opera manuum tuarum sunt cœli.* Nil mirum igitur esse debet, si cœlum à prima sui constitutione Electis tamquam legitimis dominis præparatum esse dicatur. Ad id confirmandum Psalm. 8 de homine dicitur: *Constituisti eum super opera manuum tuarum.* Vbi legit Chrysostomus: *Fecisti, vt haberet potestatem manuum tuarum.* Cum igitur homini cœlestis Regia præparetur, multo melius homini dicatur: *Tibi conditur æther*, quàm *Tibi militat æther*, vt Vates ille canebat. Et ad hanc cœlestis Regiæ possessionem significandam in ea veluti stellarum C characteribus, iustorum nomina præscribuntur: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, quibus verbis iustos liberalis cœli largitor alloquitur Lucæ 10.

Iusti cur in Dei manibus descripti dicantur.

Psal. 101.

Claudianus.

*Esuriui, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.*

D 47. Vocatis sensibili voce ad cœleste regnum Electis, Dominus interna illustratione eorum bona opera commemorabit; per bona scilicet opera ipsis cœlestis regni aditum patere significans. Cum autem cœlestis regni beatitudo alijs bonis operibus, immo præstantioribus acquiri possit; cur tantùm misericordiæ opera diuinus Iudex commemoraturus dicitur? Et commemorando misericordiæ opera, cur potius corporalia, quàm spiritualia commemorabit? Quæ spiritualia misericordiæ opera, & præstantiora sunt, & totidem quot corporalia, vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 32. E artic. 2. scilicet: *Docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos, & graues pro omnibus orare.* Huic quæsito ratione duplici responderi potest; Primò, vt Dei amor erga homines, & quanti eos æstimet, eluceat: Secundò, vt quanta diuina liberalitas sit, indicetur. Cum enim bona opera ex charitate prouenire debeant; cumque, vt ait Gregorius, *Nemo propriè ad semetipsum habere charitatem dicatur; sed dilectio in alteram tendit, vt esse charitas possit:* hinc bona opera vel erga Deum immediatè, vel erga proximum exhibentur. Commemorabit autem celestis Iudex potius bona opera erga homines, quàm erga seipsum; vt hinc quantum homines diligat, & magnificiat,

tualia extremo iudicio commemorabuntur.

tans ait: *Da modica, & accipe magna: da temporalia, & accipe aeterna; da terrena, & accipe cælum.* Ideo August. serm. 172. *Imple miserationis officia. Sagina pauperum viscera, & anima tua muneribus sanctitatis pinguescet. Vesti nudum, & tua peccata contecta sunt. Peregrinum hospitio tuo contende suscipere, vt & te Deus in cælorum regna suscipiat.* Chrysostomus hom. 15. in Matth. similiter ait. *Si hic accipis, mortalia prorsus accipis. Si tempus illud expectaueris, immortalia tibi, & integra reddet Deus. Si hic accipis, plumbum accipis; sin verò illic, aurum permultum, purum, putum. Si hic accipis, transferre illud in patriam non potes: si illic accipis, in tuto est. Si denique hic accipis, per breuem voluptatem habebis; sin illic accipis, æternam.* Agapitus Pontifex epistola ad Iustinianum Imperatorem ita scribit: *Vestimentum non veterascens est beneficentiæ amictus; & incorrupta stola est misericordia erga pauperes. Eum igitur oporet, qui piè regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare. Amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cælestis quoque regni compos efficitur.* Qui ergo nudum veste contexerit, Deus *stolam gloriæ induet eum.* Et vniuersalis iudicij de appropinquante cœlestis beatitudinis tempore electis dicetur: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo; quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum.* Apoc. 19. Rursus qui potum sitienti pauperi dederint, *Deus deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* De iisdem Psalm. 35. 9. Deo dicitur: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* De misericordibus erga egenos plura diximus Feria 6. cinerum. De visitandis infirmis duo pij libelli habentur apud Sanctum Augustinum tomo 9. De misericordiæ operibus spiritualibus, & corporalibus agit S. Thomas 2. 2. quæst 32. art. 2. & 3.

Eccli. 5. 32.

Apoc. 7. 17.

48. Veteres Sapientes, vt Pithagoram, Musæum, Solonem, Democritum, Platonem, & alios in Ægyptum profectos esse legimus, vt ibi Mathematicas disciplinas, & præcipuè Astronomiam discerent. Deus autem Israëliticum populum è patria terra in Ægyptum transtulit; vt ibi longe nobiliori scientia erudiretur; qua scilicet misericordiæ opera erga indigentes exercere disceret. Testatur id Augustinus tom. 9. tract. 7. de vita Christiana: *Deus populum suum, quem elegerat, præceptis misericordiæ, pietatis, iustitiæ, cæterisque bonis operibus cupiens erudire, voluit eum in externa patria pro tempore peregrinum esse, & captiuum; vt captiuitatis, & peregrinationis miseriam disceret, & labores; quo facilius postmodum misereri peregrinantibus, & laborantibus nosceret; si ipse ante peregrinationis miserias didicisset. Nemo enim tam libenter peregrino, & aduenæ miseretur, quàm qui peregrinationis exitus nouit. Nemo libentius hospitem sine tecto, suo introducit hospitio; nisi qui ante indiguerit alieno. Nemo ita esurientem cibat; nemo sic sitientem potat; nisi qui sitim, esuriemque perpessus est. Nemo tam facilè nudum suis operit vestimentis; quàm qui nuditatis, & frigoris nouit iniuriam. Nemo sic tribulato, & misero, & laboranti succurrit; quàm qui tribulationum, & miseriarum casus expertus est, & laborum. Ideo Exodi 22. 21. dicitur: Aduenam non contristabis, neque affliges eum; aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægy-*

Israëlitæ in Ægyptum translati sunt, vt misericordiæ opera exercere discerent.

49. Daniel 4. 24. Nabuchodonosori Assyrio regi, cui à Deo supplicium imminebat, dixit: *Peccata tua eleemosynis redime.* Hoc salutare prophetæ consilium piè recogitantes Petrus dominus Soræ, & Arpini, eiusque coniux Doda testantur sunt apud Baronium anno Domini 1030. *Cœpimus cogitare intra nosmetipsos, qualiter in peccatis concepti, & nati sumus; & qualiter ab infantia nostra die, noB ctuque, horis, & momentis innumerabilia peccata commisimus; & qualiter in illo terribili iudicio de omnibus factis nostris, & cogitationibus Deo rationem reddituri sumus; & qualiter ab illo æquissimo Iudice vnusquisque recipiet secundùm opera sua: & rursus dum cogitare cœpimus, qualiter impij, & peccatores, qui hic peccata redimere negligunt, in illam pauendam pœnam perpetuò cum diabolo damnabuntur: & qualiter iusti, & electi Dei in illa æterna beatitudine cum Domino glorificabuntur; subitò respexit nos diuina pietas; & compunctum est cor nostrum cum tremore, & æstuatione cordis: & cœpimus cogitare, & quærere consilium à sacerdotibus, & religiosis viris, qualiter innumerabilia peccata nostra redimere potuissemus; &* C *ab ira æterni Iudicis, & à pœna æterna euadere. Accepimus consilium ab eis, præterquam renunciare seculo, nihil esse melius, quàm eleemosynarum virtutem.* Quod consilium postea pios coniuges liberaliter executos esse ibi narratur.

50. In allato Danielis textu legitur ex Arabico Antiocheno: *Peccata tua eleemosynis operi.* Cum enim ex charitate in proximum nudus pauper operitur; peccata etiam miserentium pauperis operiuntur; & à peccatorum reatu liberi æternam beatitudinem consequentur. Ad quod significandum Psalm. 31. dicitur: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Dicuntur autem peccata tegi, cum diuinis oculis D non apparent, adeoque penitus delentur: nam quæ adhuc extant, Dei oculis non apparere nequeunt: *quæ enim non aspicit, delet*, ait Ambrosius. Peccata tegit Deus diuinæ gratiæ lumine, ac decore; ita vt iustificatus peccator in anima appareat *amictus lumine, sicut vestimento*, sub luminis autem vestimento peccatorum tenebræ omninò non remanent. Idem indicat Apostolus dicens: *Induamur arma lucis.* Lucis enim arma opera tenebrarum procul expellunt. Præterea iuxtà August. Psalm. 31. *Deus tegit peccata eo modo, quo medicus vulnera tegit. Emplastro tegit medicus: sub tegmine medici sanatur vulnus.* Eamdem medici similitudinem affert Gregorius: E *Tegit medicus vulnus sanandum medicamine: tegit Deus peccatum ea, quæ multitudinem peccatorum operit, charitate.* Est tamen discrimen inter corporale medicamen, & spirituale; quod illud vulneri appositum non statim sanet: contra verò spirituale charitatis, & gratiæ medicamen statim sublato peccato sanitatem inducit. Addit præterea Gregorius: *Quod tegitur, inferius ponitur, & aliud aliquid super inducitur, vt quod est subterpositum tegatur: tegere peccata dicimus, quæ quasi subterponentes, abdicamus; quibus nimirum quasi tegmen superducimus; dum bonorum operum nos indumento vestimus. Peccata itaque tegimus, si bona facta malis actibus superponamus.* Similiter Philo Carpathius in illa Canticorum verba: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*, ait: *Per vestimenta sponsæ*

Ambros. in Apologia Dauidis c. 13.

Ad Rom. c 13. 12.

Peccata quomodo tegi dicuntur. Greg. in Ps. 31.

Cantic. 4. 11

*sancta opera designantur, quibus præterita mala teguntur; ne in die iræ appareant vlciscenda. Hinc enim illud Apoc. 16. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videatur turpitudo eius: & illud Psal. 31. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*

51. In eodem Danielis textu ex Chaldæo legitur: *Peccata tua eleemosynis abrumpe*; ne scilicet non abrumpendo peccatorum catenam, per eam à desertoribus Angelis in æternum ignem traharis. Iudicum 7. 13. Gedeonis gladius sub panis forma visus est: *Videbatur mihi quasi subcinericius panis. Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.* Similiter panis, quo quis abundè pauperes esurientes cibat, gladius est, quo peccatorum catena abrumpitur. Animæ olim peccatrici, sed per baptismum, & fidem sanctæ ciuitatis Sionis, hoc est Ecclesiæ sanctæ filiæ dicitur Isaïæ 52. *Solue vincula colli tui, captiua filia Sion.* Vt hæc colli vincla soluantur, esurientium pauperum fauces sunt cibo reficiendæ.

Panis pauperi datus, fit gladius peccatorum vincula disrumpens.

52. Lacrymosa dies extremi Iudicij dies futura dicitur ab Ecclesia: nihilominus dies eadem à iustorum anima non lacrymis, sed risu peragenda esse dicitur Prou. 31. *Ridebit in die nouissima.* Huius ratio si quæratur, ibidem præmittitur à Salomone: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Iustum quidem misericordiæ in egenos præmium est, vt tam lugubri tempore lacrymarum expertes sint oculi; qui à videndo, & subleuando paupere non absconduntur: Cum è contrario Prouerb. 28. 27. ex Hebræo legatur: *Abscondenti oculos suos à paupere, multitudo Maledictionum erit.*

Lacrymosa extremi Iudicij die ridebunt misericordes

*Tunc respondebunt iusti: Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te; Sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? Aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te.*

53. Augustinus in Psalm. 40. ait: *Dominum nostrum Iesum Christum plerumque loqui ex se, idest ex persona sua, quod est caput nostrum: plerumque ex persona corporis sui, quod sumus nos, & Ecclesia eius. Sed ita quasi ex vnius ore sonare verba, vt intelligamus caput, & corpus in vnitate integritatis consistere, nec separari ab inuicem; tamquam coniugium illud, de quo dictum est: Erunt duo in carne vna. Si ergo agnoscimus duos in carne vna, agnoscamus duos in voce vna.* Patet hoc in verbis citati Psalmi 40. *Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebas panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Vbi August. ait: *Quis est iste homo pacis ipsius? Iudas. & in illum Christus sperauit: Nonne illum ab initio nouerat? Nonne antequam nasceretur futurum sciebat? Nonne omnibus discipulis suis dixerat: Ego vos duodecim elegi; & vnus ex vobis diabolus est? Quomodo ergo in illum sperauit, nisi quia in membris suis ipse est, & quod multi fideles de Iuda sperauerint, hoc in se transfigurauit Dominus?* Similiter eodem Psalm. cum Christus Dominus æterno Patri ait: *Domine, miserere mei; libera animam meam, quia peccaui tibi. Numquid hoc Christus, numquid caput illud nostrum sine peccato? Ipse ex membris suis, quia vox membrorum ipsius, vox ipsius; quia & vox capitis nostri, vox nostra.* Hanc igitur Augustini regulam illuminati à Deo electi cum bene nouerint: nihilominus admirantes Redemptoris in humanum genus Charitatem,

Christus interdum ex sua persona, interdum ex suorū membrorum, nempe fidelium persona loquitur.

Genes. 2. & ad Ephes. c. 5

Ioan. 6 71.

A quòd beneficia in hominem collata, sibi exhibita testetur; interno potius cordis affectu, quàm ore; non ex ignorantia, sed ex admiratione dicent: *Domine, quando te vidimus esurientem & pauimus te?* &c.

*Et respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

54. Ex his Domini verbis patet, Deum debitorem se constituere ijs, qui erga indigentes se beneficos, misericordes, & liberales exhibent. Ideo Chrysost. hom. 7. in epist. ad
B Romanos ait: *Si pecunias tuas Deo mutuas dederis, incolumis in posterum thesaurus tuus manebit; ac nullo certè negotio, aut iactura subsequetur mutui redditio. Nam gratiam habet Deus, & cum nobis debet; & cum soluit; libentiusque fœneratores suos contuetur; quàm eos, à quibus nihil mutuo accepit: & quibus maximè ille debet, hos & maximè amat. Quapropter, si perpetuam cum illo amicitiam inire vis, perficito, vt multum ille tibi debeat: neque enim sic delectatur debitoribus suis creditor, sicut Deus suis creditoribus. Quibus nihil debet, eos auersatur, quibus autem debet, ad eos accurrit. Omnem igitur operam nauemus, vt illum in ære nostro habeamus: hoc*
C *enim tempus fœneratoribus accommodatum est, in quo Deus in indigentijs est: & si illi nunc nihil dederis, postea non indigebit: nunc enim sitit in sitientibus, in famelicis famem patitur.* De quo plura dicta sunt Feria 6. post Cineres, præcipuè in illa verba: *Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.*

Deus liberalissimè se nobis debitorem constituit.

55. Porrò sicut Deus beneficia in indigentes homines collata, tamquam sibi exhibita accipit, ita iusti vt grato animo Deo vices rependant, quæ in Dei honorem exhibentur, sibi fieri existimant: & quæ contra debitum Dei honorem & venerationem fiunt, ea ipsa, sua vt opprobria sentiunt. Ideo Dauid cum in Dei venerationem, & obsequium diuina lex seruabatur; tali obse-
D quio, & veneratione, veluti ipse vnà cùm Deo honoraretur, mirificè gaudebat dicens: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* E contrario idem Dauid cum peccatores erga Deum iniuriosè, & impudenter se gerebant, tali in Deum contemptu adeo tristabatur, vt seipsum tamquam ijsdem iniurijs affectum doleret dicens: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Plura profectò pius Rex contra regias leges suo in regno fieri cognouit? immo ipsam regiam maiestatem vilipendi, conuicijs affici, & lapidibus impeti à Semei vidit: *Et ecce vir nomine Semei maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid.* Hinc tamen numquam ita
E tristatus est, vt præ mœrore in deliquium inciderit. Nihilominus, cum contra Dei honorem diuinas leges non seruari cognosceret, in deliquium se incurrisse testatur: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Vidi præuaricantes, & tabescebam; quia eloquia tua non custodierunt. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Non quòd me mei aduersarij iniurijs afficiant; sed quòd contra diuinam legem præuaricantes iniquos, & iniurios erga Deum se ostendant, vehementissimè doleo.

Iusti quæ erga Deum velobsequia, vel peccata fiunt, in se facta existimant.

Ps. 118. 63.

Ps. 68. 10.

Reg. 2. 16

Ps. 118 53.
Ibid. v. 158.
Ibid. v. 139.

bit condensa. Reuelabit in die illa, quando reuelabit occulta tenebrarum, & consilia cordium, ait S. Basilius. Subditur deinde: *Dominus diluuium inhabitare facit, & sedebit Dominus rex in æternum.* Quodnam diluuium homines Dominus inhabitare faciet? Respondet Bellarminus: *Dominus cum in extremo iudicio reuelauerit condensa, tunc diluuium inhabitare faciet, effundens omnia genera bonorum in bonos, & omnia genera malorum in malos: & sic nullo penitus resistente, sublato de medio omni alio principatu, & regno dæmonum, atque hominum impiorum, sedebit Dominus Rex in æternum.* Electis bonorum omnium diluuium proueniet ex perenni felicitatis fluuio, de quo Psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Contra verò præsciti, intra inextinguibilem inferorum ignem pœnarum diluuium inhabitabunt; in quod ab æterno iudice expellentur dicente: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Iustissimè autem peccatores, *quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum,* in æterni ignis supplicium sunt ejiciendi.

Conc. 2 in Psalm. 28.

Diluuium quando, & quale Deus inhabitare faciet.

Ierem. 17.

57. Apocal. 14. vna, eademque vox è cœlo delapsa tonitrui ingentem fragorem, ac citharæ iucundissimum sonum referre videbatur: *Audiui,* inquit Ioannes, *vocem de cœlo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni, & vocem, quam audiui sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.* Si vox illa procellæ, ac tonitrui strepitum referebat, quo pacto citharæ harmoniam exprimere poterat? Huiusmodi vox cœlestis Iudicis sententiam præfigurabat; quæ cum electos ad cœlestia gaudia vocat: *Venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi;* tunc citharæ sonum videtur exprimere: cùm verò reprobos ad æternos cruciatus damnat: *Discedite à me maledicti in ignem æternum:* tunc ingentis tonitrui terrorem referre videtur. Iob 37. 4. de Deo iudice dicitur: *Tonabit voce magnitudinis suæ; & non inuestigabitur, cum audita fuerit vox eius:* ex Hebræo legitur: *Non retardabitur, cum audita fuerit vox eius.* Statim enim peccatores damnationis sententiam subire cogentur, nec deprecandi tempus vllum dabitur. Danielis 5. dicitur, cum conuiuio Baltassar rex assideret: *Apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis. Tunc facies regis commutata est; & compages renum eius soluendi, & genua eius ad se inuicem collidebantur.* Vbi bene Theodoretus ait. *Si digitorum scribentium species ita perterruit eum, qui maximum administrabat regnum; vt etiam articulorum compages præ motu dissoluerentur; & artus tremore occupati tremore concuterentur; quid non sustinuisset Deo infestus, si fulmina conspexisset?* Fulmineam certè vocem diuini Iudicis reprobi sentient, cum ijs dicetur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* S. Basilius hom. contra auaros explicans Domini verba Lucæ 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem parasti, cuius erunt?* ait: *Superat æternam pœnam irrisio ista stultitiæ.* Si irrisio æternam pœnam superat; quantò magis eam superabit expressa damnatio: *Discedite à me maledicti?* Ideo reprobi ad confu-

Iudicis cælestis vox electis citharæ sonum, præscitis tonitrui fragorem referet.

Apoc. 6. 16.

rint; cum eius iudicio vniuersa submitti; cum per excelsos cœlos tonantia iudicia audierint æternæ suæ damnationis. Subditur ibidem: *Dominus iudicabit fines terræ;* hoc est vltimum cuiusque hominis finem iuxtà Augustinum, quia *Non iudicabuntur, quæ in melius, vel deterius medio tempore commutantur; sed in quibus extremis inuentus fuerit;*

August. 17. de Ciuit. cap. 4.

B

*qui iudicabitur.* Propter hominum scelera in secundo aduentu diuinus Iudex verba mortis æternæ proferet; cui in primo aduentu meritò Petrus Apostolus dixerat: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Repellis nos à te: da nobis alterum te. Ad quem ibimus, si te relinquamus,* ait Augustinus. *Ad quem ibimus?* Si quærent reprobi, respondebitur: Ad inferni sæuissimum tyrannum, in ignem æternum.

Ioan. 6. 69.

58. Dominus, qui in primo aduentu erga peccatores se vt mansuetum agnum ostendit; cum verè de eo Ioan. cap. 19. dixerit: *Ecce agnus Dei: ecce, qui tollit peccata mundi:* idem tamen in se-

C

cundo aduentu, depositâ agni magni mansuetudine, qualem se peccatoribus proferet, prædicitur Oseæ 13. 17. *Ego ero eis, quasi leæna; sicut pardus in via Assyriorum; occurram eis, quasi vrsa raptis catulis,* & iuxtà Septuaginta: *sicut vrsa indigens cibo. Et disrumpam interiora iecoris eorum, & consumam eos ibi quasi leo.* Vbi Hieronymus ait: *Bestia agri disrumpet eos. Aiunt inter omnes, qui de bestiarum scripsêre naturis, inter omnes feras nihil esse vrsa sæuius, cum perdiderit catulos, vel indiguerit cibis. Et non solùm panthera, pardi, & vrsæ ferociam comminatur, sed leonis quoque, & omnium bestiarum, quæ gignuntur in saltibus. Simul consideremus, quòd qui in Euangelio credentibus loquitur: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos: iugum enim meum*

Vrsâ raptis catulis nihil sæuius: huic te diuinus Iudex comparat.

D

*suaue est, & onus meum leue: nunc per Prophetam incredulis, & nolentibus agere pœnitentiam panthera, pardus, vrsa, & leo efficitur.* Oseæ vaticinio consonat Amos cap. 5. *Væ desiderantibus diem Domini; ad quid eam vobis?* Id peccatoribus dicitur; non quòd reuera Iudicij diem desiderent; sed grauibus, & frequentibus peccatis iustam Domini iram prouocantes pro accelerando Iudicij die, & finali eorum supplicio laborare videantur. In peccatores ergo diuinæ vltionis diem prouocantes Propheta ait: *Væ desiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis? Dies Domini ista, tenebræ, & non lux. Quomodo si fu-*

Matth. 11.

E

*giat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus; & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.* Tamquam leo fuit diuinus Iudex Christus Dominus, cum morte deuicta surrexit; ideoque iuxtà Rupertum de eo dicit Apost. 5. *Vicit leo de tribu Iuda.* Ab hoc mystico leone auertentes se peccatores, cum viuerent, in eumdem sub mundi finem tamquam in vrsum incident: à quo iterum refugere conantes, incident in colubrum serpentem antiquum, nempe diabolum, qui eos morsu attrahens, in æternam damnationem, & supplicium præcipites iaciet. Leo mortuis parcit; vrsus verò cadauera, in quæ incidit, dilacerat. Diuinus Iudex, qui peccatoribus spiritualiter mortuis tamquàm leo ante pepercerat; extremi iudicij

In Amos 5.

Apoc. cap 5.

die, tamquàm vrsus peccatoribus veluti cadaueribus gratiæ vita carentibus non parcet.

59. Genes. 4. Caïn, vt reproborum typus à diuino conspectu electus est: *Ecce*, inquit, *eycis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra.* Sed quod Caïno supplicium fuit, damnatis refrigerium foret; non enim vagi, & profugi in terra; sed vincti, & fixi in inferis erunt: *Impios quasi mare feruens*, esse dixit Isaias. Si verò quis huiusmodi mare terminis clauserit Iob sciscitetur: *Quis conclusit ostijs mare?* Respondetur reprobos desperatæ mentis fluctibus æstuantes à diuina iustitia in inferis inter duos terminos concludi; ita vt transire tantùm detur *ab aquis niuium ad calorem nimium*, iuxtà Iobi testimonium cap. 24.

Cap. 57.

Cap. 38.

Damnatorum pœna duplex, damni, & sensus.

60. Diuini Iudicis verbis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, duplex reproborum pœna, damni scilicet, & sensus significatur; damni quidem pœna, quòd diuino conspectu priuentur: *Discedite à me maledicti*; sensus verò pœna, quòd *in ignem æternum* detrudantur. Ad sensus pœnam explicandam dicitur de damnatis Psalm. 57. *Supercecidit ignis*: ad pœnam verò damni significandam subditur: *Et non viderunt Solem. Ignis*, inquit Gregorius, *super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur; quia illos, quos Gehennæ flamma deuorat, à visione veri luminis cæcat: vt & foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret.*

Gregor. 9. Moral. cap. 98.

Pœna damni acerbior, quàm sensus pœna.

61. Damni pœnam, hoc est beatifica Dei visione priuari acerbiorem esse, quàm sensus penam asserit Chrysostomus, tom. 5. hom. 35 ad populum dicens: *Lacrymare nunc mihi succurrit, & altum suspirare, cogitanti quibus bonis excidimus, qui sumus expulsi beatitudine. Gehenna namque omni peius est hac excidere gloria; & illa sorte priuari peius est innumeris pœnis. Et tamen adhuc præsentibus inhiamus, neque diaboli versutiam cogitamus; qui per exigua magnis spoliat, & lutum præbet, vt aurum rapiat; immò magis, vt auferat cœlum.* Idem docet Chrysostomus parænesi 1. ad Theodorum lapsum. Cum Isaias cap. 38. Ezechiæ regi dixisset: *Morieris tu, & non viues*; rex acerbissimo cordis dolore ingemuit dicens: *Non videbo Dominum Deum in terra viuentium*; hoc est iuxtà Lyranum: vlterius non videbo Domini templum, vbi Deum meum peculiariter ibi præsentem venerari poteram, eiusque piè orando suauissimo frui alloquio. Quare ex Chaldæo legitur: *Non apparebo amplius coram arca Domini.* Si tam acerbum supplicium existimauit Ezechias templi, & arcæ conspectu priuari; quale supplicium erit claræ, & beatificæ Dei visionis æterna priuatio?

62. *In ignem æternum.* His verbis, vt dixi, sensûs pœna significatur. Quare de Gehennæ fornace loquens Isaias 30. 33. ait: *Nutrimenta eius ignis & ligna multa: Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Vbi duæ difficultates occurrunt. Prima est, quod simul cum lignis multis, ignis etiam Gehennæ nutrimentum dicatur; & tamen ignis nutriri potius à lignis, quàm cum ijs simul nutrimentum esse videatur. Sed dicendum est hoc in loco Isaiam; cuius locutio elegans esse solet, figuram Endiadym vsurpasse, quæ figura vnum in duo substantiua diuidit: sicut, cum Poëta dixit, *Pateris libamus, & auro*, id est aureis pateris. Similiter ab Isaia Gehennæ nutrimentum dicitur ignis, & ligna, id est ignita ligna; quibus æternum incendium nutritur. Secunda difficultas est, quid nomine lignorum intelligen-

Endiadys figura apud Isaiam.

Æneidos 1.

Sulphur, & ligna infernalia in inferno ignitæ non consumuntur.

A dum sit. Ex Hieronymo habetur id metaphoricè esse dictum; ita vt lignorum nomine alia quædam materia combustibilis intelligatur. Talem autem inferni incendij materiam ex pluribus scripturæ locis constat esse sulphur. Apoc. 19. 20. de Antichristo, eiusque præcursore Propheticè dicitur: *Missi sunt in stagnum ignis.* Vbi ex Græco legitur: *Missi sunt in stagnum ignis ardentis sulphure.* Ibidem cap. 20. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris; vbi & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur.* Ibidem cap. 21. *Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure.* Dicitur autem vorago stagnum, quia intra eam igne plenam damnati, veluti intra aquas aquatilia, vndique submerguntur. *Terribiliter locus supplicij stagnum ignis, & sulphuris esse* B *perhibetur; stagnum scilicet, quia demergit; ignis autem, quia exurit, & continuis fœtoribus replet*, ait Ansbertus. Quæri hîc potest, an in infinitum sulphur producendum sit, vt voraci æterno igni semper noua materia ministretur? Respondet Tostatus in Matth. 25. Sulphur non absumi igne, ita vt nouum in consumpti locum suffici debeat; sed diuina potentia idem ignitum semper conseruari; sicut ipsa damnatorum corpora ita vruntur, vt non consumantur. Ad diuinam hanc vim, eamdem ignitam materiam semper conseruantem, significandam ab eodem Isaia dicitur: *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Vbi diuinum imperium, & efficacia dicitur flatus Domini: sicut de Antichristo Apost. 2. ad Thessal. 2. C dixit: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*; hoc est suo imperio, & efficacitate iuxtà Chrysostomum, & Theophylactum. Diuina ergo vis, & imperium perinde Gehennam succendet, ac si torrens ardentis sulphuris in eam semper influeret.

Infernus cur stagnum dicatur.

Flatus, & spiritus Domini diuinum imperium significat.

63. Porrò notabile est, quod de allatis diuini Iudicis verbis Beda affirmat, & indicat etiam Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 15. scilicet, quamuis reprobi omnes ad infernos cruciatus sint detrudendi; nihilominus eiectionis verba illa: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, in Christianos directè à diuino Iudice esse proferen- D da: vt ij, qui maiora à Deo beneficia acceperint, ad maius opprobrium peculiariter ejici, & maledicti appellari coram creaturarum vniuersitate videantur. Propterea Isaiæ 26. de peccatore, qui intra Ecclesiam, fideliumque cœtum vixit, dicitur: *In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini:* meritò enim ad inferos detrusus beatifica Dei visione priuabitur, eo quòd in terra sanctorum, nempe in Ecclesia tot auxilijs adiutus, scilicet sanctissimæ legis, & fidei lumine, sacramentis, frequentibus internis inspirationibus, sacris concionibus, sanctorum denique plurium virorum exemplis; hæc omnia contemnens, iniqua gessit.

Hom. in Nat. S. Bened.

Christianis reprobis præcipuè, & directè cælestis Iudex dicet: *Discedite, &c.*

E *Qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*

64. Ignem æternum diabolo, non ipsis præscitis hominibus paratum esse dixit, ad diuinam benignitatem erga homines explicandam: hominibus enim Deus nisi ipsi se propria culpa damnassent, cœleste regnum à mundi constitutione parauerat. *Diabolo*, ait S. Ephrem, *ac Angelis eius, non nobis tormenta apposuit Deus: sed propter nostram improbitatem, atque malitiam supplicio intolerabilium mulctamur tormentorum. Et quæcumque callido, atque versuto draconi intentata sunt minæ, eas nostra sponte sustinemus. Discedite*

Ephrem. serm. de pœnitentia, & patientia.

*enim, inquit, in ignem æternum, paratum improbissimo Draconi, & Angelis eius. Non ait, & hominibus.*

*Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non cooperuistis me; infirmus, & in carcere, & non visitastis me.*

65. Addit hic Dominus causam, cur præcipuè reprobos à suo conspectu maledictione reijciat; quod scilicet erga egenos benefici, & misericordes non fuerint. Quod antea Spiritus sanctus Salomonis ore Prou. 28. 27. indicauerat dicens: *Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Ideo immisericordem erga pauperes Cyprianus serm. de eleemosyna sic arguit: *Metuis ne patrimonium tuum fortè deficiat, si operari ex eo largiter cœperis: & nescis miser, quia dum times, ne res familiaris fortè deficiat, vita ipsa, & salus deficit: & dum ne quid de rebus tuis minuatur, attendis; non respicis, quòd ipse minuaris, amator magis Mammonæ, quàm animæ tuæ: vt dum times; ne pro te patrimonium tuum perdas, ipse pro patrimonio tuo pereas.* Citato Prou. loco legit Chaldæus: *Qui prohibet oculum suum à paupere, multæ erunt maledictiones eius.* Quæ erunt istæ maledictiones multæ? Primò quod auari esurientem non pauerint, erunt æterni ignis pabulum; & vt dicitur Isaiæ cap. 51. & cap. 56. *Comedet eos vermis. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* De quo vermium pœna dicetur infra. Secundò quòd potum sitientibus negauerint, rabida siti cruciabuntur. Ideo damnatus epulo Abrahamum rogabat Lucæ 16. *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Tertiò, quòd nudum auarus non operuerit, ei Isaiæ 14. dicitur: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Quartò, quòd egenum peregrinum hospitio non receperint, auaris intra æternum incendium sepultis, erunt inferna *sepulchra domus illorum in æternum.* Quintò, quòd infirmum, & vinctum non visitauerint, ipsi *ligatis manibus, & pedibus mittentur in tenebras exteriores;* ibique pestiferæ febris lue perpetuò æstuabunt. Sed cum diuinus Iudex omissionem bonorum misericordiæ operum hîc peccatoribus exprobret, benè monet August. tom. 9. tract. 7. cap. 10. de vita Christiana: *Ex hoc quisque prudens, & sapiens recognoscat, quam spem illi habere possunt, qui versantur in malis, quando etiam illis vita negatur, qui mali nihil fecerunt, nisi quia non aliquid gessere boni.* Similiter Rabanus Episcopus Moguntinus ait: *Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? Et si iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam; quale iudicium erit ei, qui fecit rapinam? Aut quid recipiet, qui aliena tulit, si semper ardebit, qui sua non dedit?*

Misericordiæ opera non exercentibus totidem pœnæ in inferioris respondebunt.

Psalm. 48.

Matth. 22. 13.

66. Præterea si eos, qui corporali cibo egenos non pauerint, in ignem æternum diuinus Iudex expellet; quantò magis eos damnabit, qui ad proximorum salutem procurandam vocati, indigentibus spiritualis cibi alimenta non ministrauerint? De quibus Ierem. Thren. 4. conqueritur: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Vbi panis nomine sacræ scripturæ sententias, adeoque diuinæ legis mandata Gregorius intelligit. Huiusmodi...

Panem indigenti negans, damnatur: multò magis spiritualem diuini Verbi panem indigentibus subtrahens damnabitur. Gregor. 1. Moral. cap. 24.

A ministrandus; non autem profana eruditio, nec inutilis ad inanem ornatum verborum congeries: quæ solidum animæ cibum non continent, sed veluti paleæ sunt. Ideo Ierem 23. Dominus ait: *Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè. Quid paleis ad triticum?* Sed de hoc fusius dicetur fer. 3. post Dominicam 2. in illa Domini de Pharisæis verba: *Dicunt, & non faciunt.*

67. Porrò non solùm ea, quæ hic Dominus contra misericordiam egenis debitam peccata commemorat, sed alia peccata omnia manifesta omnibus erunt in extremo Iudicio, iuxtà Apost. 1. ad Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum; & manifestabit consilia cordium. Diuina vi,* ait Augustinus, *fiet, vt cuique opera sua bona, vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur; vt accuset, vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul & omnes, & singuli iudicentur.* De hoc S. Thom. in 4. dist. 43. art. vltimo ait: *Oportet, quòd omnium operum suorum quisque notitiam habeat; vnde conscientiæ singulorum erunt quasi quidam libri continentes res gestas. Isti sunt libri, de quibus Apoc. 20. dicitur: Libri aperti sunt; & alius liber apertus est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum.* Alius liber vitæ apertus iuxtà Bedam, liber est in mente diuina, in quo prædestinati ad æternam vitam conscripti sunt. Quare addit ibi Ioannes: *Qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Præterea ibidem S. Thomas ait: *Oportet ad hoc, quòd iusta sententia appareat, quod omnibus sententiam cognoscentibus, merita innotescant. Vnde sicut cuilibet nota erit sua præmiatio, vel sua damnatio; ita & omnibus alijs innotescet: & sicut quilibet sua merita, vel demerita reducet ad memoriam; ita & aliena eius cognitioni subiaceat oportet. Poterunt autem cuncta in conscientijs videri diuina virtute ad hoc operante.* Idem docet Opusc. 2. cap. 244. *Fiet virtute diuina, vt statim vnicuique occurrant bona, vel mala omnia quæcumque fecit, pro quibus est præmiandus, vel puniendus; & non solùm vnicuique de seipso, sed etiam vnicuique de alijs.* S. Basilius lib. de vera Virginitate: *Quæ prius corpore, quasi veste contecti minimè habere putabamur, ea nudata se omnium oculis ingerent; nullusque iam vel negationi, vel defensioni erit locus; quando ipsa cernentur opera in suo auctore conspicua. Non enim confusè, sed singula per partes, vt sese habeant, velut in pictura noscentur.* S. Ephrem. lib. de vera pœnitentia cap. 4. *Vnusquisque cernet ante faciem suam exposita opera sua, siue bona illa, siue mala præmisit. Formidabiles libri aperiantur, in quibus scripta sunt opera nostra, & actus, & verba, & quæcumque egimus in hac vita: nec solùm actus, sed & cogitationes, & intentiones cordis.* S. Chrysost. hom. 5. in epist. ad Rom. *Quid tunc nobis miseris fiet, cum omnia orbi vniuerso palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum partim nobis cognitorum, partim incognitorum oculis subijcientur.* S. Ambros. in Apologia Dauidis: *Væ mihi, quia latere cupio, & latere non possum. Quomodo enim latebo, quæ inscripta in pectore meo gero meorum indicia peccatorum?* August. in Psalm. 44. 21. *Ordinabuntur ante infelicem animam peccata sua; vt & eam conuincat probatio, & confundat agnitio.* Bernard. in tract. de conuersione ad Clericos cap. 2. *Aperitur conscientiæ liber, reuoluitur misera vitæ series, replicatur, illuminatur ratio,*

Peccata omnia, non solùm contra misericordiæ opera, in extremo Iudicio manifestabuntur.

August. 20. de Ciuit. cap. 14.

*& euoluta memoria velut quibusdam eius oculis exhibetur. Vtraque verò non tam ipsius est animæ, quàm anima ipsa; vt eadem sit, & inspiciens, & inspecta, contra suam statuta faciem; & à violentis quibusdam apparitoribus, immissarum vtique cogitationum, iudicanda assistitur tribunali.* Denique Petrus Damiani lib. 4. epist. 5. de diuino Iudice ait: *Gesta, & verba, & cogitationes diiudicas, & in medium collocat: & cuncta velut in tabulis quibusdam depicta, oculis eorum, qui commiserunt ea, atque omnibus, qui assistere videntur, ostendet.*

S. Thom. supra.

Electis manifestata extremo Iudicio eorum peccata dolorem non afferent.

68. Obijcit sibi S. Thomas: *Causa, quæ facit nos dolere de peccatis, quæ ad memoriam reuocamus, est charitas: cum ergo in sanctis resurgentibus sit perfecta charitas, maximè à peccatis dolebunt, si ea ad memoriam reuocabunt; quod non potest esse, quia fugiet ab eis, & dolor, & gemitus, vt dicitur. Apoc. 21.* Respondet sanctus Thomas ad tertiam primæ quæstionis: *Quamuis charitas sit nunc causa dolendi de peccato; tamen sancti in patria erunt ita perfusi in gaudio, quod dolor in eis locum habere non poterit; & ideo de peccatis non dolebunt; sed potius gaudebunt de diuina misericordia, qua eis sunt peccata relaxata: sicut etiam nunc Angeli gaudent de iustitia diuina, qua fit, vt deserti à gratia in peccata ruant illi, quos custodiunt; quorum tamen saluti solicitè inuigilant*

Electis eorum peccata reuelata, erubescentiam non afferent.

Damascenus de fide Orthodox. cap. 15.

69. Præter dolorem, difficultas esse posset in electis ex erubescentia, quæ proueniret ex eorum peccatis die iudicij manifestatis. Cui respondet S. Thom. ad tertiam secundæ quæst. *Quod peccata sanctorum reuelantur, non poterit eis esse ad erubescentiam, vel verecundiam; sicut nec Magdalena est in confusionem; quòd peccata sua in Ecclesia publicè recitantur; quia verecundia est timor ingloriationis, vt dicit Damascenus, qui in Beatis esse non poterit. Sed talis publicatio erit ad magnam gloriam propter pœnitentiam, quam fecerunt.* Idem docet sanctus Anselmus lib. de similitudinibus cap. 60.

Præscitorum demerita singillatim; electorum generaliter tantùm extremo Iudicio innotescent.

70. Vltima quæstione in supra citata distinctione 43. ait S. Thomas: *Quidam dicunt, quòd omnia merita, vel demerita simul aliquis videbit sua, & aliena in instanti. Alij dicunt, quod mali simul omnia videbunt in genere sua peccata; non autem videbunt simul omnia, descendendo ad singularia. Vnde potest eligi media via.* Hanc inter vtramque sententiam mediam viam admittere videtur. S. Thomas, ponendo in Beatis videntibus omnia in Deo, cognitionem instantaneam: in alijs verò cognitionem successiuam, breuissimo tamen tempore faciendam, diuina virtute ad hoc adiuuante. Præter hoc discrimen media via valde probabilis videtur; si dicamus præscitorum demerita singillatim, Electorum verò tantùm in genere esse manifestanda; ex qua generali manifestatione erubescentia nulla proueniet; cum peccata omnia eximiè electos correxisse cognoscatur. Neque huic culparum in genere manifestationi obstat Diuus Augustinus à S. Thoma ibi allatus dicens: *Omnia mentis intuitu enumerabuntur.* Ex quo S. Thomas infert: *Quod in genere cognoscitur, non enumerabitur*: nam citato lib. 20. cap. 14. apud S. Augustinum enumerandi verbum non legitur, cùm dicat: *Vi diuina fiet, vt cuique opera sua vel bona, vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur.* Vbi etiam notandum S. Augustinum de intuitu circa propria, non circa aliena peccata esse locutum.

Augustinus lib. 20. de Ciuitate cap. 14.

71. Obijcit sibi ibidem S. Thomas Sanctum Chrysostomum dicentem: *Nunc si recorderis pec-*

A *catorum tuorum, & frequenter ea in conspectu Dei pronuncies, & pro eis depreceris, citiùs illa delebis: si vero obliuisceris*, scilicet culpabiliter *tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur in conspectu omnium amicorum, & inimicorum, sanctorumque Angelorum.* Ergo illa peccata de quibus homo confessus est, non publicabuntur aliis.

Peccata si extremo Iudicio innotescent deleta dicuntur idem num. 56.

72. Respondet ibidem S. Thomas: *Dicuntur peccata esse deleta, quia Deus non videt ea ad puniendum.* Manifestanda tamen esse dicimus iuxta mediam viam supra allatam secundùm generalem, non particularem enim notitiam. Quoad particularem enim notitiam cum Magistro Sen-
B tentiarum in 4. dist. 43. quæst. prima dico: *Non irrationabiliter putari potest peccata hic per pœnitentiam tecta, & deleta, illic etiam tegi aliis, alia verò cunctis propalari.* Cui sententiæ fauet supra citatus Chrysostomus.

Præscitis aliorum peccata manifestè cognoscere neque solatium erit neque inde confusio minuetur

73. Obijcit denique S. Thomas Quarto argumento 2. quæstionis: *solatium est alicui, si scit se habere multos socios in peccato, & minus inde verecundatur. Si ergo quilibet peccatum alterius cognoscat, cuiuslibet peccatoris erubescentia multùm minuetur, quod non competit.* Respondet: *Ex hoc, quod peccator aliorum peccata inspiciet, in nullo sua confusio minuetur. Quod enim ex tali causa confusio minua-*
C *tur, conuenit ex hoc, quod verecundia respicit æstimationem hominum, quæ ex consuetudine redditur leuior: sed tunc confusio respicit æstimationem Dei, quæ est secundùm veritatem de quolibet peccato, siue sit vnius tantùm, siue multorum.*

Præsciti manifestatis aliorum peccatis, ex quinque capitibus pœnam maiorem sentient.

74. Adde præterea, quod cùm reprobi ob commissas culpas omnibus manifestas valde abominabiles videndi sint, singuli in tali hominum abominabilium consortio numerari maximè dolebunt. Secundò complices, & qui alius in scandalum fuerint, cognitis eorum peccatis, confusionem maiorem sentient; eo quòd seipsos, vt aliorum etiam peccatorum causam manifestari videant; & inde maius supplicium subituros agnoscant. Ideo Lucæ 16. epulo Abrahamum
D rogabat, vt fratres sui inferni pœnas euaderent: scilicet, ne si fratres damnarentur, sibi maiores cruciatus accrescerent; eo quòd illos suo exemplo in damnationis locum deduxisset, vt Beda, & alij asserunt. Tertiò manifestatis omnium peccatis, si reprobi præ aliis in plures, & maiores culpas incurrisse se nossent; hinc confusione maiori cruciabuntur: sin verò pauciores, & minores; hinc etiam torquebuntur magis, quòd ob minora, aut pauciora peccata æternæ damnationis pœnas subire cogantur. Quartò manifestata infidelium peccata confusionem maiorem afferent fidelibus, & Christianis reprobis; eo quòd hi in eadem peccata inciderint, vel etiam maiora; quamuis fidei lumen, sacramenta, aliaque Eccle-
E siæ sanctæ auxilia habuerint. Contra verò infideles cognitis fidelium peccatis, rabida, sed inrusta in Dei indignatione cruciabantur, existimantes se talia peccata commissuros non fuisse, si fidelium auxilia habuissent. Quæ tamen habuissent, si rectæ rationis lumine vsi fuissent. Quintò denique cognitis Electorum peccatis reprobi acerrimis inuidiæ stimulis cruciabuntur Electis inuidentes, quod à peccatorum reatu se liberauerint, *Vt non solùm de suo supplicio, sed etiam de eorum bono crucientur*, vt ait Gregor. hom. 40. in Euang. Quare, vt Sap. 5. dicitur, de electis reprobi dicent: *Præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*

*insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.*

75. Ex aliorum ergo peccatorum notitia in reprobis mœror, & confusio non imminuetur; ex propriarum autem culparum, & scelerum manifestatione, quantùm augenda confusio sit, peccator quisque recogitet. Quare ne suis in sceleribus peccatores dicant cum iniquis illis senioribus Danielis 13. *Ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos diuidet:* neque cum eo, qui Ecclesiastici 23. 26. ait: *Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus:* neque cum ijs dicat, de quibus Isaias 29. 15. ait: *Quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos? & quis nouit nos?* His enim benè respondet Bernardus serm. ad Clericos cap. 16. *Esto, nemo te videat, non tamen nullus? Videt te Angelus malus; videt te Angelus bonus, videt te & bonis, & malis Angelis maior Deus: videt accusator; videt testium multitudo; videt & ipse Iudex, cuius te oportet assistere tribunali.* Qui profectò Iudex coram Angelis omnibus, & vniuerso humano genere reuelabit abscondita tenebrarum. *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ; tot agminibus Angelorum patebunt vniuersa scelera mea, non solùm actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum,* ait Augustinus lib. 4. Meditat. Tunc occultæ infames, fœdissimæque lasciuiæ; tunc sceleratæ proditorum machinæ; tunc iniquissimæ calumniæ; tunc occulta rapacium furta; tunc iniusta ex subornatione iudicia; tunc denique cum intolerabili confusione reprobotum peccata omnia licet occultissima, manifestissimè omnibus patebunt.

Reproborum confusio magna ex peccatorum manifestatione.

76. Si quæratur, cur Matth. 24. 30. Dominus se in nubibus Iudicij die venturum dixerit? *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli:* causæ plures à sacris interpretibus redduntur: quibus ea potissimum addi potest: quia impij peccatores apud Iob 22. 13. dicunt; vel certè ita se gerunt, ac si dicerent: *Quid nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius; nec nostra considerat.* An nubes sint diuini Iudicis latibulum; an humana consideret vt ostendat; in lucidissimis nubibus ad impiorum scelera omnia manifestanda, damnanda, & punienda aducniet.

Iudex cælestis cur in nubibus cæli venturus dicatur.

77. Sed cum peccata omnia sint manifestanda; quæritur cur tantùm Diuinus Iudex peccata contra corporalia misericordiæ opera commemoraturus esse dicatur. Cui benè responderi potest ex ijs, quæ supra diximus de iisdem operibus peculiariter etiam in electorum sententia commemoratis. Significare enim vult Christus Dominus suam erga homines charitatem: cum potius de beneficentia exhibita, vel non exhibita erga homines; quàm de veneratione erga diuinum cultum, & obsequium extremi Iudicij die, se inquisiturum dicat. Quare erga pauperes misericordiam ipsi templorum cultui, qui immediatè ad Deum spectat, præferri Deum velle docet Chrysostomus hom. 5. in Matth. dicens: *Vis corpus Christi honorare? non despicias ipsum nudum; neque in Ecclesia sericis pannis induas, foris autem frigore, ac nuditate confici ne eligas. Qui enim dixit: Hoc est corpus meum; idem dixit: Esurientem me vidistis, & non cibastis: & inquantum non fecistis vni eorum minimorum, nec mihi fecistis. Hoc corpus Christi non eget: illud* ...

Misericordiæ opera egenis negata cur ex pers è diuinus Iudex tantùm commemoraturus dicitur: idem num. 81.

Misericordia erga pauperes templorum ornatui præferenda.

A *eget. Vtique ad hoc non est opus vasis aureis, sed aureis animis. Hoc dico, non quia vitare velim talium vasorum oblationem; sed quia dignum puto ante omnia misericordiæ, & benignitati esse incumbendum. Responde mihi, quæ vtilitas est, si cum mensa Christi multis calicibus aureis ornatur, ipsemet inedia pereat? Prius igitur ipsum esurientem satura; deinde ex quadem etiam superabundantia mensam eius ornabis. Calicem aureum facis; & aquæ frigidæ calicem ei non præbes: & quod inde emolumentum consequetur? Operimenta mensæ auro nitent, & ipsi necessaria velamina negas. Quid igitur ipsi præbes? Dic, oro, si quem fame pereuntem videres, nec cibo soluere ipsius famem curares;*
B *sed multo auro, argentoque mensam illius exornares, quas putas illum gratias sibi habiturum? An non potius indignaturum? Quod si vestibus detritis, & pertusis vestitum, & frigore congelatum hominem aspiceres, nec vestem illi præparares; nihilominus aureas statuas in honorem illius erigeres; nonne contemnere, atque irridere ipsum videreris? Ita te oportet in Christo etiam cogitare. Cum errabundus, & peregrinus circumagetur tecto indigens; tunc te ipsum quidem non excipis: & tamen vermiculato emblemate pauimenta exornas; magnificos muros construis, columnarum capita erigis; lychnos ab argenteis catenis dependere facis. Hæc vero prohibeo magnifica templa condere: sed hæc ante illa facere moneo.*
C *Cum ergo sacras ædes exornas, noli fratrem afflictum despicere: hoc enim templum est illo præstantius. Nam illud infideles Reges, & tyranni exhaurire possunt. Quidquid autem benigne in fratrem feceris, nec diabolus ipse eripere poterit: sed manet in thesauris æternis reconditum.*

Pauper Dei templum materiali templo præstantius.

78. Quod si erga pauperes misericordiam sacrorum templorum otnatui præferendam esse Chrysostomus docet; quid dicendum de ijs, qui contemptâ pauperum indigentiâ, in suarum ædium magnificentiam largis opibus incumbunt? Hos benè arguit Ambrosius lib. de Nabuth. dicens: *Parietes vestitis auro, homines nudatis; Clamat ante domum tuam nudus, & negligis; & sollicitus es, quibus marmoribus pauimenta vestias. Pecuniam pauper quærit, & non habet: panem postulat homo,*
D *& equus tuus aurum sub dentibus mandit.* Contra hos Habacuc benè ait: *Lapis de pariete clamabit; & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit:* seù iuxtà Symmachum: *Et iunctura ædificij lignea loquetur.* Quid clamabit expolitus lapis? Quid aurata magnificæ domus ligna loquentur? *Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.* Hoc est iuxtà Albertum, Hugonem, & Vatablum: Væ diuiti, qui non solùm pauperum inopiam non subleuat, sed eos opprimendo, magnifica vrbis ædificia construit in sanguinibus; cum pauperes vsque ad sanguinis, & spiritus effusionem laborare cogat. Iudicij finalis die contra huiusmodi impietatem ipsi lapides, & domorum ligna testimo-
E nium proferent. Aduersus huiusmodi immisericordes, & iniquos diuites dicitur Amos 5. *Domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis.* Sed terrena ædificia amittere parum esset, nisi ad sempiternum supplicium pro magnificis domibus auaris diuitibus diaboli habitaculum præpararetur: propterea, vt corrigantur, eis dicitur Isaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

Diuites auari erga pauperes ... suis in ædibus exornandis.

Habacuc cap. 2.

79. Præter diuitum domorum lapides, ex aliis etiam mysticis lapidibus contra opulentos auaros feretur. *Potens est Deus de*

*lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, S. Præcursor Ioannes dixit Matth. 3. vbi Hieronymus ait: *Lapides ethnicos vocat propter cordis duritiam.* Inter ethnicos fidei luminis expertes fuerunt, qui in egenos se liberales præstiterunt; adeoque qui fideles auaros immisericordes erga pauperes accusare poterunt. De Gillia ait Valerius Max. lib. 4. cap. 8. *Erat opibus excellens; sed multò magis animo, quàm diuitiis locupletior; semperque in erogandа potius, quàm in contrahenda pecunia occupatus, adeo vt domus eius, quasi quadam munificentiæ officina crederetur. Alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum in cursu quassatio erogabantur. Hospites quoque benignissimè excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam tempore quingentos simul Gelensium equites, vi tempestatis in possessiones suas compulsos aluit, ac vestiuit. Quid multa? Non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum diceres esse sinum. Quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat.* Ethnici huius erga egenos liberalitatis exempla fidelis quisque ante oculos habeat, ne in extremo iudicio ethnicorum exemplo sit confundendus. Et, ne charitas erga pauperes refrigescat, sibi sæpius dicat: *Quis poterit habitare cum igne deuorante? Quis habitabit cum ardoribus sempiternis?*

Ethnicorum in pauperes liberalitas Christianis confusionem afferet.

Isaiæ 33.

80. De auaro dicitur Psalm. 48. *Introibit vsque in progenies patrum suorum:* hoc est, ad ea tormentorum loca ingredietur, vbi suos patres reperiet. Sed quoniam auarus liberales, & misericordes parentes habere potuit; patres auarorum immundi spiritus sunt intelligendi; iuxta Domini verba peccatoribus dicta Ioan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo estis.* Subditur citat. Psalm. de auaro diuite: *Vsque in æternum non videbit lumen*; lumen scilicet beatificum diuinæ visionis. Cur enim Deum videat, qui contra Dei mandatum Ecclesiastici 4. *Ab inope oculos suos auertit.*

Auarorum pater diabolus.

81. Præterea corporalia misericordiæ opera extremo iudicio præcipuè commemoranda dicuntur; quia vt dicitur Psalm. 9. Peccator non solum pauperis, & indigentis non miseretur: sed eum iniustè vexat, quasi Deus finali iudicio huiusmodi iniquitates non esset vlturus: *Insidiatur, vt rapiat pauperem: dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus; auertit faciem suam, ne videat in finem. Auferuntur iudicia tua à facie eius. Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliuiscaris pauperum. Conuertantur,* hoc est simul detrudantur, *peccatores in infernum; omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum: quoniam non in finem obliuio erit pauperis.* Ideo Psalm. 11. à diuino Iudice dicitur: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam. Nunc exurgam in iudicium*, legit Chaldæus. De obligatione subueniendi pauperibus benè disserit S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 5. & 6. & Caietanus in opusculis.

82. Præter exprobrationem istam, quam diuinus Iudex in reprobos hic prolaturus dicitur: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, &c. affert aliam sanctus Augustinus serm. 67. de tempore: *Ego te, ô homo, de limo manibus meis feci; ego terrenis artubus infudi spiritum; ego tibi meam imaginem conferre dignatus sum: tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi, quàm Deum maluisti. Cum expulsus de Paradiso mortis vinculis propter peccatum tenereris, carnem assumpsi, in præsepio expositus, & pannis inuolutus iacui; infantiæ contumelias, humanosque dolores pertuli; irridentium palmas, & sputa suscepi; flagellis cæsus, vepribus*

Iudicis cælestis erga præscitos exprobratio.

A *coronatus, cruci affixus expiraui. Et clauorum vestigia, quibus affixus pependi, & perfossum vulneribus latus; cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur ingratè redemptionis tuæ munera renuisti? Cur habitaculum, quod mihi in te sacraueram, luxuriæ sordibus polluisti? Cur me grauiore criminum tuorum cruce, quàm illa, in qua quondam pependeram, afflixisti? Grauior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua inuitus pendeo, quàm illa, in quam tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Et quia post omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari; despexisti enim in iudice veniam.*

83. Præter diuini Iudicis exprobrationem, erit diaboli in peccatorem Christianum accusatio

B his verbis relata ab Augustino: *Æquissime Iudex, iudica: iustitia, & iudicium præparatio sedis tuæ: iudica meum esse, qui tuus esse noluit, meus est, mecum damnandus est. Post renunciationem, vt quid inuasit pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renunciauerat? Quid intemperantia, quid auaritia, quid ira, quid superbia, quid cætera mala? Postremò æquissimè fugientem a me, confugientem ad te, postea cum meis, quibus renunciauerat, apprehendi, inuasorem detinui. In ipsa quodammodo possessione à me apprehensus est. Quid enim in circo faciebat, atque ibi furias, lites, insanas voces, inanesque victorias, cum iam à se alienus sibimet videbatur, videbas? Quid in theatro fa-*

C *ciebat renunciator turpium voluptatum? Quid in amphitheatro crudelitates sanas oculis intuendo? Thesaurizauit sibi iram in die iræ. Hæc omnia mea post renunciationem inuasit; meus esse voluit, & mea concupiuit. Iudica, iudica æquissime, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se posmodum voluit obligare. Poterit-ne os aperire is, qui post professionem suam talis inuenitur, vt iustè diabolo addicatur?*

Psalm 81.

August. tom. 6. orat. contra Iudæos, Paganos, & Arianos.

Diaboli apud cælestem Iudicem in Christianos accusatio.

Ad Rom. 2. 5.

84. Præter diabolum, ipsa reproborum scelera, omnesque creaturæ eos accusabunt. Ideo Hugo Cardinalis cum S. Bernardo ait: *Angustæ erunt viæ, vndique reprobis. Superius erit Iudex iratus;*

D *subtus horrendum chaos. A dextris erunt peccata accusantia; à sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia: intus vrens conscientia, foris mundus ardens. Miser peccator deprehensus, quò effugies? latere erit impossibile; apparere intolerabile. Si quæris, quis te accusabit? Dico, quòd totus mundus; quia offenso Creatore, omnis creatura odio habet offendentem.* Ideo Sap. 5. de diuino Iudice dicitur: *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Redditque rationem Gregorius hom. 35. in Euang. *Omnia namque, quæ ad vsum vitæ accepimus, ad vsum conuertimus culpæ: sed cuncta, quæ ad vsum prauitatis inflex imus, ad vsum nobis vertuntur vltionis. Tranquillitatem quippe humanæ pacis ad*

E *vsum vertimus humanæ securitatis: peregrinationem terræ pro habitatione dileximus patriæ: salutem corporum redegimus in vsum vitiorum: vbertatis abundantiam non ad necessitatem carnis, sed ad peruersitatem intorsimus voluptatis: ipsa serena blandimenta aeris ad amorem nobis seruire coëgimus terrenæ delectationis. Iure ergo restat, vt simul nos omnia feriant, quæ simul omnia vitiis nostris malè subacta seruiebant: vt quot prius in mundo incolumes habuimus gaudia, tot de ipso postmodum cogamur sentire tormenta.* Similiter S. Anselmus: *Si seruus alicuius à Domino suo recederet, & inimico Domini sui adhæreret: non solum ipsum Dominum exacerbaret, sed totam eius familiam iustissimè irritaret. Cum igitur Dominum Creatorem cunctorum offenderimus*

Bernardus tract. de interiori domo cap. 15.

Creaturarum omnium in præscitos accusatio.

Anselm. lib. de similitud. cap. 101.

*aduersum nos omnem creaturam, quantum spectat ad meritum nostrum ad iram commouimus. Potest ergo iusta consideratione nobis terra dicere: Non debeo vos sustinere, sed potius absorbere; quoniam à Creatore meo non timuistis peccando recedere; & inimico eius diabolo seruire, & adhærere. Potest etiam cibus, dicere, & potus: Non meruistis, vt vos pascere debeamus; immo potius vt confusionem, & necem vobis præparemus: ab illo enim peccando recessistis, per quem nec ales esurit. Sol quoque: Vobis ad salutem non debeo lucere; sed ad vindictam Domini mei, qui est lux lucis, & fons luminis, penitus coërcere. Sic & singulæ creaturæ contra nos possunt surgere.* Chrysost. in cap. 24. & 25. Matth. *In illo die nihil est, quod respondeamus; vbi cœlum, terra, aër, aqua, & totus mundus stabit aduersum nos in testimonium peccatorum nostrorum: & si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros, nos ante Deum accusantia.*

S. Bern. supra.

Præscitis nullum patebit effugium.

85. Cum ergo omnis creatura ad vltionem contra reprobos armanda sit; benè ait S. Bernardus: *Miser peccator, quò effugies? Latere erit impossibile, apparere intolerabile.* Ierosolymæ excidium per Romanos sub Tito Imperatore eas calamitates attulit, vt Iudæi, teste Iosepho, in Cryptas, & cloacas se abdiderint. Quare huiusmodi calamitates perfidis Iudæis prædicens Dominus, cum crucem baiulans ad mortem duceretur, dixit: *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos: & collibus: Operite nos.* Vbi Rupertus quærit: *Cur non ait: Dicent; sed, dicere incipient? Videlicet, quia non illic finis, sed initium dolorum extitit, quando ciciderunt in ore gladij. Tempus aliud erit; veniet dies alius, dies iudicij, quo maiori cum angustia dicent montibus: Cadite super nos; & collibus: Operite nos.* Hinc Sanctus Bernardus ait: *Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Quis det illis semel mori, vt non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus: Cadite super nos; & collibus: Operite nos; quid nisi mortem mortis beneficio, aut finire, aut euadere volunt? Denique inuocabunt mortem, & non veniet.* Dicitur enim à Ioanne Apoc. 9. *In diebus illis, quærent homines mortem; & non inuenient eam; & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.*

Lucæ 23. 30.

Rupert. in Oseam cap. 10.

S. Bern. lib. 5. de considerat. cap. 12.

86. S. Iob nullius sibi culpæ conscius verè dicere potuit: *Non peccaui:* cumque tot calamitatibus, & ærumnis opprimeretur, diuino testimonio de eo dictum est: *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.* Idem Iob futuræ resurrectionis spe se suis in calamitatibus vehementer solabatur dicens: *In nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea; & in carne mea videbo Deum meum.* Nihilominus resurrectionem, quæ tantum ei afferebat solamen, differre cupiebat; ne irati Iudicis indignationem præsens aspiceret. Ideo iuxta Titelmannum Deo dicebat: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno, hoc est in sepulchro, & in limbo protegas me, donec pertranseat furor tuus.* Iustè ergo S. Petrus de extremi iudicij tempore ait: *Si iustus vix saluabitur; impius, & peccator vbi parebunt?* hoc est, Vbi apparere poterunt?

Iob 17. 2.

Cap. 1. 22.

Iob quamuis valdè sanctus, diuini Iudicis conspectum reformidabat.

Cap. 19. 25.

Epist. 1. cap. 4.

Crux, & Christi plagæ dolorem maximum præscitis afferent.

87. Præter irati Iudicis vultum, sanctissimæ crucis signum, & eiusdem diuini Iudicis plagæ, quas pro generis humani redemptione subiit, & rediuiuus retinere voluit, confusionem reprobis, dolorem maximum, & [illegible] afferent. Quod ipse Dominus prædixit Matth. 24. *Tunc parebit signum filij hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ; & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate.*

*tores amplius in supplicio puniantur, eorum vident gloriam, quos contempserunt.* E contrario. *Quid mirum si dum iusti iniustorum tormenta conspiciunt, hoc eis veniat in obsequium gaudiorum; quando & in pictura niger color substernitur, vt albus, vel rubeus clarior videatur? Nam tantò bonis sua gaudia excrescunt, quantò eorum oculis damnatorum mala subteriacent, quæ euaserunt.*

*Tunc respondebunt & ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi?*

89. HInc patet, ista verba, quæ etiam electos dixisse supra legimus, potius interna, & mentalia, quàm externa, & vocalia fore. Si enim exterius verba ista proferrent electi, exterius etiam responderet diuinus Iudex: *Quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis:* atque adeo exterius etiam prolatam responsionem reprobi à Diuino Iudice audire non auderent, ne confunderentur. Respondebunt ergo solùm mentaliter reprobi *ad excusandas excusationes in peccatis: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, &c.* quasi dicerent: Quòd misericordiæ opera erga homines omisimus; non hinc, quòd erga Deum dilectionis officia omiserimus, damnari debemus. Ideo contra inanem huiusmodi excusationem benè arguit S. Ioannes 1. epist. cap. 4. 20. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Quia amor, & affectus in sensibilia oculis subiecta naturaliter fertur. Subdit Ioannes: *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum:* hoc est proximum eiusdem naturæ participem. Hinc Augustinus ait: *Si frater est, & eum non diligis; quomodo Deum diligis, cuius mandatum contemnis?*

Psalm. 141.

*Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis: quamdiu non fecistis vni de minoribus, his, nec mihi fecistis.*

90. ABsoluta diuini Iudicis responsione, & sententia, reprobisque interna delictorum conscientia conuictis; ad iustissimam prolatam sententiam irreuocabilis executio consequetur. Ad quod significandum, quoniam vnà cum Christo Domino ad iudicandum assidebunt Apostoli, & Apostolicæ perfectionis imitatores, de iudicibus his dicitur Psalm. 140. *Absorpti sunt iuncti Petræ iudices eorum*, & si quæratur in quid tales iudices absopti sint? Respondet S. Bernardus: *Absorpti in affectum iustitiæ, & Petræ soliditatem, cui iuncti sunt. Iuncti Petræ, quàm profectò solùm vt sequerentur, cætera omnia reliquerunt. Nempe hoc est, quod interroganti Petro quidnam accepturi essent? petra ipsa respondit: Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim tribus Israel. Hoc quoque Propheta prænuncians ait: Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. Tunc putas flexibile quidpiam inueniendum in iudicibus iunctis petræ? Qui adhæret Deo, Apostolus ait, vnus spiritus est: & qui petræ iungitur, lapis vnus.* Æquum profectò est, vt impœnitentes peccatores, qui lapideum cor habuerunt, iudices etiam veluti lapideos, & planè inflexibiles experiantur. Et quoniam, vt ait Apostolus: *Petra erat Christus*; ex qua perennes gratiarum fontes antea promanabant: ex eadem petra in mundi fine contra peccatores nonnisi ardentis indignationis scintillæ prouenient. *Heu, heu, quid tunc dicent miseri; cum se viderint & bona temporalia irrecuperabiliter amisisse, & mala sibi perpetua ineuitabiliter imminere? Quæ tunc illis mens erit; cum viderint tempus acceptabile, & diem salutis penitus effluxisse; & illud tempus adesse, in quo nihil boni facere, nullum perditionis suæ remedium valeant inuenire? Quàm amara eorum erit conscientia? Quam flebilis eorum poterit esse querela?* ait B. Petrus Damiani, lib. 4. epist. 5.

Iudicij æternæ sententiæ irreuocabilis.

Bernard. in Psalm. Qui habitat ser. 8.

Matth. 19.

Isai. 3.

Epist. 1. ad Cor. cap. 6. 17.

Iudices ergo peccatorem cor lapideum habentem, veluti lapidei erunt.

1. ad Cor. 10.

S. Petr. Dam.

*Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*

91. IVxtà hæc Domini verba pronunciauit Ecclesiastes cap. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit.* Quod explicans Salonius Sancti Eucherij filius ait: *Per lignum homo designatur; quoniam vnusquisque est quasi lignum syluæ generis humani: per Austrum, qui est ventus calidus, requies paradisi designatur: per Aquilonem, qui est frigidus, designatur Inferni supplicium.* Similiter Gregor. 12. moral. 4. *Iustus ad Austrum cadit, peccator ad Aquilonem: quia & iustus per feruorem spiritus ad gaudia ducitur; & peccator cum apostata Angelo, qui dixit: Sedebo in monte Testamenti; in lateribus Aquilonis, in frigido suo corpore reprobatur.* Similiter Bernard. serm. 49. inter paruos: *Austri calor, & lenitas in sacra Scriptura bonam solet habere significationem. Ab Aquilone panditur omne malum. Porro homines sicut arbores vidit aliquis. Exciditur autem arbor in morte, & quecumque ceciderit, ibi erit; quia ibi te indicabit Deus, vbi inuenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter, & irretractabiliter. Videat quò casura sit, antequam cadat, quia postquam ceciderit, non adijciet, vt resurgat, sed nec, vt se vertat. Quò verò casura sit arbor, si scire volueris, ramos eius attende. Vnde maior est copia ramorum, & ponderatior, inde casurum ne dubites; si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri desideria nostra sunt; quibus ad Austrum extendimur, si spiritualia fuerint, si carnalia ad Aquilonem.* Amputemus ergo ramos vergentes ad Aquilonem, ne eò trahamur.

Electorum felicitas, reproborum pœna æterna.

Ierem. 1. 14.

Marci 8. 24.

92. *In supplicium æternum.* Post latam à diuino Iudice sententiam de reprobis dicitur Ezech. 32. *Descenderunt ad Inferum cum armis suis. Cum armis ergo ad Infernum descendere, est cum ipsis quoq; membris, quibus desideria voluptatis expleuerunt, æterni incendij tormenta tolerare* ait B. Petr. Dam. l. 8. epist. 8. Quale spectaculum erit cernere tam ingẽtem hominum multitudinem deformibus, tristissimisque vultibus à dæmonibus in æternum suppliciũ rapi? Hæc profectò perpetui supplicij æternitas ad peccata vitanda, ad ante-actam vitam corrigẽdam nobis sẽper ante mẽtis oculos esse deberet: *Nullus sibi blandiatur, & dicat: Deus non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur: Assumens in argumentum erroris, quòd ait Dominus per Prophetam: Cõgregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum, & claudẽtur ibi carcere & post multos dies visitabuntur.* In quem perniciosissimum errorem incidit Origenes asserens damnatos claudẽdos in carcere gehẽnæ; talem tamen carcerem non fore perpetuum; quia cum ibi multos annos fuerint, nempe post centũ annorum spatium, visitabuntur, vt liberentur. Sed cõtra est, quia quamuis visitare interdũ in Scriptura consolandi significatum habeat: citato tamen Isaiæ loco, & alibi, visitare dicitur Deus non ad consolandum, sed ad puniendum, vt Sophoniæ c. 1. *Visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* Quare Hieron explicãs citata Isaiæ verba, ait: *Quod sequitur: & post multos*

Damnatorum supplicium finem non habebit: idem num. 93.

Psalm. 102.

Isaiæ 24.

*dies visitabuntur; videtur applaudere amicis meis, qui diabolo, & dæmonibus dant pœnitentiam, quòd multa post tempora à Domino visitentur. Sed considerent, quòd non apertè dixerit Scriptura diuina: Visitabuntur à Domino, vel visitabuntur ab Angelis; sed absolutè visitabuntur. Ex qua ambiguitate verbi, & remedium potest intelligi, & correptio: quòd postquam iusti præmia receperint, illi in pœnis perpetuis visitentur.* Quod de rebellibus Angelis ait Hieronymus: idem de reprobis hominibus debet intelligi. De quibus Innocentius ait: *Congregabuntur peccatores in lacum, & claudentur in carcere; sed in inferno; in quo sine corporibus vsque in diem Iudicij torquebuntur: & post multos dies, postquam videlicet resurrexerint cum corporibus in nouissimo die visitabuntur, non ad salutem, sed ad vindictam, quia post diem iudicij grauius punientur.* Idem docet S. Thomas 3. p. quæstione 52. art. 6. ad primam. Addit ibi interpretationem aliam S. Thom. *Christo descendente ad Inferos, omnes, qui erant in quacumque parte Inferni, sunt aliqualiter visitati: Sed quidam ad suam consolationem, & liberationem; quidam ad suam confutationem, & confusionem, sicut damnati.* Dicuntur autem reprobi *congregandi in congregatione vnius fascis. Vt qui pares sunt in culpis, damnentur pariter & in pœnis: auari cum auaris; luxuriosi cum luxuriosis*, vt ait Haymo Episcopus Halberstatensis. *Vna pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat*, ait S. Gregorius. Cogitent proditores se cum Iuda ligandos; sanguinarij cum Nerone, cum Herode, alijsque similibus; gulosi cum Heliogabalo, & cum impio Epulone diuite; impudicæ mulieres cum fœtida meretrice Thaide; inuidi cum Caïno; iustorum insectatores cum Saule; contra genitores delinquentes cum Absalone; iniqui Iudices cum Pilato, & sic de singulis. *Messores Angeli zizania ad comburendum in fasciculos ligant; cum pares paribus in tormentis similibus sociant; vt superbi cum superbis, luxuriosi cum luxoriosis, auari cum auaris, fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis, infideles cum infidelibus ardeant*, ait Gregor. 4. Dialog. cap. 35.

> Innocentius supra.
>
> Gregor. 9. Mor. c. 40.

94 Præterea ex verbis illis Psalm. 102. *Miserator, & misericors Dominus; longanimis, & multùm misericors, non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur*; Ne quis æternum reproborum supplicium non fore speret, benè ait Innocentius: *Prædestinatis Deus irascitur temporaliter; qui flagellat omnem filium, quem diligit: de quibus illud accipitur: Non in finem irascetur. Reprobis autem Deus irascitur æternaliter. Nam licet peccandi facultas impium dimittat, ipse tamen non dimittit voluntatem peccandi. Scriptum est enim: Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Non humiliabuntur reprobi iam desperati de venia; sed malignitas odij tantum in illis excrescet; vt velint illum omninò non esse; per quem sciunt se infeliciter esse. Maledicent Altissimo, & blasphemabunt Excelsum, conquerentes eum esse malignum, quod creauit illos ad pœnam, & numquam inclinatur ad veniam. Audi Ioannem in Apoc. 16. dicentem: Grando magna descendit de cœlo in homines; & blasphemauerunt homines Deum propter plagam grandinis; quoniam magna facta est vehementer. Voluntas ergo damnati, licet amiserit potestatis effectum, semper tamen habebit malignitatis affectum: & ipsa erit in inferno supplicium, quæ fuerat in mundo peccatum.*

> Innocentius l. 3. c. 10.
>
> Ad Hebr. 12. 6.
>
> Psal. 102.
>
> Psal. 73. 23.
>
> Damnati Deum blasphemabunt.

94. Quare mortale peccatum supplicium infinitum, adeoque æternum mereatur, aliqui reddunt rationem; quia tale peccatum est iniuria, & offensa Dei infiniti, adeoque malitiam habet infinitam infinito supplicio luendam: sed ex hoc

> Peccato mortali quare æterna pœna respondeat.

96. *Iusti autem in vitam æternam.* Ideò de electis dicitur Sap. 5. *Iusti in perpetuum viuent; & apud Dominum est merces eorum; & cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini.* In Dei altissimi perpetuò Electorum beatifica cogitatio erit defixa: ideò de ijs hic dicitur: *Ibunt iusti in vitam æternam* Hæc *est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* Dominus Ioannis 17. verè dixit. S. Hieronymus ad pauperem iustum sermonem dirigens, de Iudicij die ait: *Tunc ad vocem tubæ pauebit terra cum populis; tu gaudebis. Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt. Adducetur cum suis stultus Plato discipulis: Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus, & pauper exultabis, & dices: Ecce Iudex, qui inuolutus pannis in præsepio vagijt,* &c. *Veniet dies illa, in qua plus valebunt pura corda, quàm astuta verba; conscientia bona, quàm marsupia plena: quoniam Iudex non falletur verbis, nec flectetur donis,* ait S. Bernardus.

S. Hieron. ad Heliodorum ep. 1.

Bernard. in Cantica.

97. Quàm ad salutem, & spiritualem profectum vtile sit futurum extremum iudicium perpetuò ante mentis oculos habere, SS. PP. & verbis, & exemplo docuerunt. Huius sæculi amatores in conuiuijs musicas voces, & symphoniam audire student; contra verò S. Hieronymus ait: *Siue comedo, siue bibo, siue quid aliud facio, semper tuba illa insonat auribus meis: Surgite mortui, venite ad Iudicium.* S. Ambros. lib. Offic. *Nil est, quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm vt credamus eum Iudicem futurum, quem & occulta non fallunt, & indecora offendunt, & honesta delectant.* S. Bernardus epist. vltima: *Talis studeas viuere, qualis affectat in extremo Iudicio inueniri.* S. Cyrillus oratione de animæ exceſſu: *Metuo, cùm cogito illius diei terribile, & inexpugnabile consilium, tribunal horribile, iudicium incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementissimaque flamma torrent, & acutos enses. Metuo seuerissimas pœnas: Metuo supplicium finem non habens: Metuo tetram illam caliginem: metuo profundas tenebras: Metuo infracta vincula, stridorem dentium, fletum inconsolabilem: Metuo ineuitabiles probationes. Nihil enim accusationibus eget Iudex ille, atque testibus, neque demonstrationibus, neque probationibus: sed quæcumque fecimus, diximus, decreuimus, ea in medium affert ob oculos nocentium. Tum nullus est, qui adsit, & pœnis eripiat; non pater, non mater, non filius, non filia, non amicus, non defensor, non pecuniarum largitio, non diuitiarum abundantia, non potentiæ fastus. Quin hæc omnia cineris more in puluerem abeunt; solusque reus ex suis factis absoluentem, aut condemnantem sustinet sententiam. Tunc vbi huius mundi iactantia? vbi inanis gloria? vbi apparatus? vbi Reges? vbi ornatus? vbi pecunia? vbi nobilitas? vbi delectatio? vbi corporis virilitas? vbi falsa illa, & inutilis mulierum pulchritudo? vbi tunc vestimentorum comptus? vbi qui cum tympanis, & cithara vinum potant? vbi theatra? vbi venationes?* S. Petrus Damiani, opusc. 59. de Nouissimis: *Cum hæc peruigili meditatione discutimus, non paruus nostræ mentis profectus acquiritur: quia dum meditatur æterna, liquidò conspicit, quàm despicienda sint temporalia. Dum igitur mens rationalis hæc cogitat, additur etiam, vt semetipsam non cum tempore transituram, sed sine fine victuram esse perpendat. Considerat itaque se huiusmodi esse naturæ, vt necessariò, aut perpetuis potiatur præmijs, aut supplicijs crucietur æternis. Hæc itaque sedula meditatione discutere, sed & diem Iudicij sollicitè præcauere, non paruus est fructus: in quo videlicet die, cui semel benè successerit, vltra non corruet: & cui se res in sinistrum verterit, de cætero non consurget.*

Iudicij extremi perpetua memoria quã tùm prodit.

98. Vtinam apud fideles primitiuæ Ecclesiæ consuetudo in obliuionem non abiisset. Nam ideo nocturnæ vigiliæ, & preces institutæ fuerunt, vt diuini Iudicis aduentum, qui media nocte futurus creditur, fideles sedulò in memoriam reuocarent. Quod S. Hieronymus docet explicans Domini verba Matth. 25. *Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Subitò enim, quasi intempesta nocte, & securis omnibus, quando grauissimus sopor est, per Angelorum clamorem, & tubas præcedentium fortitudinem Christi resonabit aduentus. Traditio Iudæorum est, Christum media nocte venturum. Vnde reor traditionem Apostolicam permansisse vt in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes aduentum Christi: Et postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cunctos agere diem. Vnde & Psalmista dicebat: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ.*

Vigiliæ nocturnæ ad extremum Iudicium meditandum institutæ.

Psal. 118.

99. De extremo Iudicio vaticinantur Isaias c. 13. Daniel c. 7. Ioël c. 2. & 3. Sophonias c. 2. Malachias c. 4. Ioannes Apoc. c. 1. De eodem loquitur S. Petrus ep. 1. c. 3. B. Apost. Iudas in epist. Catholica. De eiusdem Iudicij terrore S. Basilius serm. de Iudicio. B. Ephrem serm. de S. Cruce, & de secundo Domini aduentu; & serm. de timore Dei tomo 3. Præterea de extremi Iudicij signis, præter ea, quæ à Domino dicuntur Matth. 24. & Ioannes Apoc. c. 6. agit Lactantius lib. 7. c. 19. Suarez 3. p. tom. 2. quæst. 59. disp. 56. B. Petrus Damiani opusc. 59. ex S. Hieronymi sententia quindecim signa extremum Iudicium præcedentia enumerat: Extremum autem iudicium non multùm abesse probat Cornelius in Apoc. c. 20. n. 5. Quare S. Gregorij monitum lib. 6. epist. 26. secum quisque recogitet: *Cur, magnifice fili, non consideras, quia mundus in fine est? Omnia vrgentur quotidie; ad reddendas rationes æterno, & tremendo Iudici ducimur. Quid ergo aliud, nisi de aduentu illius cogitare debemus? Vita enim nostra nauiganti est similis: is namque, qui nauigat, stat, sedet, iacet, vadit, quia impulsu nauis ducitur. Ita ergo & nos sumus; qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes, siue ambulantes, siue volentes, siue nolentes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Cùm igitur finis nostri dies aduenerit, vbi nobis erit omne, quod modò cum tanta cura quæritur, & cum sollicitudine congregatur? Non ergo honor, non diuitiæ quærenda sunt, quæ dimittuntur. Sed si bona quærimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus, quæ à reprobis sine fine tolerantur.*

Iudicij extremi tempus non multùm distat.

Iudicij extremi signa.

# FERIA TERTIA POST DOMINICAM primam Quadragesimæ.

## Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, &c. Matth. 21.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

IN hac Euangelica Historia Christus Dominus primò mercatores, & emptores, templum negotiatione profanantes, ejicit: deinde cæcos illuminat; claudos firmat, ac dirigit: ad extremum sacerdotum Principibus indignantibus proponendo Prophetica Dauidis verba respondet. Hæc omnia complectitur testimonium, quod de Christo populi perhibebant: *Hic est Iesus, Propheta. à Nazareth: Vt quod illi verbis clamabant, Dominus factis ostenderet.* ait Chrysostomus. Quòd Iesus. hoc est Saluator sit, ægris, ac malè habentibus expetitæ sanitatis beneficia elargitur; & propterea cæcos, & claudos in templo sanasse dicitur: *Accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos.* Cum Propheta foret se Dauidicæ, prophetiæ benè conscium, & interpretem ad sacerdotum Principes conuincendos exhibuit. *Numquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?* Nam iuxtà Ambros. benè ille propheta dici potest, qui scripturarum sensum, qui multis occultus est, manifestat. Similiter summus propheta vaticiniorum conscius vaticinium, quod Isaiæ 56. habetur, indicauit: *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo. quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.* Insinuauit præterea ex Ieremiæ 7. *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum, in oculis vestris?* Tandem Iesus à Nazareth dicitur, & inde teste Matthæo cap. 2. *Dictum est per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.* Cum autem Nazaræus sanctificatus, ac Deo sacer interpretetur; ad eum pertinebat diuini cultus, & religionis satagere; atque adeo templum à profanis negotiationibus expurgare: & propterea *Intrauit in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo.* Præterea ad tria charitatis officia eiusdem Euangelij partes redigi possunt: nempe ad charitatem erga Deum, erga proximum, erga seipsum. Quare templum expurgando: male habentes sanando; sacerdotum contra se indignationem retundendo, perfectum charitatis specimen, atque ordinem Redemptor noster ostendit: ... enim diuino cultui, deinde proximorum indigentiæ; ad extremum propriæ famæ consuluit.

Chrysost. in Matth. hom. 38.

Propheta dicitur, qui occultum sacræ scripturæ sensum manifestat.

Ambros. in 1. ad Cor. c. 14.

A

B

C

D

*Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa Ciuitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.*

1. QVamuis de Christo Domino quærenti Ierosolymitanæ Ciuitati: *Quis est hic?* Populi agnoscentes in Christo tantùm sanctissimam humanitatem, benè responderint: *Hic est Iesus, Propheta, à Nazareth Galilææ.* Nihilominus si ad agnoscendam in eodem Domino diuinitatem Fidelis humana mens eleuetur; respondebit Sapiens: Hic est *Vapor virtutis Dei, & emanatio claritatis Omnipotentis: candor est lucis æternæ. & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius: omnia potest, & in se permanens omnia innouat. Est speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior.* Respondebit Isaias: *Hic est, qui mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit: qui appendit tribus digitis molem terræ. & librauit in pondere montes, & colles in statera: in cuius conspectu Gentes, quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputata sunt; & insulæ, quasi puluis exiguus. Et Libanus non sufficiet ad succendendum & animalia eius non sufficient ad holocaustum. Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ: qui extendit veluti nihilum cælos, & expandit eos sicuti tabernaculum ad inhabitandum.* Respondebit Apostolus: Hic est. *in quo viuimus, & mouemur, & sumus.* Respondebit Nazianzenus: *Hic est, qui cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipsa definitione crescit. Quia cælum manu sua cooperit; pugno omnem mundi ambitum concludit: quem omnia nesciunt, & metuendo stinnt; cuius nomini, & virtuti famulatur hic orbis; & ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testimonium perhibet.* Respondebit Ambrosius: *Hic est secundum hominem homo natus ex virgine, sed ante omnia generatus ex Patre; qui matrem corpore, virtute refert patrem. Vnigenitus in terris, vnigenitus in cælis. Deus de Deo, partus ex Virgine. Iustitia de Patre, Virtus de potente, lumen ex lumine. Non impar generanti, non potestate discretus, non verbi extensione, aut prolatione confusus, quasi cum Patre mistus. Sed vt à Patre generationis iure distinctus sit, ipse est fraternus tuus: sine quo nec cælestia, nec marina, nec terrena consistunt. Verbum Patris bonum, quod erat in principio.* Ibidem Ambrosius: *Si vulnera curare desideras, medicus est. Si febribus æstuas, fons est. Si peccatum impius, iustitia est;*

Christi Domini elogia.

Sap. 7.

Isaias c. 40.

Act. 17.

Nazianz. orat. de Ideo.

Ambros. l. 3. de virg.

*Si auxilio indiges, virtus est: Si mortem times, vita est. Si Cœlum desideras, vita est. Si tenebras fugis, lux est. Si cibum quæris, alimentum est.* Respondebit Augustinus: *Nihil fit visibiliter, & sensibiliter; quod non de interiori inuisibili, atque intelligibili aula summi huius Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur; secundum ineffabilem iustitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum, & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaque republica.* Respondebit 2. Augustinus: *Si videris bonum Angelum, bonum hominem, bonum cælum; tolle Angelum, hominem, cælum; & quod reliquum est, bonorum essentia est, hic est Deus.* Respondebit 3. August. *Hic est, quem nec mens attingit, quia incomprehensibilis, quia inuestigabilis; nec sensus percipit, quia inuisibilis; nec lingua enunciat, quia ineffabilis; nec scriptura explicat, quia inexplicabilis.* Respondebit 4. Augustinus. *Hic est sine deformitate perfectus; sine quantitate magnus; sine qualitate bonus; sine tempore sempiternus; sine morte vita; sine infirmitate fortis; sine mendacio verus; sine situ vbique præsens; sine extensione omnia implens; sine contradictione vbique occurrens, sine motu omnia transcendens; sine statu intra omnia manens; sine indigentia omnia creans; sine labore omnia regens; sine sui initio omnibus initia dans; sine sui mutatione omnia mutabilia faciens: in magnitudine infinitus, in virtute omnipotens; in bonitate summus; in sapientia inæstimabilis, in consilijs terribilis, in iudicijs iustus; in cogitationibus secretissimus; in verbis verax; in operibus sanctus; in misericordijs copiosus; erga delinquentes patientissimus; erga pœnitentes pijssimus: semper ipse æternus, ac sempiternus, immortalis, atque incommutabilis: quem nec spatia dilatant, nec breuitas locorum angustat, nec receptacula vlla coarctant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent. Cui nec obliuio tollit, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit; sed ante secula, & in seculis, & per secula in æternum viuit.*

August. l. 5. de Trinit. c. 4.

Aug. in Meditat.

3. Respondebit 5. August. lib. de speculo cap. 1. *Hic est secundum Diuinitatem Spiritus incomprehensibilis, incorporeus, immutabilis, incircumscriptus, vbique totus, numquam diuisus, vbique præsens, ineffabiliter omnia penetrans, omnia continens, omnia sciens, cuncta prospiciens, omnia potens, vniuersa gubernans, totus in cœlo, totus in terra, totus vbique. Semper agens, semper quietus; colligens, & non egens; omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione; omnia creans, & protegens, nutriens, & perficiens. Quærens, cùm nihil desit sibi; amans, nec æstuans; & zelans, & securus est. Irascitur, & tranquillus est; opera mutat, sed consilium numquam recipit. Tenet omnia, implet omnia, complectitur omnia, superexcellit omnia, sustinet omnia; nec ex alia parte sustinet, atque ex alia superexcedit: neque ex alia parte implet, atque ex alia circumplectitur: sustinendo superexcedit, & superexcedendo sustinet. Qui corda fidelium docet sine strepitu verborum: Qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Respondebit 6. Augustinus serm. 1. de verbis Apostoli: *Si quæras magnitudinem, maior est; si pulchritudinem, pulchrior; si dulcedinem, dulcior; si splendorem, fulgidior; si iustitiam, iustior; si fortitudinem, fortior; si pietatem, clementior.* Respondebit S. Leo: *Hic est Deus, cuius natura est bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia.* Respondebit S. Cyrillus Ierosolymitanus: *Hic est, qui est, & qui ante erat, & semper vnà cum Patre adest, eiusdem essentiæ, atque naturæ, eiusdem solij, ac dignitatis, eiusdem gloriæ particeps, eadem, ac*

Christi Domini elogia.

Ser. 1. de Pass.

Cyrillus ser. de occursu.

A *pari potentia præditus; omnipotens, expers principij, expers creationis, expers mutationis; qui non describi, qui non videri, qui non explicari, qui non comprehendi, qui non contrectari, qui non animaduerti, qui coniectura percipi, ac deprehendi potest. Hic est paternæ gloriæ splendor, hic est figura substantiæ omnium rerum constitutionis. Hic est lumen luminum, quod ex sinu paterno oritur. Hic est apud Deum, & ex Deo Deus esse agnoscitur. Hic est fons vitæ, ex fonte Patris vita procedens: hic est amnis Dei, qui ex diuina abysso effunditur, sed non separatur. Hic est thesaurus bonitatis paternæ, ac perpetuò vigentis, atque florentis beatitatis: Hæc est aqua vitæ, quæ etiam vitam mundo largitur. Hic est radius non creatus, qui ex paterni luminis sole natus est; sed non scinditur, nec separatur.*

B *Hic est, qui ex rebus, quæ non erant, inesse prodijt, Deus Verbum, qui solo verbo constituit res vniuersas. Hic est ille lucifer, qui ante luciferum incorporeas potestates cælestium exercituum, & ordinum instituit, descripsit, atque distinxit. Hic est, qui cælum solus extendit, & qui ambulat super mare, sicut in solo, atque pauimento; hic est, qui caligine abyssum inuoluit: hic est, qui terram fundauit, atque consolidauit in aquis: hic est, qui mare sepsit arena; hic est, qui discreuit, atque distinxit lucem à tenebris; hic est, qui in orbem redeuntem siderum distinctam concinnitatem construxit, & ordinauit: hic est, qui omnem, qui videtur, ac mente percipitur, mundum sapienter condidit, atque produxit:*

C *hic est, qui manibus non factis ex luto hominem finxit, atque formauit. Hic est, qui ad imaginem Dei creauit nos, qui nunc ad imaginem nostri homo natus est. Qui cum dominica Dei forma præditus esset, nunc meam formam seruilem suscepit; nec diminuit Deitatis dignitatem; sed mea natura materiam, & massam sanctificauit: qui supra totus, & infra totus est: qui idem esse cognoscitur supra genitus sine tempore, & infra sine semine; supra factor, infra opus.*

4. Respondebit Arnobius: *Hic est, qui Deus est, maximus, & summus rerum inuisibilium procreator, ipse inuisus, & nullis vnquam comprehensus naturis.*

Arnob. lib. 1. contra Gentes. Christi Domini elogia.

D *Dignus, cui spirans omnis, intelligensque natura, & habere, & agere numquam desinat gratias; cui totâ conueniat vita genu nixo procumbere, & continuatis precibus supplicare. Prima causa est, locus rerum, ac spatium, fundamentum cunctorum quæcumque sunt. Infinitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio; qualitatis expers, & quantitatis; sine situ, motu, & habitu: de quo nihil dici, & exprimi mortalium potest significatione verborum: qui, vt intelligatur, tacendum est.*

5. Respondet denique æternus Pater apud S. Leonem: *Hic est filius meus, cui ex me, & mecum esse sine tempore est: quia nec genitor genito prior, nec*

Hom. de Transfig. Christi Domini elogia.

E *genitus est genitore posterior. Hic est filius meus dilectus, quem à me non separat Deitas, non diuidit potestas, non discernit æternitas. Hic est filius meus, non adoptiuus, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus; nec de alia natura mihi factus comparabilis; sed de mea essentia mihi natus æqualis. Hic est filius meus, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil: quia omnia, quæ facio, similiter facit; & quidquid operor, inseparabiliter mecum, atque indifferenter operatur. Hic est filius meus, qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetijt, nec vsurpatione præsumpsit; sed manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum exequeretur commune consilium, vsque ad formam seruilem inclinauit incommutabilem Deitatem.*

Et

A

*Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes ementes, & vendentes in templo.*

Christus cur in profanantes templum, & non in alios Ierosolymæ peccatores inuectus fuerit? Idem n. 9.

6. SAnctus Bonau. in medit. vitæ Christi c. 42. ait: *Duabus vicibus eiecit Dominus ementes, & vendentes de templo; quod inter eius magna miracula deputatur. Nam licet aliàs eum vilipenderent; tunc tamen omnes ante eum fugerunt; & quamuis essent multi, non se defenderunt; sed ipse solus quibusdam funiculis omnes eiecit: & hoc ideo, quia terribilem se ostendit in facie.* Idem antea S. Hieronymus notauerat: Sed cum Ierosolymorum ciuitas tunc temporis tot peccatis, & vitijs pollueretur, vt fœdus eius conspectus è Domini oculis vberes lacrymas elicuerit: *Videns ciuitatem fleuit super illam:* cur reliquis prætermissis, tantùm erga vendentes, & ementes in templo suam Dominus indignationem ostendit? Respondetur, cùm negotiatio illa in templo, vt docet Hieronymus, ab auaris sacerdotibus inde lucrum captantibus per suos ministros esset inducta; Dominum, reliquis prætermissis, ad sacerdotum corrigendam, & detestandam auaritiam suum zelum ostendisse: eo quòd sacerdotum prauo exemplo, culpisque sublatis, ciuitatis reliquæ correctio sequatur. Hinc Chrysost. ait: *Hoc erat boni medici, vt ingressus ad infirmam ciuitatem saluandam, primùm ad originem passionis intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur; ita de templo omne malum procedit. Si enim sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, tota fides marcida est. Sicut enim cum videris arborem pallentibus folijs, intelligis, quia vitium habet in radice; sic cum videris populum indisciplinatum; sine dubio cognosce, quia sacerdotium eius non est sanum.* Cum ergo à sacerdotibus ciuitatis reliquæ profectus pendeat; hinc patet quantùm ex hoc capite sacerdotum culpæ Deo displiceant, iustamque diuinam vltionem præ cæteris mereantur. Ezechiel. 9. præcepit Deus Angelis, vt Ierosolymæ iustos signo Thau, hoc est crucis signatos seruarent, reliquos omnes per Chaldæos occiderent: *Senem, adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vsque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis Thau, non occidatis: & à sanctuario meo incipite: à sanctis meis incipite,* legit cum Septuaginta Hieronym. Si in tanta cæde iustis parcendum erat, ideoque ij crucis signo notabantur; cur vt à sanctis cædes inciperet præcipiebatur? *A sanctis incipite,* idest sacerdotes mihi consecratos occidite, interpretatur Theodoretus. *A sanctis incipite,* hoc est à sacerdotibus, qui cum sancti esse, seque sanctitatis exemplar alijs præbere debuissent; tales cum non fuerint, primi propterea diuinæ vultionis supplicium subire debent.

Lucæ 19.

Sacerdotum exemplo in Ecclesia fides vel floret, vel aret.

C

Sacerdotes antonomasticè sancti nominantur.

D

Sacerdotes primi in diuinam vltionem incurrunt.

Hieronymus Malach. 3.

E

Sacerdos cur idem sacrificiũ pro suo peccato, quod vniuersus populus peccans offerre debeat?

7. Leuitici 4. præcipitur: *Si sacerdos peccauerit delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.* Ibidem etiam præcipitur: *Si omnis turba Israël ignorauerit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum,* Circa hæc duo præcepta egregiè Chrysost. ait: *Ostendere volens Deus hominum peccata longè maiori supplicio expiari, dum à sacerdotibus, quàm dum à priuatis fiunt; mandat, vt tantundem pro sacerdotibus, quantum pro vniuerso populo sacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud significat, quàm sacerdotis vulnera maiori medicamento, atque auxilio indigere; atque adeo tanto, quanto coniuncta simul vniuersi populi vulnera indigent?* Redditur ibidem ratio, cur tam pro populo vniuerso, quàm pro vnius sacerdotis pec-

Chrysostomus tomo 1. lib. 6. de sacerd.

Sacerdos non ex imperitia; sed ex malitia peccat.

cato ex | vnius | æquiu | peccan | in hoc | sana p | tur. Qu | *Damnu* | *& infir* | *illum c* | rea est | *contra* | cante | per ma | niam c | coniun | *Quia tu* | *fungari* | 8. Ex | *lijs Aar* | *tur mih* | nam, a | docet | stis can | Sed sic | paret, | in sace | bente | bus cu | sus sic | ceantu | mantu | vel sal | Ideo S | *Peccata* | *uia su* | *meritor* | 9. Pr | missa | malè s | exerce | Bonau | *Pater s* | *vbi ma* | Deus, | gotiat | tio ad | Quod | alioqu | fanare | riorib | templ | sendu | alienu | stioni | scilice | suam | stum i | Chris | ergo | ctim | pond | 10. | tani | *bat* | tan | sor | du | te | ir

Impudicos veluti sues sibi in impium sacrificium mactat diabolus.

temptum in sacro Ierosolymæ templo sues ad ludibrium, veluti hostias mactauit: Nunc etiam suos habet sibi sues diabolus, quos veluti deuotas sibi victimas in sacrorum templorum iniuriam mactat. Cùm impudici sacris in templis per summam impudentiam in mulieres lasciuis oculis inhiant; tunc ex libidine in sues mutantur: *Interdixit Deus Hebræis, ne porcina carne vterentur; idest, ne vitam porcorum imitarentur; ne se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus, quæ se ingurgitat cœno*, ait Lactantius. Quare non immeritò Prodigum filium, qui luxuriosè vixerat Lucæ 15. *Porcum saginatum* aptissimo elogio Marcus Eremita vocauit. Huiusmodi igitur sues lethali lasciuiæ ictu sibi victimas sacris in templis diabolus iugulat.

Lactantius lib. 4 c. 7. Instit.

Marcus Erem. tom. 1 Bibliot. l. de salut. præceptis.

Similitudinis particula omitti solet apud Hebræos.

12. Plura animalia lauacro sordes deponunt. Cant. 3. dicitur: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro*: & c. v. *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ*; idest, sicut lacte lotæ sunt, iuxta Hebraïsmum omittendo particulam similitudinis. Sues è contrario, cùm lauantur, fœdantur; eò quòd in cœnosam aquam se immergant. *Sus in volutabro luti cum lauatur, sordidior redditur*, ait Greg. 3. p. post admon. 31. Similiter sacra templa, quæ alijs sunt ad lauacrum, sordesque ejiciendas, impudicis hominibus sunt ad lasciuiæ immunditiem contrahendam. Hoc indicare voluit Petrus Apostolus, cùm de peccatoribus huiusmodi ait, *Sus lota in volutabro luti*. epist. 2. cap. 2.

Sus vbi lauatur, fordidatur; similiter impudici.

Elephantes lunam quodammodo veneraturi, se prius abluunt: impudici in templo ante diuinum iustitiæ solem immundi apparent.

13. Mirum est, quod Plinius initio l. 8. refert. *Elephantis est religio siderum, Solisque, ac Lunæ veneratio. Auctores sunt in Mauritaniæ saltibus ad quemdam amnem, cui nomen est Amilo, nitescente Luna noua greges eorum descendere, ibique se purificantes solemniter, aqua circumspergi; atque ita salutato sidere in syluas reuerti.* Quod in brutis animalibus turpe est ante Lunam immunda apparere; quantò fœdius est homines ratione præditos ante iustitiæ Solem impudicitiæ labe immundos se sistere?

Templum ingredientibus septem plagæ hoc est septem capitalia peccata delenda.

Templi veneratio efficax ad peccati pœnas auertendas.

14. Apoc. 15. dicitur: *Ecce apertum est templum in cœlo, & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ.* Quamuis hoc de cœlesti templo dicatur; idem tamen mysticè de militantis Ecclesiæ templis intelligere possumus. Vnaquæque enim è septem plagis, hoc est septem mortalibus peccatis abolenda est; vt puro animo ad spiritualem profectum, cœlestemque gratiam aditus pateat in templo. Quod si plagas non quoad culpas, sed quoad pœnas intelligamus; dicitur prohiberi aditus in templum, donec plagæ consummentur; ad significandam efficacem templi sanctitatem. Si enim ingressus in templum pateret, pateret etiam aditus ad diuinæ indignationis plagas pijs precibus auertendas. E contrario tamen, qui templum ingressus irreuerenter ibi se gerit, diuinæ vltionis plagas non auertere, sed ad se trahere meritissimo supplicio experietur.

Lasciuia in templis valde punienda.

15. Baltassar Rex Babylonis vitæ, vrbis, & Monarchiæ excidio mulctatus est; eo quòd templi vasa ad conuiuij vsum profanauerit: Timeant Christiani non solùm erga materialia sacrorum templorum vasa; sed etiam erga animas, quæ in templis sunt, irreuerenter profanis oculis se gerere: *Ne vltio, quæ Baltassarem regem percussit, super hoc transgredientes veniat, & corruere faciat eos ad ima*, vt loquitur S. Stephanus Papa de consecrar. distinct. 1. cap. Vestimenta.

16. De impudicis, qui Sapientiæ 2. impudenter dicunt: *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*; Salomon tandem ait: *Nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ.* At quantò maius scelus est, si fideles diuinorum

A sacramentorum conscij, & participes; quique æternæ salutis spem habent, non prata, sed templa ad lasciuiam frequentent? Contra hos Augustinus sic loquitur: *Nullum, inquiunt, pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Quomodo ergo parceret Christus, si eum inuenisset in terra, qui quidem non solitaria prata irritandis libidinibus suis, sed frequentissimas Ecclesias elegit regnantis in cœlo?*

Ser. 246 de tempore.

Templum velut hominem ignobilem quidam irreuerentes existimant.

17. Sicut quispiam, licet malis moribus depravatus, coram principe viro licentiosè se gerere revereretur: eumdem tamen coram ignobili, & contemptibili homuncione effrænem licentiam præ se ferre non pudet: ita, qui in templis irreuerenter se gerunt; templi sanctitatem, diuinumque B ibi conspectum nihili se æstimare significant. Ideo 1. Mach. 2. pius sacerdos Mathathias ablatam Deo in templo debitam reuerentiam zelans queritur: *Templum eius sicut homo ignobilis.*

Diabolus tentator in profanis locis coluber, in templis cerastes est.

18. De diabolo Genes. 49. mysticè dicitur: *Coluber in via, cerastes in semita; mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Viæ, per quas latius spatiari datur, secularia, & profana loca significant; semitæ verò, per quas angustiùs itur, significant loca sacra; quibus agendi, loquendique licentia coërcetur. In semitis igitur Cerastes, hoc est in templo diabolus, cum tentationis morsu Christum olim lædere nequiuisset; fideles saltem, in quibus per suam gratiam Dominus insi- C det, mordere nititur; vt ex eorum cordibus Christum detrahat. Sed ad Christum spectat tartareum serpentem, eiusque sectatores è templo, quod veluti speluncam reddere conantur, expellere; ad eum modum, quo ceruus halitu serpentes extrahit: ideo enim ex Basilio, & Hieronymo, matutino ceruo Dominus comparatus Psal. 28. & 21.

Ceruo qui Dominus comparetur.

Fraxinus serpentes arcet. Lib. 16. c. 13.

19. Cum fraxinus floribus, frondibus, & ipsa vmbra serpentes arceat; Plinius naturæ benignitatem laudat, quòd prius quàm serpentes prodeant, fraxinus floreat; nec antequam serpentes procul se abdant, folia dimittat. Nos multò magis diuinam benignitatem commendare debemus; cum ad arcendos è sacris templis tartareos D serpentes, non florentem fraxinum, sed sacramentali præsentia Christum Dominum Florentissimum Nazaræum exhibeat.

Templa sunt vrbium munimenta; Idem n. 22.

20. Psalm. 50. à Dauide dicitur Deo: *Benignè fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ierusalem.* Vbi non apparet quorsum fiat ista precatio de Ierosolymæ muris ædificandis. Primò, quia Dauidis tempore murorum munimentis Ierusalem non carebat. Secundò, quia in hoc Psalm. cum Dauid præteritarum culparum pœnitentem se exhibeat, diuinamque misericordiam imploret; vt adulterij, & homicidij ei peccata remittantur; videtur præter rem E Deum precari de materialibus Ierosolymæ mœnibus ædificandis. Sed ex sacrorum interpretum sententia, Dauid hoc loco Deum precatur, vt in diuinum cultum templum per Salomonem sibi successorem ædificetur, iuxtà Dei promissum: *Suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis; & stabiliam regnum eius: ipse ædificabit mihi domum.* Vocat autem Dauid templum muros Ierusalem; vt nobis insinuet ad arcendos hostes, vrbesque muniendas aptiora mœnia, & fortiores arces erigi non posse, quàm templa: vbi religioso cultu Deum venerando efficitur, vt ipse Deus sui populi, suarumque vrbium, veluti murus, & antemurale ponatur, iuxtà Isaïæ testimonium 26. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion; Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.*

Iuxta Iansenium, Lorinum, & Marianum.

1. Paralip. 17.

21. Mach. lib. 2. cap. vltimo de pijs Israëlitis, cum ab irruentibus hostibus, comparato exercitu se defendere deberent, legitur: *Erat pro vxoribus, & filijs, itemque pro fratribus, & cognatis minor sollicitudo: maximus vero & primus pro sanctitate timor erat templi.* Cordati isti milites satis conscij templum, vbi inuocantibus diuinum auxilium præsto est Deus, vrbis reliquæ esse munimentum, ad illud potius, quàm ad proprias domos, & familias inuiolatas seruandas solliciti erant: & ideo hostibus multò pauciores cum essent, eorum triginta millia prostrauerunt, vt sacra historia testatur. Hoc profectò pietas exigit; vt si vnusquisque studet, ne propriæ domui, ac familiæ, vxori, & filijs dedecoris aliquid accidat, & inde impudicos arcet; multò studiosius inuigilare debet, ne templum, Deique domus profanis, prauisque actibus polluatur. Porro diuinum cultum vrbium esse munimen, vel ad arcendos, vel ad profligandos hostes, non pij fideles tantum, sed ipsi Ethnici non ignorarunt. Ideo teste Plutarcho, Numa adeo fuit diuina fiducia fretus, vt cum aliquando adesse hostes annunciatum esset, arridens dixerit: *Ego verò sacra facio*: quasi diceret: Dum Deos veneror, ipsi pro me militabunt.

*Templorum contra profanos custodia propriarum domorum custodiæ præferenda.*

A

B

22. Si templa vrbium arces, & munimenta sunt; vrbium certè munimenta, & arces euertunt, qui templa secularibus negotiationibus, profanisque actibus destinant; ac propterea diuinam indignationem vehementissimè commouent. De Assyrijs Samariam incolentibus 4. Reg. dicitur: *Cum ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum; & immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.* Addit Iosephus, non solùm leones in eos immissos fuisse, sed etiam pestilentiam: *Cum Deos*, inquit, *suo more proprio colerent ad iracundiam, & furorem Deum maximum prouocauerunt, venitque pestilentia super eos.* Quo in loco meritò à sacris interpretibus quæritur, cur Assyrij eo maximè tempore tam acriter leonum morsibus, & pestilentia cruciati fuerint ob idololatriam: cum eam multò ante, & ipsi, maioresque eorum sine huiusmodi pœnis exercuissent? Respondetur Assyrios tam acriter fuisse punitos, non ob idololatriam, sed quòd idololatriam in locis Deo sacris, cuiusmodi erant Israëlitarum vrbes, exercerent: *Assyrij*, inquit Abulensis, *tenebantur ad colendum Deum tunc specialiter propter terram, in qua erant: quæ quidem terra specialiter erat Dei; quia ipse per miracula, & signa acquisiuerat eam de manu propriorum habitatorum, & tradiderat Israëlitis possidendam.* Sed cum multo perfectiori modo sacra sint Deo Christiana templa, quàm olim fuerint Israëlitarum vrbes; quantò maior reuerentia nostris templis, quàm vrbibus illis est debita? Quantò maiori pœna puniendi sunt, qui huiusmodi templa profanant, quàm olim puniendi fuerint Assyrij? Quòd si in Assyrios leones immissi sunt; in templa profanantes leo ille immittitur, de quo dicitur ab Apostolo: *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens.* Addit Dionysius, Assyrios tam seueris plagis ab idololatria fuisse reuocatos; *vt terram promissionis tam egregiam, lacte, & melle manantem, possidere essent idonei.* At ex hoc capite Christianis templis nonne reuerentia maior est debita? Cum sacra templa digniori titulo terram lacte, & melle manantem appellare possimus; quandoquidem in ijs diuini lactis vbertas habetur; de quo lacte Clemens Alexandrinus ait: *Lac est hic infantulus, pulcher, & appositus, scilicet corpus Christi. Nutrimentum est lac Patris, quo solum aluntur infantuli. Ipse ita-*

*Assyrij loca Deo sacra profanantes leonũ morsibus, & pestilentia puniuntur.*

C

D

E

*1. Petri c. 5.*

*Clemens l. 1. Pælag. c. 6. Eucharistiæ sacramentum lac, Christus*

*Deos pertinet?* Nam si tantum auri, si tot opes in mulieris corpore ornando insumuntur, quæ pars diuino cultui, templorumque ornatui adhibenda remouebit? Verè cum femina nimio luxu lasciuiente verbis illis 3. Reg. 14. conqueri Deus potest: *Me proiecisti post corpus tuum:* hoc est, cultum meum tuo corpori posthabuisti.

26. Act. 4.35. legimus pios fideles suas opes ante Apostolorum pedes ponere solitos; idque vt diuitias ad contemptum esse calcandas ostenderet, iuxtà Hieron. ep. 8. cap. 7. Sed æmulus Christi Diabolus alio sanè modo opulentiam magno labore è longinquis regionibus conquisitam pedibus subijcere docuit. Ideo Chrysost. hom. 50. in Matth. ait: *Quantum vobis dedecus esse putatis, cum serica licia calceamentis vestris diligenter inseritis? Nonne vides naues fabricari, eligi remiges, vela dari ventis, maria nauigari; ac mercatores patria, & liberis relictis, ac vita contempta, & fluctibus commissa, ad extremas barbarorum partes mille periculis peruenire propter serica hæc licia; vt tu scilicet calceis tuis ipsa inseras?* Quod de sericis Chrysostomus ait, de ornamentis alijs è longinquo conquisitis dici potest. *Cum serica stamina bombycum opus sit, adhibentes sericas vestes luxuriari in vermibus*, idem Chrysostomus ait hom. 18. in Genes. Meritò ergo ad lasciuiæ, nimijque luxus supplicium, sericis vtentes, in inferno vermibus etiam operientur, vt Iob 21.26. dicitur, & Isaï. 14. *Operimentum tuum erunt vermes.*

Fideles suas opes ante Apostolorum pedes ponebant: diaboli luxus opulentiam fœminarum pedibus subjicit.

Sericis ad nimium luxum inducti in vermibus luxuriantur.

27. Præterea quid Deus Is. 3. dixerit, audire hic iuuet: *Pro eo, quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extenso collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant; ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras; & discriminalia, & periscelidas,* idest tibiarum ornamenta; *& murenulas, & olfactoriola, & inaures; & annulos, & gemmas in fronte pendentes; & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus*, idest aciculas pomulum habentes, quibus compositi simul capilli sustinentur: *& specula & sindones, & vittas, & theristra*, idest palliola leuia, & subtilia. In quem locum multa afferunt sacri interpretes, præcipuè Cornelius.

Fœminarum nimium ornatum, & luxum seuerè Deus punit.

1. ad Cor. 3.

28. Quoniam verò ad sacra templa ornanda æditui, & ministri statuuntur; cumque Apostolus fidelibus dicat: *Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Quis ad sacra, animataque templa ornanda minister sit adhibendus, docet Tertull. lib. de cultu fœm. dicens: *Cum omnes templum simus Dei, illato in nos, & consecrato Spiritu sancto, eius templi æditua, & antistes pudicitia est; quæ nihil immundum, & profanum inferri sinat; ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.* Rursus, quoniam Dauid nimio luxu, artificioque concinnatas mulieres templo quidem, sed profano comparauit: quis ad huiusmodi templorum ornatum æditruus, & artifex sit, docet Cyprianus tract. de habitu Virginum: *Deus non purpureas, aut coccineas oues fecit; aut herbarum succis, aut conchylijs tingere, & colorare lanas docuit. Nec distinctis auro lapillis, & margaritis contexta serica, & numerosa compage digestis monilia instituit; quibus ceruicem, quam fecit, absconderet; vt operiatur illud, quod Deus in homine formauit, & conspiciatur desuper id, quod diabolus adinuenit. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali secularis ignara crucietur; vt postea de aurium cicatricibus, & cauernis pretiosa grana depen-*

Templi animati custos, & æditua sit pudicitia.

Fœminarum ornatum magister diabolus docuit.

A *deant, & si non suo pondere, mercium quantitate? Quæ omnia peccatores, & apostatæ Angeli suis artibus prodiderunt; quando ad terrena contagia deuoluti, à cœlesti vigore recesserunt. Illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris, & capitis veritatem corruptelæ suæ impugnatione docuerunt.* Idem antea docuerat Tertull. lib. de habitu fœminarum cap. 2. & lib. de cultu fœmin. cap. 10. vbi per ironiam ait: *Deus demonstrauit succis herbarum, & concharum alueis incoquere lanas? Exciderat illi, cum vniuersa nasci iuberet, purpureas, & coccineas oues mandare. Deus & ipsarum vestium officinas commentus, quæ leues, & exiles solo pretio graues essent: Deus, & auri tanta opera produxit contemplandis, & distinguendis lapillis.*

B *Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit; & tanti habuit vexationem operis sui, & cruciatus infantiæ tunc primùm nolentis, vt ex illis ad ferrum nati corporis cicatricibus grana nescio quæ penderent; quæ planè Parthi per omnia quæque sua bullarum vice inserunt. Quamquam & aurum ipsum, cuius vos gratia occupat, cuidam genti ad vincula seruire referunt Gentilium litteræ. Adeo non veritate bona sunt, sed raritate. Per Angelos autem peccatores demonstrata sunt, qui & ipsas materias prodiderunt.*

Ethnici ad capitivos vinciendos aureas catenas adhibebant. Idem num. ...

29. Cœlestis Beatorum Patria templum dicitur Psalm. 10. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius.* Hoc in templo præcipitur Apoc. vltimo: *Foris impudici, & omnis, qui amat, & facit mendacium.*

C Amant, & faciunt mendacium, quæ nimio luxu, colorumque fuco se ornant. Harum enim studium est iuxtà Cyprianum: *oculos circumducto nigrore fucare, genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, expugnare omnem oris, & capitis veritatem.* De Herinacio, qui è toto corpore innata spinarum iacula vibrat, cecinit ille: *Militat omne fere corpus.* Similiter de fucata muliere dici potest: *Omne mentitur muliebre caput.* Mentitur capillus, vel adscito colore mutatus, vel alieno crine auctus. Mentitur frons cerussa; genæ, malæque purpurisso. Cilia denique, & supercilia nigriora stibij puluere

D mentiuntur. *Hinc oculorum orbes stibio fuliginatos*, dixit Hieronymus epist. ad Furiam Et Basilius in cap. 3. Isa. *Niger color supercilia pingit, vt in speciem lunæ in cornua inflexæ oculos ambiant.* De quo Plinius lib. 33. cap. 6. Meritò ergo, quæ se taliter ornant, è cœlesti templo ejici merentur: *Foris impudica, & omnes, qui amant & faciunt mendacium.* Ideo benè Tertullianus lib. de cultu fœminarum cap. 5. monet: *Quantum à nostris disciplinis, & professionibus aliena sunt, quàm indigna nomine Christiano faciem fictam gestante, quibus simplicitas omnis inducitur: effigie mentiri, quibus lingua non licet?* Quàm sacrilegum esset sacra in templa idola in-

E ferre? Huius criminis reæ mulieres sunt in vano ornatu, fucoque se ornantes. Hinc Hieronymus epist. 23. ait: *Christianos oculos scandalizant, quæ purpurisso, & quibusdam fucis ora, oculosque depingunt: quarum facies gypseæ, & nimio candore deformes idola mentiuntur. Quibus si forte improuidè lacrymarum stilla eruperit, sulco defluit: quas nec numerus annorum potest docere, quod vetulæ sint: quæ capillis alienis verticem struunt, & præteritam iuuentutem in rugis anilibus poliunt.*

Mendacium quoddam est figmentum faciem, capilloque colorare: tales mendaces extra cœleste templum ejiciuntur.

Cyprian. supra.

Claudianus.

Mulieres fucato luxu ornatæ in templum idola videntur inferre.

30. Ierosolymitani templi pinnaculum, quod Matthæi 4. legimus, tradunt fuisse fastigiatam, & acuminatam turrim ad frontispicij ornatum: quemadmodum nostris in templis etiam campanarias turres, & promittentes tholos aspicimus. Hunc etiam templi ornatum æmulatas mulieres

Mulieres lasciuæ crinibus Ierosolymitani templi pinnaculum imitantur.

reperimus; vt verè dici possint, *circumornatæ, vt* A
*similitudo templi*. Iunius lib. de coma cap. 7. memi-
nit de vsu fœminis recepto in fastigiando, & cri-
nem aggestum in turrim quodammodo primore
in capitis parte astruendo: cuiusmodi structuram
Tutulum vocari auctor est Sextus Pompeius.

Lucanus, & Ioseph Scaliger. Nazianz. Carmine contra mulieres.

Hinc ille cecinit: *Turritaque gerens frontem ma-
trona corona*: Quod Nazianzenus vetat dicens:
*Ne capita turrita facite adulterinis crinibus fœminæ.*
In turrito fœmineo capite, sicut olim in Ierosoly-
mitani templi pinnaculo tentator diabolus in-
sistit.

Draconis sub forma diabolus Euam seduxit,

31. Serpentem, sub cuius forma Euam diabolus
seduxit, fuisse draconem censent Beda, Diony-
sius Carthus. Historia Scholastica, S. Bonauent. B
in 2. dist. 21. & Vincentius in speculo Historiali.
Hinc Apoc. 12. 9. dicitur: *Projectus est draco ille
magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, &
Satanas.* Draconem hunc sicut olim ad tentan-
dum supra templi pinnaculum ascendisse legi-
mus Matth. 4. ita ad tentandum etiam supra mu-
lierum capita veluti templi pinnacula, ascendere

Lib. de habitu mulier. c. 6. Draco gemmam in fronte habet: inde sibi ornatum mulieres assumunt.

quo potest modo, studet. *Aiunt de frontibus dra-
conum gemmas erui*, ait Tertullianus. *Hoc quoque
deerit Christianæ, vt de serpente cultior fiat? Sic cal-
cabit diaboli caput, dum de capite eius, ceruicibus
suis, aut ipsi capiti ornamenta struit?* pergit Tertul-
lianus: *Hæc omnia de raritate, & peregrinitate sola
gratiam possident. Denique intra terminos suos patrios* C
*non tanti habentur. Semper abundantia contumeliosa
in semetipsa est. Apud Barbaros quosdam, quia ver-
naculum est aurum, & copiosum, auro vinctos in er-
gastulis habent, & diuitijs malos onerant, tantò locu-
pletiores, quantò nocentiores.* Vtinam sicut apud Bar-
baros auro corpora vinciuntur; ita apud fideles
nimio auri, opumque luxu animos diabolus non
irretiret.

32. Dauid cum Salomoni filio construendi tem-
pli ædificium mandaret, primo Paralip. cap. 28.

Mulieres purpurisso, & cerussa faciem colorantes Dei opus corrigere videntur.

dixit: *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me,
vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.* Descripsit
Deus in tabula totam idæam templi, illamque
per manus Angeli tradidit Dauidi, vt is eamdem
traderet Salomoni, qui iuxta eam templum ædi- D
ficaret. Salomon ergo valde damnabilis audaciæ
notam incurrisset, si delineatum à Deo templi
exemplar corrigere ausus esset, illudque aliter

2. ad Cor. 6. 16.

ædificare. Similiter, cum Apost. dicat: *Vos estis
templum Dei*; si mysticum hoc templum quoad
exteriorem corporis partem, aliter ac à Deo ef-
formatum est, fieri contendatur; vtique temeri-

Tertull. lib. de cultu fœminarum c. 5.

tatis crimen incurritur. Hinc Tertull. ait: *In Do-
minum delinquunt, quæ cutem medicaminibus vn-
gunt, genas rubore maculant, oculos fuligine colli-
nunt. Displicet illis nimirum plastica Dei: in ipsis re-
darguunt, reprehenduntque artificem omnium. Repre-
hendunt enim, cum emendant; cum adjiciunt; vtique
ab aduersario artifice sumentes additamenta ista, idest* E
*à diabolo. Nam quis corpus monstraret mutare, nisi
qui & hominis spiritum malitia transfigurauit? Ille
indubitatè huiusmodi ingenia concinnauit, vt in nobis
quodammodo manus Deo inferret. Quod nascitur opus
Dei est; ergo quod fingitur, negotium diaboli est. Di-
uino operi Satanæ ingenia superducere quàm scelestum
est!* Quàm audaciter, quàm temerè pictor quis-
piam ab Appelle, vel Zeusi pictas imagines cor-
rigere auderet; quasque celeberrimi illi artifices
minus candidas, breuiorisque staturæ figuras pin-
xere, easdem candidas, aut longiores reddere

Tract. 2. de habit. Virginum,

studerent. Hinc Cyprianus ait: *Si quis pingendi
artifex vultum alicuius, & speciem, & corporis quali-
tatem æmulo colore signasset; & signato iam, consum-*

*matoque*
*ta, iam*
*ris artifi*
*te existin*
*audacian*
*putas, qui*
*ris, præu*
tem Dei
tura, fig
tisfacere
nam sal
*manu fig*
dixit. Pro
*tum ei, qu*
33. Q
addere,
præcipit
ita cum
plum sit
parere v
violare
natus,
morand
*Prætexta*
*Hymetti*
*tum eiu*
*mundan*
*propositu*
*nocte ver*
*tem pœn*
*es viri in*
*Dei tuis*
*arescent*
*to mense*
*ueraueri*
*lijs. Omn*
*pœnitent*
*stus viol*
34. S
dixit:
mio st
fucand
in Deu
has sic
tentian
*tes face*
*ad vinc*
*audaci*
*ficis.* I
gehenn
*turorum*
Cypria
*meo ca*
*Ne aur*
*ta Chri*
*ritis pr*
*irrufes,*
Præser
strum
pillos,
insupe
& pig
tullia
*enorm*
*ni ca*
*henn*
hoc
in
ex
tu
in

Psalm. 37.

*gressæ sunt caput tuum?* S. Paulinus Episcopus ad S. August. quærit cur Propheta Psalm. 67. dixerit: *Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis*: seu vt legit Symmachus: *verticem capillatum voluntantium se in delictis suis*? Rationem dubitandi affert Paulinus: *Non enim dixit verticem capitis, sed verticem capilli, qui sine sensu est.* Resp. ad puniendam peccatricem animam expressè capillati verticis mentionem fieri; eo quòd in eo studiosè ad lasciuiam concinnando nimium studium impenderit. Quàm benè Magdalena Christi Domini pedes capillis capitis sui tersit, vt *Verticem capilli, ex quo ambulauerat in delictis suis, in sanctitatem tali verteret seruitute*, vt Chrysologus serm. 93. ait.

35. Angelus Prophetam Habacuc, eius apprehenso capillo, è Iudæa in Babylonis lacum portasse legitur Danielis vltimo. Flauorum per fucum crinium studiosæ mulieres integra regna capillo transferre videntur, teste Tertulliano, qui

Supra.

ait: *Video quasdam & capillum croco vertere. Pudeat eas etiam nationis suæ, quod non Germanæ, aut Gallæ sint procreatæ; ita patriam capillo transferunt.* Leuitici 13. 30. dicitur: *Si capillus flauus, solitoque subtilior fuerit, contaminabit eos sacerdos;* hoc est contaminatos, & immundos esse iudicabit; *quia lepra capitis est.* Debent huiusmodi flauentium fuco comarum nimis studiosæ, tamquam immundæ, ac lepra infectæ non solum à templis, sed ab humano commercio procul arceri. *Virgines, quæ se huiusmodi artibus compserint, inter virgines non putem debere numerari; sed tamquam contactas oues, & morbidas pecudes à sancto, & puro grege virginitatis arceri, ne contagio suo cæteras polluant*, ait Cyprianus supra de habitu Virginum.

Crinem fuco flauum reddentes, velut lepra infectæ ab humano consortio sunt arcendæ.

36. In sacris litteris non cognosci à Deo, est à Deo reprobari, & damnari. *Cum dixerit: Nescio vos; nihil aliud, quàm gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur; immò etiam Gehenna istud verbum grauius est*, ait Chrysost. Ideo Cyprianus lasciuo fuco se ornanti ait: *Non metuis, oro, quæ talis es; ne cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat? Ad sua præmia, & promissa venientem remoueat; & excludat? Increpans vigore censoris, & iudicis dicat: Opus hoc meum non est, nec hæc imago nostra est; cutem falso medicamine polluisti; crinem adultero colore mutasti; expugnata est mendacio facies; figura corrupta est, vultus alienus est, Deum videre non poteris, cùm oculi tibi non sint, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es; rutilos, atque depictos oculos serpentis imitata es; de inimico tuo compta, cum illo pariter arsura.*

Reprobari, & damnari significatur, qui à Deo non cognosci dicitur.

In Matth. h. 5.

Cyprianus de habitu Virginum.

Deus non cognoscet, hoc est reprobabit mulieres per fucum aliter ac sunt, lasciuæ apparentes.

37. Sed præter æterni ignis supplicium, quod Cyprianus comminatur; Apost. ait: *Quæ in deliciis est, viuens mortua est.* Quomodo quæ ad lasciuiam in nimij luxus delicijs est, adhuc viuens, non solùm quoad spiritualem animæ, sed etiam quoad proprij corporis vitam moriatur, egregiè sic explicat Ambrosius: *Hinc pretiosa collo dependent monilia; inde per humum vestis trahitur aurata. Emitur igitur hæc species, an habetur? Quid quod etiam odorum varia adhibentur illecebra? Gemmis onerantur aures, oculis color alter infunditur. Quid ibi remanet suum, vbi tam multa mutantur? sensus suos amittis multos, & viuere posse se credit?* Quòd sensus suos, vt Ambrosius ait, faciemque amittat pygmentata mulier; domesticus huiusmodi mulieris catellus, in eam, tamquam in exterum allatrasse narratur; cum aliquando se domi præter morem sine fuco, & pigmentis ostende-

Mulier lasciuè ornata cur viuens mortua dicatur.

1. ad Tim. 5.

Lib. de Virg.

A ret: Vt cui lasciuæ vanitatis conscientia non allatraret, id domesticum animalculum præstaret. Talis ergo mulier non modo mortua est, sed alios etiam ad æternam mortem trahit. Audiamus Cyprianum: *Illarum pretiosior est cultus, quarum pudor est vilis. Si tu te speciosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in se iuuentutis illicias; vt & si ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te, atque venenum videntibus præferas; excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica: redarguit te cultus improbus, & habitus impudicus.* Hinc Clem. Alexandr. ait: *Laudo, & admiror Lacedemoniorum ciuitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes, & aureum mundum gestare permisit; ita scilicet à probis mulieribus ornatus studium auferens, quòd solis meretricibus se ornare concederet.*

Lib. de habitu Virginum.

Lib. 2. Pedagogi cap. 10. Meretricibus solùm vestium pompam, aureumque ornatum Lacedæmones concedebant.

B 38. Sancta Brigitta, cum pro celebri Itala ciuitate oraret, à Deo contra ciuitatem illam indignato audisse se refert lib. 7. cap. 27. *Noueris, duo peccata exercentur, quæ ego nomino tibi modo. Sed multa alia peccata abominabilia committunt gentes in hac ciuitate, quæ nolo tibi nominare. Primum de duobus peccatis est, quod facies humana rationalis creatura depinguntur diuersis coloribus, quibus colorantur imagines insensibiles, & statuæ idolorum; vt videantur ab aliis pulchriores, quàm ego feci eas. Secundum peccatum est, quod per inhonestas formas vestimentorum, quibus gentes vtuntur, corpora hominum, & mulierum deformantur à statu suo:*

Peccatum quam tegenti lasciuus ornatus facto Brigittæ reuelatum.

C *& hoc gentes faciunt propter superbiam, vt videantur pulchriores, & lasciuiores in corporibus suis quàm ego Deus creaui eas; & vt etiam sic videntes citius prouocentur, & inflammentur ad carnalem concupiscentiam. Ideo certissimè scias, quod quoties deliniunt facies suas colore stibio, & extraneo; toties diminuitur eis infusio aliqua sancti Spiritus; & diabolus magis appropinquat eis. Quoties verò ornant se vestibus indecentibus, & inordinatis, & taliter deformant sua corpora; toties ornatus animæ diminuitur, & diaboli potestas augmentatur. O inimici mei, qui talia facitis, quare neglexistis passionem meam, & non ostenditis quomodo nudus stabam, & clamabam in cruce, repletus vulneribus, & vestitus*

D *sanguine; quando vos depingitis, & vngitis facies vestras.*

39. Ethnicus Seneca nimij luxus ornatum, vt qui ipsas ethnicas mulieres non deceat, damnat: *Video vniones non singulos singulis auribus comparatos: tam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt; iunguntur inter se, & insuper alij binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina, ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi, aut corpus, aut denique pudor.* Fuerint Ethnicæ mulieres nimio, lasciuoque ornatui deditæ. Sed Christianæ, & pudicæ mulieris ornatus esse debet is, de quo

Ethnicis etiam mulierum nimius luxus visus damnabilis.

Neglecta formæ cura gratior, & ornatior.

Ambros. lib. 1. de Virginib.

E Ambros. ait: *Neglecta decoris cura plus placet. & hoc ipsum, quod nos non ornamus, ornatus est.* Phocionis vxor teste Plutarcho mulieri aurea monilia, & mundum muliebrem ostentanti respondit: *Meum ornamentum, mundusque muliebris est Phocion.* Similiter S. Agnes de cœlesti sponso dixit: *Sanguis eius ornauit genas meas.*

Coniugalis amor erga virum pudicæ mulieris ornatus esse debet.

In vita Phocionis.

40. Monitum ergo Tertulliani salubriter mulieres audiant: *Prodite vos iam medicamentis, & ornamentis extructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & spiritu taciturnitatis inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi. Caput maritis subiicite, & satis orna-*

Lib. de habitu mulierum.

*ta eritis. Manus lanis occupate; pedes domi figite,* A *& plusquam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Achas puer Belga, qui septennis magna sanctitatis fama è mortali vita decessit, matrem vanitati nimis addictam humiliter in templo admonuit, digitumque in Domini crucifixi imaginem intendens, dixit: *Intuere, mater, intuere Christum in cruce nudum sanguine rubentem. Tu verò in eius contumeliam, pretiosis vestibus ornata incedis. Caue, mater, ne pro rubore vestium, ignem æternum merearis.* Quibus verbis compuncta parens vanitati nuncium remisit; & post filij obitum monasterium Cisterciensis ordinis est ingressa; eiusque coniux Dominicanæ familiæ se adscripsit. Thomas Cantipratensis lib. 2. cap. 28. & Molanus Iunij 11. B Hoc sancti Pueri monitum mulieres sæpe recolant: simulque verbo Isaiæ cap. 3. 24. *Erit pro suaui odore fœtor, pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Cilicium hoc, si non expungentibus animalium pilis, ex acutis conscientiæ stimulis certè constabit.

41. Ad extremum, ne debita sacris templis veneratio violetur, priscam Christianorum consuetudinem in memoriam reuocemus. Antiquitus enim templorum pars aquilonaris mulierum locus erat; scilicet, vt lasciuum in eas obtutum vnusquisque cohiberet, benè memor Ieremiæ verborum: *Ab Aquilone pandetur malum.* C (Cap. 1, 14.) Et quoniam Ieremias vidit *ollam succensam, & faciem eius à facie aquilonis:* cauendum monebatur, ne cordis olla à facie aquilonis succenderetur.

*Et mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.*

42. Psalm. 14. quærit Propheta: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo; aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Inter alia respondetur: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.* D (Cathedras vendentium columbas cur præcipuè Christus euertit.) Iustè ergo in Dei templo, Sionis in monte collocato requiescere Dominus noluit, nisi inde antea eiecisset nummularios; qui ad emendas victimas in templo offerendas pecuniam iis mutuam dabant, à quibus munera accipiebant, vt S. Hieron. docet. Sed cur vendentium columbas cathedras (quæ erant sublimiores sedes, vt in frequentissima turba facilè ab emptoribus conspicerentur) peculiariter Dominus euertit? Fuit hoc profectò ad mysterium: columbas enim vendentes, Simoniacos Spiritus sancti vendentes dona præfigurabant; nam Actor. 8. de Simone mago dicitur: *Cùm vidisset, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit pecuniam dicens: Date ei mihi hanc potestatem, vt cuicumque* E *imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Hinc Augustinus ait: (Augustinus tract. 10. in Ioan.) *Simon ille ideo volebat emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum; & putabat Apostolos mercatores tales esse, quales Dominus de templo flagello eiecit. Talis enim ipse erat, & qui vendere, emere volebat: de illis erat, qui columbas vendebant, etenim in columba apparuit Spiritus sanctus.* (Matth. 3. 16.) Similiter auctor Operis imperfecti apud Chrysostom. in Matth. hom. 38. *Quotidie ingreditur Iesus in templum suum, id est in sanctam Ecclesiam; & eiicit omnes vendentes gratiam Dei de Ecclesia, Episcopos, Presbyteros,*

Ierosolymitanum templum per vniuersum mundum honorari testatur. Hinc primò Esdræ cap. 1. Cyrus Persarum rex vasa aurea, & argentea quinque millia, & quadringenta in templum misisse legitur. Darius cap. 6. præcepit: *Si necesse fuerit, & vitulos, & agnos, & hædos in holocaustum Deo cæli; frumentum, sal, vinum, & oleum secundùm ritum sacerdotum, detur eis per singulos dies: & offerant oblationes Deo cæli, orentque pro vita regis, & filiorum eius.* Actorum 8. Eunuchus Candacis reginæ Æthiopum venisse adorare in Ierusalem legitur. Ioan. 12. dicuntur: *Quidam Gentiles ascendisse, vt adorarent in die festo.* Tanta autem Gentilium veneratio erga Ierosolymæ templum mirabilior profectò erat, eò quod illis neque in interius templum, neque in secundum templi atrium solis Iudæis concessum; sed in primum tantum templi atrium, Salomonis porticum appellatum ingredi liceret. Ex quo atrio indignatus Dominus negotiatores eiecit: vt hinc intelligamus quantò maiorem Dei indignationem in se concitent iis, qui non atrio, sed in ipso templo, eoque non Ierosolymitano, sed Christiano, sanctorum reliquiis, & augustissimæ Eucharistiæ præsentia consecrato irreuerenter se gerunt.

Gentilibus in primum templi atrium ingredi tantùm licebat.

*Vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

47. INdicat Dominus Ieremiæ locum supra citatum: *Numquid spelunca latronum facta est domus ista?* Apud eumdem Ieremiam cap. 11. queritur rursus Deus: *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Vbi de populi Iudaïci in templo idololatria Deus queritur iuxtà S. Hieronymum, Theodoretum, & S. Thomam. Sed quænam idololatria Dei templum speluncam latronum reddidit? Profectò auaritia. *Auaros, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei*, ait Apostol. Sed præter auaritiam, multa alia scelera sua in domo facta esse Deus queritur; quæ enim scelera ex auaritia non proueniunt? *Radix enim omnium malorum est cupiditas*, ait idem Apostol. Quod explicans S. Basilius ait: *Auaritia malorum omnium radix est, & idololatria vocatur.* Similiter Ambr. *Auaritia, quia omnia mala potest admittere, ideo omnium malorum radix est: quia vt desideria sua explicat (quod tamen impossibile est, vt reipsa assequatur) maleficia, & homicidia, & obscœnitatem, & quicquid sceleris est, perpetrat.* Ideo Dauid contra vniuersa Dei mandata auaritiam opponit: *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua, & non in auaritiam.*

Auaritia idololatria quædam est, scelerumque omnium radix.

ad Ephes. 5.

1. ad Tim. 6.

Psalm. 118.

*Et accesserunt ad eum cæci, & claudi, & sanauit eos.*

48. PRopterea Psalm. 33. cæcis dicitur: *Accedite ad eum & illuminamini.* Quàm benè S. Iob Christum Dominum præfigurando dixit: *Oculus fui cæco, & pes claudo.* Erga cæcos, & claudos se Dominus beneficum exhibens optimi Principis specimen dedit; ad hunc enim spectat non solùm erga caput, nempe erga optimates; sed etiam erga pedes, nempe erga infimos beneficum se præstare; ad quod significandum Dominus capiti cæcos illuminando, & pedibus dirigendo claudos benignè consuluit. Rursus cæcitatem, & claudicationem moraliter accipiamus; itaut per huiusmodi corporis defectus animi vitia significentur: ad optimum principem spectat, non solùm pedis, hoc est plebis, sed etiam capitis, hoc est optimatum defectus corrigere, eosque nullo pacto dissimulare. Immo ab optimatum correctio est inchoanda; & propterea prius ad Dominum accessisse cæci, deinde claudi dicuntur.

Iob. 29. 15.

Princeps primatibus, & infimis beneficus esse debet.

Princeps non plebis tantùm sed optimatum vitia corrigat.

49. Cyrillus contra Iulianum cap. 9. docet Ægyptios, vt Osirim ipsorum Deum significarent, virgam, seu baculum in fastigio oculum sculptum habentem pinxisse. Sed auditis fabulosis ethnicorum inuentis, sacrarumque litterarum veritate inspectâ, cum Propheta exclamare licet: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Nititur enim, sed frustra diuina mysteria ethnica superstitio æmulari. Siquidem Ierem. cap. 1. se mysticè Prophetæ Deus ostendit sub specie vigilantis virgæ, seu virgæ in summitate oculum præferentis. *Quid tu vides Ieremia? & dixi: Virgam vigilantem*; seu ex alia lectione *virgam oculatam ego video: & dixit Dominus: Benè vidisti; quia vigilabo ego super verbo meo.* Vtrumque munus oculatæ virgæ in hac Euangelica historia Dominus præstitit; ad eiiciendos enim profanos negotiatores extra templum, tamquam virgæ munere vsus est; ad illuminandos verò cæcos in templo, virgæ oculum præferentis munus exhibuit. Rursus ad firmandos claudorum gressus, ne fulcimento alio indigerent, eadem mystica virga beneficam se exhibuit; iuxtà illud Psalm. 22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*; sustentando scilicet, & fulciendo, vt explicat Theodoretus, & Euthymius. Denique de hac vigilante, & oculata virga Christum præfigurante, iuxtà Basilium, Cyrillum, Hilarium, & Origenem ab Isaia dicitur: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quare si florida virga est meritò à turba *Iesus Nazarenus*, hoc est floridus acclamatur.

Virga oculata Christum præfigurauit: qui vt virga negotiatores è templo eiecit; vt oculata cæcos illuminauit.

Psalm. 118.

Cap. 11.

*Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit; & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hosanna filio Dauid, indignati sunt; & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt?*

50. SCribæ Mosaïcæ legis periti & Doctores erant; ad quos spectabat legem populo proponere, legisque sensum explicare. Sacerdotum verò Principes, qui apud Hebræos fuerint, dicetur in Euangelio Sabbathi post Dominicam Passionis. Porrò sicut hìc Dominum cæcos illuminasse; ita è contrario diabolum sacerdotum Principes, & scribas per inuidiam in Christum excæcasse videmus. Nam videndo mirabilia, quæ Dominus fecerat, nempè cæcos statim diuinitus illuminatos, & claudos ad ambulandum expeditos; audiendo etiam infantes fandi nescios, diuinitus ad Christo Domino acclamandum linguam expediisse; huiusmodi miracula diuinitus facta veluti non aduerterent, nec in memoriam reuocarent de futuro Messia Isaiæ vaticinium 35. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum:* ad acclamationem tamquam immeritò Domino factam arguendam aures, & animum intenderunt. Benè de inuidis is prædictum fuit Sapientiæ 2. *Excæcauit illos malitia eorum; & nescierunt sacramenta Dei:* & subditur: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum;*

Christus cæcos illuminat: diabolus videntes excæcat.

*terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Cor hominis*, ait Chrysostomus, *cùm peruersum fuerit, si alicuius viri iusti opera videat, vel audiat; non confirmatur, sed magis ad inuidiam concitatur. Hoc modo sacerdotes concitati sunt contra Christum dicentes: Audi quid isti dicunt?*

Hosanna vnde dicatur, & quid significet.

51. Sed ab inuidis senioribus ad innocentes pueros transeamus. Puerorum acclamationem dicentium Hosanna sic explicat sanctus Hieronymus epist. 143. ad Damasum: *Hosiach saluifica interpretatur; anna interiectio deprecantis est. Si ex duobus his velis compositum verbum facere, dices,* הושיעאנה *Hosianna; siue, vt nos loquimur, Hosanna* הושעאנה *media vocali littera elisa; sicut facere solemus in versibus. Aleph namque littera prima verbi sequentis extremum verbi prioris Iod inuenientis exclusit.* Hoc posito de turbæ, & acclamantium puerorum verbis: *Hosanna filio Dauid*, hoc est, *Salua quæso filium Dauidis*; duplex sensus esse potest: Primus sensus est, vt precatio ista dirigatur ad ipsum Christum, quem turbæ antea, deinde pueri tamquam verum Redemptorem precabantur, vt salutem afferret filio, idest populo Dauidis. Hunc sensum amplectitur Ambrosius Lucæ 19. Origenes in Matth. 25. & alij. Secundus sensus est, vt prædicta precatio ad Deum dirigatur; nempe vt Christum, tamquam eximium Prophetam à Deo missum saluum faceret, eumque Israëlitico populo diu seruaret; ad eum modum, quo nouis regibus vita, & salus efflagitari solet acclamando: *Viuat Rex*, vt primò Regum 10. & alibi sæpè: iuxta quem sensum nomine filij Dauidis Christus intelligitur. Secundum hunc sensum sequitur Maldonatus, primumque improbat triplici argumento. Primò, quia non videtur turba tunc tantam de Christo opinionem habuisse, vt verum Deum, & Redemptorem esse crederet: altera verò ex parte non ignorabat carmen illud *Hosanna*, non nisi vero Deo cantari solere. Sed hoc argumentum est inefficax: nam, vt ipse Maldonatus fatetur, antequam Dominus templum ingrederetur, turba non cæco, & inconsiderato impetu consuetudinis, sed quod similius est vero, diuino quodam instinctu id fecit. Sic infantes etiam iisdem vocibus acclamantes, neque consuetudine, neque humano consilio, sed solo diuino afflatu id facere potuerunt.

Hosanna, vt precatio ad Christum pro populo, improbatur primò; sed inefficaciter.

Secundò ait Maldonatus: Precatio illa: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, dirigitur ad Deum, à quo precatur turba, vt is, nempe Christus, qui venit in nomine Domini, benedicatur; ergo etiam dicendum est præcedentem precationem *Hosanna* ad Deum dirigi, à quo salus Christo exposcit. Hoc etiam argumentum videtur inefficax; quia Psalm. 117. vers. 23. vnde desumpta sunt prædicta verba, fidelis populus Messiam alloquens ab eo prius sibi salutem precatur, & propterea Græcus, & Latinus interpres addiderunt particulam, *Me*, quæ deerat in Hebræo: *O Domine saluum me fac*: deinde precatur populus prosperitatem, & benedictionem ipsi Messiæ: *O Domine bene prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quo in Psalmi versiculo notandum est bis dici: *O Domine*: sed cum primo loco certum sit verba dirigi ad Christum, tamquam ad nouum regem, cui propterea regnandi prosperitas exoptatur; dicendum est etiam priori loco, etiam ad Christum precationem dirigi à populo dicente: *O Domine saluum me fac.* Ex quo patet acclamantium in Euangelio verba iuxta hunc sensum accepta à Dauidici psalmi sensu non discre-

Hosanna, vt precatio ad Christum pro populo, improbatur secundò, sed inefficaciter.

Miracula Christi veluti lac credentibus fuerunt.

*non ætate, sed simplicitate cordis. Infantes iure dicuntur, & lactentes; quia quasi lactis suauitate in animo excitati, ita miraculorum Dei intus delectatione accensi clamabant. Nec immeritò opus miraculorum Christi quasi lac vocatur; quia infideles, & paruuli adhuc in fide his egent, vt credant, & firmentur. Doctrina verò, ac si solidus cibus, perfectorum est.*

In 2. Mach cap. 7.

56. Respondetur secundò ex Caietano, infantibus ab Hebræis, postquam cœpissent quadriennes esse, lac auferri consueuisse. Quare secundò Machabæorum 7. pia illa mater filio dixit: *Lac tibi triennio dedi:* Ex quo apparet lactentes iam triennes ab Euangelica historia pueros appellari potuisse.

Pueri nomen etiam infantibus recens natis tribuitur.

57. Respondetur tertiò. Pueri nomine, infantes etiam in sacris litteris appellari Matth. 2. de Christo infantulo ab Angelo dicitur Iosepho: *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum:* & Lucæ 2. *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer.* Quare Chrysostomus existimat infantes loquendi nescios, diuinitus tamen ad loquendum habiles redditos Domino acclamasse: iuxtà id, quod Salomonis ore de diuina sapientia Spiritus sanctus prædixit: *Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.* Chrysostomi autem sententiam probabiliorem existimo, intelligendo infantium nomen iuxtà proprium vocis significatum. Quod enim in scriptura ad litteram interpretari potest, ad mysticum sensum detorquere non est necesse, iuxtà Augustin regulam libro 3. de Doctrina Christiana.

Pueri clamantes Hosanna verè infantes, & lactentes fuerunt.

Sap. 10.

Scripturæ verba ad litteram interpretanda, vbi ad minus proprium sensum ea detorquere non est necesse.

*Perfecisti laudem.*

Infantium Hebræorum perfecta laus, quia sincera, non ficta.

58. HOc est perfectam laudem consecutus es. Horum infantium Hebræorum ex multiplici capite perfecta laus dici potest. Primò quia ab omni adulationis, & fictionis suspicione procul aberant, ita vt laudantibus dici non posset: *Hi labiis me honorant; cor autem eorum longe est à me.* A fingendi enim versutia lactentium ora erant prorsus aliena; quippe quæ vnà cum lacte sinceræ loquelæ candorem præferebant.

Isaiæ 29.

Infantium Hebræorum perfecta laus, quia Bethleemitarum innocentium laudem perficiebat.

59. Secundò perfecta talis laus dicebatur; quia eamdem illam, quam innocenter infantes Deo dederunt, perficiebat. Cum enim testetur Ecclesia innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo diuinum præconium fuisse confessos; debebant Ierosolymæ pueri ore Deum confiteri; cum Bethleemitæ innocentes Deum non ore, sed cruore laudauerint: ita vt altera lactis, altera sanguinis laus dici posset.

Infantium Hebræorum perfecta laus, quia Angelorum laudibus addebatur.

60. Tertiò ad perfectam harmoniam sublimiorum, & humiliorum vocum mistio confert: quare sublimioribus Angelorum vocibus diuinas laudes decantantium, humilis infantium Hebræorum cantus erat superaddendus. Hoc insinuat Bernardus dicens: *Vnde dabis mihi infantes, & lactentes, quorum ex ore laudem suam perficiat Deus. Cœlum non habet infantes, habet Ecclesia, & hi ad laudem, quasi complendam à Propheta inuitantur, dicente: Laudate pueri Dominum.* Præterea perennis Angelorum concentus intermissis identidem infantium Hebræorum cantibus perfici videbatur: nam vt Augustinus ait: *In cantando interpositiones silentiorum certis, moderatisque interual-*

Bernardus ser. 66. in Cant.

Psalm. 112.

Augustinus cap. 7. de Gen. ad litt.

A *lis benè ordinantur ab his, qui cantari sciunt, & suauitati vniuersæ cantilenæ aliquid conferunt.*

61. Quartò infantium Hebræorum perfecta laus erat, quia talis laus infantili ore prolata Deum testabatur auctorem: Diuina enim sapientia est, vt diximus quæ *linguas infantium facit esse disertas:* & ex diuina virtute, *lingua balborum velociter loquetur, & planè*, iuxtà Isaiam 32. *Ex* Apostoli autem testimonio, *Quem Deus commendat, ille probatus est; adeoque Deo tantùm auctore perfectam laudem consequi quispiam potest.*

Infantium Hebræorum perfecta laus, quia Deum habebat auctorem.

Sap 10.

2. ad Cor. 10.

62. Quintò Pindarus hymnorum suauitatem, B & elegantiam per mel candido lacte commistum significauit. David autem *Diuina eloquia super mel dulcia* esse testatur: quare cum diuini eloquij melle lactentium labiorum cantus erat adiungendus, vt perfectam hymni suauitatem resonarent.

Infantium Hebræorum perfecta laus, quia suauitati, lac scilicet & mel vnà coniunget.

Psalm. 18.

63. Sextò denique perfecta laus est, quæ calumniantes, & obtrectantes apertè confundit: huiusmodi infantium Hebræorum laus fuit; de ea testante Dauide: *Perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum, & vltorem*; idest ad confundendum Scribas, & Sacerdotum Principes, & vt vltor, idest diabolus destruatur iuxta interpretationem Theodoreti, & Hieronymi in Oseam capite quinto. C Vbi obiter notandum, quàm turpis sit vltionis affectus, cùm antonomasticè vltor diabolus appelletur.

vers. 103.

Infantium Hebræorum perfecta laus, quia Iudæos incredulos confundebat.

Psalm. 8.

Theod. in Psal. 8.

*Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.*

Dominus Ierosolymæ populum plausu exceptus, cur inde citò discesserit.

64. POst festiuam populi acclamationem, quænam causa fuit Domini ex vrbe discessus? An vt Ierosolymam relinqueret, an vt Bethaniam peteret? Vt Bethaniam peteret, censet Chrysostomus: *Scilicet, vt ibi maneret corporaliter, vbi spiritualiter quiescebat: nam sanctorum virorum est, quòd non gaudent vbi epulæ* D *larga sunt, sed vbi sanctitas floret.* Iucundius enim Domino erant pœnitentis Magdalenæ repetitos identidem gemitus; quàm Ierosolymitani plausus voces audire. Aliter Theophylactus Ierosolyma discessisse Dominum censet, eò quod Ierosolymitani plures, vt Scribæ, & Sacerdotes eius præsentia, & colloquiis indigni essent. Vel, vt idem Chrysostomus, Auctor Imperfecti, & Euthymius docent, ne à male affectis Iudæis ante tempus comprehenderetur. Sed contra est, quod sequenti die mane Ierosolymam rediisse Dominum Euangelista refert. Sanctus Hieronymus Ierosolyma discessisse Dominum ait; *eo quòd in vrbe maxima nullum hospitem, nullam inuenerit mansionem.* Cum E tamen recentis beneficij memores esse debuissent, saltem illuminati cæci, claudique ad gradiendum expediti: quod si hi pauperes erant, pauperum hospitium Dominus dedignatus non esset; eorumque saltem gratum animum acceptum habuisset. Ideo benè Oseæ sexto dictum est: *Quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Misericordiæ nomine beneficentiam intelligit Augustinus, & Theophylactus. Verè in hoc Euangelio Iudaïci populi beneficentia, & pius ergà Christum affectus, cum

Magdalenæ gemitus Domino gratiores, quam acclamantium plausus.


Beneficentia humana breuis.

August. 10 de Ciuit. cap. 5. & lib. 20. contra Faust. cap. 6.

nube, & matutino rore citò pertranſeunte, & areſcente comparatur. Nam cum tanta lætitia, & plauſu populus ille Dominum in vrbem excepiſſet; popularis inconſtantiæ, ingratique erga Dominum animi ſpecimen dando; cum à nemine hoſpitio exceptum extra vrbem abiiſſe legimus. Secus verò de diuina miſericordia teſtatur Ieremias: *Non defecerunt miſerationes eius, no-*

Thren. 3.

A ui qua hon ben ui, pres uet; culin



# FERIA QVARTA POS primam Quadra

## Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ Magiſter volumus à te ſig Matth. 12

### *Euangelij nexus e*

1. QVæ in hoc Euangelio habentur, ad eum ſcopum diriguntur; vt doceamur, eos qui agnita ſemel veritate, diuinæque fidei luce illuminati à ſuis mentibus tenebrarum Principem expulerint: nihilominus vel animi prauitate, vel ignauia capti, ſpreto Niniuitarum exemplo, pœnitentiæ arma aduerſus peccata ſumere noluerint; contemptoque ſimiliter exemplo Auſtri reginæ, documenta diuinæ ſapientiæ audire neglexerint, eos in deteriores ſemper, & deteriores culpas incurrere. Nam peccati peſtis hoc habet proprium, vt niſi citò per pœnitentiam expellatur, latius ſerpat; adeoque peccatorem in deteriora ſemper vitia præcipitem agat. Ad quod ſignificandum de immundo ſpiritu Dominus ait: *Veniens inuenit domum vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam:* animam ſcilicet inuenit mundatam quidem, vel olim ex circumciſione, vel nunc ex ſacro Baptiſmate ab originalis culpæ ſordibus: ſed ex ignauia bonis operibus vacuam; & prauis actibus, & habitibus ad diabolum excipiendum adornatam, hoc eſt præparatam. *Quare immundus ſpiritus aſſumit, ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Hoc autem à Domino Scribis, & Phariſæis præcipuè dicitur; quippe qui planè impœnitentes ad Dominum calumniandum ſub adulationis verſutia acceſſerunt dicentes: *Magiſter volumus à te ſignum videre.* Quod autem humana mens peccatum ſemper latius ſerpens reformidare diſcat; talis notitia adeo diabolo diſplicet, vt Dominum id docentem interpellare, & miſſo nuncio foras euocare conatus ſit; occaſione capta ex conſanguineorum aduentu: *Venit aliquis quaſi diaboli aduocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur dicens: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te:* ait Auct. Operis Imperfecti hom. 30. in Matth. Quamuis ex propria intentione conſanguineos Domini B. Virginem comitem ducentes, eò veniſſe piè credendum ſit,

Peccati peſtis in deteriores culpas latius ſerpit.

B vt ill paulò *ſilium eum.*

*M*

2.

Nam tum *loquu Deus* C *petran runt;* prodi Deum poſſe etiam pheta *eius.* mirac diſſen *& om ſignun* Nonr D ſtella Paſch *ſam, ex Pr terrog* non a ſubdi *ad eu audie* gna Matt *& o & b conf celi* lu

*cælis dicens : Hic est filius meus dilectus , in quo mihi complacui.* Sed increduli Iudæi , cum iterùm Ioann. 12. æterni Patris de Christo testimonium è cœlo audissent : *Ipsi magis inuidiosè tonitruum factum esse de cælo dicebant* , ait sanctus Paschasius.

Adulatio spinarum radici similis.

3. Hoc ergo animo petierunt Scribæ , & Pharisæi signum de cœlo ; scilicet , vt cùm Dominus signum tale negasset , id impotentiæ tribuerent: si verò ad eos terrendos euocando è cœlo ignem, vel repentinas procellas, & tonitrua excitasset; id referendum dicerent commercio dæmonum, qui in aërem potestatem habent ; iuxtà id , quod ab Apostolo de rebelli Angelo dicitur : *Princeps potestatis aëris huius ; spiritus , qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Præmiserunt ergo Pharisæi adulationis nomen , Dominum appellando magistrum , vt ex adulatione calumniam instruerent. Spinæ radix leuis, & tractabilis videtur ; ex ea tamen pungentia acumina prodeunt : similiter præmissa adulatione, ex ea , veluti è blanda radice calumniæ spinas Pharisæi educere moliuntur. Quare ad adulationem reiiciendam benè August. ait : *Spinæ non pungunt in radicibus: Erue spinas de terra , contrecta radices ipsarum , & vide si sentis dolorem. Tamen illud , vnde dolorem sentis in superficie , de illa radice processit. Non nobis placeant homines , quasi lenes , & blandi : & si videntur lenes , radices spinarum sunt.*

Ad Eph cap. 2. — Augustin in Psalm. 139.

4. Quàm benè de Scribis , & Pharisæis Domino calumnias molientibus prædixerat Dauid: *Acuerunt linguas suas sicut serpentis.* Quod explicans Augustinus ait : *In serpente maxima astutia est , & dolus nocendi. Non enim pedes habet, vt eius vestigia , cùm venit , audiantur. In eius itinere velus lenis est tractus. Adulatores ergo* , quales Pharisæi erant , *repunt , & serpunt ad nocendum habentes occultum venenum sub leni contactu. Et ideo sequitur : venenum aspidum sub labiis eorum. Aliud sub labiis , aliud in labiis habent ; qui loquuntur pacem cum proximo suo , mala autem in cordibus eorum.*

Psalm. 139. — Adulator serpenti similis. — Psalm. 27.

5. Sagittæ potius , quàm gladio fraudulenta adulatio similis dicitur ; eo quòd sagitta eminus iaciatur , & sagittarius se procul in insidiis abdat : qui verò gladio ictum vibrat , præsens esse debet. Ideo benè de adulatoribus adulatione fraudem tegentibus Ieremiæ 9. Deus ait : *Sagitta vulnerans lingua eorum , dolum locuta est ; & in ore suo pacem cum amico suo loquitur , & occultè ponit ei insidias. Numquid super his non visitabo , dicit Dominus ; aut in gentem huiusmodi non vlciscetur anima mea ?* Verumtamen Pharisæi , & gladij , & sagittæ instar in Dominum inuehuntur : gladij instar cùm apertè calumniantur : *Hic non eycit dæmones , nisi in Beelzebuth principe dæmoniorum :* sagittæ verò , cùm sub insidiis adulando dicunt : *Magister , volumus à te signum videre.* Ideo benè de iis Dauid prædixit : *Dentes eorum arma , & sagittæ , & lingua eorum gladius acutus.*

Adulatio sagittæ similis. — Adulando , & calumniando Iudæi sagittæ, gladioque similes. — Lucæ 11. — Psalm. 56.

*Qui respondens , ait illis : Generatio mala , & adultera signum quærit.*

Adulatio magis quàm contumelia Domino displicet.

6. Mirum profectò videtur , quod Dominus honorificè à Scribis , & Pharisæis Magister vocatus , tam acriter respenderit. Præsertim cum idem Dominus erga Iudæos tam patienter se gesserit , cum eum , & dæmoniacum , & Samaritanum contumeliosè vocarunt , in eumque lapides arripuerunt. Voluit certè tam acri responsione Dominus insinuare , quantùm adulatoria verba detestaretur , vt hinc blanda adulatio præ contumeliis à nobis magis noxia haberetur. *Cum Iudæi asperè , & contumeliosè interrogant , iucundius , atque humilius respondet ; cùm verò assentantur , & derideant ; tunc non mediocri vtitur acrimonia* , ait Chrysostomus. Inimicorum insectationes, & iniuriæ , aquarum nomine in sacris litteris significantur : *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem , nec flumina obruent illam.* Cantic. 8. Contra verò falsorum amicorum blanda adulatio vini nomine mysticè exprimitur : *Vinum ingreditur blandè , sed in nouissimo mordebit , vt coluber* , Prouerb. 23. Porrò Noë , qui ex diluuij aquis euaserat , in vini insidias incidit : *Noe plantauis vineam , bibensque vinum inebriatus est , & nudatus in tabernaculo suo.* Similiter accidere potest , vt animus benè firmus , quem insectantes inimici non commouent , adulationis insidiis labefactetur. Ratò in luporum , frequentius in canum morsus incurritur ; quod lupus semper mordax , canis verò blandus etiam esse soleat. Argutè satis Cynicus respondit ; interrogatus enim , quæ bestia morsum haberet nocentissimum , dixit : *Si de feris interrogas , obtrectator ; si de cicuribus , adulator.* Antisthenes , vt Stobæus serm. 12. refert, aiebat melius esse in coruos , quàm in adulatores incidere ; quod hi viuentibus , illi mortuis oculos eruant ; quo indicabat homines blanda adulatione excæcari.

Ioan. 8. — Adulatio vino , iniuria aquæ comparatur. — Genes. 9. — Adulatus cani , contumeliosus lupo comparatur. — Apophthegm. lib. 12. — Adulator cetero peior.

*Et signum non dabitur eis , nisi signum Ionæ Prophetæ.*

7. CVm Dominus multa alia suæ Diuinitatis , & potestatis signa postea dederit ; cur hic ait : *signum non dabitur ei , nisi signum Ionæ Prophetæ* ? Respondetur his verbis significasse Dominum , non aliud signum se daturum Scribis , & Pharisæis petentibus : nam à Domino in cruce pendente , quod esset Dei filius , signum petierunt dicentes : *Alios saluos fecit , seipsum non potest saluum facere ; si rex Israël est , descendat nunc de cruce , & credimus ei: confidis in Deo , liberet nunc , si vult , eum ; dixit enim : Quia filius Dei sum.* Idque iuxtà Dauidis vaticinium Psalm. 21. *Locuti sunt labiis , & mouerunt caput : sperauit in Domino , eripiat eum , saluum faciat eum , quoniam vult eum.* Et Sap. 2. *Gloriatur Patrem se habere Deum : videamus ergo , si sermones illius veri sint , & tentemus , quæ ventura sunt illi ; & sciemus , quæ erunt nouissima illius. Si enim est verus Filius Dei , suscipiet illum , & liberabit de manibus contrariorum.* Hoc igitur signum, quod Iudæi petierunt Dominus à Iona præfiguratus illis dedit : sicut enim Ionas ceti ventre absorptus , inde post tres dies illæsus prodiit : ita Dominus post tres dies à corruptione illæsus, & à sepulchro à Iudæis irrito conatu custodito ad immortalem vitam resurrexit : & ita de manibus contrariorum , qui custodiri sepulchrum iusserant , diuina virtute se planè liberum reddit. Resurgendo autem Dominus signum maius , quàm Iudæi petebant , suæ Diuinitatis dedit. Maius enim fuit è morte ad immortalem vitam resurgere , quam si è cruce , vt Iu-

Resurgens Dominus signum maius , quàm Iudæi petebant dedit , quàm si è cruce descendisset. — Cap 27 Matth.

dæi petebant, adhuc viuus descendisset. Refigere enim clauos, vel per se, vel Angelorum ministerio, & è cruce descendere opus naturale fuisset: corpus verò exanime, & exangue cum gloriæ dotibus, impassibili, & immortali vita rediuiuum reddere, opus fuit omninò supernaturale.

*Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.*

Deus in veteri testamento de se loquitur, ac si de alio loqueretur: similiter Christus in nouo testamento.

8. IN veteri testamento ita interdum de se loquitur Deus, ac si de alio loqueretur. B Amos 4. *Subuerti vos, sicut subuertit Deus Sodomam, & Gomorrham, & facti estis, quasi torris raptus ab incendio; & non rediistis ad me, dicit Dominus.* Zach. 3. *Dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan.* Numer. 12. *Locutus est Dominus: si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei:* & alibi. Sic in Euangelio sæpè Christus Dominus filium hominis se appellando, de se, tamquam de alio loquitur, sic etiam de se in hoc Euangelio ait: *Ecce plusquam Ionas hic: & ecce plusquam Salomon hic.* Porrò se vocat hîc, & alibi sæpius Christus Dominus filium hominis; idque motiuo veritatis, humilitatis, & charitatis; veritatis, cùm per C Virginem matrem verè filius Adæ fuerit, veramque naturam humanam assumpserit; humilitatis, cùm relicto titulo filij Dei filium hominis se potius dicere voluerit; charitatis denique motiuo, quia dicendo se esse filium hominis, se totum homini addictum, & humanæ saluti deditum significauit. Sicut filius mortis hominem morti addictum; & destinatum Hebræo loquendi modo significat, vt Caietanus Matth. 8. notauit. Sed ad Domini in sepulchro triduum veniamus.

Filium hominis Christus sæpè se nominat ex veritate, humilitate, & charitate.

1. Reg. 26.

Diei naturalis initium alij à solis occasu, alij probabilius à solis ortu desumunt.

9. Aliqui naturalis diei initium à solis occasu; alij à solis ortu sumendum esse existimant, & probabilius. Qui à solis occasu initium desumunt, docent, Mosem Genes. 1. dicentem: *Factum est vespere, & mane dies vnus.* Per initium noctis, nempe D per vesperam; & per initium diei artificialis, nempe per mane totam noctem, totumque diem significasse. Ita sentit S. Hieronymus in Ionam c. 2. cum ait: *In Genesi nox non præcedentis diei est, sed sequentis, id est principium futuri, non finis præteriti.* Contra verò, qui naturalis diei initium à solis ortu desumunt, docent, Mosem per terminum significasse totum terminatum; ita vt per vesperam terminantem diem artificialem, & per mane terminans noctem; diem integrum naturalem significauerit. Ita sentit Sanctus Basilius hom. 2. in Genes. dicens: *Vt in ordine creationis prærogatiuam deferret diei; ipsius diei finem primò commemorat, qui est vespera; deinde subnectit finem noctis, quod E est mane; vt ita constet priorem fuisse diem artificialem, quàm noctem.* Basilium sequuntur Chrysost. hom. 3. & 5. Genesim: Ambros. in Hexamer. August. l. 1. de Gen. contra Manich. cap. 10. & lib. imperfecto in Gen. c. 7.

Hieronymi, & Augustini interpretatio de triduo Domini sepulchri non satisfacit.

10. Hoc posito, cùm Dominus ex communi sententia, quam expressè docet Bellarm. in Symb. Apost. sepultus fuerit feria 6. hora 23. & Dominica hora 8. vel 9. noctis resurrexerit; seu diluculi tempore, vt placet Augustino, hinc naturalem diem iuxtà Hieronymum à vespere inchoando, in sepulchro tres quidem dies Dominus mansit; sed feriæ 6. deesse nox; Dominicæ deesse dies manife-

*Sabbati: Dominici diei diluculum.* Similiter, & clarius Theophylactus: *A sexta hora vsque ad nonam fuerunt tenebræ, per has mihi noctem intelligas. Iterum à nona lux, hoc est dies: ecce diem, & noctem. Iterum nox Parasceues, & dies Sabbati: Ecce 2. diem, & noctem. Nox quoque Sabbatum, & diluculum Dominicæ: à diluculo enim dies totus numeratur: ecce tertiò diem, & noctem.*

Sol consueto citius illuxit Dominicæ resurrectionis nocte: idem n. 14.

13. Ad quod melius intelligendum ipsa nocte præuia diei Dominico, cum Christus resurrexit, solis primùm absentia, deinde præsentia reperitur. Abfuit quidem sol primis nocturnis horis, rediji verò sub extremam partem eiusdem noctis; quandoquidem Dominicæ resurrectionis nocte consueto citius sol illuxit, diemque reuocauit; vt resurgentis Domini veluti prænuncius, & Lucifer foret. Id Chrysologus colligit ex verbis Marci 16. *Valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole.* Si valde mane, quomodo orto iam sole? Respondet Chrysologus serm. 82. *Sol, qui præter horam, vt Domino compateretur, abscesserat; claritate, cum resurgeret Dominus, ante tempus occurrit: & qui vt suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam mortificauerat claritatem; vt consurgeret auctori suo, euictis tenebris antelucanus erupit.* Idem serm. 74. in illud Matth. 28. *Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati: Vespera,* inquit, *mater noctis parturit diem; mutat ordinem, dum agnoscit auctorem; radiat de nouitate mysterium; anhelat creatori seruire, non tempori.* Idem serm. 75. *Elementorum auctor, elementorum vices mutat; resurgente Christo fidelibus lucescit Vesper, dies infidelibus tenebrescit; Discipulis nox mutatur in diem; Iudæis dies vertitur, & mutatur in noctem. Ab hora sexta tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam; vt quod scriptum est, impleretur. Occidet illis, idest Iudæis, sol meridie: nostris autem nox, sicut dies illuminabitur.* Æquum erat, vt resurgente Domino iustitiæ sole, iustitiæ leges seruarentur; adeoque illæ tenebrarum horæ, quas feria 6. ex die sibi nox vsurparat; ipso iterùm noctis tempore restituerentur diei. Quare de Domini resurrectione Chrysologus ait: *Tunc sol, vt mane faceret, manicauit: & qui ante noctem fugerat, nunc ipse noctem præuenis fugaturus; vt reddat luci nox horas, quas terror Dominicæ passionis innaserat.*

Dominum tres dies, & noctes in corde terræ fuisse primo modo explicatur. — Lucæ 23. Amos 8. Psalm. 138. Malach. 4. — Ser. 82.

14. Denique eamdem sententiam de anticipata, cum Dominus resurgeret, solis illuminatione habemus ex Ambrosio his verbis: *Solem ipsum arbitror esse in hac die solito clariorem: necesse est enim, vt sol in eius resurrectione gaudeat, in cuius passione condoluit; vt cuius mortem lugubri quadam caligine prosecutus est, eiusdem vitam nitidioris lucis splendore suscipiat; & tamquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ; modò corruscet in resurrectionis obsequium.* Ergo ex Ambrosio sicut solis obscuritas Domini præcessit exequias; ita solis illuminatio præire, ac prænunciare Domini resurrectionem debuit. Præterea etiamsi solis ortus, resurgente Domino celerior supra horizontem non fuerit; satis est ex Ambrosio, si illius illuminatio fuerit intensior; nam eò ipso diurni temporis exordium celerius fuit: quandoquidem aucto solari lumine, quod ex eo diluculum proueniebat, clariorem diem referre poterat: dies enim esse, & sol oriri dicitur, non solùm cum solare corpus supra horizontem apparet; sed etiam cum aduentantis solis lux tenebras expulit. Iuxtà quem sensum Augustinus, Beda, Euthymius, Theophylactus, & Lyranus explicant verba illa Marci 16. *Valde mane,* seu *Valde diluculo,* vt ait Lucas, *veniunt ad monumentum orto iam sole,* idest *sole oriente,* vt legit Augustinus. Hinc Chrysostomus tomo 6. orat. de martyre, ait: *Sub auroram solem exorientem vidistis, & quasi croceos radios emittentem.* Sub auroram autem non solare corpus, sed eius radij, ijque non planè lucidi, sed crocei videntur; & tamen solem exoriri, adeoque diem esse Chrysostomus dixit. Porro allatæ sententiæ de præmaturo solis ortu, non obstat, quod Ioannes dicat, Magdalenam ad monumentum venisse, *cùm adhuc tenebræ essent.* Respondetur enim ex Dionysio Alexandrino epistola ad Basilidem, mulieres cum adhuc tenebræ essent, domo fuisse egressas; ad sepulchrum tamen peruenisse post expulsas tenebras; cum tenebræ in ipso mulierum itinere ex inopinato, insuetoque solis aduentu recesserint.

Ambros. ser. 52. — Diluculum pro die sumi potest. — Luc. c. 24. — Aug. l. 3. de consensu Euang. c. 24. — Ioan. c. 20.

15. Quod si quis, relicta Chrysologi, & Ambrosij sententia pro tertio die, quo Christus in corde terræ fuerit, ipsum ordinarium diluculum velit accipere, dicere deberet Dominum aliquantò post diluculi initium resurrexisse; quam sententiam plures sequuntur apud Suarium citandum infra. Tale autem diluculum, diem appellari posse, confirmatur ex Marci 1. vbi enim de Redemptore dicitur: *Diluculo valdè surgens egressus abijt in desertum locum;* Lucæ 4. de eodem dicitur: *Facta die egressus ibat in desertum locum.* Dici autem potest nomine diluculi dies, eò quod dies vsualis esse dicitur, cum in vsum humanarum operationum solare lumen illucescere videtur. Præterea in eadem regione respectu diuersorum situum idem tempus diluculum, & proprijssimè dies dici potest; nimirum si solare corpus post montis dorsum iam appareat; citra montem tamen sol nondum exortus, sed tantùm eius illuminatio videatur. Quod facilè Ierosolymæ contingebat propter Oliueti montem, qui vergit ad Orientem. Præterea præter tertiam noctem ad saluandum tertium diem, quo Dominus in corde terræ fuisse dicitur; confert, quod Dionysius supra citatus ait; scilicet Dominum post resurrectionem iterùm in Limbum descendisse.

Diluculum pro die sumi potest.

16. Reliquum est, vt respondeatur Hieronymo, & Augustino asserentibus contra Nysseni, aliorumque, quos citaui, sententiam, tenebras supra faciem terræ Dominicæ passionis tempore offusas non benè noctem appellari, neque tales tenebras ad triduum, quo Christus in corde terræ fuerit, pertinere. Citatos Patres sequitur Suarius 3. p. tom. 2. quæst. 53. dist. 46. Ratio autem id probans duplex affertur: prima est, quia impropriè dici potest nox, illud tenebrarum tempus, cum sol reuera fuerit in nostro hemisphærio, quamuis non luxerit. Quod confirmari potest ex Basilio hom. 2. in Genes. vbi inter tenebras, & noctem distinctionem ponit dicens: *Prior ille mundi status ante primogeneam lucem exortam, non nox dicebatur, sed tenebræ; nox enim ea temporis pars dicta est, quæ distinctè se habet, & opposite ad diem.* Sed respondetur ex Nysseno supra citato, tenebras supra terræ faciem satis propriè noctem appellari iuxtà illud Genesis 1. *Appellauit lucem diem, & tenebras noctem.* Nam si post consuetum noctis tempus sol ad nostrum hemisphærium sine illuminatione rediret; non propterea illucescere, aut diescere diceremus: Cum ex Genesi, non solare corpus, sed lux dies appelletur. Præterea cum dixisset Iob: *Dies ille vertatur in tenebras, & non illustretur lumine:* paulò post diem illum, noctem appellat; nec in diebus annis computandam esse existimat: *Noctem illam tenebrosus turbo*

Basil. — Tenebras Dominicæ passionis tempore supra terram offusas benè noctem appellari idem n. 17. — C. 3.

*possideat; non computetur in diebus anni.* Quare ibi Vulgata legit: *Dies illa vertatur in tenebras*; Septuaginta legunt: *Nox illa sit tenebræ.* Vt igitur cum Vulgata Septuaginta concordent; tempus quodcumque planè tenebrosum noctem esse dicendum est. Ideo expresse sanctus Leo serm. 8. de passione tenebras, quæ cum Dominus in cruce penderet, factæ sunt, noctem vocat, dicens: *Cum obscuratis luminaribus cœli, & conuerso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis.* Præterea si dies esset Solis præsentia in nostro hemisphærio; consequenter neque diluculum dies dici posset; cum multò post diluculum sol in nostri hemisphærij horizonte esse incipiat; & tamen ad diem tertium constituendum, quo Dominus in corde terræ fuit, diluculum numerant B oppositæ sententiæ auctores: ergo si ex hemisphærij illuminatione, non ex Solis præsentia in hemisphærio, dies dicitur; è contrario ex obtenebratione, non ex absentia solis nox est dicenda.

17. Secunda ratio contra allatam sententiam est, quia trium horarum existentibus tenebris adhuc Christus viuebat, & non solùm in corde terræ non erat, sed neque etiam in terra, sed in aëre, cum adhuc è cruce penderet. Respondetur, durantibus tenebris Christum expirasse, eiusque animam ad Limbum descendisse: Sol enim non statim, sed aliquantò post Christi mortem reluxit; C quandoquidem si immediatè post Christi mortem irradiasset, Domini mortem comprobare potius, quàm dolere Iudæis visus esset. Quare dicendum est, tenebras vsque ad vltimum, complementum horæ nonæ durasse; Dominum verò circa horam nonam expirasse, vt Matth. 27. indicat.

Dominum tres dies, & noctes in corde terræ fuisse secundo modo explicatur.

18. Præterea ad noctem feriæ 6. inueniendam alia via nobis aperitur, distinguendo duplicem diem; alterum naturalem, alterum cæremonialem: Cæremonialis dies ab vna vespera incipiens, sequenti vespera terminatur iuxta Leuiticum 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*; hoc est festiuitates. Dies verò naturalis D Romanorum more etiam Iudæis consueto, vt docet Pererius cap. 1. in Genes. v. 5. ab accessu Solis ad nos inchoandus, media nocte incipit, & sequenti media nocte absoluitur. Hinc fit, vt idem continuum noctis tempus in duas medietates diuisum, secundùm priorem partem ad antecedentem diem spectet, secundùm posteriorem ad sequentem. Allata naturalis diei acceptio habetur lege *More Romano.* ff. de ferijs: *More Romano dies à media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur: ita quicquid in ijs viginti quatuor horis, idest duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum est, perinde est, ac qualibet hora E lucis actum esset.* Similiter apud Gellium, & Macrobium, *M. Varro in lib. rerum humanarum, quem de diebus scripsit; homines, inquit, qui media nocte ad proximam mediam noctem in his horis viginti quatuor nati sunt, vna die nati dicuntur.* Ex hac naturalis diei acceptione clarè soluitur contradictio, quæ inter Matthæum, & Ioannem videtur esse. Nam Ioannes 13. ait cœnam paschalem factam esse ante diem festum paschæ; Matth. verò cap. 26. ait ipso primo die paschatis, seu Azymorum accessisse discipulos ad Iesum dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* Si ipso primo die paschali, seu Azymorum adhuc à Discipulis de cœna paschali parando quærebatur, quomodo eam Ioannes ante diem paschæ factam esse testatur? Respondet Sanctus Thomas:

Dies duplex naturalis, & cæremonialis.

Dies cæremonialis est a vespera ad vesperam.

Dies naturalis apud Romanos à media nocte incipiés, sequenti media nocte finitur

Gell. l. 3. c. 2. Macrob. l. 1. c. 3.

Matthæi, & Ioannis sententia diuersa conciliatur.

S. Th. 3. p. q. 46. art. 9.

*Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ; & ecce plusquam Ionas hic.*

*Iudicandi potestas non solùm Apostolis, sed etiam Religiosis Apostolorum imitatoribus est promissa.*

21. Condemnabunt eam: Extremi iudicij die iudicandi, adeoque condemnandi potestas, Apostolis, Religiosisque viris danda est. Cum enim Matth. 19. Petrus Apostolus Domino dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Vbi per duodecim tribus non solùm Hebræam gentem, sed quotquot iudicandi sunt; & per duodecim sedes non solùm duodecim Apostolos, sed omnes, quotquot iudicaturi sunt, intelligi benè probat S. Augustinus in Psalm. 86. Cum autem veri Religiosi Apostolorum imitatores vouentes obedientiam, castitatem, & paupertatem verè reliquerint omnia; nempe libertatem per obedientiam; carnis voluptatem per castitatem; rerum possessionem per paupertatem; ideo quod Apostolis de iudiciaria potestate promittitur, Religiosis etiam promitti benè probat ex SS. PP. Hieronymus, Platus l. de bono status religiosi cap. 17. Quod inter cæteros S. Anselmus epist. 10. asserit dicens: *Dominus consulit ad perfectionem nitentibus, vt omnia relinquant, & se sequantur. Ipse omnia relinquentibus, & se sequentibus promittit, quia sedebunt cum illo in iudicio iudicantes duodecim tribus Israel.* Ad hoc indicandum Iob 36. de Deo dicitur: *Iudicium pauperibus tribuit.* Redditque rationem Greg. 26. mor. cap. 20. *Quia quantò huic mundo magna humilitate despecti sunt; tantò tunc acceptis sedibus maiore culmine potestatis excrescent.* Hoc posito, cur hîc de Niniuitis, & Austri Regina dicitur: *Condemnabunt eam*, scilicet Hebræam generationem incredulam? Respondet S. Hieronymus: *Condemnabunt eam, Non sententia potestate, sed comparationis exemplo.* Ad hoc explicandum Prou. 21. 18. dicitur: *Pro iusto datur impius, & pro recto iniquus:* datur scilicet in supplicium; hoc est damnatur. Vbi Beda ait: *Damnatur Herodes non tantum pro Innocentibus, quos impiè neci tradidit; sed & augmentum damnationis accipit; quia fidem Magorum sequi ad quærendum Dominum noluit; cum esset Iudæus, & Prophetarum dicta cognosceret. Hinc enim Dominus ait: Regina Austri surget in iudicio, cum generatione ista, & condemnabit eam. Non quia ipsa sua virtute, & potentia condemnabit; sed quia in eius comparatione condemnabuntur, qui deuotionem eius scientes, cùm multò faciliùs possent, sapientiæ curam dissimulabant habere.*

*Anselm.*

*Peccatorum culpæ grauiores ex iustorũ sanctitate.*

Quòd autem non solùm ex pœnitentium emendatione, sed etiam ex iustorum sanctitate peccatorum culpæ grauiores videantur, legitur 3. Reg. 17. de Sarephtana vidua, quę cum ob filij mortem quereretur, Eliæ dixit: *Quid mihi, & tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Vbi quæritur cur Eliæ præsentiæ mulier hæc filij mortem tribuerit? Respondet Abulensis: Quia Elias mulieri præsens, erat valde sanctus; ex præsentia eius credidisse mulierem sua peccata visa esse maiora, & ob hoc digna maiori pœna; & ideo reduxisse ad memoriam Dei, & propter illa occidisse filium eius. Quamuis enim teste Apostolo, *Omnia nuda, & aperta sint oculis Dei*; nec

*Ad Hebr. c. 4.*

A sanctitatis comparatione Deus indigeat, vt cognoscat quanta sit peccati malitia: nihilominus verissimum est etiam culpas minus esse excusabiles, & grauiores fieri, eò quod à peccatore sanctitatis exempla in hominibus videantur. Sunt ergo peccata veluti maculæ, quæ ob sanctitatis splendorem sordidiores apparent, magisque intuentium oculos offendunt. Quare cum vidua mulier cum Elia conquereretur: *Ingressus es ad me, vt rememorarentur peccata mea: Tuo inquit lumine aperta sunt mea peccata, quæ occulta erant,* ait Theodoretus. Propterea dixit Iob 25. *Numquid potest iustificari homo comparatus Deo; aut apparere mundus natus de muliere? Ecce etiam Luna non splendet,* B *& stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Et cap. 15. *Cæli non sunt mundi in conspectu eius?* Vbi cœlorum nomine Angelos, & sanctos, in quibus tamquam in cœlo Deus inhabitat, Augustinus intelligit. Ideo Petrus Apostolus, qui dicente Domino: *Numquid & vos vultis abire?* respondit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes:* nihilominus idem dixisse legitur: *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum. Conferens peccata sua cum sanctitate, quam aspiciebat in Iesu, timet sibi à propinquitate tam sancti viri*, ait Caietanus.

*Theodoret. q. 11. in lib. Reg.*

*Cœlorum nomine Angeli, sanctique viri intelliguntur.*

*Ioan 6. 68.*

*Lucæ 5.*

22. Sed redeundo ad Niniuitas, quod de Regina Austri Beda ait, idem de Niniuitis dici potest: C Niniuitarum enim Gentilium, & tamen pœnitentium, vitamque prauam corrigentium comparatione Iudæi veræ fidei luce illuminati, & tamen impœnitentes condemnabuntur: præsertim cum illi Ionæ monita audierint, hi verò Dei filij monita neglexerint. Qualis autem, quantaque Niniuitarum pœnitentia fuerit, habetur Ionæ cap. 3. *Niniuitæ prædicauerunt ieiunium; & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue;* nempe ad Sardanapalum voluptariæ vitæ studio infamem. *Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se;* nempe muliebrem habitum, quo ad lasciuiam vtebatur. *Et indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, &* D *dixit in Niniue ex ore regis, & Principum eius dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam; nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & iumenta; & clament ad Dominum in fortitudine; & conuertatur vir à via sua mala.* Quamuis autem postea Niniuitæ iterum præuaricando à salutis via recesserint: & primum ab Arbace Medo, deinde à Nabuchodonosore deuicti, in scelerum pœnam hostium iugum subierint: nec Nahum Prophetam post Ionam ad eos arguendos missum audierint: nihilominus ex iis aliquos, qui Iona prædicante pœnitentiam egerunt in præteritæ vitæ correctione perseuerasse, & salutem consecutos esse, pium est credere. Idque valdè probabiliter asseri potest: non enim videtur E congruum, vt ad Iudæos incredulos, & impœnitentes damnandos Niniuitarum pœnitentia, qui iterùm ad vomitum redierunt, sit adducenda. Fauet huic sententiæ Remigius, qui in hæc Domini verba: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista*, ait: *Ostendit Dominus his verbis vnam esse malorum, & bonorum resurrectionem futuram:* Iudæorum scilicet impœnitentium, & pœnitentium Niniuitarum. In eadem verba Sanctus Paschasius ait: *Notandum, quòd Gentes ad meliora eo in die Iudicij resurgent, & sublimiora percipient fidei suæ dona.*

*Niniuitæ pœnitentes: alij iterum præuaricati sunt: alij in salute perseuerarunt.*

*Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic.*

Ventorum nomine regna significantur: nec ventus sine motu, nec regna cum quiete reperiuntur.

23. A Vento huius Reginæ regnum nominare Domino placuit; vt regni instabilitatem, fugacitatem, perpetuæque mutationis motum ostenderet. Ad idem significandum Danielis 7. dicitur: *Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Vbi iuxtâ Theodoretum quatuor celebres Mo- B
narchiæ Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum non alio nomine, quàm quatuor ventorum in mari magno, hoc est in sublunari hoc mundo pugnantium significantur. Similiter Zach. 6. iuxta Hieronymum, cum sub figura quatuor quadrigarum easdem Monarchias Propheta vidisset; & ab Angelo quæreret: *Quid sunt hæc, Domine mi?* Respondit Angelus: *Isti sunt quatuor venti.* Ventus hoc habet proprium, vt cum à motu cessat, ventus esse desinat: quare si quis ventum sine motu vellet, venti naturæ planè nescius videretur. Similiter, qui sine inquietudinis motu regnare vellet, nesciret profectò quid peteret Et ideo Dominus petitioni illi Matth. 20. C
*Dic, vt sedeant hi duo filij mei in regno tuo*: eo quòd sedere quiescere significaret, respondit: *Nescitis quid petatis.*

Regina Austri, eadem ac Regina Saba, vbi regnauerit.

24. Porrò quæ hîc Austri Regina, eadem 3. Reg. 10. Regina Saba appellatur: Saba autem duplex reperitur; eaque propriè non regio est, sed regia ciuitas regionem reliquam denominans: & altera Æthiopiæ est metropolis, postea Meroë dicta iuxta Iosephum 2. Antiq. cap. 10. altera metropolis Felicis Arabiæ, dicta etiam Merioba teste Strabone lib. 16. Arabum Sabæ teste Iosepho lib. 1. cap. 12. nomen dedit Sabas, cuius pater Chus, & auus Cham, atauus Noë. Saba verò Æthiopum D
nomen accepit à Sabao, seu Saba, cuius pater Romus, seu Regma, auus verò Chus, vt ibidem ex Iosepho habetur. Quamuis non improbabiliter dici possit Æthiopum Sabam ab Aseb, qua voce Auster apud Æthiopes significatur, fuisse dictam.

Gen. 10. ver. 8

Est autem apud sacros interpretes controuersia, quænam Saba Arabum ne, an Æthiopum Reginæ, quæ Salomonem adijt, sit tribuenda. Pro vnaquaque opposita sententia Sancti Patres sunt. Qua in controuersia notandum est primò Magos, qui Bethleem ad Dominum adorandum venerunt, Sabæos fuisse; idque iuxta vaticinium Isaïæ 60. *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes*: iuxta etiam E
Dauidis vaticinium Psalm. 71. *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent; Reges Arabum, & Saba dona adducent*: Vtrumque autem hoc vaticinium in Epiphaniæ officio Ecclesia recitat. 2. notanda est regula, quam Hieronymus Zachariæ. 2. docet in illa verba; *O fugite de terra Aquilonis: Plagæ orbis, quas Græci appellant climata, iuxta situm Ierusalem intelliguntur, & templi. Assyrij ergo, & Babylonij, qui Dei populum vastauerant, habitant in terra Aquilonis.* Idem docet cap. 6. in illa verba *Equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis.* Hac posita regula, cum Matth. 2. Magos ab Oriente venisse legamus; cumque hîc regina Saba Austri regina dicatur; eam propterea, non ab Oriente, vt Magi, sed ab Austro venisse dicendum est. Rursus cum Arbum Saba respectu Ierosolymæ Orien-

A

*Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.*

26. QVæ de immundo spiritu hîc Dominus dicit, iterùm habentur Dominica tertia Lucæ 11. vbi etiam de ijs aliqua dicemus. Loca arida, seu, vt Lucas ait, inaquosa, intelligi possunt solitudines procul ab hominum commercio. Cum enim diuino imperio, & gratia ab hominibus dæmones expelluntur, se in solitudines recipiunt. Hinc Apoc. 8. Babylon in vastitatem, & solitudinem redacta dæmonum habitaculum facta esse dicitur: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum.* Quoniam verò deserta loca dæmonibus arida sunt; non enim in ijs prauarum suggestionum noxium semen ad peccatorum messem colligendam serere possunt; ideò ibi requie non inuentâ, iterùm ad hominum frequentiam Deo permittente redeunt.

Solitudines procul ab hominibus cur loca arida dæmonibus sint.

27. 2. Gentilium populi hîc per loca arida possunt intelligi; eò quod in illis, vt ait S. Paschasius, *nullus fons vitæ adhuc effluxerat, neque cœlestis imber in eos compluerat. Tandem gratia Dei respersi, postquam per lauacrum aquæ vitæ sunt abluti, habitandi cum his nullus locus fuit. Quare diabolus optimum duxit in eam regredi domum, de qua depulsus exiuit*: redeundo scilicet ad Iudæos, qui antea per pœnitentiam immundum spiritum eiecerant; deinde iterum à salutis via deflexerant. *Putabat diabolus se perpetuam quietem posse habere in Gentili populo, & non inuenit; quia apparente Dei filio per mysterium incarnationis sua Gentilitas credidit,* ait S. Remigius.

Gentilium regiones cur loca arida dicantur.

28. 3. Sicut homines consueti, communisque cibi fastidio sæpè ad delicatas escas gulam intendunt; ita diabolus, vt sit *cibus eius electus,* quemadmodum Habacuc loquitur, à peccatoribus ad iustos tentandos egreditur; & tunc per loca arida ambulare dicitur. Nam, vt Greg. ait: *Loca arentia, atque inaquosa sunt corda iustorum, qui per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur. Loca verò humentia sunt terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis concupiscentiæ quia replet, fluidas facit: in quibus diabolus iniquitatis suæ vestigia tantò altius imprimit, quantò in eisdem mentibus pes transitus illius, quasi in fluxa terra descendit.* Cum verò immundus spiritus apud iustos nullum peccati pabulum inuenit; iterùm ad peccatores, vt eos in peiora scelera pertrahat, reuertitur.

Cap. 1. 16.
Loca arida cur Iustorum corda dicantur
33. Mor. c. 5.

29. *Quærens requiem, & non inuenit.* Sicut Angeli in celebrandis diuinis laudibus numquam defatigati, requiem non habent, vt in suis visionibus S. Ioan. testatur: *Requiem non habebant die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens:* E' contrario immundi spiritus in auertendis à debito Dei obsequio hominibus requiem non inueniunt; cum semper noua, & noua crimina, & scelera quærant; ijsque numquam expleantur. Visum est satis Apostolo Petro Leoni diabolum comparasse: *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret:* sed teste Aristo. hist. animalium cap. 5. Leo post saturitatem triduo inediam patitur: diabolus verò numquam satur, inediam numquam sustinet, semperque ad animas deuorandas anhelat.

Apoc. 8.
1. ep. c. 5.
Leo satur inediam triduo patitur: diabolus leone vorcior nunquam satur.

*Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam scopis mundatam, & ornatam.*

30. SVam diabolus domum, ex qua iam exierat, animam appellat; quia præterea, quæ initio diximus, peccator deletis pœnitentiæ sacramento actualibus culpis, postea ex ignauia prauos habitus contrarijs actibus expellere negligit; adeoque adhuc diabolo fit obnoxius. Peccator autem, qui ita præteritas culpas tollit, vt prauos habitus, ex quibus illæ pullularunt, non eradicet, similis est ei, qui nouacula pilos abradit: abrasi enim pili, licet aliquanto temporis spatio non appareant, relictis tamen radicibus iterum prodeunt. Quare ad hoc exprobrandum dicitur Psalmus 51. *Sicut nouacula acuta fecisti dolum:* recidendo scilicet, non euellendo peccata. Non dissimiliter ait Basilius *eum, qui semel pœnitentiam egit, idem peccatum rursus facere significatio est, quod prima peccati illius causa non expurgata est; à qua rursus velut à radice quadam necesse est æqualia produci. Quemadmodum si quis arboris ramos resecare voluerit dimissa radice, nihilominus radix manens illos rursus producit.*

Diaboli domus ex [illegible] peccandi [illegible] bitu [illegible] adhuc homo dicitur.

B

Peccator, qui peccata pœnitet nec prauos habitus euellere [illegible] nouaculæ similis.
Basil. quæst. 19. ex breuioribus.

C

31. 2. Reg. 12. Dauidi suam culpam confitenti: *Peccaui Domino,* Nathan respondit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum,* hoc est condonauit. Quare ergo peccato iam translato adhuc ad Deum Dauid clamabat: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me?* Scilicet, vt non solùm peccatum, sed etiam peccandi prauus habitus deleretur, ampliorem ablutionem Dauid pœnitens efflagitabat. Ideo benè monet Ecclesiasticus: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Timere enim peccator pœnitens debet, ne malorum habituum, prauæque consuetudinis radix repullulet. Præterea post deletam peccati malitiam, prauarum rerum imagines animum inquinantes delendæ remanent: quibus animo infixis reuocari sperat Diabolus, & in amissum animæ domicilium iterum ingredi. Denique peccata animi vulnera esse docet Hieronymus in illud Isaï. 1. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens:* cum verò per gratiam peccata tolluntur, vulneri quidem cicatrix obducitur; remanet tamen imbecillitas ad operandum; quando cicatrix diuinæ misericordiæ oleo per pœnitentiam impetrato non corroboratur. Conatur igitur diabolus cicatricem iterum in vulnus reserare; sibique aditum in animam, vnde fuerat eiectus, aperire. Sed de hoc iterum infra. Cur autem domus, ad quam reuertitur diabolus, dicatur scopis mundata, & ornata, dicetur Dominic. 3. vbi eadem, quæ hîc repetuntur.

Dauid post peccati remissionem cur amplius ablui petierit.
Psal. 50.
Cap. 5.

D

E

*Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se; & intrantes habitant ibi.*

32. SEptem spiritus assumi dicuntur propter criminalia peccata, quæ contraria sunt septem donis Spiritus sancti, ait Hieronymus. Sed contra est, quia non septem solùm, sed simul cum primo septem & consequenter octo sunt, qui peccatoris domum ingredi dicuntur. Octonarium numerum mysticum appellat Ambrosius, eumdem numerum Pythagorici vocabant iustitiam; nam

Octonarium numerum iustitiam Pythagorici vocabant.
Lib. 5. in Luc. c. 6.

primus omnium in numeros pares ita diuiditur, vt ipsi diuisi numeri in pares similiter numeros subdiuidantur. Diuiditur autem octonarius numerus in quaternarios, & quaternarius in binarios subdiuiditur. Ezech. 40. 34. In templum, quod cœlestem Ierosolymam præfigurabat, per octo gradus describitur ascensus. Quinam autem sunt hi gradus, quibus ad cœlestem patriam ascenditur? sunt profectò misericordiæ opera; ijs enim, qui misericordiæ opera exercuerunt, dicet diuinus Iudex: *Venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Misericordiæ autem opera septem numerat S Thomas 2. 2. quæst. 37. art. 2. Pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuum, & sepelire mortuum. Quibus cum addatur octauum à Domino dicente: *In carcere eram, & venistis ad me*: & his octo gradus efficiuntur, quibus ad cœleste regnum ascenditur. Per totidem autem octo gradus, seu potius præcipitia, omittendo misericordiæ opera in inferorum barathrum peccatores corruunt. Quibus propterea à cœlesti Iudice dicetur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ideo ergo octo immundi spiritus in peccatoris animam ingredi dicuntur: vt singuli pro suo munere in singula præcipitia peccatores impellant.

Macrob. l. 1. de somnio c. 5.

Octo gradibus, hoc est octo misericordiæ operibus in cœleste templum ascenditur.

Immundus spiritus, & cum eo septem alij nequiores sunt dæmones ab octo misericordiæ operibus retrahentes.

Matth. 25.

Matth. 25.

Matth. 25.

B

C

33. Præterea Matth. 23. octies repetit Dominus: *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi*: cum enim Matth. 5. iustos diuinam legem seruantes Dominus octies beatos esse dixisset: beatitudinibus, & benedictionibus illis totidem octo opposuit peccatorum miserias, & maledictiones. Nam sicut de iustis dictum est Lucæ 6. *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis*, &c. ita è contrario peccatoribus dicitur: *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis*, &c. Ad octo ergo peccatoris significandas miserias, beatitudinibus octo oppositas, dicuntur octo immundi spiritus in peccatoris domum, hoc est animam ingredi.

Octo immundi spiritus peccatoris, domum ingrediuntur propter octo miserias, octo Beatitudinibus oppositas.

D

*Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus: Sic erit & generationi huic pessimæ.*

34. Hippocrates cum febris desijt, recidiuam timere est solitus, ait Cornelius Celsus lib. 5. cap. 4. Recidiua enim febris maiores morbi vires, adeoque ægroti periculum maius indicat. Similiter cum à spirituali morbo quis conualuit, si in eumdem iterum incidat, maius damnationis periculum timere debet. Similiter etiam si antea saucius, obducta cicatrice, ibidem iterum saucietur, periculosius vulnus subit, quod difficillimè sanatur; cum valde putredini, & corruptioni saniе scatenti sit obnoxium. *Vulnus iteratum sanatur tardius*, ait Augustinus 3. de pœnitentia. Ideo peccator Psalm. 37. aperte fatetur: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*: hoc est propter manifestam insipientiam meam. Vbi Gregorius ait: *Super curatum vulnus cicatrix obducitur. Quæ cicatrix necessariò corrumpitur, si caro sanata iterum vulneratur. Sed quid per vulnus, nisi peccatum exprimitur? Quid verò per cicatricem, nisi pœnitentiæ actio designatur? Qui enim per pœnitentiæ lamenta peccatum corripit, quasi cicatricem vulneri superducit. Quod si dimissæ nequitiæ mentem iterum ad delectationem pertrahunt,*

Cornel. Celsus

Febri cessante, timenda est recidiua: idem de spirituali peccati febri.

E

Vulnus iteratum sanatur tardius: similiter peccatum repetitum.

Greg.

animæ in peccata relabenti dicitur: *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas?* Vias scilicet, per quas recidiui peccatores semper in deteriora labuntur; quippe qui diuina luce priuati à malo Angelo per vitiosæ vitæ habitum iter præcipites impelluntur. Hinc de ijs Psalm. 34. dicitur: *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos*, hoc est Angelus Domini malus impellens eos, iuxtà Hieronymum.

38. Cum Dominus æterno Patri dixerit Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: consequenter talis cognitionis priuatio, cum æternæ vitæ opponatur, miseria maxima est. Hac tamen miseria, quæ meritò maxima existimari potest, miseria maior reperitur. Vt autem, quæ sit miseria hæc maior, intelligatur, reuocemus in memoriam, quod fidelibus de Domino ait Petrus Apostolus epist. 1. cap. 2. *De tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* De ijs autem, qui de peccati tenebris à Deo vocati, & liberati, peccando iterum tenebrarum potestati subjiciuntur, ait idem Apostolus epist. 2. cap. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ; quàm post cognitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Cui consonat Iacobus cap. 4. *scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*: peccatum, scilicet maximum maximo supplicio puniendum, iuxta Domini sententiam Lucæ 12. 47. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis*; hoc est acriori in inferis supplicio punietur, iuxtà Basilium in regulis breuioribus 267.

Peccatoris recidiui miseria maxima.

39. Ierem. 23. de præuaricantibus Dominus ait: *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea; afferam enim super eos mala.* Siquæratur, quibus peccatoribus tam terribilis comminatio fiat? profectò legitur ibi facta prophetis, & sacerdotibus; quippe qui antea à Deo illuminati in vitiorum sordes inciderant: *Propheta, & sacerdos polluti sunt; & in domo mea inueni malum eorum. Via eorum erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea; afferam enim super eos mala.* Porro sicut supra ab Apostolo recta viuendi forma *Via iustitiæ* dicta est; eo quòd in via semper vlterius procedatur; adeoque iusti semper ad maius virtutum augmentum, per iustitiæ viam progredi debeant: ita peccatorum vita similiter via dicitur, & via lubrica, & tenebrosa; eo quòd per eam præcipites semper in deteriora corruant: *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris.*

Illuminati à Deo, & postea in peccata recidentes, supplicium maximum subibunt.

Vita peccatoris via lubrica dicitur, quia semper in peiora labitur.

40. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus* dicitur Psalm. 31. 9. Vtinam tamen suis in vijs Græciæ equos peccatores imitarentur, qui teste Ambrosio, vel Augustino serm. de cognitione sui, ita edocebantur; vt cum fortè caderent, statim consisterent, ne se commouendo, periculosius laberentur. Vel alia animalia rationis expertia peccatores imitarentur; de quibus ait Hieronymus ep. 10. ad Furiam: *Bruta animalia, & vaga aues in easdem pedicas, retiaque non incidunt*, Quod si bruta ad imitationem proponere pudeat, cœlestem sponsam, ne in peccata recidat, imitari anima debet; quæ Cantic. 5. ait: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induam illam? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quasi dicat, vt Patres anonymi apud Theodoretum explicant: *Veteri mea peccati tunica, quam ex transgressione contraxeram, me expoliaui; quomodo iam induam ipsam splendido depulsam indumento? laui pedes meos lauacro baptismatis, & sancti Spiritus aduentu, & diuinorum mandatorum obseruatione eximiè purgata; quomodo igitur illos improbæ cupiditatis vestigia sequens, inquinabo?* Similiter iuxtà Psellum ibidem: *Transgressionis crassitudinem exui, nec sententiam vmquam mutabo, vt eam iterum induam. Terrenas absterfi sordes pedibus meis, eosque in salutis semitas direxi, ne vllo quidem tempore me retro conuertam, vt inquinem illos.* Hinc Ambrosius 3. de Virginibus ait: *Vide anima Deo deuota quid dicat: sic se actus corporis, & terrenos exuit mores, vt nesciat quomodo, etiamsi velit, rursus possit induere. Quomodo induam illam, hoc est qua verecundia, quo pudore, qua postremò memoria? Consuetudo enim boni vsum prauitatis veteris amisit. Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Non dixit: Quomodo iterum lauabo eos? Sed Quomodo iterum inquinabo eos? quasi oblita maculæ veteris, oblita contagij. Itaque pedes cum semel laueris æterni fontis irriguo, caue iterum corporeæ cupiditatis illuuiem, ne lutulenti actus sordibus inquinentur.* Idem docet Ambrosius in Psalm. 118. ser. 22. Similiter Bernardus serm. 3. in Cantica: *Si dixerit mihi Iesus: Dimittuntur tibi peccata tua; nisi ego peccare desiero, quid prodierit? Exui tunicam meam; si reinduero eam, quantùm profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram, inquinauero, numquid aliquid lauisse valebit? Sordens omni genere vitiorum iacui diu in luto fæcis; sed erit sine dubio recidenti, quàm iacenti deterius. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: Ecce sanus factus es; vade, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Qui autem dedit voluntatem pœnitendi, opus est, vt addat & continendi virtutem; ne iterum pœnitenda, faciamque nouissima mea peiora prioribus.*

Græciæ equi edocti cum fortè caderent, statim consistere.

Hieron.

Peccatores pœnitentes sponsam imitentur dicentem. Laui pedes meos; quomodo inquinabo illos?

Lucæ 7.

Ioan. 5.

41. S. Basilius in Psalm. 32. verba: *Confitemini Domino in cithara, & in psalterio decem chordarum psallite illi*: docet psalterij decem chordas, decem diuinæ legis præcepta significare; quibus bene operando suauem harmoniam diuinis auribus resonare debemus. Sed peccator semel correctus, iterum, iterumque præuaricans, & in diuinæ legis transgressionem incidens, meritò, vt ille ait: *Ridetur chorda, qui semper oberrat eadem.* Sed, & si à dæmonibus ridetur; eius tamen pernicies valdè deplorabilis est. Viperini serpentes, teste Æliano lib. 12. cap. 6. & 23. vt Murænam adeant, venenum deponunt, quod statim postea resorbent. Verè ergo peccatoribus antea pœnitentibus, postea depositum peccati venenum resumentibus dici potest: *Serpentes, genimina viperarum.* Matth. 23. 33. Meritò ergo de huiusmodi peccatore dicitur: *Fiunt nouissima illius peiora prioribus.* Peccatoris, nisi peccata radicitus auferat, in deteriora prolabentis typum Samson expressit. Hic Iudicum 16. dicitur Dalilæ dolis prius vinctus fuisse septem funibus; deinde nouem; deinde, quod tenacius fuit, propria cæsarie in septem cincinnos staminibus intextos distincta, eaque clauo in terra fixo colligata. Tandem Philistæi eius oculos eruerunt, & vinctum catenis, & clausum in carcere eum molere fecerunt. Similiter peccator, nisi se à diabolicæ suggestionis, veluti à Dalilæ sinu prorsus excutiat; semper tenacius, ac tenacius maioribus, & maioribus peccatis ab immundo spiritu vincietur. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*, ait Salomon. *Peccata dicuntur funes*, ait Beda; *quia is, qui funem facit torquendo semper, & inuoluendo fila adauget: talis est fortitudo operum malorum; in quibus praua prauis nectentes, nil aliud, quàm vt se arctibus obligent, agunt.* Propterea Isaïas 28. Peccatores monet, ne diuinas minas, quibus ad vitæ

Psalterij decem chordæ Decalogi præcepta.

Hor. de Arte.

Peccatores recidiui viperis similes.

Peccatores recidiui similes Samsoni tenacioribus vinculis adstricto.

Prou. 5.

Peccata funibus constantibus ex multis contortis similia.

correctionem vocantur, aspernentur: *Nolite ludere, ne fortè constringantur vincula vestra*, id est *ne constringantur vincula peccatorum vestrorum*, ait Hieronymus.

42. Isaiæ 5. Peccatoribus dicitur: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis; & quasi vinculum plaustri peccatum.* Cur peccata funiculi vanitatis vocantur? Respondetur primo ex Gregorio in Moral. *In vnoquoque lapsu à minimo semper incipitur, & succrescentibus defectibus ad grauiora peruenitur.* Respondet secundò Hieronymus: *Quia facientibus peccatum facile texitur; & adeo inane in te est, ac futile, vti aranearum tela. Sed cum inde exire voluerimus, solidissimis vinculis nectimur.* Citata Isaiæ verba benè Chaldæus vertit: *Væ, qui incipiunt paulatim peccata, augentque, vt crescant, & fortia fiant.* Ibidem legit Augustinus in Psalm. 139. *Væ iis, qui trahunt peccata, sicut restem longam:* & quærenti, quare dicatur restis, respondet: *Quia omnis peccator perseuerans in peccatis suis, addit peccata peccatis; & cum deberet accusatione peccati sui corrigi, defensione duplicat, quod confessione posset auferre; & plerumque aliis peccatis vult munitus esse propter illa, quæ commisit. Fecit adulterium, & ne occidatur, parat homicidium: addit peccato peccatum. Rursum, si contigerit facere homicidium, iam qui vnum crimen timebat, duo timet: & vtique cum videat se plura timere, quàm antea timebat, non cogitat minuere quod facit, sed addere quod nondum fecit. Quærit fortè & maleficium. Tria ecce habet. Inde iam quis cogitet, quis finiat restim peccatorum? Et optimè dicitur restis: vt enim torqueatur restis, additur; & non adduntur recta fila, sed torta. Prauitas sibi connexa ducitur in longum, & non cogitat præcidere quod malè texuit; sed addere, producere, in longum protendere; vt habeat in fine, vnde illi ligentur manus, & proiiciatur in tenebras exteriores.* Idem docet in Psalm. 130. & in Psalm. 57. & tract. 20. in Ioan. Ne autem grauia tantum, & non etiam leuiora peccata vitemus, benè Augustinus ait: *In modum funis, qui ex pluribus minimis filis crescit in multum, peccata semper tamquam longo fune trahuntur, vt scilicet conualescant in crassum rudentem plaustri.* Egregiè Basilius citata verba explicans quomodo peccatum vnum aliud, & aliud trahat in lasciuo iuuene sic exemplificat: *Primùm corpus componit; crines circumtondentur; veste operitur non qualicumque, sed quæ studio quæsita sit, & faciat ad elegantiam, ad Zonam vsque; demissa vsque ad soleas: Per hanc ostentat ambitiosam, & superfluam curam, ac studium suæ honestatis. Deinde suppeditat pecunias, vt earum pretio redimat fruitionem pulchritudinis scorti. Ad hæc pressius cogitat, quas sibi pronubas conciliet, verius lenas. Verba adornat, quæ faciant ad corruptelam: ex composito sibi instruens, ac parans occasiones amatorij congressus, compotationes, & conuiuia, prolixas confabulationes. Per tot, tantosque conatus, quanticumque intermedij accurrunt, sibi accersit tandem flagitium prostitutæ pudicitiæ. Hic est, qui attrahit peccatum quasi funiculo longo.*

43. Peccatoris in peiora prolabentis specimen etiam lacrymabili exemplo videre est in Apostolo Petro; qui antequam pœnitentia, & Spiritus sancti virtute confirmaretur; primò absolutè Christum Dominum negauit ancillæ respondens: *Nescio quid dicis.* Paulò post negationi periurium addidit: *Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem.* Tandem periurio addidit imprecationes, cumque falsò negaret, vt falsæ negationi fides haberetur, D... Cum non solum

Peccatum cur funiculus, & vanitatis funiculus dicatur?

Peccatum cur restis dicatur.

B

C

Matth. 22.

D

Basilius in Isai. cap. 5.

Lasciui iuuenis in peccatis progressus.

E

Petri Apostoli trina negatio, posterior priori deterior.

Matth. 26.

C. 41. *eius superasti*. Ex quibus verbis patet tripliciter diabolum in peccatores imperium exercere; iugo scilicet, virga, & sceptro. Sceptri imperium leuius est, cum sit Regis in subditos: Virgam dominando exercere grauius est; cum eam Domini ad puniendos seruos exerceant: grauissimum denique est iugum imponere; cum iugo subjici belluarum proprium sit. Sceptro tributa exiguntur: virga verbera infliguntur; iugo onera belluarum more trahuntur. Homo igitur sceptro subditus; virga mancipium; iugo bellua declaratur. Hos quidem gradus in sua tyrannide, cum per peccata homines sibi subjicit diabolus, habet. Primo ex humano corde prauarum cogitationum vectigal exigit; deinde animam malarum operationum ictibus in perniciem stimulat; ad extremum homines iumentis insipientibus comparatos iugo subdit, ad ingentia scelerum pondera pertrahenda: quibus propterea dicitur: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* (Is. 5.) Quare Deus per suam gratiam à deterioribus exorsus ex anima primo diaboli iugum, deinde virgam, tandem sceptrum auertit.

49. Tres perditionis gradus, per quos in præceps peccator prolabitur, reperiri possunt. Primus gradus est inchoare perditionis iter. Secundus gradus est in perditionis via consistere. Tertius est in eadem delectabiliter, & otiosè sedere. Quare, qui à tribus istis gradibus prudenter gressus cohibet, is verè beatus dici potest: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit; & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Rursus in peccati malitia motus, status, & sessio est: motus fit malè assentiendo; status fit malè operando; sessio fit malè docendo. Primo gradu seducitur peccator à diabolo; 2. à diaboli discipulus constituitur; 3. magister efficitur. Seducitur cum abit in consilio impiorum; discipulus constituitur, cum in via peccatorum stat; magister efficitur, cum ad alios subuertendos in cathedra pestilentiæ sedet.

Psal. 1. Peccator in malitiæ via motum, statum, & sessionem habet.

Peccatorem prius diabolus seducit; deinde suum discipulum reddit, tandem magistrum constituit.

50. Iuxta Ambrosium in Luc. cap. 7. & Augustinum tract. 49. in Ioan. mortui, quos Dominus ad vitam reuocauit, peccatoris typum exprimunt: mysticè enim priuatio animæ, priuationem gratiæ significat; cum sicut anima corporis, sic animæ gratia vita sit. Tres autem mortui à Redemptore suscitati leguntur; scilicet filia Archisynagogi; filius viduæ; & Lazarus Marthæ, & Mariæ frater. Filia Archisynagogi in propria domo ad vitam reuocatur; filius Viduæ in feretro; Lazarus in sepulchro. Archisynagogi filia, quæ è paterna domo nondum in viam prodierat, peccatorem è prauo consensu nondum in externa opera prolapsum significat. Filius viduæ extra domum feretro ad sepulchrum elatus peccatorem prauis operibus inferos petentem repræsentat. Lazarus post mortem quatriduanus, adeoque iuxta naturæ ordinem fætorem emittens, peccatorem non tantùm assensu, & prauis operibus, sed malis etiam habitibus, & inueterata peccandi consuetudine marcidum refert. Ex triplici hoc peccatoris conditione, & statu, vt alio alium grauiorem Dominus significaret, ad Archisynagogi filiam suscitandam solam vocem adhibuit dicens: *Puella, tibi dico, surge; & confestim surrexit puella.* (Marci 5.) Ad reuocandum in vitam filium viduæ, præter vocis imperium, feretrum tangendo sistere voluit: *Accessit, & tetigit loculum*: (Lucæ 7.) deinde miserationis affectum ostendit: *Misericordia motus ait: Adolescens, tibi dico surge.* Denique ad Lazarum suscitandum non simplex vocis imperium, sed internum fremitum, turbationem, lacrymas, & clamorem adhibuit: *Infremuit spiritu; turbauit se ipsum; lacrymatus est Iesus; & voce magna clamauit: Lazare, veni foras.* (Ioan. 11.) Præterea Dagon Philistinorum Idolum peccatoris in peiora labentis typus fuit. Nam 1. Reg. 5. dicitur *Philistiim arcam Dei statuerunt iuxta Dagon. Cumque surrexissent, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini, & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane consurgentes inuenerunt iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Similiter homo præuaricans coram Deo vbique præsente, prius in peccatum decidit; quod si deinde pœnitentia non corrigit, maiori pœna punitus truncus remanet absciso capite, & manibus; mente scilicet, & operationibus; ita vt obduratus, nec vlla bona opera exerceat, nec salutaria cogitet; sed capite, & manibus cogitatione, & operatione omninò terræ adhæreat.

Peccatoris triplicem statum, tres mortui à Domino suscitati significant.

51. Cum Matthæi 21. dicitur sub parabola: *Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam*; iuxtà Irenæi aliorumque sententiam nomine patrisfamilias Deus; nomine vineæ hominum genus debet intelligi. Hæc autem vinea, cum peccatis sylucsceret, non vuas, sed germina pessima eduxisse legitur. Prima germina, quæ dedit habentur Isaiæ 5. *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* 2. germina ibidem habentur iuxtà August. *Expectata est, vt faceret vuas, fecit autem spinas.* 3. germina habentur Deut. 32. *Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi; fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Ex quibus patet syluescentem vineam, hoc est hominis præuaricantis animam deteriora operationum germina semper efferre: cum spinæ labrusca peiores sint; cumque venenum sit labrusca amarius, spinisque nocentius. Si quæratur, quare hæc vinea deteriora semper eduxerit germina, huius reddi ratio potest ex Ecclesiastico, à quo dicitur: *Initium, seu radix omnis peccati est superbia*: (Cap 10.) additur autem ex Dauide: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*; (Psal 73.) hoc est semper augescit. Cum igitur huiusmodi venenata radix semper in malum crescat, mirum esse non debet, si deteriora semper germina proferat. Hinc Ecclesiastici 3. 30. dicitur: *Synagoga superborum*; hoc est peccatorum cætui diuinæ legi se subdere negantium *non erit sanitas*: *non erit medela*, ex Græco legitur: *Frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur*: hoc est ob cordis obstinationem, culparumque augmentum, amisso penè conscientiæ stimulo, abijs pessimus eorum status non cognoscetur.

Lib. 4 c. 70. Peccatrix anima, velut syluescens vinea prius labruscam, deinde spinas, tandem venenum germinat.

Tract. 10. in Ioan.

52. Magnum prodigium foret, si modico temporis interuallo muscam in Elephantem crescere videremus. Non dissimile prodigium à Belzebub falso muscarum Deo peccatorum magis, ac magis excæcando factum olim refert Augustinus tract. 1 in Ioan. *Nescio quis tadium patiebatur à muscis. Inuenit illum Manichæus tadio affectum, & cum diceret se non posse pati muscas, & odisse vehementer illas, statim ille: Quis fecit has? Et quia tadio affectus erat, & oderat illas, non ausus est dicere: Deus illas fecit; erat autem catholicus. Ille statim subjecit: Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Planè ait ille: Ego credo, quia diabolus fecit muscas. Et ille statim: Si muscam diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis; apem quis fecit, quæ paulo amplior est musca? Non ausus ille est dicere: Quia Deus fecit apem, & muscam non fecit, quia*

Diabolus per deceptionem ex musca elephantem fecit.

*res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam; locusta ad lacertam, à lacerta ad auem; ab aue duxit ad pecus; inde ad bouem, inde ad Elephantem; postremo ad hominem; & persuasit homini, quia non à Deo factus est homo. Ita ille miser, cum tædium passus est à muscis, musca factus est, quem diabolus possideret. Beelzebuth quippe interpretari dicitur princeps muscarum.*

Genes. 4.

53. A Deo dictum est Caïno; *Si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit.* Cur in exterioribus foribus adstabit, & non potius ad interiora cordis inficienda, & cruncianda Caïni culpa penetrabit? Respondetur primò in foribus, seu ex Hebræa lectione *in foris*, aut in portis peccatum adesse dicitur; eo quòd in portis forum, & tribunal collocare, ibique iudicia exercere, consuetum fuit, iuxta illud Prouerbiorum 31. *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Adest igitur in portis peccatum, hoc est ad iudicium adstat, vt aduersus peccatorem testimonium ferat. Peccatum quidem accusatorem Dauid experiebatur cum dixit Psalm. 50. *Peccatum meum contra me est semper,* & Psalm. 38. ex Hebræo: *Cum consisteret peccatum aduersus me.* Quare sicut de anima iusta dicitur: *Laudent eam in portis*, hoc est in foro, & iudicio *opera eius:* ita de peccatore dici potest: In portis, hoc est in iudicio illius opera eum accusent.

Peccatum in foribus adstat, vt peccatorem accuset.

Prou. 31.

54. Respondetur secundò, ad rem nostram dici in portis peccatum adstare, similitudine desumpta à militibus, qui obsessam vrbem ingressi portas reserant, ibique ad socios alios, atque alios introducendos adstant.

Peccatum in foribus adstat, vt peccata alia in animæ interiora aduocet.

Eneid. 2.

*Inuadunt vrbem, portisque patentibus omnes*
*Accipiunt socios, atque agmina conscia iungunt:*

Ita patratum crimen ad animæ fores adstare videtur; vt scelera alia, atque alia in animam introducat; eamque planè miseram tandem in perniciem pertrahat.

Psalm. 50.

55. A Dauide Deo dicitur: *Secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Si vna, & altera iniquitas adulterij, & homicidij delenda est; cur multitudinem diuinarum miserationum numerum omnem excedentium implorat? Multitudo quidem infinita miserationum diuinarum, multitudini miseriarum omnium respondere debet: at cum Dauid excepto adulterio, & homicidio in aliorum scelerum miserias non incurrerit; ad illius miseriam subleuandam non omnis, sed vna, aut altera diuina miseratio satis esse videbatur. Verum quidem id esset, si iniquitas vna ad aliam, atque aliam deteriorem non pertraheret animam: sed cum oppositum Dauid optimè sciret, iure ex gemino peccato in scelera omnia prolabi timuit: & propterea ad miserias omnes sibi imminentes arcendas diuinarum miserationum omnium multitudinem implorauit. Nouerat pœnitens Dauid, quod benè explicat sanctus Thomas prima secundæ quæst. 87. art. 2. admisso peccato, pro pœna aliarum culparum lapsus à Deo permitti. Propterea Psalm. 68. dixit: *Appone*, hoc est ex regula Augustini supra allata, permittes apponi *iniquitatem super iniquitatem eorum; & non intrent in iustitiam tuam.* Verissima enim est Areopagitæ sententia de diuinis nomin. cap. 4. *Malum cùm sit defectio à bono, sua infirmitate, & pondere ad aliud, & aliud malum progreditur.* Ex quibus posterius priori peius est.

Peccans vno, aut altero peccato cur infinitam diuinarum miserationum opem imploret?

Peccati pœna peccatum aliud.

56. Plagis in Ægyptum immissis spirituales peccatorum plagas mysticè significari communiter docent Sanctorum Patres, præcipuè August.

Sabbati: Dominici diei diluculum. Similiter, & clarius Theophylactus: *A sexta hora vsque ad nonam fuerunt tenebræ, per has mihi noctem intelligas. Iterum à nona lux, hoc est dies: ecce diem, & noctem. Iterum nox Parasceues, & dies Sabbati: Ecce 2. diem, & noctem. Nox quoque Sabbatum, & diluculum Dominicæ: à diluculo enim dies totus numeratur: ecce tertiò diem, & noctem.*

Sol consueto citius illuxit Dominicæ resurrectionis nocte; idem n. 14.

13. Ad quod melius intelligendum ipsa nocte præuia diei Dominico, cum Christus resurrexit, solis primùm absentia, deinde præsentia reperitur. Abfuit quidem sol primis nocturnis horis, rediit verò sub extremam partem eiusdem noctis; quandoquidem Dominicæ resurrectionis nocte consueto citius sol illuxit, diemque reuocauit; vt resurgentis Domini veluti prænuncius, & Lucifer foret. Id Chrysologus colligit ex verbis Marci 16. *Valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole.* Si valde mane, quomodo orto iam sole? Respondet Chrysologus serm. 82. *Sol, qui præter horam, vt Domino compateretur, abscesserat; claritate, cum resurgeret Dominus, ante tempus occurrit: & qui vt suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam mortificauerat claritatem; vt consurgeret auctori suo, euictis tenebris antelucanus erupit.* Idem serm. 74. in illud Matth. 28. *Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati: Vespera, inquit, mater noctis parturit diem; mutat ordinem, dum agnoscit auctorem; radiat de nouitate mysterium; anhelat creatori seruire, non tempori.* Idem serm. 75. *Elementorum auctor, elementorum vices mutat; resurgente Christo fidelibus lucescit Vesper, dies infidelibus tenebrescit; Discipulis nox mutatur in diem; Iudæis dies vertitur, & mutatur in noctem. Ab hora sexta tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam; vt quod scriptum est, impleretur. Occidet illis, id est Iudæis, sol meridie: nostris autem nox, sicut dies illuminabitur.* Æquum erat, vt resurgente Domino iustitiæ sole, iustitiæ leges seruarentur; adeoque illæ tenebrarum horæ, quas feria 6. ex die sibi nox vsurparat; ipso iterùm noctis tempore restituerentur diei. Quare de Domini resurrectione Chrysologus ait: *Tunc sol, vt mane faceret, manicauit: & qui ante noctem fugerat, nunc ipse noctem preuenit fugaturus; vt reddat luci nox horas, quas terror Dominicæ passionis innaserat.*

Dominum tres dies, & noctes in corde terræ fuisse primo modo explicatur.

Lucæ 23. Amos 8. Psalm. 138 Malach. 4.

Ser. 82.

Ambrof. ser. 32.

14. Denique eamdem sententiam de anticipata, cum Dominus resurgeret, solis illuminatione habemus ex Ambrosio his verbis: *Solem ipsum arbitror esse in hac die solito clariorem: necesse est enim, vt sol in eius resurrectione gaudeat, in cuius passione condoluit; vt cuius mortem lugubri quadam caligine prosecutus est, eiusdem vitam nitidioris lucis splendore suscipiat; & tamquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ; modò corruscet in resurrectionis obsequium.* Ergo ex Ambrosio sicut solis obscuritas Domini præcessit exequias; ita solis illuminatio præire, ac prænunciare Domini resurrectionem debuit. Præterea etiamsi solis ortus, resurgente Domino celerior supra horizontem non fuerit; satis est ex Ambrosio, si illius illuminatio fuerit intensior; nam eò ipso diurni temporis exordium celerius fuit: quandoquidem aucto solari lumine, quod ex eo diluculum proueniebat, clariorem diem referre poterat: dies enim esse, & sol oriri dicitur, non solùm cum solare corpus supra horizontem apparet; sed etiam cum aduentantis solis lux tenebras expulit. Iuxtà quem sensum Augustinus, Beda, Euthymius, Theophylactus, & Lyranus explicant verba illa Marci 16. *Valde mane,* seu *Valde diluculo,* vt ait

Diluculum pro die sumi potest.

Luc. c. 24.

A Lucas, *veniunt ad monumentum orto iam sole,* id est *sole oriente,* vt legit Augustinus. Hinc Chrysostomus tomo 6. orat. de martyre, ait: *Sub auroram solem exorientem vidistis, & quasi croceos radios emittentem.* Sub auroram autem non solare corpus, sed eius radij, ijque non planè lucidi, sed crocei videntur; & tamen solem exoriri, adeoque diem esse Chrysostomus dixit. Porro allatæ sententiæ de præmaturo solis ortu, non obstat, quod Ioannes dicat, Magdalenam ad monumentum venisse, *cùm adhuc tenebræ essent.* Respondetur enim ex Dionysio Alexandrino epistola ad Basilidem, mulieres cum adhuc tenebræ essent, domo fuisse egressas; ad sepulchrum tamen peruenisse post expulsas tenebras; cum tenebræ in ipso B mulierum itinere ex inopinato, insuetoque solis aduentu recesserint.

Aug. l. 3. de consensu Euang. c. 24.

Ioan. c. 20.

15. Quod si quis, relicta Chrysologi, & Ambrosij sententia pro tertio die, quo Christus in corde terræ fuerit, ipsum ordinarium diluculum velit accipere, dicere deberet Dominum aliquantò post diluculi initium resurrexisse; quam sententiam plures sequuntur apud Suarium citandum infra. Tale autem diluculum, diem appellari posse, confirmatur ex Marci 1. vbi enim de Redemptore dicitur: *Diluculo valdè surgens egressus abijt in desertum locum;* Lucæ 4. de eodem dicitur: *Facta die egressus ibat in desertum locum.* Dici autem potest nomine diluculi dies, eò quod dies vsualis esse dicitur, cum in vsum humanarum C operationum solare lumen illucescere videtur. Præterea in eadem regione respectu diuersorum situum idem tempus diluculum, & proprijssimè dies dici potest; nimirum si solare corpus post montis dorsum iam appareat; citra montem tamen sol nondum exortus, sed tantùm eius illuminatio videatur. Quod facilè Ierosolymæ contingebat propter Oliueti montem, qui vergit ad Orientem. Præterea præter tertiam noctem ad saluandum tertium diem, quo Dominus in corde terræ fuisse dicitur; confert, quod Dionysius supra citatus ait; scilicet Dominum post resurrectionem iterùm in Limbum descendisse.

Diluculum pro die sumi potest.

D 16. Reliquum est, vt respondeatur Hieronymo, & Augustino asserentibus contra Nysseni, aliorumque, quos citaui, sententiam, tenebras supra faciem terræ Dominicæ passionis tempore offusas non benè noctem appellari, neque tales tenebras ad triduum, quo Christus in corde terræ fuerit, pertinere. Citatos Patres sequitur Suarius 3. p. tom. 2. quæst. 55. dist. 46. Ratio autem id probans duplex affertur: prima est, quia impropriè dici potest nox, illud tenebrarum tempus, cum sol reuera fuerit in nostro hemisphærio, quamuis non luxerit. Quod confirmari potest ex Basilio hom. 2. in Genes. vbi inter tenebras, & E noctem distinctionem ponit dicens: *Prior ille mundi status ante primogeneam lucem exortam, non nox dicebatur, sed tenebræ: nox enim ea temporis pars dicta est, quæ distinctè se habet, & oppositè ad diem.* Sed respondetur ex Nysseno supra citato, tenebras supra terræ faciem satis propriè noctem appellari iuxtà illud Genesis 1. *Appellauit lucem diem, & tenebras noctem.* Nam si post consuetum noctis tempus sol ad nostrum hemisphærium sine illuminatione rediret; non propterea illucescere, aut diescere diceremus: Cum ex Genesi, non solare corpus, sed lux dies appelletur. Præterea cum dixisset Iob: *Dies ille vertatur in tenebras, & non illustretur lumine:* paulò post diem illum, noctem appellat; nec in diebus annis computandam esse existimat: *Noctem illam tenebrosus turbo*

Basil.

Tenebras Dominicæ passionis tempore offusas supra terram benè noctem appellari idem n. 17.

c. 3.

*possi leat; non computetur in d.ebus anni.* Quare ibi Vulgata legit: *Dies illa vertatur in tenebras*, Septuaginta legunt: *Nox illa fit tenebræ.* Vt igitur cum Vulgata Septuaginta concordent; tempus quodcumque planè tenebrosum noctem esse dicendum est. Ideo expressè sanctus Leo serm. 8. de passione tenebras, quæ cum Dominus in cruce penderet, factæ sunt, noctem vocat, dicens: *Cum obscuratis luminaribus cæli, & conuersso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis.* Præterea si dies esset Solis præsentia in nostro hemisphærio; consequenter neque diluculum dies dici posset; cum multò post diluculum sol in nostri hemisphærij horizonte esse incipiat; & tamen ad diem tertium constituendum, quo Dominus in corde terræ fuit, diluculum numerant oppositæ sententiæ auctores: ergo si ex hemisphærij illuminatione, non ex Solis præsentia in hemisphærio, dies dicitur; è contrario ex obtenebratione, non ex absentia solis nox est dicenda.

17. Secunda ratio contra allatam sententiam est, quia trium horarum existentibus tenebris adhuc Christus viuebat, & non solùm in corde terræ non erat, sed neque etiam in terra, sed in aëre, cum adhuc è cruce penderet. Respondetur, durantibus tenebris Christum expirasse, eiusque animam ad Limbum descendisse: Sol enim non statim, sed aliquantò post Christi mortem reluxit; quandoquidem si immediatè post Christi mortem irradiasset, Domini mortem comprobare potius, quàm dolere Iudæis visus esset. Quare dicendum est, tenebras vsque ad vltimum, complementum horæ nonæ durasse; Dominum verò circa horam nonam expirasse, vt Matth. 27. indicat.

Dominum tres dies, & noctes in corde terræ fuisse secundo modo explicatur.

18. Præterea ad noctem feriæ 6. inueniendam alia via nobis aperitur, distinguendo duplicem diem; alterum naturalem, alterum cæremonialem: Cæremonialis dies ab vna vespera incipiens, sequenti vespera terminatur iuxta Leuiticum 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*; hoc est festiuitates. Dies verò naturalis Romanorum more etiam Iudæis consueto, vt docet Pererius cap. 1. in Genes. v. 5. ab accessu Solis ad nos inchoandus, media nocte incipit, & sequenti media nocte absoluitur. Hinc fit, vt idem continuum noctis tempus in duas medietates diuisum, secundùm priorem partem ad antecedentem diem spectet, secundùm posteriorem ad sequentem. Allata naturalis diei acceptio habetur lege *More Romano.* ff. de ferijs: *More Romano dies à media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur: ita quicquid in ijs viginti quatuor horis, idest duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum est, perinde est, ac qualibet hora lucis actum esset.* Similiter apud Gellium, & Macrobium, *M. Varro in lib. rerum humanarum, quem de diebus scripsit; homines, inquit, qui media nocte ad proximam mediam noctem in his horis viginti quatuor nati sunt, vna die nati dicuntur.* Ex hac naturalis diei acceptione clarè soluitur contradictio, quæ inter Matthæum, & Ioannem videtur esse. Nam Ioannes 13. ait cœnam paschalem factam esse ante diem festum paschæ; Matth. verò cap. 26. ait ipso primo die paschatis, seu Azymorum accessisse discipulos ad Iesum dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* Si ipso primo die paschali, seu Azymorum adhuc à Discipulis de cœna paschali parando quærebatur, quomodo eam Ioannes ante diem paschæ factam esse testatur? Respondet Sanctus Thomas,

Dies duplex naturalis, & cæremonialis.

Dies cæremonialis est a vespera ad vesperam.

Dies naturalis apud Romanos à media nocte incipiés, sequenti media nocte finitur.

Gell. l. 3 c. 2. Macrob. l. 1. c. 3.

Matthæi, & Ioannis sententia diuersa conciliatur.

S. Th. 3. p. q. 46. art. 2.

eumdem diem, quem Ioannes nominat, *Ante diem festum pascha propter distinctionem naturalem dierum; Matthæus nominat primum diem Azymorum, quia secundum ritum Iudaicæ festiuitatis solemnitas incipiebat à vespera præcedentis diei.* Solemnitatem intellige quoad Azymorum obseruantiam; non quoad publicas cæremonias, quæ sequenti die fiebant, vt patet ex Numerorum 28. 16. sed de hoc fusius dicetur Fer. 5. maioris hebdomadæ. His positis ad rem nostram, Dominus fuit in corde terræ tribus noctibus; nox enim, quæ consequuta est feriam 6. secundùm priorem medietatem pertinuit ad feriam sextam, secundùm posteriorem ad sabbatum: Et rursùs nox præcedens diem Dominicum secundùm priorem partem ad sabbatum, secundùm posteriorem ad ipsum dominicum diem pertinuit.

19. Adde præterea, vt prima nox, qua Dominus in corde terræ fuerit, assignetur, tertius modus habetur etiam ex Nysseno orat. 1. & 2. de resurrectione, docente in hoc triduo, quod inquirimus noctem cœnæ esse numerandam; tunc enim in corde terræ, hoc est in humanis visceribus sacramentaliter Dominus fuit; cum enim in suæ mortis memoriam Eucharistiam instituisset, per eam in humano corpore velut consepeliri voluit. Cui interpretationi consonat Damasc. lib. de corpore Christi dicens. *Eleuatur in manibus sacerdotis in crucem; frangitur, & distribuitur, & in nobis sepelitur.* Similiter Rupertus lib. 2. de diuinis officijs cap. 10. de sanctissimo Christi corpore in Eucharistiæ sacramento fidelibus communicando sub exequiarum similitudine loquitur: *Aufer à cœtu Ecclesiæ quotidianas Saluatoris nostri huiusmodi exequias; & vide quàm merito dicat ipse Saluator: Quæ vtilitas in sanguine meo?* Nyssenum sequitur etiam Theophylact. Matth. 28. vbi noctem cœnæ, qua Dominus se in Eucharistiæ Sacramento discipulis tradidit, inter tres noctes numerat. Porrò Nysseni sententia ex duplici capite corroborari potest. Primò, quia alijs in locis Dominus eadem voce sub duplici significatu eleganter est vsus, vt Matth. 8. *Sine mortuos sepelire mortuos suos:* vbi cùm prius mortuos dixit, ex Augustino, peccatores mundanis negotijs deditos intellexit; deinde per mortuos vita functos significauit. Similiter hìc illud *In corde terræ* sub duplici significatu Dominus vsurpauit: scilicet vel pro terræ penetralibus; vel pro terræ, hoc est hominis corde: homini enim dicitur iuxtà Septuaginta Genes. 3. *Terra es*: ita secundùm vnum sensum accipitur cor metaphoricè, & terra propriè; secundùm alterum verò accipitur cor propriè, & terra metaphoricè. Cor enim Hebraïcè viscera, & quamcumque viscerum partem significat. Ideo Tobiæ 6. cum dixisset Angelus de pisce: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus extricat omne genus dæmoniorum:* deinde cap. 8 dicitur: *Recordatus Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones viuos.*

20. 2. Confirmatio est; nam si ex allatis verbis iuxtà Nyssenum Eucharistia præsignificatur: aptissimè consonat Ionæ comparatio à Domino allata: quandoquidem sicut cetus Ionam suscepit in cibum, quem tamen in suam substantiam nequijt transmutare; ita nocte cœnæ in Apostolorum visceribus Dominus in cibum fuit; in cibum tamen, qui in comedentium substantiam conuerti non potuit.

Dominum tres dies & noctes in corde terræ fuisse tertio modo explicatur.

Dominus in corde terræ fuit, cum se Apostolis per Eucharistiam communicauit.

Vox eadem sub duplici diuerso sensu in eadem sententia vsurpatur.

Psal. 29.

August. 4. de Trinit. c. 1.

Cor viscera, & quamcumque viscerum partem significat.

*Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ; & ecce plusquam Ionas hic.*

Iudicandi potestas non solùm Apostolis, sed etiam Religiosis Apostolorum imitatoribus est promissa.

21. Condemnabunt eam: Extremi iudicij die iudicandi, adeoque condemnandi potestas, Apostolis, Religiosisque viris danda est. Cum enim Matth. 19. Petrus Apostolus Domino dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Vbi per duodecim tribus non solùm Hebræam gentem, sed quotquot iudicandi sunt; & per duodecim sedes non solùm duodecim Apostolos, sed omnes, quotquot iudicaturi sunt, intelligi benè probat S. Augustinus in Psalm. 86. Cum autem veri Religiosi Apostolorum imitatores vouentes obedientiam, castitatem, & paupertatem verè reliquerint omnia; nempe libertatem per obedientiam; carnis voluptatem per castitatem; rerum possessionem per paupertatem; ideo quod Apostolis de iudiciaria potestate promittitur, Religiosis etiam promitti benè probat ex SS. PP. Hieronymus. Platus l. de bono status religiosi cap. 17. Quod inter cæteros S. Anselmus epist. 10. asserit dicens: *Dominus consulit ad perfectionem nitentibus, vt omnia relinquant, & se sequantur. Ipse omnia relinquentibus, & se sequentibus promittit, quia sedebunt cum illo in iudicio iudicantes duodecim tribus Israel.* Ad hoc indicandum Iob 36. de Deo dicitur: *Iudicium pauperibus tribuit.* Redditque rationem Greg. 26. mor. cap. 20. *Quia quantò huic mundo magna humilitate despecti sunt; tantò tunc acceptis sedibus maiore culmine potestatis excrescent.* Hoc posito, cur hîc de Niniuitis, & Austri Regina dicitur: *Condemnabunt eam,* scilicet Hebræam generationem incredulam? Respondet S. Hieronymus: *Condemnabunt eam, Non sententiæ potestate, sed comparationis exemplo.* Ad hoc explicandum Prou. 21. 18. dicitur: *Pro iusto datur impius, & pro recto iniquus:* datur scilicet in supplicium; hoc est damnatur. Vbi Beda ait: *Damnatur Herodes non tantùm pro Innocentibus, quos impiè neci tradidit; sed & augmentum damnationis accipit; quia fidem Magorum sequi ad quærendum Dominum noluit; cum esset Iudæus, & Prophetarum dicta cognosceret. Hinc enim Dominus ait: Regina Austri surget in iudicio, cum generatione ista, & condemnabit eam. Non quia ipsa sua virtute, & potentia condemnabit; sed quia in eius comparatione condemnabuntur, qui deuotionem eius scientes, cùm multò faciliùs possent, sapientiæ curam dissimulabant habere.* Quòd autem non solùm ex pœnitentium emendatione, sed etiam ex iustorum sanctitate peccatorum culpæ grauiores videantur, legitur 3. Reg. 17 de Sareptana vidua, quę cum ob filij mortem quereretur, Eliæ dixit: *Quid mihi, & tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Vbi quæritur cur Eliæ præsentiæ mulier hæc filij mortem tribuerit? Respondet Abulensis: Quia Elias mulieri præsens, erat valde sanctus; ex pręsentia eius credidisse mulierem sua peccata visa esse maiora, & ob hoc digna maiori pœna; & ideo rediisse ad memoriam Dei, & propter illa occidisse filium eius. Quamuis enim teste Apostolo, *Omnia nuda, & aperta sint oculis Dei;* nec

Anselm.

Peccatorum culpæ grauiores ex iustorũ sanctitate.

Ad Hebr. c. 4

A sanctitatis comparatione Deus indigeat, vt cognoscat quanta sit peccati malitia: nihilominus verissimum est etiam culpas minus esse excusabiles, & grauiores fieri, eò quod à peccatore sanctitatis exempla in hominibus videantur. Sunt ergo peccata veluti maculæ, quæ ob sanctitatis splendorem sordidiores apparent, magisque intuentium oculos offendunt. Quare cum vidua mulier cum Elia conquereretur: *Ingressus es ad me, vt rememorarentur peccata mea: Tuo inquit lumine aperta sunt mea peccata, quæ occulta erant,* ait Theodoretus. Propterea dixit Iob 25. *Numquid potest iustificari homo comparatus Deo; aut apparere mundus natus de muliere? Ecce etiam Luna non splendet,* B *& stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Et cap. 15. *Cœli non sunt mundi in conspectu eius?* Vbi cœlorum nomine Angelos, & sanctos, in quibus tamquam in cœlo Deus inhabitat, Augustinus intelligit. Ideo Petrus Apostolus, qui dicente Domino: *Numquid & vos vultis abire?* respondit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes:* nihilominus idem dixisse legitur: *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum. Conferens peccata sua cum sanctitate, quam aspiciebat in Iesu, timet sibi à propinquitate tam sancti viri,* ait Caietanus.

Theodoretus q. 1 a. in lib. Reg.

Cœlorum nomine Angeli, sanctique viri intelliguntur.

Ioan 6. 68.

Luca 5.

22. Sed redeundo ad Niniuitas, quod de Regina Austri Beda ait, idem de Niniuitis dici potest: C Niniuitarum enim Gentilium, & tamen pœnitentium, vitamque prauam corrigentium comparatione Iudæi veræ fidei luce illuminati, & tamen impœnitentes condemnabuntur: præsertim cum illi Ionæ monita audierint, hi verò Dei filij monita neglexerint. Qualis autem, quantaque Niniuitarum pœnitentia fuerit, habetur Ionæ cap. 3. *Niniuitæ prædicauerunt ieiunium; & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue;* nempe ad Sardanapalum voluptariæ vitæ studio infamem. *Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se;* nempe muliebrem habitum, quo ad lasciuiam vtebatur. *Et indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, &* D *dixit in Niniue ex ore regis, & Principum eius dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam; nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & iumenta; & clament ad Dominum in fortitudine; & conuertatur vir à via sua mala.* Quamuis autem postea Niniuitæ iterum præuaricando à salutis via recesserint: & primum ab Arbace Medo, deinde à Nabuchodonosore deuicti, in scelerum pœnam hostium iugum subierint: nec Nahum Prophetam post Ionam ad eos arguendos missum audierint: nihilominus ex iis aliquos, qui Iona prædicante pœnitentiam egerunt in præteritæ vitæ correctione perseuerasse, & salutem consecutos esse, pium est credere. Idque valdè probabiliter asseri potest: non enim videtur E congruum, vt ad Iudæos incredulos, & impœnitentes damnandos Niniuitarum pœnitentia, qui iterùm ad vomitum redierunt, sit adducenda. Fauet huic sententiæ Remigius, qui in hæc Domini verba: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista,* ait: *Ostendit Dominus his verbis vnam esse malorum, & bonorum resurrectionem futuram:* Iudæorum scilicet impœnitentium, & pœnitentium Niniuitarum. In eadem verba Sanctus Paschasius ait: *Notandum, quòd Gentes ad meliora eo in die Iudicij resurgent, & sublimiora percipient fidei suæ dona.*

Niniuitæ pœnitentes: alij iterum præuaricati sunt: alij in salute perseuerarunt.

Regina

*Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic.*

23. AVento huius Reginæ regnum nominare Domino placuit; vt regni instabilitatem, fugacitatem, perpetuæque mutationis motum ostenderet. Ad idem significandum Danielis 7. dicitur: *Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* Vbi iuxtà Theodoretum quatuor celebres Monarchiæ Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum non alio nomine, quàm quatuor ventorum in mari magno, hoc est in sublunari hoc mundo pugnantium significantur. Similiter Zach. 6. iuxta Hieronymum, cum sub figura quatuor quadrigarum easdem Monarchias Propheta vidisset; & ab Angelo quæreret: *Quid sunt hæc, Domine mi?* Respondit Angelus: *Isti sunt quatuor venti.* Ventus hoc habet proprium, vt cum à motu cessat, ventus esse desinat: quare si quis ventum sine motu vellet, venti naturæ planè nescius videretur. Similiter, qui sine inquietudinis motu regnare vellet, nesciret profectò quid peteret. Et ideo Dominus petitioni illi Matth. 20. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei in regno tuo*: eo quòd sedere quiescere significaret, respondit: *Nescitis quid petatis.*

Ventorum nomine regna significantur: nec ventus sine motu, nec regna cum quiete reperiantur.

24. Porrò quæ hîc Austri Regina, eadem 3. Reg. 10. Regina Saba appellatur: Saba autem duplex reperitur; eaque propriè non regio est, sed regia ciuitas regionem reliquam denominans: & altera Æthiopiæ est metropolis, postea Meroë dicta iuxta Iosephum 2. Antiq. cap. 10. altera metropolis Felicis Arabiæ, dicta etiam Merioba teste Strabone lib. 16. Arabum Sabæ teste Iosepho lib. 1. cap. 12. nomen dedit Sabas, cuius pater Chus, & auus Cham, atauus Noë. Saba verò Æthiopum nomen accepit à Sabao, seu Saba, cuius pater Romus, seu Regma, auus verò Chus, vt ibidem ex Iosepho habetur. Quamuis non improbabiliter dici possit Æthiopum Sabam ab Aseb, qua voce Auster apud Æthiopes significatur, fuisse dictam. Est autem apud sacros interpretes controuersia, quænam Saba Arabum ne, an Æthiopum Reginæ, quæ Salomonem adijt, sit tribuenda. Pro vnaquaque opposita sententia Sancti Patres sunt. Quia in controuersia notandum est primò Magos, qui Bethleem ad Dominum adorandum venerunt, Sabæos fuisse, idque iuxta vaticinium Isaïæ 60. *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes*: iuxta etiam Dauidis vaticinium Psalm. 71. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent; Reges Arabum, & Saba dona adducent*: Vtrumque autem hoc vaticinium in Epiphaniæ officio Ecclesia recitat. 2. notanda est regula, quam Hieronymus Zachariæ. 2. docet in illa verba; *O fugite de terra Aquilonis: Plagæ orbis, quas Græci appellant climata, iuxta situm Ierusalem intelliguntur, & templi. Assyrij ergo, & Babylonij, qui Dei populum vastauerant, habitant in terra Aquilonis.* Idem docet cap. 6. in illa verba *Equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis.* Hac posita regula, cum Matth. 2. Magos ab Oriente venisse legamus; cumque hic regina Saba Austri regina dicatur; eam propterea, non ab Oriente, vt Magi, sed ab Austro venisse dicendum est. Rursus cum Arbum Saba respectu Ierosolymæ Orien-

Regina Austri, eadem ac Regina Saba, vbi regnauerit.

Gen. 10. vers. 8

A talis sit: *Iudæa enim ab Oriente habet Arabiam*, vt Tacitus l. 5. asserit: cumque respectu eiusdem Ierosolymæ Saba Æthiopum sit australis; hinc benè deduci videtur Magos ab Arabum Saba in Bethleem, Reginam verò à Saba Æthiopum ad Salomonem venisse. Ideo regina hæc à Iosepho lib. 8. Antiq. cap. 2. dicitur Regina Æthiopiæ: eamque ab Æthiopia venisse docent Nazianz. orat. 40. Nyssen. hom. 7. in Cantica; Origen. in Cantica hom. 1. August. serm. 252. de tempore; quos sequitur Euthymius cum Iansenio, Maldonato, & Toleto. Contra vero Magos non ex Æthiopia, sed ex Arabia venisse præter Psalm. 71. testimonium, vbi *Reges Arabum* dicuntur, docent
B Iustinus, Tertullianus, Cyprianus, Epiphanius, & alij apud Baronium. Quare nisi Orientem cum Austro, seu meridie confundere velimus, non probatur sententia asserentium ex eadem regione Reginam ad Salomonem, & Magos ad Christum venisse.

25. Dicendum tamen est Æthiopiam Reginæ Sabæ subiectam fuisse Arabiæ proximam, non remotam, qualis Occidentalis Æthiopia est. Quod si Reginæ huius regnum Æthiopiam Orientalem vocat S. Anselm. lib. de imag. mundi cap. 19. id non intelligi debet respectu Ierosolymæ, respectu cuius Australis est, vt diximus. Dices Psalm. 67. vaticinium illud: *Æthiopia præueniet*
C *manus eius Deo*, Chrysologus serm. 160. explicat de Magis Christi cunabula adorantibus. Præterea Osorius lib. primo de gestis Emanuëlis Lusitaniæ regis docet è Magis vnum fuisse colore subnigro, & quasi Æthiopem. Similiter Beda in collectaneis tertium è Magis fusco colore fuisse asserit; quam sententiam confirmant imagines, in quibus inter Reges Christum adorantes vnus Æthiops communiter pingitur. Respondetur probabiliter tertium è Magis fuisse Madianitam, in Sabam tamen venisse, vt se alijs comitem iungeret: & ideo Isaïæ 60. dicitur: *Dromedarij Madian, & Epha omnes de Saba venient. Madian, & Epha regiones sunt trans Ara-*
D *biam*, ait Hieronymus: Augustin. cap. 9. vers. 20. in Numeros ait, *vxorem Moysis dici Æthiopissam, quia erat de Madianitis; qui 2. Paralip. 14. dicuntur Æthiopes.* Augustinus Eugubinus in Numeros 22. docet cum Hebræis terram Madiam esse partem Æthiopiæ, quæ iuncta est Arabiæ. Quoniam verò regnorum termini variè à varijs ponuntur; eiusdemque regionis ambitus latior, vel angustior assignatur: hinc Madianitæ, qui trans Arabiam à S. Hieronymo ponuntur, ab alijs intra Arabiam concludantur: ita vt Arabia complectatur mare rubrum, eique regiones adiacentes, præsertim vicinam Æthiopiam: &
E ipsum mare rubrum sinus Arabicus dicitur, non Æthiopicus; cum vltra rubrum mare Arabia extendatur. Ideo probabiliter dici potest Asiaticæ regionis partem aliquam tam Magorum quam Reginæ Sabæ regno fuisse communem pro temporum diuersitate: & iuxta hanc communem regni partem explicari potest sententia asserentium ex eodem loco ad Salomonem Reginam, & ad Christi cunabula Orientales Reges venisse, vt sentire videtur Hieronymus in Isaïam 6.

A

*Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.*

16. QVæ de immundo spiritu hîc Dominus dicit, iterùm habentur Dominicatertia Lucæ 11. vbi etiam de ijs aliqua dicemus. Loca arida, seu, vt Lucas ait, inaquosa, intelligi possunt solitudines procul ab hominum commercio. Cum enim diuino imperio, & gratia ab hominibus dæmones expelluntur, se in solitudines recipiunt. Hinc Apoc. 8. Babylon in vastitatem, & solitudinem redacta dæmonum habitaculum facta esse dicitur: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum.* Quoniam verò deserta loca dæmonibus arida sunt; non enim in ijs prauarum suggestionum noxium semen ad peccatorum messem colligendam serere possunt; ideò ibi requie non inuentâ, iterùm ad hominum frequentiam Deo permittente redeunt.

Solitudines procul ab hominibus cur loca arida dæmonibus sint.

27. 2. Gentilium populi hîc per loca arida possunt intelligi; eò quod in illis, vt ait S. Paschasius, *nullus fons vitæ adhuc effluxerat, neque cælestis imber in eos compluerat. Tandem gratia Dei respersi, postquam per lauacrum aquæ vitæ sunt abluti, habitandi cum his nullus locus fuit. Quare diabolus optimum duxit in eam regredi domum, de qua depulsus exiuit*: redeundo scilicet ad Iudæos, qui antea per pœnitentiam immundum spiritum eiecerant; deinde iterum à salutis via deflexerant. *Putabat diabolus se perpetuam quietem posse habere in Gentili populo, & non inuenit; quia apparente Dei filio per mysterium incarnationis suæ Gentilitas credidit*, ait S. Remigius.

Gentilium regiones cur loca arida dicantur.

28. 3. Sicut homines consueti, communisque cibi fastidio sæpè ad delicatas escas gulam intendunt; ita diabolus, vt sit *cibus eius electus*, quemadmodum Habacuc loquitur, à peccatoribus ad iustos tentandos egreditur; & tunc per loca arida ambulare dicitur. Nam, vt Greg. ait: *Loca arentia, atque inaquosa sunt corda iustorum, qui per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur. Loca verò humentia sunt terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis concupiscentiæ quia replet, fluidas facit: in quibus diabolus iniquitatis suæ vestigia tantò altius imprimit, quantò in eisdem mentibus pes transitus illius, quasi in fluxa terra descendit.* Cum verò immundus spiritus apud iustos nullum peccati pabulum inuenit; iterùm ad peccatores, vt eos in peiora scelera pertrahat, reuertitur.

Cap. 1. 16.

Loca arida cur iustorum corda dicantur

31. Mor. c. 5.

29. *Quærens requiem, & non inuenit.* Sicut Angeli in celebrandis diuinis laudibus numquam defatigati, requiem non habent, vt in suis visionibus S. Ioan. testatur: *Requiem non habebant die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens:* E contrario immundi spiritus in auertendis à debito Dei obsequio hominibus requiem non inueniunt; cum semper noua, & noua crimina, & scelera quærant; ijsque numquam expleantur. Visum est satis Apostolo Petro Leoni diabolum comparasse: *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret:* sed teste Aristo. hist. animalium cap. 5. Leo post saturitatem triduo inediam paritur: diabolus verò numquam satur, inediam numquam sustinet, semperque ad animas deuorandas anhelat.

Apoc. 8.

1. ep. c. 5.

Leo satur inediam triduo patitur: diabolus leone vorracior numquam satur.

*Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam scopis mundatam, & ornatam.*

30. SVam diabolus domum, ex qua iam exierat, animam appellat; quia præterea, quæ initio diximus, peccator deletis pœnitentiæ sacramento actualibus culpis, postea ex ignauia prauos habitus contrariis actibus expellere negligit; adeoque adhuc diabolo fit obnoxius. Peccator autem, qui ita præteritas culpas tollit, vt prauos habitus, ex quibus illæ pullularunt, non eradicet, similis est ei, qui nouacula pilos abradit: abrasi enim pili, licet aliquanto temporis spatio non appareant, relictis tamen radicibus iterum prodeunt. Quare ad hoc exprobrandum dicitur Psalmus 51. *Sicut nouacula acuta fecisti dolum:* recidendo scilicet, non euellendo peccata. Non dissimiliter ait Basilius *eum, qui semel pœnitentiam egit, idem peccatum rursus facere significatio est, quod prima peccati illius causa non expurgata est; à qua rursus velut à radice quadam necesse est æqualia produci. Quemadmodum si quis arboris ramos resecare voluerit dimissa radice, nihilominus radix manens illos rursus producit.*

B

Diaboli domus ex prauo peccandi habitu relicto ad huc homo dicitur.

Peccator, qui peccatis pœnitet nec prauos habitus euellere nititur nouaculæ similis.

Basil. quæst. 289. ex breuioribus.

31. 2. Reg. 12. Dauidi suam culpam confitenti: *Peccaui Domino*, Nathan respondit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, hoc est condonauit. Quare ergo peccato iam translato adhuc ad Deum Dauid clamabat: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me?* Scilicet, vt non solùm peccatum, sed etiam peccandi prauus habitus deleretur, ampliorem ablutionem Dauid pœnitens efflagitabat. Ideo benè monet Ecclesiasticus: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Timere enim peccator pœnitens debet, ne malorum habituum, prauæque consuetudinis radix repullulet. Præterea post deletam peccati malitiam, prauarum rerum imagines animum inquinantes delendæ remanent: quibus animo infixis reuocari sperat Diabolus, & in amissum animæ domicilium iterum ingredi. Denique peccata animi vulnera esse docet Hieronymus in illud Isaï. 1. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens:* cum verò per gratiam peccata tolluntur, vulneri quidem cicatrix obducitur; remanet tamen imbecillitas ad operandum; quando cicatrix diuinæ misericordiæ oleo per pœnitentiam impetrato non corroboratur. Conatur igitur diabolus cicatricem iterum in vulnus reserare; sibique aditum in animam, vnde fuerat eiectus, apetire. Sed de hoc iterum infra. Cur autem domus, ad quam reuertitur diabolus, dicatur scopis mundata, & ornata, dicetur Dominic. 3. vbi eadem, quæ hîc repetuntur.

C

David post peccati remissionem cur amplius ablui petierit.

Psal. 50.

Cap. 5.

D

E

*Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se; & intrantes habitant ibi.*

32. SEptem spiritus assumi dicuntur propter criminalia peccata, quæ contraria sunt septem donis Spiritus sancti, ait Hieronymus. Sed contra est, quia non septem solùm, sed simul cum primo septem & consequenter octo sunt, qui peccatoris domum ingredi dicuntur. Octonarium numerum mysticum appellat Ambrosius, eumdem numerum Pythagorici vocabant iustitiam; nam

Octonarium numerum iustitiam Pythagorici vocabant.

Lib. 5. in Luc. c. 6.

primus omnium in numeros pares ita diuiditur, vt ipsi diuisi numeri in pares similiter numeros subdiuidantur. Diuiditur autem octonarius numerus in quaternarios, & quaternarius in binarios subdiuiditur. Ezech. 40. 34. In templum, quod cœlestem Ierosolymam præfigurabat, per octo gradus describitur ascensus. Quinam autem sunt hi gradus, quibus ad cœlestem patriam ascenditur? sunt profectò misericordiæ opera; iis enim, qui misericordiæ opera exercuerunt, dicet diuinus Iudex: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Misericordiæ autem opera septem numerat S. Thomas 2. 2. quæst. 37. art. 2. Pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuum, & sepelire mortuum. Quibus cum addatur octauum à Domino dicente: *In carcere eram, & venistis ad me*: & his octo gradus efficiuntur, quibus ad cœleste regnum ascenditur. Per totidem autem octo gradus, seu potius præcipitia, omittendo misericordiæ opera in inferorum barathrum peccatores corruunt. Quibus propterea à cœlesti Iudice dicetur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ideo ergo octo immundi spiritus in peccatoris animam ingredi dicuntur: vt singuli pro suo munere in singula præcipitia peccatores impellant.

Macrob. l. 1. de somnio c. 5. Octo gradibus, hoc est octo misericordiæ operibus in cœleste templum ascenditur. Immundus spiritus, & cum eo septem alij nequiores sunt dæmones ab octo misericordiæ operibus retrahentes. Matth. 25. Matth. 25. Matth. 25.

33. Prætereà Matth. 23. octies repetit Dominus: *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi*: cum enim Matth. 5. iustos diuinam legem seruantes Dominus octies beatos esse dixisset beatitudinibus, & benedictionibus illis totidem octo opposuit peccatorum miserias, & maledictiones. Nam sicut de iustis dictum est Lucæ 6. *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis*, &c. ita è contrario peccatoribus dicitur: *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis*, &c. Ad octo ergo peccatoris significandas miserias, beatitudinibus octo oppositas, dicuntur octo immundi spiritus in peccatoris domum, hoc est animam ingredi.

Octo immundi spiritus peccatoris domum ingrediuntur propter octo miserias, octo beatitudinibus oppositas.

*Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus: Sic erit & generationi huic pessimæ.*

34. Hippocrates *cum febris desijt, recidiuam timere est solitus*, ait Cornelius Celsus lib. 5. cap. 4. Recidiua enim febris maiores morbi vires, adeoque ægroti periculum maius indicat. Similiter cum à spirituali morbo quis conualuit, si in eumdem iterum incidat, maius damnationis periculum timere debet. Similiter etiam si antea saucius, obducta cicatrice, ibidem iterum saucietur, periculosius vulnus subit, quod difficillimè sanatur; cum valde putredini, & corruptioni saniε scatenti sit obnoxium. *Vulnus iteratum sanatur tardius*, ait Augustinus 3 de pœnitentia. Ideo peccator Psalm. 37. apertè fatetur: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*: hoc est propter manifestam insipientiam meam. Vbi Gregorius ait: *Super curatum vulnus cicatrix obducitur. Quæ cicatrix necessariò corrumpitur, si caro sanata iterum vulneratur. Sed quid per vulnus, nisi peccatum exprimitur? Quid verò per cicatricem, nisi pœnitentiæ actio designatur? Qui enim per pœnitentiæ lamenta peccatum corripit, quasi cicatricem vulneri superducit. Quod si dimissæ nequitiæ mentem iterum ad delectationem pertrahunt, superductæ vulneri cicatrices putrescunt.* Idem docet Greg. 9. mor. c. 5. vel 39.

Cornel. Celsus. Febri cessante, timenda est recidiua: sic de spirituali peccati febri. Vulnus iteratum sanatur tardius: similiter peccatum repetitum. Greg.

35. Quærit, & quæritur Ierem. cap. 8. *Quare non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Quia scilicet plagæ debita medicamina, & fomenta adhibita non sunt: idque non ob medici, & medicaminis inopiam; sed ob repetita vulnera, nempe peccata. Quod indicat Deus Is. cap. 1. conquerens: *Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Quasi dicat: Cum iteratis toties peccatorum plagis sauciemini, medicamini locum non relinquitis. *Non est malagma imponere*, legunt ibi Septuaginta. Ideo in peccatum recidiui indignos diuinæ misericordiæ oleo se reddant: & propterea iterata plaga non fota oleo esse dicitur.

Recidiui peccatores diuinæ medicamini locum non relinquunt.

36. Post inflicta corpori vulnera, ad eorum medelam sal adhiberi solet. At, vt anima spirituale peccati vulnus curet, & ne iterata vulnera subeat, sal etiam ex sacris litteris profert August. Ad quod intelligendum, reuocandum est in memoriam quod Genes. 9 legitur. Cum enim ab imminente Sodomis incendio, Angelus Loth, eiusque vxorem, & filias liberaret, dixit: *Noli respicere post tergum. Quò pertinet*, inquit August. 16. de ciuit. cap. 30. *quod prohibiti sunt, qui liberabantur ab Angelis, retrò respicere; nisi quia non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerati exuimur, si vltimum iudicium euadere cogitamus? Denique vxor Lot, vbi respexit, remansit; & in salem conuersa hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum; quo sapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum.* Idem repetit Augustinus in Psalm. 30. conc. 2. & in Psalm. 83. dicens: *Lucæ 17. dictum est: Mementote vxoris Lot. Vt quid enim statua salis effecta, si non homines condit, vt sapiant? ergo exemplum illius malum, tibi fit bonum, si caueris. Respexit enim retrò, vnde liberata erat à Sodomis; & ibi remansit, vnde respexit: ipsa in loco mansura, & transeuntes alios conditura, liberati ergo à Sodomis præterita vita non respiciamus retrò. De talibus quid dicit Apost. Petrus? Contingit illis res veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum. Premebat enim pectus conscientiæ peccatorum, accepta indulgentia quasi vomuisti, & releuatum est pectus tuum: facta est bona conscientia ex mala conscientia. Quid rursus conuerteris ad vomitum tuum? Si canis hoc faciens horret oculis tuis; tu quid eris oculis Dei?*

Vulnera spiritualia quo sale curanda sunt. Loth vxor cur in salis statuam conuersa. Ep. 2. c. 2.

37. Qui à Domino impetrata peccati venia, à diaboli seruitute se liberat, si ad peccatum iterum redeat, iterumque diaboli mancipium fiat, tamquam fugitiuus seruus, ne iterum fugiat, grauioribus peccatorum catenis adstringitur. Ideo de corruptionis, hoc est vitiorum seruis loquens Petrus Apostolus ep. 2. cap. 2. *Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.* Porro sicut in fugæ pœnam mancipia inustam notam subire coguntur, ex qua stigmatici serui dicti sunt: similiter recidiuis peccatoribus iterum in peccati seruitutem redactis, diabolus per prauos vitiorum habitus stigmata inurit. Quare ne in fœda huiusmodi stigmata incurramus Leuitici 19. 28. mysticè dicitur, vt ibi legit Augustinus: *Incisiones super animam non facietis in corpore vestro; neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis.* Tale autem mancipium adeo vile est, vt sine pretio vendi dicatur. Ideo de Hebræo populo sæpius præuaricante Psalm. 43. Deo dicitur: *Vendidisti populum tuum sine pretio.* Ideo Ierem. 2. 26.

Peccatores pœnitentes, postea recidiui, veluti fugitiuos seruos arctiori catena diabolus ligat. Ep. 2. c. 2. Peccatoribus pœnitentibus, & postea recidiuis, tamquam fugitiuis seruis stigmata diabolus inurit. Peccator recidiuus vile mancipium, sine pretio vendibile.

animæ in peccata relabenti dicitur: *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas?* Vias scilicet, per quas recidiui peccatores semper in deteriora labuntur; quippe qui diuina luce priuati à malo Angelo per vitiosæ vitæ habitum iter præcipites impelluntur. Hinc de ijs Psalm. 34. dicitur: *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos*, hoc est Angelus Domini malus impellens eos, iuxtà Hieronymum.

Peccatoris recidiui miseria maxima.

38. Cum Dominus æterno Patri dixerit Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: consequenter talis cognitionis priuatio, cum æternæ vitæ opponatur, miseria maxima est. Hac tamen miseria, quæ meritò maxima existimari potest, miseria maior reperitur. Vt autem, quæ sit miseria hæc maior, intelligatur, reuocemus in memoriam, quod fidelibus de Domino ait Petrus Apostolus epist. 1. cap. 2. *De tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* De ijs autem, qui de peccati tenebris à Deo vocati, & liberati, peccando iterum tenebrarum potestati subijciuntur, ait idem Apostolus epist. 2. cap. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ; quàm post cognitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Cui consonat Iacobus cap. 4. *scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*: peccatum, scilicet maximum maximo supplicio puniendum, iuxta Domini sententiam Lucæ 12. 47. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis*; hoc est acriori in inferis supplicio punietur, iuxtà Basilium in regulis breuioribus 267.

Illuminati à Deo, & postea in peccata recidentes, supplicium maximum subibunt.

Vita peccatoris via lubrica dicitur, quia semper in peiora labitur.

39. Ierem. 23. de præuaricantibus Dominus ait: *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea; afferam enim super eos mala.* Si quæratur, quibus peccatoribus tam terribilis comminatio fiat? profectò legitur ibi facta prophetis, & sacerdotibus; quippe qui antea à Deo illuminati in vitiorum sordes inciderant: *Propheta, & sacerdos polluti sunt; & in domo mea inueni malum eorum. Via eorum erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea; afferam enim super eos mala.* Porro sicut supra ab Apostolo recta viuendi forma *Via iustitiæ* dicta est; eo quòd in via semper vlterius procedatur; adeoque iusti semper ad maius virtutum augmentum, per iustitiæ viam progredi debeant: ita peccatorum vita similiter via dicitur, & via lubrica, & tenebrosa; eo quòd per eam præcipites semper in deteriora corruant: *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris.*

Græciæ equi edocti cum fortè caderent, statim consistere.

40. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus* dicitur Psalm. 31. 9. Vtinam tamen suis in vijs Græciæ equos peccatores imitarentur, qui teste Ambrosio, vel Augustino serm. de cognitione sui, ita edocebantur; vt cum fortè caderent, statim consisterent, ne se commonendo, periculosius laberentur. Vel alia animalia rationis expertia peccatores imitarentur; de quibus ait Hieronymus ep. 10. ad Furiam: *Bruta animalia, & vaga aues in easdem pedicas, retiaque non incidunt*.

Hieron.

Quod si bruta ad imitationem proponere pudeat, cœlestem sponsam, ne in peccata recidat, imitari anima debet; quæ Cantic. 5. ait: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induam illam? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quasi dicat, vt Patres anonymi apud Theodoretum explicant: *Veteri mea peccati tunica, quam ex transgressione contraxeram, me expoliaui; quomodo iam induam ipsam splendido depulsam indumento? laui pedes meos lauacro baptismatis, & sancti Spiritus aduentu, & diuinorum mandatorum obseruatione eximiè purgata; quomodo igitur illos improbæ cupiditatis vestigia sequens, inquinabo?* Similiter iuxtà Psellum ibidem: *Transgressionis crassitudinem exui, nec sententiam vmquam mutabo, vt eam iterum induam. Terrenas abstersi sordes pedibus meis, eosque in salutis semitas direxi, ne vllo quidem tempore me retro conuertam, vt inquinem illos.* Hinc Ambrosius 3. de Virginibus ait: *Vide anima Deo deuota quid dicat: sic se actus corporis, & terrenos exuit mores, vt nesciat quomodo, etiamsi velit, rursus possit induere. Quomodo induam illam, hoc est qua verecundia, quo pudore, qua postremò memoria? Consuetudo enim boni vsum prauitatis veteris amisit. Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Non dixit*: Quomodo iterum lauabo eos? *Sed* Quomodo iterum inquinabo eos? *quasi oblita maculæ veteris, oblita contagij. Itaque pedes cum semel laueris æterni fontis irriguo, caue iterum corporeæ cupiditatis illuuiem, ne lutulenti actus sordibus inquinentur.* Idem docet Ambrosius in Psalm. 118. ser. 22. Similiter Bernardus serm. 3. in Cantica: *Si dixerit mihi Iesus: Dimittuntur tibi peccata tua; nisi ego peccare desiero, quid prodierit? Exui tunicam meam; si reinduero eam, quantùm profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram, inquinauero, numquid aliquid lauisse valebit? Sordens omni genere vitiorum iacui diu in luto fæcis; sed erit sine dubio recidenti, quàm iacenti deterius. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: Ecce sanus factus es; vade, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Qui autem dedit voluntatem pœnitendi, opus est, vt addat & continendi virtutem; ne iterum pœnitenda, faciamque nouissima mea peiora prioribus.*

Peccatores pœnitentes sponsam imitentur dicentem. Laui pedes meos; quomodo inquinabo illos?

Lucæ 7.

Ioan. 5.

Psalterij decem chordæ Decalogi præcepta.

41. S. Basilius in Psalm. 32. verba: *Confitemini Domino in cithara, & in psalterio decem chordarum psallite illi*: docet psalterij decem chordas, decem diuinæ legis præcepta significare; quibus bene operando suauem harmoniam diuinis auribus resonare debemus. Sed peccator semel correctus, iterum, iterumque præuaricans, & in diuinæ legis transgressionem incidens, meritò, vt ille ait: *Ridetur chorda, qui semper oberrat eadem.* Sed, & si à dæmonibus ridetur; eius tamen pernicies valdè deplorabilis est. Viperini serpentes, teste Æliano lib. 12. cap. 6. & 23. vt Murænam adeant, venenum deponunt, quod statim postea resorbent. Verè ergo peccatoribus antea pœnitentibus, postea depositum peccati venenum resumentibus dici potest: *Serpentes, genimina viperarum.* Matth. 23. 33. Meritò ergo de huiusmodi peccatore dicitur: *Fiant nouissima illius peiora prioribus.*

Hor. de Arte.

Peccatores recidiui viperis similes.

Peccatores recidiui similes Samsoni tenacioribus vinculis adstricto.

Peccatoris, nisi peccata radicitus auferat, in deteriora prolabentis typum Samson expressit. Hic Iudicum 16. dicitur Dalilæ dolis prius vinctus fuisse septem funibus; deinde nouem; deinde, quod tenacius fuit, propria cæsarie in septem cincinnos staminibus intextos distincta, eaque clauo in terra fixo colligata. Tandem Philistæi eius oculos eruerunt, & vinctum catenis, & clausum in carcere eum molere fecerunt. Similiter peccator, nisi se à diabolicæ suggestionis, veluti à Dalilæ sinu prorsus excutiat; semper tenacius, ac tenacius maioribus, & maioribus peccatis ab immundo spiritu vincietur. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*, ait Salomon. *Peccata dicuntur funes*, ait Beda; *quia is, qui funem facit torquendo semper, & inuoluendo fila adauget: talis est fortitudo operum malorum; in quibus praua prauis nectentes, nil aliud, quàm vt se arctibus obligent, agunt.* Propterea Isaïas 28. Peccatores monet, ne diuinas minas, quibus ad vitæ

Prou. 5. Peccata funibus constantibus ex multis contortis similia.

correctionem vocantur, aspernentur: *Nolite illudere, ne fortè constringantur vincula vestra*, id est *ne constringantur vincula peccatorum vestrorum*, ait Hieronymus.

42. Isaiæ 5. Peccatoribus dicitur: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis; & quasi vinculum plaustri peccatum.* Cur peccata funiculi vanitatis vocantur? Respondetur primo ex Gregorio in Moral. *In vnoquoque lapsu à minimo semper incipitur, & succrescentibus defectibus ad grauiora peruenitur.* Respondet secundò Hieronymus: *Quia facientibus peccatum facile texitur; & adeo inane in te est, ac futile, vt aranearum tela. Sed cum inde exire voluerimus, solidissimis vinculis nectimur.* Citata Isaiæ verba benè Chaldæus vertit: *Væ, qui incipiunt paulatim peccata, augentque, vt crescant, & fortia fiant.* Ibidem legit Augustinus in Psalm. 139. *Væ iis, qui trahunt peccata, sicut restem longam:* & quærenti, quare dicatur restis, respondet: *Quia omnis peccator perseuerans in peccatis suis, addit peccata peccatis; & cum deberet accusatione peccati sui corrigi, defensione duplicat, quod confessione posset auferre; & plerumque aliis peccatis vult munitus esse propter illa, quæ commisit. Fecit adulterium, & ne occidatur, parat homicidium: addit peccato peccatum. Rursum, si contigerit facere homicidium, iam qui vnum crimen timebat, duo timet: & vtique cum videat se plura timere, quàm antea timebat, non cogitat minuere quod facit, sed addere quod nondum fecit. Quæris fortè & maleficium. Tria ecce habet. Inde iam quis cogitet, quis finiat restim peccatorum? Et optime dicitur restis: vt enim torqueatur restis, additur, & non adduntur recta fila, sed torta. Prauitas sibi connexa ducitur in longum, & non cogitat præcidere quod malè texuit; sed addere, producere, in longum protendere; vt habeat in fine, vnde illi ligentur manus, & proiiciatur in tenebras exteriores.* Idem docet in Psalm. 130. & in Psalm. 57. & tract. 10. in Ioan. Ne autem grauia tantum, & non etiam leuiora peccata vitemus, benè Augustinus ait: *In modum funis, qui ex pluribus minimis filis crescit in multum, peccata semper tamquam longo fune trahuntur, vt scilicet conualescant in crassum rudentem plaustri.* Egregiè Basilius citata verba explicans quomodo peccatum vnum aliud, & aliud trahat in lasciuo iuuene sic exemplificat: *Primùm corpus componit; crines circumtondentur; veste operitur non qualicumque, sed quæ studio quæsita sit, & faciat ad elegantiam, ad Zonam vsque; demissa vsque ad soleas: Per hanc ostentat ambitiosam, & superfluam curam, ac studium suæ honestatis. Deinde suppeditat pecunias, vt earum pretio redimat fruitionem pulchritudinis scorti. Ad hæc pressius cogitat, quas sibi pronubas conciliet, verius lenas. Verba adornat, quæ faciant ad corruptelam: ex composito sibi instruens, ac parans occasiones amatory congressus, compotationes, & conuiuia, prolixas confabulationes. Per tot, tantosque conatus, quanticumque intermedij accurrunt, sibi accersit tandem flagitium prostitutæ pudicitiæ. Hic est, qui attrahit peccatum quasi funiculo longo.*

43. Peccatoris in peiora prolabentis specimen etiam lacrymabili exemplo videre est in Apostolo Petro; qui antequam pœnitentia, & Spiritus sancti virtute confirmaretur; primò absolutè Christum Dominum negauit ancillæ respondens: *Nescio quid dicis.* Paulò post negationi periurium addidit: *Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem.* Tandem periurio addidit imprecationes, cumque falsò negaret, vt falsæ negationi fides haberetur, Deum non solum testem, sed vindicem aduocauit; idque non vna imprecatione, & periurio, sed pluribus: *Cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem. Cœpit*, inquit Euangelista, quasi antea nihil tale fecisset; adeo multo maiori perfidia tertiò negauit.

Peccatum cur funiculus, & vanitatis funiculus dicatur?

Peccatum cur restis dicatur.

Matth. 22.

Basilius in Isai. cap. 5.

Lasciui iuuenis in peccatis progressus.

Petri Apostoli trina negatio, posterior priori deterior.

Matth. 26.

A

44. Præterea ad peccatoris in deteriora vitia ruentis præcipitem motum significandum dicitur Psalm. 82. *Deus meus, pone illos, vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis, qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes.* Quæ verba ex regula Augustini, & Hieronymi intelligenda sunt iuxta vim Hebraïcam, & sacris litteris consuetam prophetico sensu; scilicet: Deus meus iusto supplicio pones peccatorem semper instabilem veluti rotam, veluti stipulam: veluti ignem. Vbi maior sit instabilitas stipulæ vento circumactæ, quam instabilitas rotæ; rursus cum stipulæ motum cessantem cessatione venti superet instabilitas flammæ perpetuò inquietæ, apertè significatur peccatorem impœnitentem, eo quòd in peiora semper vitia prolabatur, semper instabilitate maiori circumagi.

B

45. Porrò per flammam comburentem montes fulminis flāmam intelligere possumus, sicut etiam de fulminis flamma dicitur Psalm. 143. *Tange montes, & fumigabunt.* Maxima igitur peccatoris instabilitas fulmini comparatur: Fulminis autem modo è cœlo in terræ penetralia, hoc est è cœlesti vita in vitiorum barathrum decidens peccator, diabolum imitatur; de quo Dominus dixit Lucæ 10. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.*

C

46. Denique cum quadruplici motuum genere mobile moueri possit, scilicet vel motu circulari, vel recto, vel spirali, vel vario, & irregulari; Omni motuum genere iniquus instabilitatem præsefert. Mouetur circulariter, cum ad modum rotæ circumagitur; mouetur motu recto, cum admodum ignis sursum per superbiam exilit; mouetur spiraliter, cum admodum fulminis decidit; fulmen enim, quod veluti spiraliter descendat, dicitur *Crispisulcans.* Tandem cum ad modum stipulæ vento agitatæ huc, illuc peccator vagatur, motu vario, & irregulari torquetur. Benè igitur Dauid prædixit: *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis, qui comburit syluam; & sicut flamma comburens montes.*

D

47. Ex sancto Gregorio in illud Iob Iob. *Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt.* leonis nomine diabolus significatur, nomine leænæ huius mundi ciuitas, id est Babylonia exprimitur; reprobi vero catuli leonis dicuntur. In huiusmodi verò leunculis feritatis gradus in dies semper augescunt. Primò peccator veluti leunculus prodit. Secundò leo firmioribus viribus fit. Tertiò in syluis prædari discit: Quartò homines deuorare, viduasque coniuges reddere. Quintò desertas reddere ciuitates: Sextò solo rugitu vniuersam prouinciam, eiusque incolas desolare. Ezechielis 19. *Tulit leæna vnum de leunculis suis; leonem constituit eum; qui incedebat inter leones, & factus est leo; & didicit prædam capere, & homines deuorare, didicit viduas facere; & ciuitates eorum in desertum adducere; & desolata est terra, & plenitudo eius à voce rugitus illius.*

E

48. Ex Hugone Cardinali, & aliis interpretibus de Sennacherib ad litteram, de diabolo mysticè Isaias Deum alloquens dixit: *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris*

Peccator in peiora labens rotæ, stipulæ vento agitatæ, & igni similis.

August. in Psalm. 103.

Hieron. in Thren. lerem. cap. 1.

Peccator fulmini similis.

Peccator quadruplici motuum genere instabilis.

Tullius in Topica.

S. Greg. 27. Iob. cap. 4. 10.

Peccator ex leunculo leoni voracissimo similis.

Peccatores prius sceptro, deinde virga, tandem iugo sibi diabolus subdit.

C. 4. *eius superasti.* Ex quibus verbis patet tripliciter diabolum in peccatores imperium exercere; iugo scilicet, virga, & sceptro. Sceptri imperium leuius est, cum sit Regis in subditos: Virgam dominando exercere grauius est; cum eam Domini ad puniendos seruos exerceant: grauissimum denique est iugum imponere; cum iugo subjici belluarum proprium sit. Sceptro tributa exiguntur: virga verbera infliguntur; iugo onera belluarum more trahuntur. Homo igitur sceptro subditus; virga mancipium; iugo bellua declaratur. Hos quidem gradus in sua tyrannide, cum per peccata homines sibi subjicit diabolus, habet. Primo ex humano corde prauarum cogitationum vectigal exigit; deinde animam malarum operationum ictibus in perniciem stimulat; ad extremum homines iumentis insipientibus comparatos iugo subdit, ad ingentia scelerum pondera pertrahenda: quibus propterea dicitur: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* (Is. 5.) Quare Deus per suam gratiam à deterioribus exorsus ex anima primo diaboli iugum, deinde virgam, tandem sceptrum auertit.

49. Tres perditionis gradus, per quos in præceps peccator prolabitur, reperiri possunt. Primus gradus est inchoare perditionis iter. Secundus gradus est in perditionis via consistere. Tertius est in eadem delectabiliter, & otiosè sedere. Quare, qui à tribus istis gradibus prudenter gressus cohibet, is verè beatus dici potest: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit; & in cathedra pestilentiæ non sedit.* (Psal. 1.) Rursus in peccati malitia motus, status, & sessio est: motus fit malè assentiendo; status fit malè operando; sessio fit malè docendo. Primo gradu seducitur peccator à diabolo; 2. à diaboli discipulus constituitur; 3. magister efficitur. Seducitur cum abit in consilio impiorum; discipulus constituitur, cum in via peccatorum stat; magister efficitur, cum ad alios subuertendos in cathedra pestilentiæ sedet.

*Peccator in malitia via motum, statum, & sessionem habet:*

*Peccatorem prius diabolus seducit; deinde suum discipulum reddit, tandem magistrum constituit,*

50. Iuxta Ambrosium in Luc. cap. 7. & Augustinum tract. 49. in Ioan. mortui, quos Dominus ad vitam reuocauit, peccatoris typum exprimunt: mysticè enim priuatio animæ, priuationem gratiæ significat; cum sicut anima corporis, sic animæ gratia vita sit. Tres autem mortui à Redemptore suscitati leguntur; scilicet filia Archisynagogi; filius viduæ; & Lazarus Marthæ, & Mariæ frater. Filia Archisynagogi in propria domo ad vitam reuocatur; filius Viduæ in feretro; Lazarus in sepulchro. Archisynagogi filia, quæ è paterna domo nondum in viam prodierat, peccatorem è prauo consensu nondum in externa opera prolapsum significat. Filius viduæ extra domum feretro ad sepulchrum elatus peccatorem prauis operibus inferos petentem repræsentat. Lazarus post mortem quatriduanus, adeoque iuxta naturæ ordinem fætorem emittens, peccatorem non tantùm assensu, & prauis operibus, sed malis etiam habitibus, & inueterata peccandi consuetudine marcidum refert. Ex triplici hoc peccatoris conditione, & statu, vt alio alium grauiorem Dominus significaret, ad Archisynagogi filiam suscitandam solam vocem adhibuit dicens: *Puella, tibi dico, surge; & confestim surrexit puella.* (Marci 5.) Ad reuocandum in vitam filium viduæ, præter vocis imperium, feretrum tangendo sistere voluit: *Accessit, & tetigit loculum*; (Lucæ 7.) deinde miserationis affectum ostendit: *Misericordia motus ait: Adolescens, tibi dico surge.* Denique ad Lazarum suscitandum non simplex vocis imperium, sed internum fremitum, turbationem, lacrymas, & clamorem adhibuit: *Infremuit spiritu; turbauit se ipsum; lacrymatus est Iesus; & voce magna clamauit: Lazare, veni foras.* (Ioan. 11.) Præterea Dagon Philistinorum Idolum peccatoris in peiora labentis typus fuit. Nam 1. Reg. 5. dicitur *Philistiim arcam Dei statuerunt iuxta Dagon. Cumque surrexissent, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini, & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane consurgentes inuenerunt iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Similiter homo præuaricans coram Deo vbique præsente, prius in peccatum decidit; quod si deinde pœnitentia non corrigit, maiori pœna punitus truncus remanet abscisso capite, & manibus; mente scilicet, & operationibus; ita vt obduratus, nec vlla bona opera exerceat, nec salutaria cogitet; sed capite, & manibus cogitatione, & operatione omninò terræ adhæreat.

*Peccatoris triplicem statū, tres mortui à Domino suscitati significant.*

51. Cum Matthæi 21. dicitur sub parabola: *Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam*; iuxtà Irenæi (Lib. 4 c. 70.) aliorumque sententiam nomine patrisfamilias Deus; nomine vineæ hominum genus debet intelligi. Hæc autem vinea, cum peccatis sylueseeret, non vuas, sed germina pessima eduxisse legitur. Prima germina, quæ dedit habentur Isaiæ 5. *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* 2. germina ibidem habentur iuxtà August. (Tract. 80. in Ioan.) *Expectata est, vt faceret vuas, fecit autem spinas.* 3. germina habentur Deut. 32. *Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi; fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Ex quibus patet syluescentem vineam, hoc est hominis præuaricantis animam deteriora operationum germina semper efferre: cum spinæ labrusca peiores sint; cumque venenum sit labrusca amarius, spinisque nocentius. Si quæratur, quare hæc vinea deteriora semper eduxerit germina, huius reddi ratio potest ex Ecclesiastico, à quo dicitur: *Initium, seu radix omnis peccati est superbia:* (Cap 10.) additur autem ex Dauide: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*; (Psal 71.) hoc est semper augescit. Cum igitur huiusmodi venenata radix semper in malum crescat, mirum esse non debet, si deteriora semper germina proferat. Hinc Ecclesiastici 3. 30. dicitur: *Synagogæ superborum*; hoc est peccatorum cætui diuinæ legi se subdere negantium *non erit sanitas: non erit medela*, ex Græco legitur: *Frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur*: hoc est ob cordis obstinationem, culparumque augmentum, amisso penè conscientiæ stimulo, abijs pessimus eorum status non cognoscetur.

*Peccatrix anima, velut syluescens vinea prius labruscam, deinde spinas, tàdem venenum germinat.*

52. Magnum prodigium foret, si modico temporis interuallo muscam in Elephantem crescere videremus. Non dissimile prodigium à Belzebub falso muscarum Deo peccatorum magis, ac magis excæcando factum olim refert Augustinus tract. 1 in Ioan. *Nescio quis tædium patiebatur à muscis. Inuenit illum Manichæus tædio affectum, & cum diceret se non posse pati muscas, & odisse vehementer illas, statim ille: Quis fecit has? Et quia tædio affectus erat, & oderat illas, non ausus est dicere: Deus illas fecit; erat autem catholicus. Ille statim subjecit: Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Planè ait ille: Ego credo, quia diabolus fecit muscas. Et ille statim: Si muscam diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis; apem quis fecit, quæ paulo amplior est musca? Non ausus ille est dicere: Quia Deus fecit apem, & muscam non fecit, quia*

*Diabolus per deceptionem ex musca elephantem fecit*

*res erat proximo. Ab ape duxit ad locustam; à locusta ad lacertam, à lacerta ad auem; ab aue duxit ad pecus; inde ad bouem, inde ad Elephantem; postremò ad hominem; & persuasit homini, quia non à Deo factus est homo. Ita ille miser, cum tædium passus est à muscis, musca factus est, quem diabolus possideret. Beelzebuth quippe interpretari dicitur princeps muscarum.*

Genes. 4.

53. A Deo dictum est Caïno; *Si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit.* Cur in exterioribus foribus adstabit, & non potius ad interiora cordis inficienda, & cruciandа Caïni culpa penetrabit? Respondetur primò in foribus, seu ex Hebræa lectione *in foris*, aut in portis peccatum adesse dicitur; eo quòd in portis forum, & tribunal collocare, ibique iudicia exercere, consuetum fuit, iuxta illud Prouerbiorum 31. *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Adest igitur in portis peccatum, hoc est ad iudicium adstat, vt aduersus peccatorem testimonium ferat. Peccatum quidem accusatorem Dauid experiebatur cum dixit Psalm. 50. *Peccatum meum contra me est semper*, & Psalm. 38. ex Hebræo: *Cum consisteret peccatum aduersùs me.* Quare sicut de anima iusta dicitur: *Laudent eam in portis*, hoc est in foro, & iudicio *opera eius*: ita de peccatore dici potest: In portis, hoc est in iudicio illius opera eum accusent.

Peccatum in foribus adstat, vt peccatorem accuset.

Prou. 31.

54. Respondetur secundò, ad rem nostram dici in portis peccatum adstare, similitudine desumpta à militibus, qui obsessam vrbem ingressi portas reserant, ibique ad socios alios, atque alios introducendos adstant.

Peccatum in foribus adstat, vt peccata alia in animæ interiora aduocet.

Æneid. 2.

*Inuadunt vrbem, portisque patentibus omnes*
*Accipiunt socios, atque agmina conscia iungunt:*

Ita patratum crimen ad animæ fores adstare videtur; vt scelera alia, atque alia in animam introducat; eamque planè miseram tandem in perniciem pertrahat.

Psalm. 50.

55. A Dauide Deo dicitur: *Secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Si vna, & altera iniquitas adulterij, & homicidij delenda est; cur multitudinem diuinarum miserationum numerum omnem excedentium implorat? Multitudo quidem infinita miserationum diuinarum, multitudini miseriarum omnium respondere debet: at cum Dauid excepto adulterio, & homicidio in aliorum scelerum miserias non incurrerit; ad illius miseriam sublеuandam non omnis, sed vna, aut altera diuina miseratio satis esse videbatur. Verum quidem id esset, si iniquitas vna ad aliam, atque aliam deteriorem non pertraheret animam: sed cum oppositum Dauid optimè sciret, iure ex gemino peccato in scelera omnia prolabi timuit: & propterea ad miserias omnes sibi imminentes arcendas diuinarum miserationum omnium multitudinem implorauit. Nouerat pœnitens Dauid, quod benè explicat sanctus Thomas prima secundæ quæst. 87. art. 2. admisso peccato, pro pœna aliarum culparum lapsus à Deo permitti. Propterea Psalm. 68. dixit: *Appone*, hoc est ex regula Augustini supra allata, permittes apponi *iniquitatem super iniquitatem eorum; & non intrent in iustitiam tuam.* Verissima enim est Areopagitæ sententia de diuinis nomin. cap. 4. *Malum cùm sit defectio à bono, sua infirmitate, & pondere ad aliud, & aliud malum progreditur.* Ex quibus posterius priori peius est.

Peccans vno, aut altero peccato cur infinitam diuinarum miserationum opem imploret?

Peccati pœna peccatum aliud.

56. Plagis in Ægyptum immissis spirituales peccatorum plagas mysticè significari communiter docent Sanctorum Patres, præcipuè August.

A

tom. 9. tract. de Christi plagis. Porro Ægyptij prius in ranarum plagam, deinde in plagam Ciniphum, hoc est culicum inciderunt. Posterius hoc cinіphum flagellum priori multo acrius, ac molestius fuit. Cum ranæ interrupto saltu, culices verò continuo, & velocissimo volatu Ægyptios inuaderent: cumque ranæ non tam morsu, quàm in strepitu, & immunditie Ægyptios cruciarent; culices verò interiorem sanguinem acerbo morsu sugentes, molestissimæ pruriginis cruciatum relinquerent. Similiter peccator, qui diabolum per prauas suggestiones, veluti immundam coaxantem ranam non repulit, labemque inde contractam pœnitentiæ lacrymis non B deleuit; eumdem diabolum veluti mordacissimum culicem experitur: cuius morsus, tamquam à volatica peste, velociores sunt, & frequentiores.

Ægyptiarum plagarum altera fuit altera deterior: similes illis peccatorum plagæ.

Ranæ prius, deinde culicis instar peccatorem diabolus cruciat. idem num. 17.

57. De Ægyptiis etiam plagis dicitur Psalm 104. 34. 35. *Venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus: & comedit omne fœnum in terra eorum; & comedit omnem fructum terræ eorum.* Perniciosior profectò direptio fructuum, quam fœni fuit; illa leuior præcessit, hæc grauior subsecuta est. Similiter peccator, qui diaboli direptioni voluntariè subiacet, peiorem, & peiorem animæ perniciem subit. Diabolus enim prius bonas cogitationes, & verba, veluti fœnum locusta, diripit; deinde ad bona opera per oppositas operationes C diripienda, tanquam ad fructuum prædam transit. De Ægyptia locustarum plaga dicitur Exod. 10. 15. *Deuorata est herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit.* Sicut locustæ post deuoratas herbas humi germinantes, in sublimes arbores insilierunt; ita dæmones postquam inferiores sensus per praua obiecta inuasit, in sublimem animæ partem insiliunt, vt inde consensum eliciant.

Locustarum Ægyptiarum instar in peccatorem diabolus insilit.

58. Abdiæ versu 5. dicitur: *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?* Vbi sub similitudine furum, & vindemiatorum futuræ Chaldæorum in Iudæos D direptio iuxtà litteram indicatur: mysticè verò direptio significatur, quàm in peccatoris anima diabolus exercet. Fures clam rapiunt, vindemiatores vuas palàm decerpunt. Quia furum timida, & clancularia est rapina, ideo non omnia diripiunt, sed sufficientia tantùm, hoc est ea, quæ pro præsenti metu, & nocturno tempore sufficere iudicant. At vindemiatores cum metu nullo premuntur, quidquid vuarum est vsque ad racemum carpunt. Similiter dæmones prius tamquam timidi furos occultis suggestionibus ad animam deprædandam accedunt; postea ex facili peccatoris consensus audaciores redditi, tamquam vindemiatores apertè spiritualia bona vsque ad racemum, hoc est vsque ad piam cogi- E tatiunculam ex anima rapiunt.

Diabolus in peccatorem prius fur, deinde vindemiator.

59. Verè peccator de dæmonibus eum in grauiores semper culpas pertrahere conantibus, cum Dauide Psalm. 21. 13. dicere potest: *Circumdederunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens.* Immundi enim spiritus primùm per prauas suggestiones, se veluti vitulos exiguis cornibus leuiter impetere potentes exhibent; deinde veluti præferoces tauros; tandem velut efferatos leones. De peccatore in peiora labente plura etiam habentur feria 6. post Dominicam primam in illa verba: *Ecce sanus factus es: iam noli pecca-*

Diabolus prius vt vitulus, deinde vt taurus, demum vt leo in peccatorem insurgit.

*Sabbati: Dominici diei diluculum.* Similiter, & clarius Theophylactus: *A sexta hora vsque ad nonam fuerunt tenebræ, per has mihi noctem intelligas. Iterum à nona lux, hoc est dies: ecce diem, & noctem. Iterum nox Parasceues, & dies Sabbati: Ecce 2. diem, & noctem. Nox quoque Sabbatum, & diluculum Dominicæ: à diluculo enim dies totus numeratur; ecce tertiò diem, & noctem.*

Sol consueto citius illuxit Dominicæ resurrectionis nocte: idem n. 14.

13. Ad quod melius intelligendum ipsa nocte præuia diei Dominico, cum Christus resurrexit, solis primùm absentia, deinde præsentia reperitur. Abfuit quidem sol primis nocturnis horis, rediijt verò sub extremam partem eiusdem noctis; quandoquidem Dominicæ resurrectionis nocte consueto citius sol illuxit, diemque reuocauit; vt resurgentis Domini veluti prænuncius, & Lucifer foret. Id Chrysologus colligit ex verbis Marci 16. *Valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole.* Si valde mane, quomodo orto iam sole? Respondet Chrysologus serm. 82. *Sol, qui præter horam, vt Domino compateretur, abscesserat; claritate, cum resurgeret Dominus, ante tempus occurrit: & qui vt suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam mortificauerat claritatem; vt consurgeret auctori suo, euictis tenebris antelucanus erupit.* Idem serm. 74. in illud Matth. 28. *Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati: Vespera, inquit, mater noctis parturit diem; mutat ordinem, dum agnoscit auctorem; radiat de nouitate mysterium; anhelat creatori seruire, non tempori.* Idem serm. 75. *Elementorum auctor, elementorum vices mutat; resurgente Christo fidelibus lucescit Vesper, dies infidelibus tenebrescit; Discipulis nox mutatur in diem; Iudæis dies vertitur, & mutatur in noctem. Ab hora sexta tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam; vt quod scriptum est, impleretur. Occidet illis, id est Iudæis, sol meridie: nostris autem nox, sicut dies illuminabitur.* Æquum erat, vt resurgente Domino iustitiæ sole, iustitiæ leges seruarentur; adeoque illæ tenebrarum horæ, quas feria 6. ex die sibi nox vsurparat; ipso iterùm noctis tempore restituerentur diei. Quare de Domini resurrectione Chrysologus ait: *Tunc sol, vt mane faceret, manicauit: & qui ante noctem fugerat, nunc ipse noctem preuenit fugaturus; vt reddat luci nox horas, quas terror Dominicæ passionis innaserat.*

Dominum tres dies, & noctes in corde terræ fuisse primo modo explicatur.

Luca 23. Amos 8. Psalm. 138 Malach. 4.

Ser. 80.

14. Denique eamdem sententiam de anticipata, cum Dominus resurgeret, solis illuminatione habemus ex Ambrosio his verbis: *Solem ipsum arbitror esse in hac die solito clariorem: necesse est enim, vt sol in eius resurrectione gaudeat, in cuius passione condoluit; vt cuius mortem lugubri quadam caligine prosecutus est, eiusdem vitam nitidioris lucis splendore suscipiat; & tamquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ; modò corruscet in resurrectionis obsequium.* Ergo ex Ambrosio sicut solis obscuritas Domini præcessit exequias; ita solis illuminatio præire, ac prænunciare Domini resurrectionem debuit. Præterea etiamsi solis ortus, resurgente Domino celerior supra horizontem non fuerit; satis est ex Ambrosio, si illius illuminatio fuerit intensior; nam eò ipso diurni temporis exordium celerius fuit: quandoquidem aucto solari lumine, quod ex eo diluculum proueniebat, clariorem diem referre poterat: dies enim esse, & sol oriri dicitur, non solùm cum solare corpus supra horizontem apparet; sed etiam cum aduentantis solis lux tenebras expulit. Iuxtà quem sensum Augustinus, Beda, Euthymius, Theophylactus, & Lyranus explicant verba illa Marci 16. *Valde mane*, seu *Valde diluculo*, vt ait

Ambros. ser. 12.

Diluculum pro die sumi potest.

Luc. c. 24.

A Lucas, *veniunt ad monumentum orto iam sole*, id est *sole oriente*, vt legit Augustinus. Hinc Chrysostomus tomo 6. orat. de martyre, ait: *Sub auroram solem exorientem vidistis, & quasi croceos radios emittentem.* Sub auroram autem non solare corpus, sed eius radij, ijque non planè lucidi, sed crocei videntur; & tamen solem exoriri, adeoque diem esse Chrysostomus dixit. Porro allatæ sententiæ de præmaturo solis ortu, non obstat, quod Ioannes dicat, Magdalenam ad monumentum venisse, *cùm adhuc tenebræ essent.* Respondetur enim ex Dionysio Alexandrino epistola ad Basilidem, mulieres cum adhuc tenebræ essent, domo fuisse egressas; ad sepulchrum tamen peruenisse post expulsas tenebras; cum tenebræ in ipso

Aug. l. 3. de consensu Euang. c. 24.

Ioan. c. 20.

B mulierum itinere ex inopinato, insueroque solis aduentu recesserint.

15. Quod si quis, relicta Chrysologi, & Ambrosij sententia pro tertio die, quo Christus in corde terræ fuerit, ipsum ordinarium diluculum velit accipere, dicere deberet Dominum aliquantò post diluculi initium resurrexisse; quam sententiam plures sequuntur apud Suarium citandum infra. Tale autem diluculum, diem appellari posse, confirmatur ex Marci 1. vbi enim de Redemptore dicitur: *Diluculo valdè surgens egressus abijt in desertum locum*; Lucæ 4. de eodem dicitur: *Facta die egressus ibat in desertum locum.* Dici autem potest nomine diluculi dies, eò quod dies vsualis esse dicitur, cum in vsum humanarum

Diluculum pro die sumi potest.

C operationum solare lumen illucescere videtur. Præterea in eadem regione respectu diuersorum situum idem tempus diluculum, & proprijssimè dies dici potest; nimirum si solare corpus post montis dorsum iam appareat; citra montem tamen sol nondum exortus, sed tantùm eius illuminatio videatur. Quod facilè Ierosolymæ contingebat propter Oliueti montem, qui vergit ad Orientem. Præterea præter tertiam noctem ad saluandum tertium diem, quo Dominus in corde terræ fuisse dicitur; confert, quod Dionysius supra citatus ait; scilicet Dominum post resurrectionem iterùm in Limbum descendisse.

D 16. Reliquum est, vt respondeatur Hieronymo, & Augustino asserentibus contra Nyssenum, aliorumque, quos citaui, sententiam, tenebras supra faciem terræ Dominicæ passionis tempore offusas non benè noctem appellari, neque tales tenebras ad triduum, quo Christus in corde terræ fuerit, pertinere. Citatos Patres sequitur Suarius 3. p. tom. 2. quæst. 53. dist. 46. Ratio autem id probans duplex affertur: prima est, quia impropriè dici potest nox, illud tenebrarum tempus, cum sol reuera fuerit in nostro hemisphærio, quamuis non luxerit. Quod confirmari potest ex Basilio hom. 2. in Genes. vbi inter tenebras, &

E noctem distinctionem ponit dicens: *Prior ille mundi status ante primogeneam lucem exortam, non nox dicebatur, sed tenebræ: nox enim ea temporis pars dicta est, quæ distinctè se habet, & oppositè ad diem.* Sed respondetur ex Nysseno supra citato, tenebras supra terræ faciem satis propriè noctem appellari iuxtà illud Genesis 1. *Appellauit lucem diem, & tenebras noctem.* Nam si post consuetum noctis tempus sol ad nostrum hemisphærium sine illuminatione rediret; non propterea illucescere, aut diescere diceremus: Cum ex Genesi, non solare corpus, sed lux dies appelletur. Præterea cum dixisset Iob: *Dies ille vertatur in tenebras, & non illustretur lumine:* paulò post diem illum, noctem appellat; nec in diebus annis computandam esse existimat: *Noctem illam tenebrosus turbo*

Basil. Tenebras Dominicæ passionis tempore supra terram offusas benè noctem appellari idem n. 17.

C. 3.

*pestileat; non computetur in diebus anni.* Quare ibi Vulgata legit: *Dies illa vertatur in tenebras,* Septuaginta legunt: *Nox illa sit tenebræ.* Vt igitur cum Vulgata Septuaginta concordent; tempus quodcumque planè tenebrosum noctem esse dicendum est. Ideo expressè sanctus Leo serm. 8. de passione tenebras, quæ cum Dominus in cruce penderet, factæ sunt, noctem vocat, dicens: *Cum obscuratis luminaribus cœli, & conuersò in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis.* Præterea si dies esset Solis præsentia in nostro hemisphærio; consequenter neque diluculum dies dici posset; cum multò post diluculum sol in nostri hemisphærij horizonte esse incipiat; & tamen ad diem tertium constituendum, quo Dominus in corde terræ fuit, diluculum numerant oppositæ sententiæ auctores: ergo si ex hemisphærij illuminatione, non ex Solis præsentia in hemisphærio, dies dicitur; è contrario ex obtenebratione, non ex absentia solis nox est dicenda.

17. Secunda ratio contra allatam sententiam est, quia trium horarum existentibus tenebris adhuc Christus viuebat, & non solùm in corde terræ non erat, sed neque etiam in terra, sed in aëre, cum adhuc è cruce penderet. Respondetur, durantibus tenebris Christum expirasse, eiusque animam ad Limbum descendisse: Sol enim non statim, sed aliquantò post Christi mortem reluxit; quandoquidem si immediatè post Christi mortem irradiasset, Domini mortem comprobare potius, quàm dolere Iudæis visus esset. Quare dicendum est, tenebras vsque ad vltimum complementum horæ nonæ durasse; Dominum verò circa horam nonam expirasse, vt Matth. 27. indicat.

Dominum tres dies, & noctes in corde terræ fuisse secundo modo explicatur.

18. Præterea ad noctem feriæ 6. inueniendam alia via nobis aperitur, distinguendo duplicem diem; alterum naturalem, alterum cæremonialem: Cæremonialis dies ab vna vespera incipiens, sequenti vespera terminatur iuxta Leuiticum 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*; hoc est festiuitates. Dies verò naturalis Romanorum more etiam Iudæis consueto, vt docet Pererius cap. 1. in Genes. v. 5. ab accessu Solis ad nos inchoandus, media nocte incipit, & sequenti media nocte absoluitur. Hinc fit, vt idem continuum noctis tempus in duas medietates diuisum, secundùm priorem partem ad antecedentem diem spectet, secundùm posteriorem ad sequentem. Allata naturalis diei acceptio habetur lege *More Romano.* ff. de ferijs: *More Romano dies à media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur: ita quicquid in ijs viginti quatuor horis, idest duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum est, perinde est, ac qualibet hora lucis actum esset.* Similiter apud Gellium, & Macrobium, *M. Varro in lib. rerum humanarum, quem de diebus scripsit; homines, inquit, qui media nocte ad proximam mediam noctem in his horis viginti quatuor nati sunt, vna die nati dicuntur.* Ex hac naturalis diei acceptione clarè soluitur contradictio, quæ inter Matthæum, & Ioannem videtur esse. Nam Ioannes 13. ait cœnam paschalem factam esse ante diem festum paschæ; Matth. verò cap. 26. ait ipso primo die paschatis, seu Azymorum accessisse discipulos ad Iesum dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* Si ipso primo die paschali, seu Azymorum adhuc à Discipulis de cœna paschali parando quærebatur, quomodo eam Ioannes ante diem paschæ factam esse testatur? Respondet Sanctus Thomas,

Dies duplex naturalis, & cæremonialis.

Dies cæremonialis est a vespera ad vesperam.

Dies naturalis apud Romanos à media nocte incipit, sequenti media nocte finitur.

Gell. l. 3. c. 2. Macrob. l. 1. c. 3.

Matthæi, & Ioannis sententia diuersa conciliatur.

S. Th. 3. p. q. 46. art. 2.

A eumdem diem, quem Ioannes nominat, *Ante diem festum paschæ propter distinctionem naturalem dierum; Matthæus nominat primum diem Azymorum, quia secundùm ritum Iudaicæ festiuitatis solemnitas incipiebat à vespera præcedentis diei.* Solemnitatem intellige quoad Azymorum obseruantiam, non quoad publicas cæremonias, quæ sequenti die fiebant, vt patet ex Numerorum 28. 16. sed de hoc fusius dicetur Fer. 5 maioris hebdomadæ. His positis ad rem nostram Dominus fuit in corde terræ tribus noctibus; nox enim, quæ consequuta est feriam 6. secundum priorem medietatem pertinuit ad feriam sextam, secundùm posteriorem ad sabbatum: Et rursùs nox præcedens

B diem Dominicum secundùm priorem partem ad sabbatum, secundùm posteriorem ad ipsum dominicum diem pertinuit.

19. Adde præterea, vt prima nox, qua Dominus in corde terræ fuerit, assignetur, tertius modus habetur etiam ex Nysseno orat. 1. & 2. de resurrectione, docente in hoc triduo, quod inquirimus noctem cœnæ esse numerandam; tunc enim in corde terræ, hoc est in humanis visceribus sacramentaliter Dominus fuit; cum enim in suæ mortis memoriam Eucharistiam instituisset, per eam in humano corpore veluti consepeliri voluit. Cui interpretationi consonat Damasc. lib. de corpore Christi dicens: *Eleuatur in manibus*

C *sacerdotis in crucem; frangitur, & distribuitur, & in nobis sepelitur.* Similiter Rupertus lib. 2. de diuinis officijs cap. 10. de sanctissimo Christi corpore in Eucharistiæ sacramento fidelibus communicando sub exequiarum similitudine loquitur: *Aufer à cœtu Ecclesiæ quotidianas Saluatoris nostri huiusmodi exequias; & vide quàm merito dicat ipse Saluator: Quæ vtilitas in sanguine meo?* Nyssenum sequitur etiam Theophylact. Matth. 28. vbi noctem cœnæ, qua Dominus se in Eucharistiæ Sacramento discipulis tradidit, inter tres noctes numerat. Porrò Nysseni sententia ex duplici capite corroborari potest. Primò, quia alijs in locis Dominus eadem voce sub duplici significatu

D eleganter est vsus, vt Matth. 8. *Sine mortuos sepelire mortuos suos:* vbi cùm prius mortuos dixit, ex Augustino, peccatores mundanis negotijs deditos intellexit; deinde per mortuos vita functos significauit. Similiter hic illud *In corde terræ* sub duplici significatu Dominus vsurpauit scilicet vel pro terræ penetralibus; vel pro terræ, hoc est hominis corde: homo enim dicitur iuxtà Septuaginta Genes. 3. *Terra es*: ita secundùm vnum sensum accipitur cor metaphoricè, & terra propriè; secundùm alterum verò accipitur cor propriè, & terra metaphoricè. Cor enim Hebraïcè viscera, & quamcumque viscerum partem significat. Ideo

E Tobiæ 6. cum dixisset Angelus de pisce: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus extricat omne genus dæmoniorum:* deinde cap. 8 dicitur: *Recordatus Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitque eam super carbones viuos.*

20. 2. Confirmatio est; nam si ex allatis verbis iuxtà Nyssenum Eucharistia præsignificatur; aptissimè consonat Ionæ compparatio à Domino allata: quandoquidem sicut cetus Ionam suscepit in cibum, quem tamen in suam substantiam nequijt transmutare; ita nocte cœnæ in Apostolorum visceribus Dominus in cibum fuit; in cibum tamen, qui in comedentium substantiam conuerti non potuit.

Dominum tres dies & noctes in corde terræ fuisse tertio modo explicatur.

Dominus in corde terræ fuit, cum se Apostolis per Eucharistiam communicauit.

Vox eadem sub duplici diuerso sensu in eadem sententia vsurpatur.

Psal. 29.

August. 4. de Trinit. c. 3.

Cor, viscera, & quamcumque viscerum partem significat.

*Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ; & ecce plusquam Ionas hic.*

Iudicandi potestas non solùm Apostolis, sed etiam Religiosis Apostolorum imitatoribus est promissa.

21. CONDEMNABUNT EAM: Extremi iudicij die iudicandi, adeoque condemnandi potestas, Apostolis, Religiosisque viris danda est. Cum enim Matth. 19. Petrus Apostolus Domino dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Vbi per duodecim tribus non solùm Hebræam gentem, sed quotquot iudicandi sunt; & per duodecim sedes non solùm duodecim Apostolos, sed omnes, quotquot iudicaturi sunt, intelligi benè probat S. Augustinus in Psalm. 86. Cum autem veri Religiosi Apostolorum imitatores vouentes obedientiam, castitatem, & paupertatem verè reliquerint omnia; nempe libertatem per obedientiam; carnis voluptatem per castitatem; rerum possessionem per paupertatem; ideo quod Apostolis de iudiciaria potestate promittitur, Religiosis etiam promitti benè probat ex SS. PP. Hieronymus, Platus l. de bono status religiosi cap. 17. Quod inter cæteros S. Anselmus epist. 10. asserit dicens: *Dominus consulit ad perfectionem nitentibus, vt omnia relinquant, & se sequantur. Ipse omnia relinquentibus, & se sequentibus promittit, quia sedebunt cum illo in iudicio iudicantes duodecim tribus Israel.* Ad hoc indicandum Iob 36. de Deo dicitur: *Iudicium pauperibus tribuit.* Redditque rationem Greg. 26. mor. cap. 20. *Quia quantò huic mundo magna humilitate despecti sunt; tantò tunc acceptis sedibus maiore culmine potestatis excrescent.* Hoc posito, cur hîc de Niniuitis, & Austri Regina dicitur: *Condemnabunt eam*, scilicet Hebræam generationem incredulam? Respondet S. Hieronymus: *Condemnabunt eam, Non sententiæ potestate, sed comparationis exemplo.* Ad hoc explicandum Prou. 21. 18. dicitur: *Pro iusto datur impius, & pro recto iniquus:* datur scilicet in supplicium; hoc est damnatur. Vbi Beda ait: *Damnatur Herodes non tantùm pro Innocentibus, quos impiè neci tradidit; sed & augmentum damnationis accipit; quia fidem Magorum sequi ad quærendum Dominum noluit; cum esset Iudæus, & Prophetarum dicta cognosceret. Hinc enim Dominus ait: Regina Austri surget in iudicio, cum generatione ista, & condemnabit eam. Non quia ipsa sua virtute, & potentia condemnabit; sed quia in eius comparatione condemnabuntur, qui deuotionem eius scientes, cùm multò faciliùs possent, sapientiæ curam dissimulabant habere.* Quòd autem non solùm ex pœnitentium emendatione, sed etiam ex iustorum sanctitate peccatorum culpæ grauiores videantur, legitur 3. Reg. 17. de Sareptana vidua, quę cum ob filij mortem quereretur, Eliæ dixit: *Quid mihi, & tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Vbi quæritur cur Eliæ præsentiæ mulier hæc filij mortem tribuerit? Respondet Abulensis: Quia Elias mulieri præsens, erat valde sanctus; ex pręsentia eius credidisse mulierem sua peccata visa esse maiora, & ob hoc digna maiori pœna; & ideo rediisse ad memoriam Dei, & propter illa occidisse filium eius. Quamuis enim teste Apostolo, *Omnia nuda, & aperta sint oculis Dei*; nec sanctitatis comparatione Deus indigeat, vt cognoscat quanta sit peccati malitia: nihilominus verissimum est etiam culpas minus esse excusabiles, & grauiores fieri, eò quod à peccatore sanctitatis exempla in hominibus videantur. Sunt ergo peccata veluti maculæ, quæ ob sanctitatis splendorem sordidiores apparent, magisque intuentium oculos offendunt. Quare cum vidua mulier cum Elia conquereretur: *Ingressus es ad me, vt rememorarentur peccata mea: Tuo inquit lumine aperta sunt mea peccata, quæ occulta erant*, ait Theodoretus. Propterea dixit Iob 25. *Numquid potest iustificari homo comparatus Deo; aut apparere mundus natus de muliere? Ecce etiam Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Et cap. 15. *Cæli non sunt mundi in conspectu eius?* Vbi cælorum nomine Angelos, & sanctos, in quibus tamquam in cælo Deus inhabitat, Augustinus intelligit. Ideo Petrus Apostolus, qui dicente Domino: *Numquid & vos vultis abire?* respondit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes:* nihilominus idem dixisse legitur: *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum. Conferens peccata sua cum sanctitate, quam aspiciebat in Iesu, timet sibi à propinquitate tam sancti viri*, ait Caietanus.

Anselm.

Peccatorum culpæ grauiores ex iustorum sanctitate.

Ad Hebr. c. 4.

Theodoretus q. 12. in lib. Reg.

Cælorum nomine Angeli, sanctique viri intelliguntur.

Ioan 6. 68.

Lucæ 5.

Niniuitæ pœnitentes alij iterum præuaricati sunt: alij in salutis via perseuerarunt.

22. Sed redeundo ad Niniuitas, quod de Regina Austri Beda ait, idem de Niniuitis dici potest: Niniuitarum enim Gentilium, & tamen pœnitentium, vitamque prauam corrigentium comparatione Iudæi veræ fidei luce illuminati, & tamen impœnitentes condemnabuntur: præsertim cum illi Ionæ monita audierint, hi verò Dei filij monita neglexerint. Qualis autem, quantaque Niniuitarum pœnitentia fuerit, habetur Ionæ cap. 3. *Niniuitæ prædicauerunt ieiunium; & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue*, nempe ad Sardanapalum voluptariæ vitæ studio infamem. *Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se*; nempe muliebrem habitum, quo ad lasciuiam vtebatur. *Et indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & Principum eius dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam; nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & iumenta; & clament ad Dominum in fortitudine; & conuertatur vir à via sua mala.* Quamuis autem postea Niniuitæ iterum præuaricando à salutis via recesserint: & primum ab Arbace Medo, deinde à Nabuchodonosore deuicti, in scelerum pœnam hostium iugum subierint: nec Nahum Prophetam post Ionam ad eos arguendos missum audierint: nihilominus ex iis aliquos, qui Iona prædicante pœnitentiam egerunt in præteritæ vitæ correctione perseuerasse, & salutem consecutos esse, pium est credere. Idque valdè probabiliter asseri potest: non enim videtur congruum, vt ad Iudæos incredulos, & impœnitentes damnandos Niniuitarum pœnitentia, qui iterùm ad vomitum redierunt, sit adducenda. Fauet huic sententiæ Remigius, qui in hæc Domini verba: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista*, ait: *Ostendit Dominus his verbis vnam esse malorum, & bonorum resurrectionem futuram*: Iudæorum scilicet impœnitentium, & pœnitentium Niniuitarum. In eadem verba Sanctus Paschasius ait: *Notandum, quòd Gentes ad meliora eo in die Iudicij resurgent, & sublimiora percipient fidei sua dona.*

Regina

*Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic.*

23. A Vento huius Reginæ regnum nominare Domino placuit; vt regni instabilitatem, fugacitatem, perpetuæque mutationis motum ostenderet. Ad idem significandum Danielis 7. dicitur: *Videbam in visione meâ nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Vbi iuxtà Theodoretum quatuor celebres Monarchiæ Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum non alio nomine, quàm quatuor ventorum in mari magno, hoc est in sublunari hoc mundo pugnantium significantur. Similiter Zach. 6. iuxta Hieronymum, cum sub figura quatuor quadrigarum easdem Monarchias Propheta vidisset; & ab Angelo quæreret: *Quid sunt hæc, Domine mi?* Respondit Angelus: *Isti sunt quatuor venti.* Ventus hoc habet proprium, vt cum à motu cessat, ventus esse desinat: quare si quis ventum sine motu vellet, venti naturæ planè nescius videretur. Similiter, qui sine inquietudinis motu regnare vellet, nesciret profectò quid peteret Et ideo Dominus petitioni illi Matth. 10. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei in regno tuo*: eo quòd sedere quiescere significaret, respondit: *Nescitis quid petatis.*

Ventorum nomine regna significantur: nec ventus sine motu, nec regna cum quiete reperiuntur.

24. Porrò quæ hîc Austri Regina, eadem 3. Reg. 10. Regina Saba appellatur: Saba autem duplex reperitur; eaque propriè non regio est, sed regia ciuitas regionem reliquam denominans: & altera Æthiopiæ est metropolis, postea Meroë dicta iuxta Iosephum 2. Antiq. cap. 10. altera metropolis Felicis Arabiæ, dicta etiam Merioba teste Strabone lib. 16. Arabum Sabæ teste Iosepho lib. 1. cap. 12. nomen dedit Sabas, cuius pater Chus, & auus Cham, atauus Noë. Saba verò Æthiopum nomen accepit à Sabao, seu Saba, cuius pater Romus, seu Regma, auus verò Chus, vt ibidem ex Iosepho habetur. Quamuis non improbabiliter dici possit Æthiopum Sabam ab Aseb, qua voce Auster apud Æthiopes significatur, fuisse dictam. Est autem apud sacros interpretes controuersia, quænam Saba Arabum ne, an Æthiopum Reginæ, quæ Salomonem adijt, sit tribuenda. Pro vnaquaque opposita sententia Sancti Patres sunt. Qua in controuersia notandum est primò Magos, qui Bethleem ad Dominum adorandum venerunt, Sabæos fuisse; idque iuxta vaticinium Isaïæ 60. *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes*: iuxta etiam Dauidis vaticinium Psalm. 71. *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent; Reges Arabum, & Saba dona adducent*: Vtrumque autem hoc vaticinium in Epiphaniæ officio Ecclesia recitat. 2. notanda est regula, quam Hieronymus Zachariæ. 2. docet in illa verba; *O fugite de terra Aquilonis: Plagæ orbis, quas Græci appellant climata, iuxta situm Ierusalem intelliguntur, & templi. Assyrij ergo, & Babylonij, qui Dei populum vastauerant, habitant in terra Aquilonis.* Idem docet cap. 6. in illa verba *Equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis.* Hac posita regula, cum Matth. 2. Magos ab Oriente venisse legamus; cumque hic regina Saba Austri regina dicatur; eam propterea, non ab Oriente, vt Magi, sed ab Austro venisse dicendum est. Rursus cum Arbum Saba respectu Ierosolymæ Oriental

Regina Austri, eadem ac Regina Saba, vbi regnauerit.

Gen. 10. vers. 8

A talis sit: *Iudæa enim ab Oriente habet Arabiam*, vt Tacitus l. 5. asserit: cumque respectu eiusdem Ierosolymæ Saba Æthiopum sit australis, hinc benè deduci videtur Magos ab Arabum Saba in Bethleem, Reginam verò à Saba Æthiopum ad Salomonem venisse. Ideo regina hæc à Iosepho lib. 8. Antiq. cap. 2. dicitur Regina Æthiopiæ: eamque ab Æthiopia venisse docent Nazianz. orat. 40. Nyssen. hom. 7. in Cantica; Origen. in Cantica hom. 1. August. serm. 252. de tempore: quos sequitur Euthymius cum Iansenio, Maldonato, & Toleto. Contra verò Magos non ex Æthiopia, sed ex Arabia venisse præter Psalm. 71. testimonium, vbi *Reges Arabum* dicuntur, docent B Iustinus, Tertullianus, Cyprianus, Epiphanius, & alij apud Baronium. Quare nisi Orientem cum Austro, seu meridie confundere velimus, non probatur sententia asserentium ex eadem regione Reginam ad Salomonem, & Magos ad Christum venisse.

25. Dicendum tamen est Æthiopiam Reginæ Sabæ subiectam fuisse Arabiæ proximam, non remotam, qualis Occidentalis Æthiopia est. Quod si Reginæ huius regnum Æthiopiam Orientalem vocat S. Anselm. lib. de imag. mundi cap. 19. id non intelligi debet respectu Ierosolymæ, respectu cuius Australis est, vt diximus. Dices Psalm. 67. vaticinium illud: *Æthiopia præueniet* C *manus eius Deo*, Chrysologus serm. 160. explicat de Magis Christi cunabula adorantibus. Præterea Osorius lib. primo de gestis Emanuëlis Lusitaniæ regis docet è Magis vnum fuisse colore subnigro, & quasi Æthiopem. Similiter Beda in collectaneis tertium è Magis fusco colore fuisse asserit; quam sententiam confirmant imagines, in quibus inter Reges Christum adorantes vnus Æthiops communiter pingitur. Respondetur probabiliter tertium è Magis fuisse Madianitam, in Sabam tamen venisse, vt se alijs comitem iungeret: & ideo Isaïæ 60. dicitur: *Dromedarij Madian, & Epha omnes de Saba venient. Madian, & Epha regiones sunt trans Arabiam*, ait Hieronymus: Augustin. cap. 9. vers. D 20. in Numeros ait, *vxorem Moysis dici Æthiopissam, quia erat de Madianitis; qui 2. Paralip. 14. dicuntur Æthiopes.* Augustinus Eugubinus in Numeros 22. docet cum Hebræis terram Madiam esse partem Æthiopiæ, quæ iuncta est Arabiæ. Quoniam verò regnorum termini variè à varijs ponuntur; eiusdemque regionis ambitus latior, vel angustior assignatur: hinc Madianitæ, qui trans Arabiam à S. Hieronymo ponuntur, ab alijs intra Arabiam concludantur: ita vt Arabia complectatur mare rubrum, eique regiones adiacentes, præsertim vicinam Æthiopiam: & E ipsum mare rubrum sinus Arabicus dicitur, non Æthiopicus; cum vltra rubrum mare Arabia extendatur. Ideo probabiliter dici potest Asiaticæ regionis partem aliquam tam Magorum quàm Reginæ Sabæ regno fuisse communem pro temporum diuersitate: & iuxta hanc communem regni partem explicari potest sententia asserentium ex eodem loco ad Salomonem Reginam, & ad Christi cunabula Orientales Reges venisse, vt sentire videtur Hieronymus in Isaïam 6.



V

A

*Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.*

26. QVæ de immundo spiritu hîc Dominus dicit, iterùm habentur Dominicatertia Lucæ 11. vbi etiam de ijs aliqua dicemus. Loca arida, seu, vt Lucas ait, inaquosa, intelligi possunt solitudines procul ab hominum commercio. Cum enim diuino imperio, & gratia ab hominibus dæmones expelluntur, se in solitudines recipiunt. Hinc Apoc. 8. Babylon in vastitatem, & solitudinem redacta dæmonum habitaculum facta esse dicitur: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum.* Quoniam verò deserta loca dæmonibus arida sunt; non enim in ijs prauarum suggestionum noxium semen ad peccatorum messem colligendam serere possunt; ideò ibi requie non inuentâ, iterùm ad hominum frequentiam Deo permittente redeunt.

Solitudines procul ab hominibus cur loca arida dæmonibus sint.

B

27. 2. Gentilium populi hîc per loca arida possunt intelligi; eò quod in illis, vt ait S. Paschasius, *nullus fons vitæ adhuc effluxerat, neque cælestis imber in eos compluerat. Tandem gratia Dei respersi, postquam per lauacrum aquæ vitæ sunt abluti, habitandi cum his nullus locus fuit. Quare diabolus optimum duxit in eam regredi domum, de qua depulsus exiuit*: redeundo scilicet ad Iudæos, qui antea per pœnitentiam immundum spiritum eiecerant; deinde iterum à salutis via deflexerant. *Putabat diabolus se perpetuam quietem posse habere in Gentili populo, & non inuenit; quia apparente Dei filio per mysterium incarnationis suæ Gentilitas credidit,* ait S. Remigius.

Gentilium regiones cur loca arida dicantur.

C

28. 3. Sicut homines consueti, communisque cibi fastidio sæpè ad delicatas escas gulam intendunt; ita diabolus, vt sit *cibus eius electus,* quemadmodum Habacuc loquitur, à peccatoribus ad iustos tentandos egreditur; & tunc per loca arida ambulare dicitur. Nam, vt Greg. ait: *Loca arentia, atque inaquosa sunt corda iustorum, qui per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur. Loca verò humentia sunt terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis concupiscentiæ quia replet, fluidas facit: in quibus diabolus iniquitatis suæ vestigia tantò altius imprimit, quantò in eisdem mentibus pes transitus illius, quasi in fluxa terra descendit.* Cum verò immundus spiritus apud iustos nullum peccati pabulum inuenit; iterùm ad peccatores, vt eos in peiora scelera pertrahat, reuertitur.

Cap. 1. 16.
Loca arida cur Iustorum corda dicantur
31. Mor. c. 5.

D

29. *Quærens requiem, & non inuenit.* Sicut Angeli in celebrandis diuinis laudibus numquam defatigati, requiem non habent, vt in suis visionibus S. Ioan. testatur: *Requiem non habebant die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens:* E contrario immundi spiritus in auertendis à debito Dei obsequio hominibus requiem non inueniunt; cum semper noua, & noua crimina, & scelera quærant; ijsque numquam expleantur. Visum est satis Apostolo Petro Leoni diabolum comparasse: *Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret:* sed teste Aristo. hist. animalium cap. 5. Leo post saturitatem triduo inediam patitur: diabolus verò numquam satur, inediam numquam sustinet, semperque ad animas deuorandas anhelat.

Apoc. 8.
1. ep. c. 5
Leo satur inediam triduo patitur: diabolus leone vorացior numquam satur.

*Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam scopis mundatam, & ornatam.*

30. SVam diabolus domum, ex qua iam exierat, animam appellat; quia præterea, quæ initio diximus, peccator deletis pœnitentiæ sacramento actualibus culpis, postea ex ignauia prauos habitus contrarijs actibus expellere negligit; adeoque adhuc diabolo fit obnoxius. Peccator autem, qui ita præteritas culpas tollit, vt prauos habitus, ex quibus illæ pullularunt, non eradicet, similis est ei, qui nouacula pilos abradit: abrasi enim pili, licet aliquanto temporis spatio non appareant, relictis tamen radicibus iterum prodeunt. Quare ad hoc exprobrandum dicitur Psalmus 51. *Sicut nouacula acuta fecisti dolum:* recidendo scilicet, non euellendo peccata. Non dissimiliter ait Basilius *eum, qui semel pœnitentiam egit, idem peccatum rursus facere significatio est, quod prima peccati illius causa non expurgata est; à qua rursus velut à radice quadam necesse est æqualia produci. Quemadmodum si quis arboris ramos resecare voluerit dimissa radice, nihilominus radix manens illos rursus producit.*

Diaboli domus ex prauo peccandi habitu redditu adhuc homo dicitur.
Peccator, qui peccata pœnitet nec prauos habitus euellere studet, nouaculæ similis
Basil. quæst. 289. ex breuioribus.

31. 2. Reg. 12. Dauidi suam culpam confitenti: *Peccaui Domino,* Nathan respondit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* hoc est condonauit. Quare ergo peccato iam translato adhuc ad Deum Dauid clamabat: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me?* Scilicet, vt non solùm peccatum, sed etiam peccandi prauus habitus deleretur, ampliorem ablutionem Dauid pœnitens efflagitabat. Ideo benè monet Ecclesiasticus: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Timere enim peccator pœnitens debet, ne malorum habituum, prauæque consuetudinis radix repullulet. Præterea post deletam peccati malitiam, prauarum rerum imagines animum inquinantes delendæ remanent: quibus animo infixis reuocari sperat Diabolus, & in amissum animæ domicilium iterum ingredi. Denique peccata animi vulnera esse docet Hieronymus in illud Isaï. 1. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens:* cum verò per gratiam peccata tolluntur, vulneri quidem cicatrix obducitur; remanet tamen imbecillitas ad operandum; quando cicatrix diuinæ misericordiæ oleo per pœnitentiam impetrato non corroboratur. Conatur igitur diabolus cicatricem iterum in vulnus reserare; sibique aditum in animam, vnde fuerat eiectus, aperire. Sed de hoc iterum infra. Cur autem domus, ad quam reuertitur diabolus, dicatur scopis mundata, & ornata, dicetur Dominic. 3. vbi eadem, quæ hîc repetuntur.

David post peccati remissionem cur amplius ablui petierit.
Psal. 50.
Cap. 5.

E

*Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se; & intrantes habitant ibi.*

32. SEptem spiritus assumi dicuntur propter criminalia peccata, quæ contraria sunt septem donis Spiritus sancti, ait Hieronymus. Sed contra est, quia non septem solùm, sed simul cum primo septem & consequenter octo sunt, qui peccatoris domum ingredi dicuntur. Octonarium numerum mysticum appellat Ambrosius, eumdem numerum Pythagorici vocabant iustitiam; nam

Octonarium numerum iustitiam Pythagorici vocabant.
Lib. 5. in Luc. c. 6.

primus omnium in numeros pares ita diuiditur, vt ipsi diuisi numeri in pares similiter numeros subdiuidantur. Diuiditur autem octonarius numerus in quaternarios, & quaternarius in binarios subdiuiditur. Ezech. 40. 34. In templum, quod cœlestem Ierosolymam præfigurabat, per octo gradus describitur ascensus. Quinam autem sunt hi gradus, quibus ad cœlestem patriam ascenditur? sunt profectò misericordiæ opera; iis enim, qui misericordiæ opera exercuerunt, dicet diuinus Iudex: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Misericordiæ autem opera septem numerat S Thomas 2. 2. quæst. 37. art. 2. Pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuum, & sepelire mortuum. Quibus cum addatur octauum à Domino dicente: *In carcere eram, & venistis ad me*: & his octo gradus efficiuntur, quibus ad cœleste regnum ascenditur. Per totidem autem octo gradus, seu potius præcipitia, omittendo misericordiæ opera in inferorum barathrum peccatores corruunt. Quibus propterea à cœlesti Iudice dicetur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ideo ergo octo immundi spiritus in peccatoris animam ingredi dicuntur: vt singuli pro suo munere in singula præcipitia peccatores impellant.

Macrob. l. 1. de somnio c. 5.

Octo gradibus, hoc est octo misericordiæ operibus ad cœleste templum ascenditur.

Immundus spiritus, & cum eo septem alij nequiores sunt dæmones ab octo misericordiæ operibus retrahentes.

Matth. 25.

Matth. 25.

Matth. 25.

33. Præterea Matth. 23. octies repetit Dominus: *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi*: cum enim Matth. 5. iustos diuinam legem seruantes Dominus octies beatos esse dixisset: beatitudinibus, & benedictionibus illis totidem octo opposuit peccatorum miserias, & maledictiones. Nam sicut de iustis dictum est Lucæ 6. *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis*, &c. ita è contrario peccatoribus dicitur: *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis*, &c. Ad octo ergo peccatoris significandas miserias, beatitudinibus octo oppositas, dicuntur octo immundi spiritus in peccatoris domum, hoc est animam ingredi.

Octo immundi spiritus peccatoris domum ingrediuntur propter octo miserias, octo beatitudinibus oppositas.

*Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus: Sic erit & generationi huic pessimæ.*

34. *Hippocrates cum febris desijt, recidiuam timere est solitus*, ait Cornelius Celsus lib. 5. cap. 4. Recidiua enim febris maiores morbi vires, adeoque ægroti periculum maius indicat. Similiter cum à spirituali morbo quis conualuit, si in eumdem iterum incidat, maius damnationis periculum timere debet. Similiter etiam si antea saucius, obducta cicatrice, ibidem iterum sauciетur, periculosius vulnus subit, quod difficillimè sanatur; cum valde putredini, & corruptioni sanie scatenti sit obnoxium. *Vulnus iteratum sanatur tardius*, ait Augustinus 3 de pœnitentia. Ideo peccator Psalm. 37. apertè fatetur: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*: hoc est propter manifestam insipientiam meam. Vbi Gregorius ait: *Supercuratum vulnus cicatrix obducitur. Quæ cicatrix necessariò corrumpitur, si caro sanata iterum vulneratur. Sed quid per vulnus, nisi peccatum exprimitur? Quid verò per cicatricem, nisi pœnitentiæ actio designatur? Qui enim per pœnitentiæ lamenta peccatum corripit, quasi cicatricem vulneri superducit. Quod si dimissæ nequitia mentem iterum ad delectationem pertrahunt,*

Cornel. Celsus

Febris recidiua timenda est; recidiua item de spirituali peccati febri.

Vulnus iteratum sanatur tardius: similiter peccatum repetitum.

Greg.

*superductæ vulneri cicatrices putrescunt.* Idem docet Greg. 9. mor. c. 3. vel 39.

35. Quærit, & quæritur Ierem. cap. 8. *Quare non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Quia scilicet plagæ debita medicamina, & fomenta adhibita non sunt: idque non ob medici, & medicaminis inopiam; sed ob repetita vulnera, nempe peccata. Quod indicat Deus Is. cap. 1. conquerens: *Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Quasi dicat: Cum iteratis toties peccatorum plagis sauciemini, medicamini locum non relinquitis. *Non est malagma imponere*, legunt ibi Septuaginta. Ideo in peccatum recidiui indignos diuinæ misericordiæ oleo se reddant: & propterea iterata plaga non fota oleo esse dicitur.

Recidiui peccatores diuinæ medicamini locum non relinquunt.

36. Post inflicta corpori vulnera, ad eorum medelam sal adhiberi solet. At, vt anima spiritualе peccati vulnus curet, & ne iterata vulnera subeat, sal etiam ex sacris litteris profert August. Ad quod intelligendum, reuocandum est in memoriam quod Genes. 19 legitur. Cum enim ab imminente Sodomis incendio, Angelus Loth, eiusque vxorem, & filias liberaret, dixit: *Noli respicere post tergum. Quo pertinet*, inquit August. 16. de ciuit. cap. 30. *quòd prohibiti sunt, qui liberabantur ab Angelis, retrò respicere; nisi quia non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerati exuimur, si vltimum iudicium euadere cogitamus? Denique vxor Lot, vbi respexit, remansit; & in salem conuersa hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum; quo sapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum.* Idem repetit Augustinus in Psalm. 30. conc. 2. & in Psalm. 83. dicens: *Lucæ 17. dictum est: Mementote vxoris Lot. Vt quid enim statua salis effecta, si non homines condit, vt sapiant? ergo exemplum illius malum ibi fit bonum, si caueris. Respexit enim retrò, vnde liberata erat à Sodomis; & ibi remansit, vnde respexit: ipsa in loco mansura, & transeuntes alios conditura, liberati ergo à Sodomis præterita vita non respiciamus retrò. De talibus quid dicit Apost. Petrus? Contingit illis res veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum. Premebat enim pectus conscientiæ peccatorum, accepta indulgentia quasi vomuisti, & releuatum est pectus tuum: facta est bona conscientia ex mala conscientia. Quid rursus conuerteris ad vomitum tuum? Si canis hoc faciens horret oculis tuis; tu quid eris oculis Dei?*

Vulnera spiritualia quo sale curanda sunt.

Loth vxor cur in salis statuam conuersa.

Ep. 2. c. 2.

37. Qui à Domino impetrata peccati venia, à diaboli seruitute se liberat, si ad peccatum iterum redeat, iterumque diaboli mancipium fiat; tamquam fugitiuus seruus, ne iterum fugiat, grauioribus peccatorum catenis adstringitur. Ideo de corruptionis, hoc est vitiorum seruis loquens Petrus Apostolus ep. 2. cap. 2. *Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.* Porro sicut in fugæ pœnam mancipia inustam notam subire coguntur, ex qua stigmatici serui dicti sunt: similiter recidiuis peccatoribus iterum in peccati seruitutem redactis, diabolus per prauos vitiorum habitus stigmata inurit. Quare ne in fœda huiusmodi stigmata incurramus Leuitici 19. 28. mysticè dicitur, vt ibi legit Augustinus: *Incisiones super animam non facietis in corpore vestro; neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis.* Tale autem mancipium adeo vile est, vt sine pretio vendi dicatur. Ideo de Hebræo populo sæpius præuaricante Psalm. 43. Deo dicitur: *Vendidisti populum tuum sine pretio.* Ideo Ierem. 2. 26.

Peccatores pœnitentes, postea recidiui, veluti fugitiui serui arctiori catena diabolus ligat.

Ep. 2. c. 2.

Peccatoribus pœnitentibus, & postea recidiuis, tamquam fugitiuis seruis stigmata diabolus inurit.

Peccator recidiuus vile mancipium, sine pretio vendibile.

V ij

animæ in peccata relabenti dicitur: *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas?* Vias scilicet, per quas recidiui peccatores semper in deteriora labuntur; quippe qui diuina luce priuati à malo Angelo per vitiosæ vitæ habitum iter præcipites impelluntur. Hinc de ijs Psalm. 34. dicitur: *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos*, hoc est Angelus Domini malus impellens eos, iuxtà Hieronymum.

38. Cum Dominus æterno Patri dixerit Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum:* consequenter talis cognitionis priuatio, cum æternæ vitæ opponatur, miseria maxima est. Hac tamen miseria, quæ meritò maxima existimari potest, miseria maior reperitur. Vt autem, quæ sit miseria hæc maior, intelligatur, reuocemus in memoriam, quod fidelibus de Domino ait Petrus Apostolus epist. 1. cap. 2. *De tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* De ijs autem, qui de peccati tenebris à Deo vocati, & liberati, peccando iterum tenebrarum potestati subjiciuntur, ait idem Apostolus epist. 2. cap. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post cognitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Cui consonat Iacobus cap. 4. *scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi:* peccatum, scilicet maximum maximo supplicio puniendum, iuxta Domini sententiam Lucæ 12. 47. *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis;* hoc est acriori in inferis supplicio punietur, iuxtà Basilium in regulis breuioribus 267.

*Peccatoris recidiui miseria maxima.*

39. Ierem. 23. de præuaricantibus Dominus ait: *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea; afferam enim super eos mala.* Si quæratur, quibus peccatoribus tam terribilis comminatio fiat? profectò legitur ibi facta prophetis, & sacerdotibus; quippe qui antea à Deo illuminati in vitiorum sordes inciderant: *Propheta, & sacerdos polluti sunt; & in domo mea inueni malum eorum. Via eorum erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea; afferam enim super eos mala.* Porro sicut supra ab Apostolo recta viuendi forma *Via iustitiæ* dicta est; eo quòd in via semper vlterius procedatur; adeoque iusti semper ad maius virtutum augmentum, per iustitiæ viam progredi debeant: ita peccatorum vita similiter via dicitur, & via lubrica, & tenebrosa; eo quòd per eam præcipites semper in deteriora corruant: *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris.*

*Illuminati à Deo, & postea in peccata recidentes, supplicium maximum subibunt.*

*Vita peccatoris via lubrica dicitur, quia semper in peiora labitur.*

40. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus* dicitur Psalm. 31. 9. Vtinam tamen suis in vijs Græciæ equos peccatores imitarentur, qui teste Ambrosio, vel Augustino serm. de cognitione sui, ita edocebantur; vt cum fortè caderent, statim consisterent, ne se commonendo, periculosius laberentur. Vel alia animalia rationis expertia peccatores imitarentur; de quibus ait Hieronymus ep. 10. ad Furiam: *Bruta animalia, & vagæ aues in easdem pedicas, retiaque non incidunt.* Quod si bruta ad imitationem proponere pudeat, cœlestem sponsam, ne in peccata recidat, imitari anima debet; quæ Cantic. 5. ait: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induam illam? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quasi dicat, vt Patres anonymi apud Theodoretum explicant: *Veteri mea peccati tunica, quam ex transgressione contraxeram, me expoliaui; quomodo iam induam ipsam splendido depulsam indumento? laui pedes meos lauacro baptismatis, & sancti Spiritus aduentu, & diuinorum mandatorum obseruatione eximiè purgata; quomodo igitur illos improba cupiditatis vestigia sequens, inquinabo?* Similiter iuxtà Psellum ibidem: *Transgressionis crassitudinem exui, nec sententiam vmquam mutabo, vt eam iterum induam. Terrenas abstersi sordes pedibus meis, eosque in salutis semitas direxi, ne vllo quidem tempore me retro conuertam, vt inquinem illos.* Hinc Ambrosius 3. de Virginibus ait: *Vide anima Deo deuota quid dicat: sic se actus corporis, & terrenos exuit mores, vt nesciat quomodo, etiamsi velit, rursus possit induere. Quomodo induam illam, hoc est qua verecundia, quo pudore, qua postremò memoria? Consuetudo enim boni vsum prauitatis veteris amisit. Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Non dixit: Quomodo iterum lauabo eos? Sed Quomodo iterum inquinabo eos? quasi oblita maculæ veteris, oblita contagij. Itaque pedes cum semel laueris æterni fontis irriguo, caue iterum corporeæ cupiditatis illuuiem, ne lutulenti actus sordibus inquinentur.* Idem docet Ambrosius in Psalm. 118. ser. 22. Similiter Bernardus serm. 3. in Cantica: *Si dixerit mihi Iesus: Dimittuntur tibi peccata tua; nisi ego peccare desiero, quid prodierit? Exui tunicam meam; si reinduero eam, quantùm profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram, inquinauero, numquid aliquid lauisse valebit? Sordens omni genere vitiorum iacui diu in luto fæcis; sed erit sine dubio recidenti, quàm iacenti deterius. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: Ecce sanus factus es; vade, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Qui autem dedit voluntatem pœnitendi, opus est, vt addat & continendi virtutem; ne iterum pœnitenda, faciamque nouissima mea peiora prioribus.*

*Græciæ equi edocti cum fortè caderent, statim consistere.*

*Hieron.*

*Peccatores pœnitentes sponsam imitentur dicentem: Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

*Lucæ 7.*

*Ioan. 5.*

41. S. Basilius in Psalm. 32. verba: *Confitemini Domino in cithara, & in psalterio decem chordarum psallite illi:* docet psalterij decem chordas, decem diuinæ legis præcepta significare; quibus bene operando suauem harmoniam diuinis auribus resonare debemus. Sed peccator semel correctus, iterum, iterumque præuaricans, & in diuinæ legis transgressionem incidens, meritò, vt ille ait: *Ridetur chorda, qui semper oberrat eadem.* Sed, & si à dæmonibus ridetur; eius tamen pernicies valdè deplorabilis est. Viperini serpentes, teste Æliano lib. 12. cap. 6. & 23. vt Murænam adeant, venenum deponunt, quod statim postea resorbent. Verè ergo peccatoribus antea pœnitentibus, postea depositum peccati venenum resumentibus dici potest: *Serpentes, genimina viperarum.* Matth. 23. 33. Meritò ergo de huiusmodi peccatore dicitur: *Fiunt nouissima illius peiora prioribus.* Peccatoris, nisi peccata radicitus auferat, in deteriora prolabentis typum Samson expressit. Hic Iudicum 16. dicitur Dalilæ dolis prius vinctus fuisse septem funibus; deinde nouem; deinde, quod tenacius fuit, propria cæsarie in septem cincinnos staminibus intextos distincta, eaque clauo in terra fixo colligata. Tandem Philistæi eius oculos eruerunt, & vinctum catenis, & clausum in carcere eum molere fecerunt. Similiter peccator, nisi se à diabolicæ suggestionis, veluti à Dalilæ sinu prorsus excutiat; semper tenacius, ac tenacius maioribus, & maioribus peccatis ab immundo spiritu vincietur. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur,* ait Salomon. *Peccata dicuntur funes*, ait Beda; *quia is, qui funem facit torquendo semper, & inuoluendo fila adauget: talis est fortitudo operum malorum; in quibus praua prauis nectentes, nil aliud, quàm vt se arctibus obligent, agunt.* Propterea Isaïas 28. Peccatores monet, ne diuinas minas, quibus ad vitæ

*Psalterij decem chordæ Decalogi præcepta.*

*Hor. de Arte.*

*Peccatores recidiui viperis similes.*

*Peccatores recidiui similes Samsoni tenacioribus vinculis adstricto.*

*Prou. 5.*

*Peccata funibus constantibus ex multis contortis similia.*

correctionem vocantur, aspernentur: *Nolite illudere, ne fortè constringantur vincula vestra*, id est *ne constringantur vincula peccatorum vestrorum*, ait Hieronymus.

Peccatum cur funiculus, & vanitatis funiculus dicatur?

42. Isaiæ 5. Peccatoribus dicitur: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis; & quasi vinculum plaustri peccatum.* Cur peccata funiculi vanitatis vocantur? Respondetur primo ex Gregorio in Moral. *In vnoquoque lapsu à minimis semper incipitur, & succrescentibus defectibus ad grauiora peruenitur.*

Peccatum cur restis dicatur.

Respondet secundò Hieronymus: *Quia facientibus peccatum facile texitur; & adeo inane in se est, ac futile, vti aranearum tela. Sed cum inde exire voluerimus, solidissimis vinculis nectimur.* Citata Isaiæ verba benè Chaldæus vertit: *Væ, qui incipiunt paulatim peccata, augentque, vt crescant, & fortia fiant.* Ibidem legit Augustinus in Psalm. 139. *Væ iis, qui trahunt peccata, sicut restem longam*: & quærenti, quare dicatur restis, respondet: *Quia omnis peccator perseuerans in peccatis suis, addit peccata peccatis; & cum deberet accusatione peccati sui corrigi, defensione duplicat, quod confessione posset auferre; & plerumque aliis peccatis vult munitus esse propter illa, quæ commisit. Fecit adulterium, & ne occidatur, parat homicidium: addit peccato peccatum. Rursum, si contigerit facere homicidium, iam qui vnum crimen timebat, duo timet: & vtique cum videat se plura timere, quàm antea timebat, non cogitat minuere quod facit, sed addere quod nondum fecit. Quærit fortè & maleficium. Tria ecce habes. Inde iam quis cogitet, quis finiat restim peccatorum? Et optimè dicitur restis: vt enim torqueatur restis, additur, & non adduntur recta fila, sed torta. Prauitas sibi connexa ducitur in longum, & non cogitat præcidere quod malè texuit; sed addere, producere, in longum protendere; vt habeat in fine, vnde illi ligentur manus, & proiiciatur in tenebras exteriores.*

Matth. 22.

Idem docet in Psalm. 130. & in Psalm. 57. & tract. 20. in Ioan. Ne autem grauia tantum, & non etiam leuiora peccata vitemus, benè Augustinus ait: *In modum funis, qui ex pluribus minimis filis crescit in multum, peccata semper tam, quam longo fune trahuntur, vt scilicet conualescant in crassum rudentem plaustri.*

Basilius in Isai. cap. 5.

Lasciui iuuenis in peccatis progressus.

Egregiè Basilius citata verba explicans quomodo peccatum vnum aliud, & aliud trahat in lasciuo iuuene sic exemplificat: *Primum corpus componit; crines circumtondentur; veste operitur non qualicumque, sed quæ studio quæsita sit, & faciat ad elegantiam, ad Zonam vsque; demissa vsque ad soleas: Per hanc ostentat ambitiosam, & superfluam curam, ac studium suæ honestatis. Deinde suppeditat pecunias, vt earum pretio redimat fruitionem pulchritudinis scorti. Ad hæc pressius cogitat, quas sibi pronubas conciliet, verius lenas. Verba adornat, quæ faciant ad corruptelam: ex composito sibi instruens, ac parans occasiones amatoriy congressus, compotationes, & conuiuia, prolixas confabulationes. Per tot, tantosque conatus, quanticumque intermedij accurrunt, sibi accersit tandem flagitium prostitutæ pudicitiæ. Hic est, qui attrahit peccatum quasi funiculo longo.*

Petri Apostoli trina negatio, posterior priori deterior.

Matth. 26.

43. Peccatoris in peiora prolabentis specimen etiam lacrymabili exemplo videre est in Apostolo Petro; qui antequam pœnitentia, & Spiritus sancti virtute confirmaretur; primò absolutè Christum Dominum negauit ancillæ respondens: *Nescio quid dicis.* Paulò post negationi periurium addidit: *Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem.* Tandem periurio addidit imprecationes, cumque falsò negaret, vt falsæ negationi fides haberetur, Deum non solum testem, sed vindicem aduocauit; idque non vna imprecatione, & periurio, sed pluribus: *Cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem. Cœpit*, inquit Euangelista, quasi antea nihil tale fecisset; adeo multo maiori perfidia tertiò negauit.

Peccator in peiora labens rotæ, stipulæ vento agitatæ, & igni similis.

44. Præterea ad peccatoris in deteriora vitia corruentis præcipitem motum significandum dicitur Psalm. 82. *Deus meus, pone illos, vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis, qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes.* Quæ verba ex regula Augustini, & Hieronymi intelligenda sunt iuxta vim Hebraicam, & sacris litteris consuetam prophetico sensu; scilicet: Deus meus iusto supplicio pones peccatorem semper instabilem veluti rotam, veluti stipulam: veluti ignem. Vbi maior sit instabilitas stipulæ vento circumactæ, quam instabilitas rotæ; rursus cum stipulæ motum cessantem cessatione venti superet instabilitas flammæ perpetuò inquietæ: apertè significatur peccatorem impœnitentem, eo quòd in peiora semper vitia prolabatur, semper instabilitate maiori circumagi.

August. Psalm. 108.

Hieron. in Thren. Ieremiæ cap. 2.

Peccator fulmini similis.

45. Porrò per flammam comburentem montes fulminis flāmam intelligere possumus, sicut etiam de fulminis flamma dicitur Psalm. 143. *Tange montes, & fumigabunt.* Maxima igitur peccatoris instabilitas fulmini comparatur: Fulminis autem modo è cœlo in terræ penetralia, hoc est è cœlesti vita in vitiorum barathrum decidens peccator, diabolum imitatur; de quo Dominus dixit Lucæ 10. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.*

Peccator quadruplici motuum genere instabilis.

46. Denique cum quadruplici motuum genere mobile moueri possit, scilicet vel motu circulari, vel recto, vel spirali, vel vario, & irregulari; Omni motuum genere iniquus instabilitatem præsefert. Mouetur circulariter, cum ad modum rotæ circumagitur; mouetur motu recto, cum admodum ignis sursum per superbiam extollit; mouetur spiraliter, cum admodum fulminis decidit; fulmen enim, quod veluti spiraliter descendat, dicitur *Crispisulcans*. Tandem cum ad modum stipulæ vento agitatæ huc, illuc peccator vagatur, motu vario, & irregulari torquetur. Bene igitur Dauid prædixit: *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis, qui comburit syluam; & sicut flamma comburens montes.*

Tullius in Topic.

S. Greg. lib. 5. Moral. cap. 27.

Iob. cap. 4. 10.

Peccator est leunculo leoni voracissimo similis.

47. Ex sancto Gregorio in illud Iob Iob: *Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt* leonis nomine diabolus significatur, nomine leænæ huius mundi ciuitas, id est Babylonia exprimitur; reprobi vero catuli leonis dicuntur. In huiusmodi verò leunculis feritatis gradus in dies semper augescunt. Primò peccator veluti leunculus prodit. Secundò leo firmioribus viribus fit. Tertiò in syluis prædari discit: Quartò homines deuorare, viduasque coniuges reddere. Quintò desertas reddere ciuitates: Sextò solo rugitu vniuersam prouinciam, eiusque incolas desolare. Ezechielis 19. *Tulit leæna vnum de leunculis suis; leonem constituit eum: qui incedebat inter leones, & factus est leo; & didicit prædam capere, & homines deuorare, didicit viduas facere; & ciuitates eorum in desertum adducere; & desolata est terra, & plenitudo eius à voce rugitus illius.*

Peccatores prius scorpio, deinde virgæ, tandem iugo sibi diabolus subdit.

48. Ex Hugone Cardinali, & aliis interpretibus de Sennacherib ad litteram, de diabolo mysticè Isaias Deum alloquens dixit: *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris*

V iij

C. 51

*eius superasti.* Ex quibus verbis patet tripliciter diabolum in peccatores imperium exercere; iugo scilicet, virga, & sceptro. Sceptri imperium leuius est, cum sit Regis in subditos: Virgam dominando exercere grauius est; cum eam Domini ad puniendos seruos exerceant: grauissimum denique est iugum imponere; cum iugo subjici belluarum proprium sit. Sceptro tributa exiguntur: virga verbera infliguntur; iugo onera belluarum more trahuntur. Homo igitur sceptro subditus; virga mancipium; iugo bellua declaratur. Hos quidem gradus in sua tyrannide, cum per peccata homines sibi subjicit diabolus, habet. Primo ex humano corde prauarum cogitationum vectigal exigit; deinde animam malarum operationum ictibus in perniciem stimulat; ad extremum homines iumentis insipientibus comparatos iugo subdit, ad ingentia scelerum pondera pertrahenda: quibus propterea dicitur: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Quare Deus per suam gratiam à deterioribus exorsus ex anima primo diaboli iugum, deinde virgam, tandem sceptrum auertit.

Is. 5.

49. Tres perditionis gradus, per quos in præceps peccator prolabitur, reperiri possunt. Primus gradus est inchoare perditionis iter. Secundus gradus est in perditionis via consistere. Tertius est in eadem delectabiliter, & otiosè sedere. Quare, qui à tribus istis gradibus prudenter gressus cohibet, is verè beatus dici potest: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit; & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Rursus in peccati malitia motus, status, & sessio est: motus fit malè assentiendo; status fit malè operando; sessio fit malè docendo. Primo gradu seducitur peccator à diabolo; 2. à diaboli discipulus constituitur; 3. magister efficitur. Seducitur cum abit in consilio impiorum; discipulus constituitur, cum in via peccatorum stat; magister efficitur, cum ad alios subuertendos in cathedra pestilentiæ sedet.

Psal. 1.
Peccator in malitia via motum, statum, & sessionem habet.

Peccatorem prius diabolus seducit; deinde suum discipulum reddit, tandem magistrum constituit.

50. Iuxta Ambrosium in Luc. cap. 7. & Augustinum tract. 49. in Ioan. mortui, quos Dominus ad vitam reuocauit, peccatoris typum exprimunt: mysticè enim priuatio animæ, priuationem gratiæ significat; cum sicut anima corporis, sic animæ gratia vita sit. Tres autem mortui à Redemptore suscitati leguntur; scilicet filia Archisynagogi; filius viduæ; & Lazarus Marthæ, & Mariæ frater. Filia Archisynagogi in propria domo ad vitam reuocatur; filius Viduæ in feretro; Lazarus in sepulchro. Archisynagogi filia, quæ è paterna domo nondum in viam prodierat, peccatorem è prauo consensu nondum in externa opera prolapsum significat. Filius viduæ extra domum feretro ad sepulchrum elatus peccatorem prauis operibus inferos petentem repræsentat. Lazarus post mortem quatriduanus, adeoque iuxta naturæ ordinem fœtorem emittens, peccatorem non tantùm assensu, & prauis operibus, sed malis etiam habitibus, & inueterata peccandi consuetudine marcidum refert. Ex triplici hoc peccatoris conditione, & statu, vt alio alium grauiorem Dominus significaret, ad Archisynagogi filiam suscitandam solam vocem adhibuit dicens: *Puella, tibi dico, surge; & confestim surrexit puella.* Ad reuocandum in vitam filium viduæ, præter vocis imperium, feretrum tangendo sistere voluit: *Accessit, & tetigit loculum*: deinde miserationis affectum ostendit: *Misericordia motus ait: Adolescens, tibi dico surge.* Denique ad Lazarum suscitandum non simplex vocis imperium, sed internum fremitum, turbationem, lacrymas, & clamorem adhibuit: *Infremuit spiritu; turbauit se ipsum; lacrymatus est Iesus; & voce magna clamauit: Lazare, veni foras.* Præterea Dagon Philistinorum Idolum peccatoris in peiora labentis typus fuit. Nam 1. Reg. 5. dicitur *Philisthiim arcam Dei statuerunt iuxta Dagon. Cumque surrexissent, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini, & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane consurgentes inuenerunt iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Similiter homo præuaricans coram Deo vbique præsente, prius in peccatum decidit; quod si deinde pœnitentia non corrigit, maiori pœna punitus truncus remanet abscisso capite, & manibus; mente scilicet, & operationibus; ita vt obduratus, nec vlla bona opera exerceat, nec salutaria cogitet; sed capite, & manibus cogitatione, & operatione omninò terræ adhæreat.

Peccatoris triplicem statũ, tres mortui à Domino suscitati significant.

Marci 5.

Lucæ 7.

Ioan. 11.

51. Cum Matthæi 21. dicitur sub parabola: *Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam*; iuxtà Irenæi aliorumque sententiam nomine patrisfamilias Deus; nomine vineæ hominum genus debet intelligi. Hæc autem vinea, cum peccatis syluesceret, non vuas, sed germina pessima eduxisse legitur. Prima germina, quæ dedit habentur Isaiæ 5. *Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas.* 2. germina ibidem habentur iuxtà August. *Expectata est, vt faceret vuas, fecit autem spinas.* 3. germina habentur Deut. 32. *Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi; fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Ex quibus patet syluescentem vineam, hoc est hominis præuaricantis animam deteriora operationum germina semper efferre: cum spinæ labrusca peiores sint; cumque venenum sit labrusca amarius, spinisque nocentius. Si quæratur, quare hæc vinea deteriora semper eduxerit germina, huius reddi ratio potest ex Ecclesiastico, à quo dicitur: *Initium, seu radix omnis peccati est superbia*: additur autem ex Dauide: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*; hoc est semper augescit. Cum igitur huiusmodi venenata radix semper in malum crescat, mirum esse non debet, si deteriora semper germina proferat. Hinc Ecclesiastici 3. 30. dicitur: *Synagoga superborum*; hoc est peccatorum cœtui diuinæ legi se subdere negantium *non erit sanitas: non erit medela*, ex Græco legitur: *Frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur*: hoc est ob cordis obstinationem, culparumque augmentum, amisso penè conscientiæ stimulo, abijs pessimus eorum status non cognoscetur.

Lib. 4 c. 70.
Peccatrix anima, velut syluescens vinea prius labruscam, deinde spinas, tãdem venenum germinat.

Tract. 10. in Ioan.

Cap. 10.

Psal. 73.

52. Magnum prodigium foret, si modico temporis interuallo muscam in Elephantem crescere videremus. Non dissimile prodigium à Belzebub falso muscarum Deo peccatorum magis, ac magis excæcando factum olim refert Augustinus tract. 1 in Ioan. *Nescio quis tædium patiebatur à muscis. Inuenit illum Manichæus tædio affectum, & cum diceret se non posse pati muscas, & odisse vehementer illas, statim ille: Quis fecit has? Et quia tædio affectus erat, & oderat illas, non ausus est dicere: Deus illas fecit; erat autem catholicus. Ille statim subjecit: Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Planè ait ille: Ego credo, quia diabolus fecit muscas. Et ille statim: Si muscam diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis; apem quis fecit, quæ paulo amplior est musca? Non ausus ille est dicere: Quia Deus fecit apem, & muscam non fecit, quia*

Diabolus per deceptionem ex musca elephantem fecit.

*res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam; à locusta ad lacertam, à lacerta ad auem; ab aue duxit ad pecus; inde ad bouem, inde ad Elephantem; postremo ad hominem; & persuasit homini, quia non à Deo factus est homo. Ita ille miser, cum tædium passus est à muscis, musca factus est, quem diabolus possideret. Beelzebuth quippe interpretari dicitur princeps muscarum.*

Genes. 4.

Peccatum in foribus adstat, vt peccatorem accuset.

53. A Deo dictum est Caïno; *Si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit.* Cur in exterioribus foribus adstabit, & non potius ad interiora cordis inficienda, & cruciandа Caïni culpa penetrabit? Respondetur primò in foribus, seu ex Hebræa lectione *in foris,* aut in portis peccatum adesse dicitur; eo quòd in portis forum, & tribunal collocare, ibique iudicia exercere, consuetum fuit, iuxta illud Prouerbiorum 31. *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Adest igitur in portis peccatum, hoc est ad iudicium adstat, vt aduersus peccatorem testimonium ferat. Peccatum quidem accusatorem Dauid experiebatur cum dixit Psalm. 50. *Peccatum meum contra me est semper,* & Psalm. 38. ex Hebræo: *Cum consisteret peccatum aduersus me.* Quare sicut de anima iusta dicitur: *Laudent eam in portis,* hoc est in foro, & iudicio *opera eius:* ita de peccatore dici potest: In portis, hoc est in iudicio illius opera eum accusent.

Prou. 31.

Peccatum in foribus adstat, vt peccata alia in animæ interiora aduocet.

54. Respondetur secundò, ad rem nostram diei in portis peccatum adstare, similitudine desumpta à militibus, qui obsessam vrbem ingressi portas reserant, ibique ad socios alios, atque alios introducendos adstant.

Eneid. 2.

*Inuadunt vrbem, portisque patentibus omnes*
*Accipiunt socios, atque agmina conscia iungunt:*

Ita patratum crimen ad animæ fores adstare videtur; vt scelera alia, atque alia in animam introducat; eamque planè miseram tandem in perniciem pertrahat.

Psalm. 50.

Peccans vno, aut altero peccato cur infinitam diuinarum miserationum opem imploret?

55. A Dauide Deo dicitur: *Secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Si vna, & altera iniquitas adulterij, & homicidij delenda est; cur multitudinem diuinarum miserationum numerum omnem excedentium implorat? Multitudo quidem infinita miserationum diuinarum, multitudini miseriarum omnium respondere debet: at cum Dauid excepto adulterio, & homicidio in aliorum scelerum miserias non incurrerit; ad illius miseriam sublеuandam non omnis, sed vna, aut altera diuina miseratio satis esse videbatur. Verum quidem id esset, si iniquitas vna ad aliam, atque aliam deteriorem non pertraheret animam: sed cum oppositum Dauid optimè sciret, iure ex gemino peccato in scelera omnia prolabi timuit: & propterea ad miserias omnes sibi imminentes arcendas diuinarum miserationum omnium multitudinem implorauit. Nouerat pœnitens Dauid, quod benè explicat sanctus Thomas prima secundæ quæst. 87. art. 2. admisso peccato, pro pœna aliarum culparum lapsus à Deo permitti. Propterea Psalm. 68. dixit: *Appone,* hoc est ex regula Augustini supra allata, permittes apponi *iniquitatem super iniquitatem eorum; & non intrent in iustitiam tuam.* Verissima enim est Areopagitæ sententia de diuinis nomin. cap. 4. *Malum cùm sit defectio à bono, sua infirmitate, & pondere ad aliud, & aliud malum progreditur.* Ex quibus posterius priori peius est.

Peccati pœna peccatum aliud.

56. Plagis in Ægyptum immissis spirituales peccatorum plagas mysticè significari communiter docent Sanctorum patres, præcipuè August. tom. 9. tract. de Christi plagis. Porro Ægyptij prius in ranarum plagam, deinde in plagam Ciniphum, hoc est culicum inciderunt. Posterius hoc ciniphum flagellum priori multo acrius, ac molestius fuit. Cum ranæ interrupto saltu, culices verò continuo, & velocissimo volatu Ægyptios inuaderent: cumque ranæ non tam morsu, quàm in strepitu, & immunditie Ægyptios cruciarent; culices verò interiorem sanguinem acerbo morsu sugentes, molestissimæ pruriginis cruciatum relinquerent. Similiter peccator, qui diabolum per prauas suggestiones, veluti immundam coaxantem ranam non repulit, labemque inde contractam pœnitentiæ lacrymis non deleuit; eumdem diabolum veluti mordacissimum culicem experitur: cuius morsus, tamquam à volatica peste, velociores sunt, & frequentiores.

Ægyptiarum plagarum altera fuit alia deterior: similes illis peccatorum plagæ.

Ranæ prius, deinde culicis instar peccatorem diabolus cruciat, idem num. 37.

57. De Ægyptiis etiam plagis dicitur Psalm 104. 34. 35. *Venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus: & comedit omne fœnum in terra eorum; & comedit omnem fructum terræ eorum.* Perniciosior profectò direptio fructuum, quam fœni fuit; illa leuior præcessit, hæc grauior subsecuta est. Similiter peccator, qui diaboli direptioni voluntariè subiacet, peiorem, & peiorem animæ perniciem subit. Diabolus enim prius bonas cogitationes, & verba, veluti fœnum locusta, diripit; deinde ad bona opera per oppositas operationes diripienda, tanquam ad fructuum prædam transit. De Ægyptia locustarum plaga dicitur Exod. 10. 15. *Deuorata est herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit.* Sicut locustæ post deuoratas herbas humi germinantes, in sublimes arbores insilierunt; ita dæmones postquam inferiores sensus per praua obiecta inuasit, in sublimem animæ partem insiliunt, vt inde consensum eliciant.

Locustarum Ægyptiarum instar in peccatorem diabolus insilit.

58. Abdiæ versu 5. dicitur: *Si fures introiissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introiissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?* Vbi sub similitudine furum, & vindemiatorum futuræ Chaldæorum in Iudæos direptio iuxtà litteram indicatur: mysticè verò direptio significatur, quàm in peccatoris anima diabolus exercet. Fures clam rapiunt, vindemiatores vuas palàm decerpunt. Quia furum timida, & clancularia est rapina, ideo non omnia diripiunt, sed sufficientia tantùm, hoc est ea, quæ pro præsenti metu, & nocturno tempore sufficere iudicant. At vindemiatores cum metu nullo premuntur, quidquid vuarum est vsque ad racemum carpunt. Similiter dæmones prius tamquam timidi fures occultis suggestionibus ad animam deprædandam accedunt; postea ex facili peccatoris consensus audaciores redditi, tamquam vindemiatores apertè spiritualia bona vsque ad racemum, hoc est vsque ad piam cogitatiunculam ex anima rapiunt.

Diabolus in peccatorem prius fur, deinde vindemiator.

59. Verè peccator de dæmonibus eum in grauiores semper culpas pertrahere conantibus, cum Dauide Psalm. 21. 13. dicere potest: *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens.* Immundi enim spiritus primùm per prauas suggestiones, se veluti vitulos exiguis cornibus leuiter impetere potentes exhibent; deinde veluti præferoces tauros; tandem velut efferatos leones. De peccatore in peiora labente plura etiam habentur feria 6. post Dominicam primam in illa verba: *Ecce sanus factus es: iam noli pecca-*

Diabolus prius vt vitulus, deinde vt taurus, demum vt leo in peccatorem insurgit.

*re, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Exod. 8.

*Sic erit generationi huic pessima.* Quæ paulo ante *generatio mala* dicta est, nunc pessima dicitur, vt ostendatur peccatoris malitia temporis decursu semper augeri.

*Adhuc eo loquente ad turbas; ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.*

Lucæ 11.

Beata Virgo miraculorum omnium miraculum, cœleste prodigium, & sacratissimum spectaculum.

60. OPportunè satis sanctissimam matrem eo aduenire Dominus voluit. Quoniam enim Scribæ, & Pharisæi *signum de cælo quærebant ab eo*; Deipara signum, hoc est miraculum eximium de cœlo erat. Quare cum Ioan. Apoc. 12 dixit: *Signum magnum apparuit in cælo; amicta sole, & luna sub pedibus eius; & in capite eius corona stellarum duodecim*; id de B. Virgine intelligi debere affirmant Epiphanius serm. de laudibus Mariæ; August. lib. 4. de Symbolo cap. 1 Bernard. serm. super Signum magnum, & alij. Ideo Damascenus Beatam Virginem vocat. *Miraculum omnium miraculorum maximè nouum.* Similiter Chrysost. ait: *Magnum reuera miraculum, fratres dilectissimi, fuit B. semper Virgo Maria:* Fuit inquit Chrysostomus, non solùm est; ne quis putaret Beatam Virginem eximium miraculi titulum postquam in cœlestem gloriam euecta est, non autem in hac mortali vita meruisse. Ideo sanctus Ignatius Martyr Beatam Virginem, adhuc in terris viuentem visere cupiens ait: *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria matre Iesu humanæ naturæ natura sanctitatis Angelica copulatur: & hac talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valde desiderare aspectum eius, si fas est fari, cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi.* Suam ergo sanctissimam matrem, tamquam cœleste prodigium, Scribis, & Pharisæis petentibus signum de cœlo Dominus ostendere voluit. Quare sicut locuples, & celebris opifex officinam opificiis varijs plenam, morosis emptoribus ostendit; ne non emendi excusationem habeant: ita Dominus ne Scribæ, & Pharisæi ipsius miracula non credendi excusationem haberent, sanctissimam matrem ostendit, quam verissimo titulo Damascenus *miraculorum officinam appellauit.* Si enim increduli Iudæi in Deiparæ virginalem modestiam illuminatos oculos intendissent; si eiusdem cœlestibus verbis aures admouissent; si sanctissimas illius operationes, & eximiæ sanctitatis exempla attentè obseruassent: Si, vt Damascenus loquitur, Deiparæ *senilem in iuuenili corpore prudentiam, ac seueros mores hilaritate temperatos* piæ mentis oculis inspexissent: Si tandem à sanctissima matre de filio testimonium pio affectu audire voluissent; vtique non aliud, vt filio crederent, miraculum poposcissent. Sed quoniam ad miraculorum officinam, fidei pretio accedere debebant; tali pretio carentes inde planè vacui, vt venerant, recesserunt.

Orat. 1. de Natiuit. B. Mariæ.

Serm. de Virgine.

Epist. ad Ioan.

Ignatii martyris visendæ B. Virginis desiderium.

Orat. 1. de Natiuit. B. Mariæ.

Beata Virgo miraculorum officina.

Supra.

Porro quinam hîc, & alibi Domini fratres appellentur, dicetur Feria 3. post Dominicam Passionis.

*Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.*

61. VIdetur mihi ille, qui nunciat, non fortuito, & simpliciter nunciare; sed insidias tendere, vtrum spirituali operi carnem, & sanguinem præferat. Vnde & Dominus, non quod matrem negaret, & fratres, exire contempsit; sed quod responderet insidianti, ait Hieronymus. Quæ Hieronymi sententia probari posset, nisi obstaret Marcus cap. 3 30 dicens: *Veniunt mater eius, & fratres, & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum*: ergo nuncium non ex se, sed è matre, & fratribus missum insidiandi animo venisse non est suspicandum. Propterea etiam neque probatur. Imperfecti in Matth. sententia, qui nuncium exprobrandi animo venisse ait, ac si diceret: *Quid gloriaris, Iesu, de cælo dicens descendisse, qui radices habes in terra? Ecce mater tua, & fratres tui. Non potest esse filius Dei, quem homines genuerunt. Non potes illum abscondere, quem natura conuincit.*

Hieronymi, & Imperfecti in Matthæum sententia improbatur.

*At ipse respondens dicenti sibi ait: Quæ nam est mater mea, & qui sunt fratres mei?*

62. HOc dicebat, non quia de matre sua verecundaretur, aut quia natum se negaret ab illa, bene Chrysost. ait. *Nam si matrem voluisset negare, tunc opportunè profectò negasset, quando sibi opprobrio mater à Iudæis dabatur: cum scilicet ei conuiciantes dicebant: Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius nonne apud nos sunt?* Cur igitur Dominus dixit: *Quæ est mater mea? Non spernens generationem carnalem, neque erubescens humanam susceptionem, sed volens ostendere, quia preponenda est spiritualis cognatio carnali*; bene respondetur ab Imperfecto in Matth.

Cognatio spiritualis carnali præponenda.

Matth. 13. 55.

63. Similiter Dauid Psalm. 72. 25. cum Deo dixit: *Quid mihi est in cælo; & à te quid volui super terram?* iis profectò verbis præter Deum, cœlestes spiritus in cœlo esse non negauit; eos præcipuè, quibus ad hominum auxilium plura à Deo ministeria committuntur; quod certè S. Propheta non ignorauit: neque rursus dicendo: *A te quid volui super terram*; suæ familiæ, suique regni bonum regimen, felicitatemque non exoptare se indicauit: sed tantum verbis illis Dei dilectionem aliis omnibus à se omninò præferri significauit.

Dilectio Dei aliis præferenda.

*Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse meus frater, & soror, & mater est.*

64. SIcut hominibus Deus *dedit potestatem filios Dei fieri*; obediendo scilicet diuinis mandatis; diuinamque gratiam, quæ diuinæ naturæ participatio est, acquirendo: ita etiam potestatem dedit ipsius Christi fratres fieri. *quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Ioan. 1.

ad Rom. 8. 29.

65. Præterea meritò obediens diuinæ voluntati frater domini constituitur: fratres enim habendi sunt, qui eamdem parentem agnoscunt: obedientes autem diuinæ voluntati, obediētiam erga Deum, tamquam matrem venerantur; ab eaque lac sanctarum legum exugunt. Similiter Christus Dominus eamdem obedientiam, veluti genitricem agnouit. *Dominum sine virili complexu, non concupiscentia*

Obedientia velut communis parens nos deo fratres constituit.

*concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis,* ait August. serm. 13. de tempore.

66. Rursus qui Apostolorum imitator voluntatem Dei fecerit, eamque alios facere docuerit, Christi Domini mater dicitur. Ad quod intelligendum recolenda est Augustini regula illa 3. de doctrina Christiana cap. 31. & Isidori lib. primo de summo bono cap. 25. Christus Ecclesiæ, suorumque fidelium, tamquam mystici corporis caput est: quæ autem in Scriptura de Christo dicuntur interdum de capite, & corpore sunt intelligenda, vt Psalm. 2. *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius:* quod vaticinium in capite impletum est, & quotidie impletur in membris. Interdum de solo capite Scriptura est intelligenda, vt Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus:* interdum de solo corpore, vt Actorum 9. *Saule, Saule quid me persequeris?* id est fideles, qui sunt membra mea. Similiter Apostolicum quemcumque virum voluntatem Dei facientem, eamque alios facere docentem, suam matrem Christus appellat; eo quod eius membra nempe fideles per gratiam cœlo, Deoque pariat. Hinc Apostolus ad Galat. 4. 19. aiebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis:* hoc est, donec digna Christi membra efficiamini.

Christi mater quomodo alii quis efficiatur.

Christus cum suis tamquam mysticum corpus caput, quæ de illo dicuntur, vel de capite, vel de corpore vel de vtroque sunt intelligenda.

# FERIA QVINTA POST DOMINICAM primam Quadragesimæ.

## Egressus Iesus secessit, in partes Tyri, & Sidonis, &c. Matth. 15.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

1. IN hac Chananææ Euangelica historia, orandi modum optimè docemur. Vt enim orando diuinam opem implorare, eamque efficaciter consequi quispiam possit, procul à peccato, peccandique occasione debet esse; suasque preces, fide, feruore, perseuerantia, & humilitate munire debet. Id Chananæa optima orandi magistra nos docet; quandoquidem Redemptoris opem ad filiæ sanitatem imploratura, ab Ethnicis regionibus, vbi idola colebantur, dicitur abscessisse: *Ecce mulier Chananea à finibus illis egressa: Omnes relinquens diaboli cultus venis ad Dominum*, De Chananæa dixit Origenes. Fide, & feruore orationem muniit, cùm clamauit: *Miserere mei, Domine fili Dauid. Magna*, inquit Glossa, *fides Chananeæ Deum credis, vbi Dominum vocat, hominem, vbi dicit filium Dauid.* Præterea orando se perseuerantem præstitit, cum responso non impetrato, propius ad Redemptorem accessit, & adorauit eum dicens: *Domine adiuua me.* Humilitate denique Domino suas preces gratiosas reddidit, cum Israelitas dominos, se catellam esse confessa est: *Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Quare Ambrosius ait: *Chananæa fuis pertinax in precibus, sapiens in responsis, fidelis in verbis, prætereuntem reuocat, tacentem rogat, excusantem adorat, negantem inclinat.* Et Hieronymus, *Mira huius mulieris fides, patientia, & humilitas prædicatur. Fides, qua credebat sanari filiam suam; patientia, qua toties contempta in precibus perseuerat, humilitas, quòd se non canibus, sed catulis comparat. Scio me, inquit, filiorum panem non mereri, nec integros capere posse cibos; nec sedere ad mensam posse cum patre; sed contenta sum reliquiis catulorum, vt per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem.* Præterea quòd oratio Dei amicorum, sanctorumque intercessiones iuuari debeat, dicitur: Accedentes discipuli rogabant eum dicentes: *Dimitte eum, quia clamat post nos.* Dimitte, inquiunt, non negando, sed quam petit gratiam concedendo: *Vnusquisque æger petendæ precatores salutis debet adhibere*, ait Ambrosius lib. 5. in cap. 5. Lucæ. Denique, vt oratio enumeratis virtutibus munita ad impetrandum efficax habeatur, Chananææ à Domino dicitur: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis.*

Oratio à peccatis munda, fide, feruore, perseuerantia, & humilitate munita esse debet.

Homil. 7. in diuers.

In Lucam cap. 7.

Matth. 15.

Oratio sanctorum intercessione roboranda.

*Egressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.*

2. VT Capharnao Vrbe egressus in Tyri, & Sidonis fines, veluti Chananææ obuius Dominus veniret, plusquam quadraginta milliaria peregisse constat: eoque itinere significauit, quàm libenter orantium precibus appropinquet. Secundo Paralipomenon 3. dicitur: *Alæ Cherubim expansæ erant, ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.* Cur non potius interiorem templi partem, & sancta sanctorum, vbi Dei thronus, & arca erat, Cherubim aspiciebant? scilicet, vt venientibus adorandum veluti obtutu obuij forent, eosque ad orationem cupidi inuitarent: & hoc modo auidis oculis, & inhiantibus obtutibus, quàm libenter Deus orantes excipiat, eius ministri Cherubim significabant.

Orantium preces quàm libenter Deus excipiat.

3. Si supra thuris sursum euaporantis virgulam ignis apponatur, ignis statim attrahitur; ita vt flammæ thus versus descendere videatur. Cant. 3. Fidelis anima inoratione esse dicitur, *sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi*

Thus euaporans superpositum ignem attrahit: simile oratio.

*uersi pulueris pigmentarij. Sancta anima*, inquit ibi Gregorius, *dum feruentes, & mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum è thuribulo educit, vt coram dilecto suaue redoleat.* Ex

ad Hebr. 12.

Apostolo autem *Deus noster ignis consumens est:* nil mirum igitur, si diuinus ignis ab oratione attrahitur. Propterea ad diuinum ignem sua in oratione attrahendum precabatur Dauid Psalm. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Quod quidem Euangelica Chananæa est experta; dum enim viæ se committeret, precesque meditaretur, iam Dominus Chananæam versus tendebat, testante Matth. *Egressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.* Quare de felici hac oratrice verè dici potest ex Psalm. 9. *Praeparationem cordis eius audiuit Dominus*; & ex Psalm. 38. *In meditatione eius ignis exarsit*: ignis scilicet diuini amoris, & liberalitatis.

*Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa.*

Chananæa ad Christum accedens à frigida Aquilonari regione discessit.

4. Tyrus, & Sidon, vt hîc docet S. Remigius, ciuitates erant Gentilium. Tyrus Metropolis Chananæorum, Sidon eorumdem terminus respiciens ad Aquilonem. Chananæa ergo mulier, vt ad diuini solis sub humanæ carnis nube radios accederet; egressa dicitur à Sidonis finibus, hoc est à frigido Aquilone, vbi propter idololatriam sedes erat Satanæ, iuxtà id, quod ipse Lucifer Isai. 14. dixerat: *Sedebo in lateribus Aquilonis: Similis ero Altissimo*; cum scilicet ab idololatris, vt Deus adorabor.

Moses, & Aaron extra coram Pharaone pro Pharaone non orabant.

5. Exodi 8. Pharaoni postulanti, vt pro se Moyses oraret, respondit Moyses: *Iuxtà verbum tuum faciam; vt scias; quòd non est, sicut Dominus Deus noster. Egressique sunt Moyses, & Aaron à Pharaone, & clamauit Moyses ad Dominum.* Si ad conuincendum Pharaonem de vano idolorum cultu Moyses vnà cum Aarone fratre oraturus erat ad Deum, cur non coram Pharaone orabat? Respondet Hugo Cardinalis: *Oraturi exeunt à Pharaone, quia commendabilem reddit orationem sequestratio à malis.* Experientia compertum est odores fœtoribus immistos vehementius nares offendere: eumque orationes odoriferæ cordis euaporationes sint, iuxtà phialas aureas à Ioanne visas Apoc. 5. *Plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*: Si huiusmodi odores peccatorum fœtoribus immisceantur, vehementer Dei odoratui displicebunt: sunt autem peccatores veluti fœtida cadauera, cum gratiæ spirituali vita priuentur. De huiusmodi enim cadaueribus interpretatur Hugo illud Isaiæ 34. *De cadaueribus eorum ascendet fœtor.* Prope turbati maris fremitum musicæ concentus aures oblectare non potest. Suauissimæ musicæ harmoniæ, diuinisque auribus iucundissimæ, feruentis orationis gemitus comparat August. epist. 121. cap. 15. Sed hæc procul à peccatorum tumultibus, veluti à frementis maris fluctibus esse debet: *Impij, quasi mare feruens, quod quiescere non potest*, dixit Isaias 57. 20.

Orantes se à peccatoribus sequestrare debent.

Odores fœtoribus immixti naribus valde ingrati.

Peccatores velut fœtida cadauera sunt.

Oratio vt diuinis auribus harmonica sit, procul à maris strepitu, hoc est à peccatorum tumultu esse debet. Idem num. 6 7.

6. Hinc est, vt, cum Dauid Psalm. 25. circa Domini altare ad orandum adstare deberet: *Circumdabo altare tuum Domine*; præmiserit: *Non sedi cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: odiui Ecclesiam malignantium, & cum iniquis non sedebo.*

7. Similiter Tobiæ 3. Sara, cum ad Deum preces funderet: *Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo*, subdit: *Nunquam cum ludentibus misceri me*, id est cum idolorum cultoribus; ludere enim in sacris litteris sæpe idololatrare significat; vt Genes. 21. *Cùm vidisset Sara filium Agar ludentem cum filio suo*, id est idololatrantem, vt *Rupertus exponit.* Similiter etiam Ieremias cap. 15. cum in oratione se Deo commendaret: *Recordare mei, & visita me, & tuere me ab his, qui persequuntur me*, subdidit: *Non sedi cum concilio ludentium.* Quare hos omnes imitans Chananæa ab idololatriæ regionibus, vt Dominum oraret, egreditur. Porro, vt oratio efficax sit, non solùm orans à peccatoribus secedere debet; sed etiam per bona opera sanctorum exempla sectari. Ad hoc mysticè significandum, vbi de Chananæa dicitur: *Clamat post nos:* ex Arabico legitur: *In vestigiis nostris*: Sicut ergo Apostolorum vestigiis insistebat Chananæa, vt, quod petebat, à Domino impetraret; ita orantibus sanctorum vestigiis per imitationem est insistendum, vt suæ petitionis consequi gratiam possint.

Ludere idololatrare significat.

Orantibus adtendenda est sanctorum imitatio.

8. Citato Exodi loco Pharaoni Moyses dixit: *Constitue mihi quando deprecer pro te.* Cum tempus omne ad orandum sit opportunum, dicente Domino: *Oportet semper orare, & non deficere*; & Ecclesiastici 18. *Ne impediaris orare semper*, & ad Thessal. epist. 1. cap. 5. *sine intermissione orate*: cur, vt à Pharaone constituatur certum orandi tempus, postulat Moyses? Quia scilicet à peccatoribus interdum Deus ore accersitur, opere arcetur; ideo Moyses pro Pharaone oraturus, ab eodem orandi tempus constitui petit: quandoquidem, vt oratio habeat efficacitatem, opera ipsi orationi contraria retinenda non sunt. Isaiæ primo. *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt; lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Ideo monet Ecclesiasticus: *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis.* Aromata quidem orationes sunt; sed ex aureo vase suum odorem effundere debent, ideo Apoc. 5. dictum est: *Habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.*

Lucæ 18.

Oratio vt efficax sit, ei bona opera sunt iungenda.

Oratio velut aromata ex aureo vase fundenda.

Cap. 5.

*Clamauit.*

9. Chananææ clamor, non solùm orantis feruorem; sed etiam humilitatem indicat; cum viso Domino non ausa ad illum accedere, procul eius opem clamoribus imploraret: deinde tamen necessitate compulsa ad Dominum dicitur accessisse: *Venit, & adorauit eum dicens: Domine adiuua me.* Quare de huius mulieris oratione dici potest, *Oratio humiliantis se nubes penetrabit; non discedet donec Altissimus aspiciat.* Altissimus scilicet, *qui in altis habitat, & humilia respicit.* Cur autem humilium oratio nubes penetrare dicitur? scilicet, vt penetratis, & scissis nubibus à Domino, *fulgura in pluuiam fiant* iuxta Psalm. 134. fulgura calamitates, & ærumnæ sunt ex August. quæ quidem propter humilium preces in imbres diuinarum gratiarum conuertuntur. Satan Chananææ filiam vexans fulgur erat: Lucæ 10. *Videbam Satan, sicut fulgur de cælo cadentem*: cùm verò ex diuino imperio Satan fuerit expulsus; Chananæa fide fuerit illuminata; eiusque filiæ perfecta sanitas reddita, verè à Domino fulgura in gratiarum pluuiam commutata dici possunt.

Oratio humilis ad quid nubes penetrare dicatur.

Eccel. 35. Psalm 15.

Oratio fulgura, id est calamitates in gratiarum pluuiam facit.

Augustinus citato Psalmo.

*Dicens ei: Miserere mei, Domine, Fili David: filia mea malè à dæmonio vexatur.*

10. VTramque naturam in Christo confitetur, cum & Dominum eum vocat, & filium David proclamat, ait sanctus Paschasius, & subdit: *Vbi didiceris hanc fidem mulier de gente Chananæorum, quam ipsi Pharisæi, & Scribæ negabant, quærendum censeo.* Vnde habuit, *vt Diuinitatem in homine deprehenderet, cumque ipsum hominem filium Dei olim repromissum intelligeret?* Respondet Paschasius: *Ipse Saluator prius eum illustrauerat; & ideo perfecta iam in fide instructa venit ad Dominum, quem non cessat Deum confiteri, & hominem. Ideo non dixit: Roga, vel deprecare Deum: sed, Domine adiuua me,* ait Chrysostomus. Si ex diuina gratia Matthæus ex Publicano Apostolus, & Euangelista fuit: Chananæa mulier hæc ex idololatra similiter facta est Euangelista, cum diceret: *Miserere mei Domine, fili David,* vti Chrysostomus ait: *O preclara confessio! Euangelista fit mulier, Deitatem eius, & dispensationem annuncians. Confitetur enim & dominationem, & incarnationem eius: Domine, Dominationem: fili David, incarnationem.* Sed quidquid sit, an in Christo Diuinitatem Chananæa cognouerit: primò illud certum esse debet ad Chananæos Iudææ proximos Christi miraculorum famam peruenisse: *Circa Tyrum, & Sidonem audientes, quæ faciebat, venerunt ad eum,* dicitur Marci 3. Secundò non improbabiliter dicitur Chananæos plura olim à Dauide gesta non ignorasse. De Dauide autem dicitur 1. Reg. 16. *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua; & refocillabatur Saul, & melius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.* Citharæ autem sono Psalmorum cantum addidisse Dauidem docet Iosephus. Cum ergo Chananæa Domino diceret: *Miserere mei, fili David.* Dicere videbatur: Si David suaui cantu à Saule dæmonem expellere potuit; tu similiter Dauidis filius, cuius eloquia dulciora sunt super mel, & fauum, poteris imperij, vocisque vi à filia mea immundum spiritum procul expellere. Si David Sauli, quem maximè ingratum postea est expertus, beneficus fuit; tu in me, meamque filiam tibi semper deuinctissimas beneficium conferes. Si verè David gloriari potuit: *Veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis; & persequebar eos, eruebamque de ore eorum:* Tu fili David, filiam meam, innocuam veluti agnum de ore tartarei leonis eruere similiter debes. Dicitur David ingentem gigantem exanimem solo strauisse; tibi quòd dæmonium, hoc est paruum dæmonem eiectum superaueris, profectò gloria maior proueniet.

Chananæa ex idololatria fit Euangelista.

Chananæa Christum vt Deum agnoscit.

Chananæa laudie filium Dominum vocans, tali nomine ab eo opem contra dæmonem implorat.

Marci 3.

1. Reg. 17.

11. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Lazari sororum fidem laudat August. tract. 49. in Ioan. quòd grauiter ægrotante fratre, Domino tantùm nunciarunt: *Ecce quem amas, infirmatur:* nec dixerunt: *Veni: & sana.* Talis similiter Chananææ fides fuit; cùm tantùm dixerit: *Filia mea malè à dæmonio vexatur:* nec addiderit: Veni, & libera. Cumque secum ad Domini præsentiam filiam ducere necesse non iudicauerit, eamque absentem à Domino liberari posse crediderit: cumque aliter energumeni pater quidam fecisse legatur Lucæ 9. 38. *Magister respice in filium meum: ecce spiritus apprehendit eum:* hinc magis Chananææ fides elucet. Qualis ista dæmonis in energumeno esset vexatio, elegantissimè describit Chrysostomus Chananæam ad Dominum orantem inducens: *Quomodo cernam oculos eius transuersos, aspectum sanguineum, manus intortas, crinem dissolutum, contortum collum, ora spumantia; inimicum insidentem, & non apparentem; tortorem clausum, & flagella resonantia; neminem interrogantem, & illam cum clamore loquentem.*

Chananææ fidei similis Magdalenæ, Marthæque fides.

Energumeni vexati descriptio.

Chrysost. tom. 6. serm. de Chananæa.

12. Nyssenus lib. de oratione ait: *Oratio corporum robur est, abundantia domus, recta legum, ac iuris in ciuitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, coniunctorum conseruatio. Oratio virginitatis sigillum est, matrimonij fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus, eiusdem cum Angelis honoris conditio, præsentium fructus, futurorum repræsentatio.* Si oratio eiusdem cum Angelis honoris conditionem habet: Angeli cum immundis spiritibus pugnantes, eos deuictos procul expellunt: Apoc. 12. *Angeli præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius: & proiectus est draco; & Angeli eius cum illo missi sunt:* benè ergo, vt eamdem victoriam, à filia dæmonem expellendo, Chananæa consequatur, Angelicam orationis efficacitatem adhibet: quam si antea adhibuisset, non solùm filiam liberasset; sed in eam dæmonis ingressum, & vexationem omnem omninò prohibuisset. *Si dæmones nos conspexerint oratione communitos, illico resiliunt; non aliter, quàm prædones, & facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod si contingat aliquem esse nudum orationis præsidio, hic auulsus deportatur à dæmonibus; & in calamitates, variaque mala impellitur:* ait Chrysostomus l. 1. de orando Deum. Non solùm gladio, sed multò melius sagittæ oratio comparatur: cum sagitta non vt gladius propè accedentem inimicum repellat; sed eumdem eminus feriat. Quare B. Ephrem, cum docuisset nos oratione tamquam arcu muniri, ait: In ea manus extendimus, ac veluti sagittam in inimicum dirigimus.

Orationis encomium.

Oratio tamquam gladius, quem fugientes dæmones reformidant.

Ephrem tom. 1. de Panoplia spiritual.

Oratio sagittæ similis.

13. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Dicamus nos Deo in hac mortali vita vndique diaboli insidiis vexati: Filia tua, hoc est anima mea, quæ tua filia est, cum à te solo ea creata sit, malè à dæmonio vexatur: *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Dexteram illam porrige, in qua animæ iustorum sunt; ne ab earum societate seiungat. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis,* seu *tormentum malitiæ:* malitiæ scilicet diaboli ad æternam damnationem homines prauis suggestionibus pertrahentis. Si contra diabolum Dei dexteram adiutricem habebimus; eique nos cooperari velimus, audi quid Chrysostomus in allata Sapientiæ 3. verba dicat: *In tua pugna Dominus congreditur, Dominus dimicat, Dominus præliatur, & victoria tibi adscribitur. Certamen tuum, Dei certamen est; prælium tuum Christi est prælium. Quid trepidas? Quid formidas, quasi tua virtute deuincas? Apprehende arma, & procede in bellum, fortiter dimica; vt dimicanti adsit ille, qui vinci non nouit. Alios post vnum certamen ad alias victorias Dominus seruat; alios consummato martyrio iam coronat; alios victores retinet in exemplum; alios iam perfectos transmittit ad cælum; alios frequenter cupit videre certantes; alios passione iam meritos in perpetuis regnis cælestibus triumphantes: vt Imperatoris*

Hortatio ad certamen contra dæmonem Deo adiutore.

Iob 4. 15.

Sapientiæ c. 3.

Chrysost. tom. 1. in fine.

*Christi ab omnibus dignatio collaudetur, qui in suis, & semel, & frequenter hostem deuincit; & quem quomodo pugnare viderit munerabit: tantum contra hostem excitetur animus, exeratur virtus, & deuotio preparetur; & procedens miles ad bellum, vel primo prælio coronetur, vel frequentibus trophæis palmarum numero honoretur.*

### *Qui non respondit ei verbum.*

14. SI ad languores curandos liberalis adeo, & velox Redemptor fuit, vt sanitatem in pennis gerere diceretur Malachiæ 4. *Sanitas in pennis eius*; eò quod sanitatem languentibus celerrimè communicaret; cur Chananææ pro filiæ sanitate roganti, verbum non respondit? scilicet minus differebat, vt maius concederet: largiebatur matri fidei augmentum, dum filiæ differebat sanitatem. Diabolus ob superbiæ elationem in sacris litteris montis nomine appellatur: Quare de diaboli expulsione interpretatur Origenes illud Matth. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit.* Voluit igitur Dominus sinapis granum, hoc est fidem in Chananææ corde firmas radices figere, vt fidei efficacitate diabolus ab obsessa Chananææ filia expelleretur.

Fidei augmentum, differendo quod petimus, à Deo datur.

Montis nomine diabolus.

15. Chrysostomus lib. 1. de orando Deum orationem languentium *Pharmacum vocat.* Pharmacum autem, quamuis à pharmacopolis componatur; decernere tamen ad quantam mensuram illud crescere debeat, ad medicum spectat. Æternum Verbum, vt humani generis languoribus moderetur, ad nos sub humana carne venisse, ait Augustinus: *Ad sanandum grandem ægrotum descendit omnipotens medicus.* Cum ergo orationis pharmacum ad Chananææ filiam sanandam esset adhibendum; vt illud ad maiorem mensuram per iteratas preces augeretur, responsum Dominus distulit.

Oratio est languentium pharmacum.

Christus hominum medicus.

August. 10. serm. 9. de verbis Domini.

### *Et accedentes discipuli rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.*

16. HIs verbis sibi, Chananææ, & Domino consulere voluerunt Apostoli: sibi, vt sequentis, & clamantis mulieris tædio liberarentur: Chananææ, vt eius obsessæ filiæ libertas concederetur: Domino, ne inclementiæ notam incurreret. *Diuersis ex causis discipuli pro hac Dominum interpellant: fortè propter tædium tanti clamoris, seu quia misericordia moti succurrere cupiebant miseræ mulieri; vel pro amore piissimi magistri, ne quasi cuipiam durus videretur,* ait sanctus Paschasius. Cum autem tamquam tædio, & miseratione affecti discipuli pro clamante rogarint; eam non semel, sed iterùm, atque iterum pro filia clamando orasse dicendum est. At Ecclesiastici 7. oranti præcipitur: *Non iteres verbum in oratione tua.* Cur ergo suas preces iterans Chananæa benè orandi exemplar, & magistra proponitur? Respondetur primo ex textu Syriaco, vbi legitur: *Ne varies verba orationis tuæ*, id est ne variis verbis ad id, quod petis suadendum concinnatis vtaris: sicut cum ab hominibus aliquid impetrare vis, eiusdem petitionis sensum verbis pluribus, variisque explicas. Prolixa enim, & variata suasione Deus non indiget, qui cordis, orisque simplicitate delectatur. Cum enim, vt Chrysostomus ait, oratio colloquium sit cum Deo, scriptum est: *Cum simplicibus sermocinatio eius.* Quod monitum egregiè seruauit Chananæa, quæ breui, & simplici oratione filiæ sanitatem à Domino postulauit. Ad quod docendum Matth. 6. Dominus dixit: *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur. Vera quippe postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria,* ait Gregorius, Monet autem Chrysostomus: *Oportet orantem neque longos extendere sermones, & iugiter orare. Breues enim, & frequentes orationes fieri Christus, & Paulus præceperunt paruis ex interuallis. Nam si sermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapsus, multam subrependi diabolo facultatem dederis, & supplantandi, & cogitationem abducendi ab his, quæ dicuntur. Si verò continuas, & crebras orationes facias, totum tempus interpolans frequentia; facilè poteris modestiam exhibere, & ipsas orationes cum multa facies solertia.*

Orantibus simplicitate, non varietate verborum est vtendum.

Homil. 30. in Genes. Prou. 3. 32.

Gregor. 22. Moral. Chrysost. hom. 79. ad populum.

17. Secundò dicitur: *Ne varies verba orationis tuæ*, id est, ne animus erga diuersa affectus varia à Deo petat: cum omnis nostra petitio circa æternam gloriam, adeoque perfectum Dei amorem in cælesti patria acquirendum versari debeat; iuxta Dauidis exemplum, qui aiebat: *Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: vt videam voluptatem Domini.* Quæ verba de cælesti domo intelligunt, Augustinus, Gregorius, & Ambrosius. Hinc Augustinus ait: *Quidam suspirans amator in psalmis dicit: Vnam petij à Domino, hanc requiram. Quæris quid petat? fortè terram petit fluentem lacte, & melle; aut subiectionem hostium suorum; aut mortem inimicorum; aut imperia, & facultates huius sæculi? Ardet enim amore, & multum suspirat, & æstuat, & anhelat. Videamus quid petat: Quid est hoc quod requirit? Vt inhabitem, inquit, in domo Domini per omnes annos vitæ meæ: vt contempler delectationem Domini. Talia nobis præmia promissa sunt fratres mei: Tale aliquid amate; tali regno suspirate; & talem patriam desiderate. Noli ad præmium diligere Deum; ipse sit præmium tuum. Dicat anima tua: Vnam petij à Domino, hanc requiram; vt inhabitem in domo Domini per omnes vitæ meæ, vt contempler delectationem Domini. Noli timere, ne fastidio deficias: talis erit illa delectatio pulchritudinis; vt semper tibi præsens sit, & nunquam satieris; immo semper satieris, & nunquam satieris. Si enim dixero, quia non satiaberis: fames erit: si dixero, quia satiaberis, fastidium timeo. Vbi nec fastidium erit, nec fames, quid dicam nescio. Sed Deus habet, quod exhibeat non inuenientibus quomodo dicant, & credentibus quod accipiant.*

Orantis non multiplex petitio esse debet.

Psalm. 26.

Gregor. 4. Moral. 18. Ambrof. de Isaac ca. 8. Augustinus tract. 3. in Ioan.

18. Tertiò. *Ne iteres verba in oratione tua*; ne scilicet propter modicam fidem, & dubiam spem, verborum iteratio fiat. Propterea Iacobus Apostolus capite primo orantem monet: *Postulet in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.* Sicut enim maris fluctus modo attolluntur, modo deprimuntur; ita in hæsitante spes modo consurgit, modo deprimitur.

Orans iterare verba non debet, in impetrandi fide hæsitando.

19. Quartò distractio, vel modica attentio in oratione vitanda est; ex hac enim verborum iteratio prouenire solet.

Orans ne aliò distrahatur, vitare debet.

Oratio eadem ne iteretur, peccatũ idem vitandum.

20. Quintò cùm dicitur: *Non iteres verba in oratione tua:* orans monetur, ne iterum peccet, adeoque necessitatem incurrat iterum nouæ, & nouæ culpæ veniam petendi. Hinc benè Gregorius ait: *Nequaquam nos prohibet sæpè veniam petere; sed culpas iterare. Ac si apertè dicat. Cum malè gesta defleueris, nequaquam rursus facias, quod in precibus iterùm plangas.*

Gregor. 3. par. pastor. admonitione 31.

21. *Dimitte eam, quia clamat post nos. Alius Euangelista dicit: Ante nos*, ait Chrysost. tom. 6. serm. de Chananæa. *Diuersi siquidem sermones, sed vna sententia est; nec est mendacium in vtrisque. Vtrumque enim faciebat mulier in causa doloris. Primò post tergum clamabat: & cum vidisset, quod non respondit, ante cucurrit, quasi canis Domini vestigia lambens.*

*Ipse autem ait: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt Domus Israël.*

22. QVamuis ad vniuersi generis humani salutem Dominus ab æterno Patre missus fuerit; quoad corporalem præsentiam ad Iudæos tantùm se missum hic dicit: Ideo benè Chananæa fide illuminata, non Domini præsentiam, sed tantùm imperium satis esse ad filiam à dæmone liberandam censuit.

*At illa venit, & adorauit eum dicens: Domine adiuua me.*

23. NOn impetrato responso Chananæa suam orationem perseuerantia muniens, pro filia orare non destitit. Cantic. 4. Christi sponsæ labia vittæ coccineæ comparantur: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Si ad pulchritudinem indicandam viuax labiorum color in sponsa erat laudandus; satis erat eius labia coccinea, seu purpurea nominare; cur ea insuper vittis comparantur? ex eo scilicet, quòd animam cum Deo alligandi vim habeant, ait Rupertus. Vittæ igitur, vt nodum tenacem efficiant, non semel, sed iterùm sunt complicandæ. Cùm autem continuatur perseueranter oratio, tunc in tenacem nodum labiorum vittæ complicantur; Deumque nobis deuinciunt, ab eoque quod petimus, impetramus.

Orantis labia sicut vittæ coccinea.

Oratio sit perseuerans.

24. Gregorius in Psalm. 6. pœnitentialem. *De profundis clamaui ad te*, benè aduertit dicens: *Non ait clamo, sed clamaui. Habes in hoc perseuerantiæ documentum; vt si primò non exaudiris, ab oratione non deficias; immo precibus, & clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi; vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit: Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus; caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, vt regnum cœlorum accipias: esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas cœlis. Quid hac rapina locupletius? Quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur: proximus non læditur, sed iuuatur; peccatum minuitur, non multiplicatur.*

Oratio sit perseuerans.

Matth. 11. 12.

*Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.*

25. QVamuis in opulenta liberalis patris familias domo, non solùm filij, sed etiam cum canibus ipsis mercenarij abundent panibus: eodem tamen pane, quem filij comedunt, canes pascere indecens est. Similiter quamuis diuina omnipotentia, & bonitas miraculis pluribus, & multiplici beneficentia non exhauriatur; æquum tamen non esse Dominus ait, eamdem, quæ Israëlitis, tamquam filijs exhibebatur miraculorum beneficentia, Gentilibus tamquam reiectis canibus exhibere. Rursus quamuis interdum canes ipsius panis, qui filijs datur, fragmentis vescantur; ea tamen expleta filiorum fame, sublataque mensa canibus dantur. Ideo Marci 7. 27. respondisse Dominus legitur: *Sine prius saturari filios; non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Canes autem Gentiles vocantur in idololatriæ opprobrium. Sicut enim veteri in lege canes inter immunda animalia numerabantur; ita vt nec eius pretium offerre Deo liceret in templo, vt præcipitur Deuter. 23. 18. ita Gentiles tamquam omninò immundi, ineptique ad Dei cultum canes dicebantur. Præterea nocte in clariorem nocturni luminis splendorem allatrare canes solent: *Comparatione illius diei, quando resurgent mortui, adhuc nox sumus*, ait Augustinus. Quare in cœlesti patria *donec dies elucescat, & Lucifer oriatur*, in huius mortalis vitæ nocte fidei subobscura luce, veluti lunari lumine dirigimur: contra nocturnum lunare fidei lumen, & contra Dei Ecclesiam Gentiles allatrantes, meritò canes dicuntur: *Quæ lunæ nomine, nisi Ecclesia designatur*, ait S. Gregor. hom. 29. Denique sicut canes rabie correpti aquam auersantur; ita Gentiles tunc à cœlesti diuinæ gratiæ aqua, & nunc etiam à sacris Baptismi aquis abhorrentes, canes meritò appellantur. Chananæa tamen non in idololatriæ, & infidelitatis opprobrium, à qua discesserat; sed ob sagacitatem meritò canis dici potuit. Sagacitas autem maxima, & odora canum vis in ea excelluit; cum Dominum domi latentem odorata, eò penetrauerit. Nam de Redemptore Marcus ait: *Ingressus Domum, neminem voluit scire; & non potuit latere. Mulier enim intrauit, & procidit ad pedes eius.*

Lucæ 11. 17. Canibus, & immundis animalibus

Gentiles comparantur.

Augustinus serm. 157. de tempore.

2. Petri c. 1.

Canibus Gentiles similes, quòd contra Ecclesiam lunæ nomine significatam latrent.

Canibus Gentiles similes, quòd veluti rabidi Baptismi aquam auersentur.

Chananæa canis similis ob sagacitatem.

C. 7.

*At illa dixit: Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.*

26. CAtellorum proprium est, ad Domini aspectum lætitiæ signa edere; ijsque, veluti blanditijs, heri gratiam aucupari. Cum se catellæ comparet Chananæa, ei à Dauide benè dici potest: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Petitiones cordis, non solius oris Dominus dabit. *Petitiones*, inquit Ambrosius, *quæ prodeunt ex intimo corde Dominus confirmat iuxtà illud Psalm. 19. Tribuat tibi Dominus secundùm cor tuum, & omnes petitiones tuas confirmet.* In corde sapientia residere dicitur, ex quo cor habere, seu cordatum esse, sapientia esse præditum significat: *Cor*, ait Hieronymus, *semper sapientiam petit.* Huiusmodi petitiones Dominus exaudit, alias repellit; & huiusmodi Chananææ erant petitiones.

Ps. 36. Petitiones cordis, non solius oris Deus exaudit.

27. In sacris litteris Hebræo vocabulo Deus dicitur Saddai, hoc est Deus vberrimus, abundantissimus, seu Deus vberum. Cùm in vberibus lac nimis abundat, solent lactantes vberibus catulum admouere, vt inde lac exugens vbera nimio lacte releuet. Benè ergo Chananæa veluti catella ad diuinæ beneficentiæ abundans lac exugendum admoueri se petijt.

Gen. 17. v. 1. Deus dicitur Saddai, id est Deus vberrimus. Deus vberum.

Chananæa veluti catella Domini vberibus admoueri.

A

*Tunc respondens Iesus ait illi: O mulier magna est fides tua.*

28. BEnè August. serm. 56. de verbis Domini ait: *Si fides deficit, Oratio perit. Quis enim orat, qui non credit? Vnde & beatus Apost. vt ostenderet fidem, fontem esse orationis, ait: Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Ob magnam ergo Chananææ fidem eximiæ humilitati iunctam, eidem Dominum iustificationis etiam gratiam elargitum esse, pium est credere: *Meritò* inquit Chrysologus, *adoptatur in filiam, leuatur, honoratur ad mensam, quæ se sub mensa laudabili, & prouida humilitate deiecit.* Chananæa igitur filiæ corporalem sanitatem consecuta, sibi etiam, & probabiliter filiæ spiritualem sanitatem humilibus precibus impetrauit. Quæ spiritualis sanitas corporali vtique est præponenda.

Chananæa humiliter orans sibi, & filiæ spiritualem impetrat sanitatem. Ad Rom. 10.

Chrysologus serm. 100.

Spiritualis sanitas corporali præponenda.

29. Quare laudabilis minimè fuit, alioquin celeber Galliæ Rex Ludouicus XI. corporali magis, quam spirituali sanitate sollicitus. Nam cum pro eo ægrotante ad sanctum Eutropium certa quædam precatio à familiaribus aulicis pararetur; qua conceptis verbis, ægroto corporis, animæque salus efflagitabatur; præcepit Rex animæ salutem in oratione illa expungi, asserens satis esse, si à Sancto Eutropio corporis salus impetraretur: de animæ insuper salute non esse eidem molestiam exhibendam. Profectò ignorabat Rex Deo, & cælitibus eum potius, qui preces cohibet, quàm qui exhibet esse molestum. Quod expresse testatur Isaias cap. 7. cum enim Regi Achaz à Domino diceretur: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo:* cumque respondisset Rex: *Non petam:* subdidit propheta: *Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* ex Græco textu legitur: *Numquid parum vobis est agoniam exhibere hominibus, quia agoniam redditis Deo meo.* Vbi Basilius iurè sic quærit: *Quonam pacto homo vnus exhibere potest Deo agoniam? Est siquidem agonia timor ob impendentem ruinam, siue infortunium: atqui propheta nullam profitetur in Deum cadere huiusmodi perpessionem.* Vt Basilij dubitationi respondeatur, recolendum est, quod Ambros. de Deo irato ait: *Neque Deus cogitat sicut homines, vt ei aliqua noua succedat sententia: neque irascitur, quasi mutabilis; sed ideo hæc leguntur, vt exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ diuinam meruerit offensam; tamquam eo vsque increuerit culpa, vt etiam Deus, qui naturaliter non mouetur aut ira, aut odio, aut passione vlla, prouocatus videatur ad iracundiam.* Similiter dicendum est, Deum agoniam nullam, mœroremque perpeti posse; sed tamen adeo illi displicere, si quis nolit ab eo precibus beneficia impetrare, vt hinc, qui mœrere, & tristari nequit; ad tristitiam, mœroremque prouocari videatur.

Ludouicus Galliæ Rex corporalis sanitatis nimis sollicitus. In eius hist.

Deo molestus est, qui ab eo beneficia non petit.

Ambrosius De Noe, & arca c. 4. Deo cum humani affectus tribuuntur, quomodo sit intelligendum.

*Fiat tibi sicut vis.*

30. HÆc vox illi affinis est, qua dictum est: *fiat cœlum, & factum est cœlum*, ait S. Chrysost. Nam cùm Dominus Chananææ filiam non solùm quoad corpus à dæmone, sed consequenter quoad animam ab idololatria per fidem liberauerit, eamque ex peccato ad gratiam, æternamque salutem reuocauerit; vtique dicendo hîc: *fiat*, cœlum nobilius condidit. Teste enim Gregorio: *Cœlum est anima iusti.* Sed vt ait August. *Maius opus est, vt ex impio iustus fiat, quàm creare cœlum, & terram: cœlum enim, & terra transibit; prædestinatorum autem salus, & iustificatio permanebit.* Addit S. Thom. *Maius opus est iustificatio impij, quæ terminatur ad bonum æternum diuinæ participationis, quàm creatio cœli, & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis.* Videtur præterea à Redemptore prolata vox *fiat* similis illi esse, qua Creator ab illuminato mundo tenebras procul expulit. *Dixit Deus: fiat lux, & facta est lux: & diuisit lucem à tenebris.* Tunc autem non solùm corporalem lucem à tenebris diuisit, sed etiam bonos Angelos à malis discreuit iuxà Augustinum. Similiter hîc dicendo: *Fiat tibi sicut vis*; ab illuminanda per fidem Chananææ filia tenebrarum spiritum procul expulsum diuisit.

B

Gregorius hom. 38. Augustinus tr. 72. in Ioan. Cœlum est anima iusti.

S. Th. 1.2. q. 113. art. 9. Iustificatio peccatoris maius opus, quam mundi creatio.

Gen. 1. Deus cum diuisit lucem à tenebris, bonos Angelos à malis discreuit. August. 11. de ciuit. c. 19.

C

*Et sanata est filia eius ex illa hora.*

31. AVgust. serm. 22. ad fratres in eremo ait: *O quàm grandis est orationis causa! O quàm grande mysterium! Ecce Moyses orabat in monte, & Iosue Amalec deuincebat. Per orationem Ezechias sanatur; & salutem animæ, & corporis adipiscitur. Per orationem Saulus efficitur Paulus, & doctor gentium. Ieremias confortatur in carcere; Daniel intra leones exultat; tres pueri in fornace tripudiant; Iob in sterquilinio nudus triumphat; Susanna inter senes defenditur; Paradisum de cruce latro inuenit, Stephanus de torrente in cœlum suscipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur.* His denique addatur: Chananæa à dæmone filiam liberat.

Augustinus, vel alius grauis auctor. Orationis efficacitas.

D

32. Notat hîc Chrysost. quod antea Apostoli pro Chananæa Dominum rogantes non impetrarant, ipsam perseuerante oratione impetrasse. *Mauult nostram Deus, qui rei sumus, quàm aliorum pro nobis orationem*, ait Chrysost. Qui circa propriam salutem non laborantes, alijs pro se orandi negotium committunt impœnitentem Pharaonem imitantur, de quo legitur Ex. 8. 8. *Vocauit Pharao Moysen, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum.* Imitantur Simonem magum, qui Act. 8. 24. Apostolis dixit: *Precamini vos pro me ad Dominum.*

Orationem nostram potiùs, quam alienam ad impetrandum adhibere debemus.

E

# FERIA SEXTA POST DOMINICAM primam Quadragesimæ.

## Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam, &c. Ioan. 5:

### *Euangelij nexus, & ordo.*

*Morbus corporalis in peccati pœnam incurritur.*

1. X huius Euangelij historia docemur propter peccata simul cum animæ spirituali lue, frequenter etiam languores, morbos, & corporis aduersitates alias à Deo immitti. Languidus iste Euangelicus ex Chrysostomo, & Euthymio cæcus fuit; ac propterea per tot annos primus in turbatam aquam descendere non potuit, eo quòd luce captus, aquæ motum obseruare nequiuerit: rursus præter cæcitatem ex ipso Chrysostomo, Euthymio, & Ambrosio, idem paralyticus fuit, ac propterea membris impotens in lectulo iacebat. Hos autem morbos cùm triginta, & octo annorum spatio perpessus esset, humani expers auxilij, ipso testante: *Hominem non habeo*: huiusmodi calamitates non aliunde, quàm ex peccatis deriuatas esse Dominus indicauit dicens: *Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Verè autem languidus iste cum Dauidis verbis Psalm. 54 dicere potuit: *Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ*: tremor ex paralysi; tenebræ ex cæcitate: timor ex morbi diuturnitate; à quo ob elapsi temporis experimentum numquam se liberandum timebat.

*Ambrosius lib. 3. de sacramentis c. 2*

#### *Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam.*

*Iudæis tribus solemnitatibus Paschatis, Pentecostes, & Scenopegiæ templum adire debebant.*

2. EXodi 23. dicitur: *Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.* & cap. 41. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.* Erant autem tres hæ Iudæorum solemnitates, Pascha, Pentecoste, & Scenopegia, vt ex citatis, & ex alijs scripturæ locis patet. Quare ad huius mandati obseruationem, cum Pentecostes iuxtà Chrysostomum, vel Paschatis iuxtà Irenæum, solemnitas ageretur, Ierosolymam Dominus venit: idque, vt ad festa ritè celebranda documento nobis foret. Genesis 2. cùm prohibuisset Dominus Adamo, ne ex arbore scientiæ boni, & mali comederet, addidit: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Quæritur à sacris interpretibus, quomodo vera fuerit Domini prædictio; quandoquidem Adam, cùm præuaricatus esset, nihilominus post nongentos, & triginta annos mortuus est? Respondetur primò iuxtà Hieronymum, Augustinum, & Theodoretum: Adamum eodem die, quo peccauit, certæ mortis sententiam, & necessitatem incurrisse: quare *morte morieris*, vertit Symmachus; *Mortalis eris.* Respondetur 2. Adamum eodem

*Irenæus l. 3. c. 19.*

*Solemnitates sacræ ritè celebrandæ.*

*Gen. 5.*

A peccati die actualem animæ spiritualem mortem incurrisse ob diuinæ gratiæ priuationem. Respondetur 3. Mortuum quidem fuisse Adamum eodem comestionis die; eodem tamen, non secundùm indiuiduationem, sed secundùm denominationem: cùm enim vetitum pomum feria sexta comedisset, post nongentos triginta annos, similiter Feria 6. mortuus est: *Si quis velit*, inquit Irenæus, *diligenter discere, qua die ex septem diebus mortuus est Adam, inueniet ex Domini dispositione In illa die mortem sustinuit Dominus obediens Patri, in qua mortuus est Adam inobediens Deo: in qua autem mortuus est, in ipsa & manducauit.* Sed rursus quæri

*lib. 5 contrà hæreses c. 23.*

*Adam feria sexta peccauit, cur postea etiã feria sexta mortuus est.*

B potest, cur ad peccatum puniendum peculiaris pœna fuerit Feria 6. mori? Respondetur, mortem absolutè fuisse primariam pœnam peccati; circumstantiam verò illam, quod tali die mors accideret, auxisse ipsam mortis pœnam: quandoquidem superueniente sacro die sabbati, ne festum diem illum de more diuinis laudibus celebrare posset Adam, morte prohibitus est; idque in peccati pœnam; eo quòd, cum viuere cœpisset, immediatè ante sabbatum peccasset. Sed quæ tam magna pœna fuit vnius sabbati celebratione priuari; præsertim cùm ipse Adam tot antea Sabbata celebrasset? Vt hoc benè intelligatur, recolen-

C dum est quod Genes. 2. de Sabbato dicitur: *Benedixit Deus diei 7. & sanctificauit illum*, idest *segregauit*, ait Chrysostomus, *vt doceret in circulo hebdomadæ diem vnum integrum segregandum, & reponendum in spiritualem operationem.* Quænam esse debet ista spiritualis operatio, explicat Nazianzenus dicens: *Dei memoria præcipuum diei festi caput est.* Huiusmodi dies ad diuina beneficia recolenda, ad diuinas laudes celebrandas addictus præ mille annis est æstimandus: *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia*, dicitur Psal. 83. Ex Chaldęo, & Græco textu. *Melior est dies vna, quæ diuinis laudibus tribuatur in aulis sanctuarij tui super annorum millia.*

*Oratione in sancta lumina.*

D Cum igitur huiusmodi die Adam, morte præoccupatus, priuatus fuerit, hoc illi non in mediocre præuaricationis supplicium cessit. Ex quo constat quanti festos dies æstimare debeamus; dummodo illos diuinis laudibus, diuinisque beneficijs recolendis, templisque frequentandis iuxtà Redemptoris exemplum tribuamus.

*Diei Deo sacri celebritate priuari, mille annorum priuatione peius.*

*Eſt autem Ieroſolymis Probatica Piſcina, quæ cognominatur Hebraïcè Bethſaïda, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum.*

Probatica piſcina ſacri Baptiſmatis figura: Idem n. 15.

5. DE hac piſcina quoad litteram dicetur infra. Myſticè autem piſcinam hanc ſacri baptiſmatis aquam præfiguraſſe SS. Patres docent; præcipuè Ambroſ. lib. de Spiritu ſancto cap. 7. Huic figuræ congruit Syriacus textus, vbi pro piſcina baptiſterium legitur. Porrò ſicut in hac Ieroſolymæ piſcina *languidus, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate:* ita ſacri baptiſmatis aqua, eorum, qui primùm per eam ritè abluuntur adulti, quæcumque peccata delet: infantium autem originale peccatum tollit, in quo, vt docet S. Thom. prima ſecundæ quæſt. 81. art. 2. ad primam. *Virtualiter præexiſtunt omnia peccata actualia, ſicut in quodam principio; vnde eſt multiplex virtute.* Ideo de originali peccato Dauid Pſalm. 50. dixit: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum. & in peccatis concepit me mater mea*, vt idem S. Thomas explicat. Excellit autem ſupra Probaticam piſcinam ſacri baptiſmatis aqua, quòd illa corporales languores curaret, hæc ſpirituales curet; illa non ſemper, ſed aliquoties in anno vni tantùm languido ſalutaris erat; hæc verò ſemper, & omnibus originali lue languentibus medelam affert; illa quòd Ieroſolymæ tantùm eſſet; hæc verò vbique etiam aridis in locis. Quod ſancti Martyres Proceſſus, & Martinianus cum alijs quadraginta in Tarpeij montis carcere ſunt experti: vbi cum aqua deeſſet, ad eos baptizandos diuinitus fons è ſaxo repente proſilijt. Tantùm præ Iudæorum Synagoga, Chriſtiana Eccleſia largiſſima Dei beneficentiæ munera experitur. *Proficiente in hominibus gratia Dei, plus aquis, & Angelo acceſſit. Qui vitia corporis remediabant, nunc ſpiritum medentur. Qui temporalem operabantur ſalutem; nunc æternam reformant. Qui vnum ſemel anno liberabant, nunc quotidie populos conſeruant deleta morte per ablutionem delictorum*, ait Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 5.

Peccatum originale virtualiter omnia continet.

Beneficentia diuina multò largior erga Chriſtianam Eccleſiam, quàm erga Synagogam.

*Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & mouebatur aqua.*

Angelus mouens Probaticam piſcinam, ſignificabat diuinam gratiam, pias lacrymas in corde excitantem.

4. ANgelum mouentem piſcinæ aquam myſticè ſignificare gratiam lacrymas in humano corde excitantem, docet Hugo Cardinalis. Quod ſi aqua illa ab Angelo agitata ad graues morbos curandos ſalubris erat, lacrymas gratiæ vi excitatas ægrotos morti proximos ad perfectam ſanitatem reuocaſſe reperimus. 4. Reg. 20 *Ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, & conuerſus ad parietem fleuit fletu magno; & factus eſt ſermo Domini ad Iſaiam dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas; & ecce ſanaui te; die tertio aſcendes templum Domini.* Debent enim victrices lacrymæ die 3. ad triumphalem pompam, Domini in templum, veluti in Capitolium triumphata morte conſcendere. Porro aduentantem mortem populſare lacrymarum efficacitate ad oculos ſpectabat; quandoquidem præuaricante Eua ad pomi conſpectum mors per oculorum feneſtras aſcendiſſe dicitur: Ieremiæ 9. Rurſus, quòd cadaueribus paſcatur, mors coruis ſimilis eſſe dicitur; Corui

Lacrymæ piæ efficaſe mortem arcent.

A autem cadaueribus, in quæ inſiliunt, oculos effodere in primis geſtiunt; quare Ezechias. cum mortem corui more accedentem perſentiſceret; vt oculos tueretur, eos lacrymis, veluti contra mortem antidoto, munijt: dumque vitat mortis coruum imitantis incurſus, ipſe in columbam euaſit: nam ijdem oculi, qui iuxtà Gregor. Cant. 7. ob pias lacrymas piſcinæ comparantur; oculi columbarum eſſe dicuntur Cant 4.

Oculi piè lacrymantes, oculi columbarum.

5. Præterea cum ex commiſſis culpis ſuo in ſtrato languidus Dauid iaceret; & ad Dominum Pſal. 6. clamaret: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum; ſana me Domine, quoniam conturbata*
B *ſunt oſſa mea*; ad languorem, morbumque pellendum, ad afflictas vires erigendas, non alio inungi medicamine voluit, quàm lacrymarum: propterea ibidem ſubdidit: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.*

Ægroti pœnitentes pio lacrymarum medicamine inuncti conualeſcunt.

6. Sed vt ad Ezechiam redeamus, quæri ſolet à ſacris interpretibus, quænam ſint aquæ. quæ Pſalm. 148. ſuper cœlos eſſe dicuntur? Omiſſis interpretationibus reliquis, benè lacrymæ dici poſſunt aquæ, quæ ſupra cœlos ſunt; hoc eſt in cœlos poteſtatem habent. Teſtes ſunt Ezechiæ lacrymæ, quæ vt ſolaris vmbra in horologio, atque adeo, vt ipſe ſol per decem lineas retrocederet,
C impetrarunt; idque in reſtitutæ ſanitatis indicium: *Et ait Ezechias: facile eſt vmbram creſcere decem lineis; nec hoc volo, vt fiat; ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus.* Quod quidem ad amuſſim euenit. Porro ad curandum vlcus Ezechiæ Regis, ficorum maſſam vlceri oppoſuit Iſaïas: *Afferte*, inquit, *maſſam ficorum; quam cum attuliſſent, & poſuiſſent ſuper vlcus eius, curatus eſt.* Inter reliquos arborum fructus ficuum proprium eſſe dicitur, cum maturuerint, lacrymare; quare vt in lacrymarum gratiam regi ſanitatem reſtitui noſceretur; non aliud medicamen, quàm è fructibus lacrymari conſuetis diuino inſtinctu adhibere voluit Iſaïas.

Aquæ ſuper cœlos myſticè piæ lacrymæ ſunt.

D *Qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.*

Probaticæ piſcinæ aquæ contra morbos vis naturalis non erat.

7. QVæritur hîc, an ad languidos ſanandos huius piſcinæ aqua concurreret? Reſpondeo, naturaliter non concurriſſe; Primò, quia quamuis naturales aquæ, quales eæ ſunt, quæ è mineralibus aliquibus venis prodeunt, morbo alicui mederi poſſint: nihilominus nulla naturalis aqua eſt, quæ morbos omnes expellat. 2. quia huiuſmodi piſcinæ aqua, ſi ad morbos curandos naturalem vim habuiſſet, non eum tantùm, qui pri-
E mus poſt Angeli motionem deſcenderat, ſed omnes ſanaſſet. Dico tamen ex Dei imperio, & potentia potuiſſe huiuſmodi piſcinæ aquam, tamquam inſtrumentum morbos curare. Sic Ioan. 9. Cæcus natus, in Siloë piſcina viſum recepit diuinitus etiam Chriſti ſputo cooperante. *In Siloë erat virtus Chriſti, quæ cæcum illuminauit*, ait Chryſoſtomus ſiue virtus illa eſſet in aquis diuinitus ſupperaddita; ſiue eſſet vis aquæ obedientialiter eleuatæ: eo modo, quo Baptiſmi aquam ad gratiam phyſicè producendam plures auctores aſſerunt: & S. Ambroſ. *Baptiſmi aquam diuinæ voluntatis inſtrumentum* fuiſſe ait ad Conſtantini lepram mundandam. Idemque dici poteſt de Iordanis aquis, quibus Naamani Syri lepra mundata eſt 4. Reg. 5.

8. Por-

Descensus languidi in Probaticam piscinam humilitatis virtutem mysticè insinuabat.

8. Porrò ex languidorum descensu in Probaticam piscinam humilitatem mysticè commendari censet Augustinus: *Noli*, inquit, *te extollere; si vis sanari descende.* Præterea sicut Ierosolymis ad sanandos corporis morbos, Probatica piscina erat; ita apud Deum ad sanandos animi languores fontem vitæ, hoc est gratiæ fontem reperiri Psalm 35. Propheta testatur: Ad hunc fontem superborum pedes accedere prohibentur. Quare cum citato Psal. Dauid dixisset: *Domine apud te est fons vitæ*, subdidit: *Non veniat mihi pes superbiæ*; quandoquidem superbiæ gressus potius ad fœtidas vitiorum lacunas, quàm ad gratiæ fontem homines deferunt. Præterea, vt à se procul superbiæ pes sit Dauid precatur; eo quòd huiusmodi pes progredi nesciat; progrediuntur enim pedes, cum alternis vicibus alter alterum præcedit; superbiæ autem pes alteri anterioritatem cedere nescit, atque adeo ad benè incedendum ineptus est; motumque, & spiritualis vitæ progressum segnem, immo planè impeditum reddit. At ad diuinas gratias, & beneficia recipienda diligentia, & celeritate opus est! non enim quicumque, sed *qui prius descendisses in piscinam sanus fiebat.* Si ad nostros languores curandos sanitas in Domini pennis, seu alis esse dicitur Malach. 4. nos etiam veluti alati esse debemus, vt ad cœlestem medicum aduolemus.

Superbiæ pes ad fontem vitæ accedere nequit.

Celeritas adhibenda ad diuina beneficia consequenda.

*Erat autem quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate sua.*

9. TAm diuturnus huius languidi morbus, & tam multiplex miseria; erat enim, vt supra diximus, & cæcus, & paralyticus, & nullius adiutus auxilio, indicat in ijs piscinæ porticibus neminem eo miseriorem fuisse. Quare sicut iuxta Apostolum; *vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia*, ita vbi abundauit miseria, ibi Domini misericordia superabundauit: & propterea talem languidum præ alijs curare Dominus voluit: nec eius medelam vsque ad piscinæ motum differre. Ideo quod in corporali morbo videmus, idem in spirituali fieri posse cognoscamus. Quilibet enim, quamuis præ alijs iniquissimus peccator, dummodo diuinam medelam non respuat, sibi paratissimam diuinam fore misericordiam speret. Quare Apostolus Paulus 1. ad Tim. 1. scribit: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum: Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Hinc idem Apostolus apud Theodoretum ita de se ait: *Quemadmodum medicus, cum in vna domo multi simul ægrotant, & omnes de salute desperant, si vnum pessime affectum acceperit, & datis ei medicamentis ad perfectissimam sanitatem deduxerit, facit, vt alij omnes bono sint animo, ac fiduciam concipiant: ita Dominus Christus animarum medicus, cum factus esset homo pro salute peccatorum, me, qui eram iniquissimus, & omnium sceleratissimus, non solùm à prioribus liberauit maculis, sed maximis etiam donis obruit; omnibus hominibus per me ostendens suam patientiam, & clementiam, vt nemo eorum, qui maxima scelera perpetrauerint, ad me respiciens de salute desperet.* Quemlibet ergo peccatorem benè monet hom. 2. in Psalm. 50. Chrysostomus: *Si impius es, cogita publicanum; si immundus es, attende meretricem; si homicida es, perspice latronem; si iniquus es, cogi-*

Ad Rom. 5. 10. Peccator quilibet ad Deum per pœnitentiam confugiens salutem non desperet; speret potius eximiæ gratiæ largitatem.

A *ta blasphemum; considera Paulum prius persecutorem, postea annunciatorem. Nolo mihi dicas, Blasphemus sum: nolo dicas, Persecutor sum, immundus sum. Habes omnium ostensiones; in quem volueris portum confugito. Vis in nouum? vis in veterem? In veteri Dauid; in nouo Paulus. Quid est peccatum ad Domini misericordiam? Tela araneæ, quæ vento flante nusquam compares.* Similiter Augustinus serm. 9. de verbis Apostoli: *Si Saulus sanatus est, ego quare despero? Si à tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego vulneribus meis illas manus non festinabo? Vt hoc dicerent homines: Ideo Saulus factus est ex persecutore Apostolus; quia qui venit medicus, quærit aliquem ibi desperatum, & ipsum sanat: & si pauperrimum inueniat, tamen desperatum inuenit; non*
B *ibi quærit mercedem, sed commendat artem.* Subdit Anselmus: *Ita Christus potentiam specialis medicinæ spiritualis suæ ostendit in Saulo; vt omnes deinceps nossent eum sanare posse cunctas infirmitates omnium confugientium ad se.* Neoterici Astronomi cùm optico tubo in sole maculas obseruassent, eas tamen non semper in eadem parte fixas viderunt; obseruarunt etiam eam solis partem, in qua macula prius fuerat, præ alijs lucidiorem apparere. Similiter peccatores, cùm ex diuinæ gratiæ medela iusti euaserint; tunc tales *fulgebunt iusti, sicut sol in conspectu Dei*: ita vt maiori sanctitatis lumine lucidiores appareant ijdem, qui antea peccato-
C rum maculis fœdabantur.

Anselmus 1. ad Tim. cap. 10.

Sapientiæ c. 3. solis pars prius visa maculosa, postea lucidior apparet.

*Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri.*

10. EX scientia Diuinitatis infusa etiam absenti Domino huius paralytici diurnus morbus sat notus erat: cum tamen hîc dicitur: Cum cognouisset, intelligendum est quoad scientiam, seu notitiam experimentalem, quæ ex aliorum testimonio, & ex præsenti corporeis oculis obiecto proueniebat. Vel ex regula scripturæ data Fer. 2. post Ciner. dicitur interdum aliquid fieri,
D non cum primò est, sed cum primò innotescit. Quia ergo adstantibus visus est tunc primum Dominus paralyticum cognoscere, ideo tunc cognouisse dicitur. Viso ergo languido, interrogauit Dominus: *Vis sanus fieri?*

Fieri aliquid interdum dicitur cum primò innotescit.

11. Vt nobis beneficia conferat, primus est, qui nos excitet Dominus; cùm verò præuaricando virtutis viam deserit anima, vltimus est, qui recedit Dominus Iesus. Cantic. 5. vt Rabbi Salomon explicat: *Ego dormio*, inquit sponsa, *vt cor meum* nempe sponsus meus *vigilat*: Cor, vt physici docent, sicut ad moriendum vltimum est, ita ad viuendum est primum: meritò igitur cor nostrum
E Christus Ecclesiæ sponsus dicitur; quandoquidem (vt cum Dionysio notat hîc Hugo Card.) *Benignissimus Iesus primus est in accessu, & vltimus in recessu.* Dei filij accessus ad humanam naturam curandam præ diuini amoris vi tantæ velocitatis fuit; vt benè giganteo cursui comparetur Psal. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam; à summo cœlo egressio eius.* Ethnici suum diuitiarum Deum claudum fingebant; cum longo tempore, & labore serò terrenæ diuitiæ acquirantur. Secus verò Christus Dominus *diues in omnes, qui inuocant illum: in quo sunt omnes thesauri. Sapientiæ, & scientiæ absconditi*, ad nos veniens volasse dicitur Psal. 17. *Inclinauit cœlos, & descendit. & ascendit super Cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorum.* Ad idem significandum Apoc. 21. Cœlestis

Plinius l. 10. cap. 13.

Y

Ierosolyma ad nos descendere visa est: *Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cœlo à Deo*: non enim expectat Deus, sui vt electi in cœlum ascendant; sed ipse prior per gratiam, & supernaturalia dona suos electos beata illa ciuitate donat; ciuesque cœlestes constituit, teste Apostolo ad Ephes. 2. *Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei*. Propterea ad beatæ patriæ possessionem indicandam, electorum nomina in cœlestis Ierosolymæ portis sunt inscripta Apoc. 21. *In portis nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël*, id est omnium electorum. *Non enim omnes, qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlitæ. Non filij carnis semen sunt Abrahæ; sed qui Filij Dei sunt*, vt dicitur ad Rom. 9.

*Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.*

12. EO quòd pauperrimus esset; & ideo ab omnibus destitutus se hominis alicuius auxilium non habere Domino languidus respondit. Sed ob eamdem causam Deum adiutorem habuit: iuxtà Dauidis testimonium: *Tibi derelictus est pauper*. Psalm. 9. 35. vel Psalm. 10. 14. Porrò ex huius languidi verbis, qui triginta annorum spatio nullius opem expertus erat, patet quàm ante Domini aduentum apud homines charitas refrixisset; cum è contratio post Christi aduentum pios fideles ad ægrotos subleuandos nosocomia frequentare videamus. Benè ergo ad frigescentis charitatis torporem expellendum Dominus Lucæ 22. 49. dixit: *Ignem veni mittere in terram. Hic ignis intelligitur zelus pro virtute in vnoquoque nostrûm accensus*, ait Theophylactus. *Hic ignis, mundi peccata, quasi syluam exussit*, ait Chrysostomus hom. 4. in Act. Apostolorum.

Charitas ante Christi aduentum valdè refrixerat; post vero diuino igne vehementer accensa.

13. *Cum turbata fuerit aqua.* Cur ad languidos sanandos turbanda erat Probaticæ piscinæ aqua? Si litteralem sensum quæramus, respondetur ex Ambrosio turbari solitam aquam, vt sua commotione languidis descendentem Angelum indicaret. Si verò ad mysticum sensum recurramus, piscina hæc salubres aquas continens Beatam Virginem cœlestibus gratijs redundantem præfigurabat. Beata autem Virgo priusquam Diuinum Verbum concipiendo, ægris mortalibus salutem afferret, descendente ad eam Angelo turbata est, Lucæ primò: *Ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena. Quæ cùm audisset, turbata est.* Quare ad annunciatæ Virginis Mysterium significandum Probatica piscina Angeli motu turbata pro phrenoschemate esse potest, cui titulus inscribatur: *Affert turbata salutem.*

Probatica piscina B. Virginis symbolum.

14. Porrò, quod piscina hæc motu turbata languidos sanaret; ex hoc minus probabilis redditur sententia dicentium Probaticam, hoc est pecuariam, seu ouinam piscinam esse dictam; eò quod in ea ouium, pecudumque carnes, & intestina ad sacrificium in templo immolanda ablueréntur; vt placet Hieronymo de locis Hebraicis, Ammonio, Theophylacto, Euthymio, & alijs. Si enim ibi ablutio hæc carnium, viscerumque immolandorum facta esset; quæ quidem ablutio frequentissima erat, cum in Ierosolymæ templum ex vniuersa Hebræorum natione ad victimas immolandas confluerent, piscina illa valde immunda, immò etiam fœtida fuisset; præcipuè turbatis aquis. Quare ea ad immersos languidos sanandos Deum vti voluisse probabile non videtur: cùm aliàs sciamus ex miraculo Naami Syri lepram septem in pura Iordanis aqua ablutionibus fuisse mundatam, 4. Reg. 5.

Probatica hæc est pecuaria piscina, non inde dicebatur, quòd ad victimas abluendas vsui esset.

15. Propter allatam rationem neque probatur, quod asserit Toletus, nempe cum victimæ intra templum ablueréntur in conchis, quæ secundo Paralipom. 4. dicuntur ad hunc finem à Salomone fuisse constructæ; deinde immundam talium concharum aquam per subterraneos aquæ ductus in Probaticam piscinam effluxisse. Militat enim contra hoc hæc eadem ratio, quod in suo alueo plures quotidie talis piscina sordes excepisset; ex quo insuper inepta fuisset figura purissimi in Euangelica lege Baptismatis: qualem piscinam hanc fuisse plures docent, præcipuè Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 7. vbi de piscina hac loquens ait: *Quid in hoc typo Angelus, nisi descensionem Spiritus sancti nunciabat: quæ nostris futura temporibus, aquas sacerdotalibus inuocata precibus consecraret.*

16. Quare dicendum est primò, piscinam hanc Probaticam, id est pæcuariam fuisse dictam; vel quia proxima esset portæ gregis, cuius mentio fit 2. Esdræ 3. vel quia in ea piscina pecudes adaquari consueuerant, antequam tales aquæ miraculosæ ad languidos sanandos cognoscerentur; quam quidem notitiam ex reuelatione sancto alicui viro facta prouenisse credibile est.

Probatica, hoc est pecuaria piscina inde dicta, quòd gregis portæ proxima esset, vel quod ad ouium potum deseruiret.

17. Dicendum Secundò probabiliter est in hanc piscinam puras aquas confluxisse ex vberrimo, qui intra templum erat, fonte, de quo Tacitus Historiarum quinto ait: *Fons perennis aquæ, & piscinæ, cisternæque seruandis imbribus*, &c. Sed piscina hæc olim ab ouibus frequentata, à canibus non agnoscitur; à canibus, inquam, illis, de quibus dicitur Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus*: vbi canum nomine hæreticos intelligi docet Hugo Cardin. Hæretici igitur Anabaptistæ odorantes piscinam hanc sacri Baptismatis, cui contradicunt, fuisse figuram, vt cum Ambrosio supra docuimus: propterea veluti canes rabie correpti, ac proinde abhorrentes ab aqua, arroganter asserunt falsam esse Euangelicam hanc Historiam de Probatica piscina; eiusque cum mentio fit, acerrimè Euangelicis verbis transfigi se sentiunt. Vt propterea meritò de Hæreticis dixerit Ecclesiasticus 19. iuxtà Hugonem: *Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti*. Eorum, rationis expers, ratio est, quia Scriptores alij nihil de hac piscina testatum reliquerint. Sed cum Anabaptistæ ex Plinij tantùm testimonio legerint. *In Tulliana villa ab Auerno lacu Puteolis tendentibus imposita littori, erupisse fontes calidos, per quam salubres oculis*: harum quidem aquarum salubritati fidem præstabunt; fortasse, quod Auernales aquæ tamquam patriæ, ijs præstantiores reliquis videantur. At ex eiusdem Plinij testimonio Sinuessanas aquas virorum insaniam abolentes, nescio an Anabaptistæ veras crediderint; cum earum medela curari omiserint. Cæterum Anabaptistarum fundamentum benè iam diruit Maldonatus, probabiliter asserens Christi Domini tempore, aut non multò ante miracula in Probatica piscina cœpta fuisse; & paulò post fieri desiisse: ita vt propterea historiæ

Canum nomine, hæretici significantur.

Probaticæ piscinæ curandi virtus contra hæreticos defenditur: idem n. 18.

Plinius lib. 31. c. 2.
Tullianæ villæ aquæ oculis salubres.

Sinuessanæ aquæ contra insaniam salubres.

memoriam fugerint; præcipuè cum profani au- A ctores in rebus pijs scribendis non multùm laborent.

18. Præterea in veteri Testamento, quod Anabaptistæ admittunt, multa à Prophetis prædicuntur; eaque certum est impleri debuisse; quamuis quando, & quomodo impleta sint, nec in S. Scriptura, nec in profanis historijs reperiamus. Sic Isaïas cap. 23. 17. prædicit Tyrum vastandam à Chaldæis, & post. 70. annos rediturum ad pristinum splendorem. Idem de Ammonitis prædicit Ierem. cap. 49. 6. simile de Ægypto à Chaldæis vastata, & post 40. annos restauranda prædicit Ezech. cap. 29. 12. quæ quando impleta sint, nescimus. Sic Aggæus, Zacharias, Abdias, & Mala- B chias multa à regressu Iudæorum ex Babylone vsque ad Christum futura prædicunt. quæ nec Esdras, nec libri Machabæorum, nec alij historici facta esse commemorant.

*Dicit ei Iesus: surge tolle grabatum tuum, & ambula: & statim sanus factus est homo, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.*

Peccatoribus iucunda, valdè pœnitentibus onerosa sunt.

19. QVod in corporali morbo curando Dominus præcepit, idem in spirituali peccati morbo faciendum mysticè significauit. C Grabatus, qui antea erat languido ad quietem, eidem iam sano onus esse cœpit. Similiter prauæ diaboli suggestiones, in quibus antea peccator iucundè quiescebat; cùm pœnitens spiritualem sanitatem receperit, easdem illas suggestiones onerosas, animæque valdè molestas sentire debet. Non dissimiliter Paulus Apostolus de se ait: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora.*

Ad Philipp. 3.

20. Præterea cum *Tolle grabatum tuum* paralytico iam sano Dominus dixit, mysticè nobis insinuauit, non semper nos alijs oneri esse debere, sed etiam mortalis vitæ, proximorumque onera subi- D re. Quod notans Augustinus ait: *Languidus ille grabato portabatur, sanatus grabatum portat. Quod dictum est ab Apostolo ad Galatas 6. Inuicem onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Lex ergo Christi charitas est; nec charitas impletur, nisi inuicem onera nostra portemus, sufferentes inuicem in dilectione.* Iuxtà Petrum Apostolum Fideles omnes debent simul spirituale ædificium, in quo Deus per gratiam inhabitare dignetur, construere. *Ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spiritualis.* Hinc S. Gregor. hom. 13. in Ezech. ait: *In ædificio lapis lapidem portat, quia lapis super lapidem ponitur. Et qui portat alterum, portatur ab altero. Sic itaque, sic in sancta Ecclesia vnusquisque & portat alterum, & portatur ab altero: nam vicissim se proximi tole- E rant, vt per eos ædificium charitatis surgat. Si enim ego vos portare negligo in moribus meis; & vos me tolerare contemnitis in moribus vestris, charitatis ædificium inter nos vnde surgit, quos vicaria dilectio per patientiam non coniungit? Sicut ego iam mores eorum tolero, qui adhuc in conuersatione boni operis rudes sunt: ita ego quoque ab illis toleratus sum, qui me in timore Domini præcesserunt, & portauerunt, vt portatus portare discerem.*

August. trac. 17. in Ioan. Onerosus, qui alijs antea fuit, aliorum onera portare debet.

Epist. 1. c. 2.

*Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.*

Paralysis cur sabbato curata.

21. CVr sabbati die paralyticum sanare Dominus voluit? Sabbatum quies interpretatur; & iuxtà nomen, sabbati dies ad quietem à Deo Iudæis datus erat: paralysis autem est dissolutio neruorum, ex qua tremor, continuusque motus in paralytico prouenit: vt igitur à tali motu, & tremore paralyticus cessaret, benè Dominus Sabbati diem elegit. Quod autem grabati onus paralyticus portaret, Iudæi Domini miraculum, & iussionem ignorantes, benè dicebant: *Sabbatum est, non licet tollere grabatum tuum.* Sic Esdræ 2. cap. 13. dicitur: *In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in sabbato, portantes aceruos, & onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Ierusalem die sabbati. Et obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis: Quæ est res hæc mala, quam facitis, & profanatis diem sabbati?* Sed quia, vt ipse Christus Dominus Lucæ 6. de se dixit: *Dominus est filius hominis etiam sabbati*; benè potuit in vnius diei legem imperium exercere; cùm in triginta, & octo annorum paralysim salutare imperium exercuisset. Et cum Matth. 12. idem Dominus dixerit: *Licet sabbatis benè facere*: paralytico grabatum portare licebat: onus enim illud baiulare benefacere erat; tum quia Domino, quem sibi adeo beneficum expertus erat, obtemperabat: tum quia hoc pacto perfectam ex miraculo sibi restitutam sanitatem contestabatur, & alijs Domini potentiam agnoscendi argumentum præbebat.

*Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula.*

Iudæi cur Christum vt verum Messiam credere debebant.

22. SAbbati tamquam sacri diei obseruatione profitebantur Iudæi Deum esse conditorem cœli, & terræ; adeoque ipsius legem, præcipuè erga diuinum cultum, se seruare profitebantur. Ideo Exodi 20. dicitur: *Sex diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt; & requieuit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificauit eum.* Et Isaïæ 56. dicitur: *Beatus vir, qui facit hoc, & filius hominis, qui apprehendet istud, custodiens sabbatum, ne polluat illud*: ne polluat scilicet corporalibus operibus, & non Dei cultui vacando. Porrò ad Dei cultum à Iudæis debitum spectabat, promissum à Deo Messiam præstolari; eiusque aduentus, an E proximus foret sedulò ex sacræ scripturæ testimonijs considerare. Si enim Samaritana, quamuis mulier, & ex populo à Mosaïca lege præuaricante, dixit Ioannis 4. *Scio, quia Messias venit*; hoc est aduentat, & mox aderit: multò magis id Pharisæi, & scribæ legis doctores scire debebant: præcipuè cùm iam sceptrum à Iudæ posteris ad Herodem alienigenam translatum viderent, atque adeo impletum iam Iacob vaticinium Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Cui vaticinio Ioannis Baptistæ testimonium addebatur, qui Sacerdotibus, & Leuitis respondit: *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus*

Ioan. 1. Vaticinium de Messia Christi aduentu impletum.

*est, qui ante me factus est. Et altera die videns Iesum venientem ad se, ait: Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.* Quare si veri, & fideles sabbati custodes Iudæi fuissent, mirabilia Christi Domini opera, qualis inter alia erat hæc mira inueteratæ paralytici curatio, obseruare debebant, & hinc eum verum Messiam credere. Sed quia Iudæi secundùm speciem tantùm sabbatum custodiebant; ideo omissa paralytici mirabiliter sani consideratione; tantùm grabati baiulationem tamquam Mosaïcæ legis zelatores prohibebant: & sub legis zelo iuxtà Euthymium inuidiam tegebant, qua Christo Domino mirabilia operanti inuidentes cruciabantur. Et quia fœda, & abominabilis inuidia est; ideo ipse inuidus suæ turpitudinis conscius ad eam cælandam zeli personam inducere studet. Benè autem dicitur Canticorum 8. *Dura sicut infernus æmulatio*, hoc est zelus ex Hebræo. Vbi zeli nomine Iudæorum in Christum inuidiam Gregorius intelligit. Quæ verè sicut infernus fuit, cum eos mirabiliter in hac vita cruciauerit, & tandem ad inferni damnationem pertraxerit.

Inuidus inuidiæ turpitudinem ag... zeli personam induit.

Inuidi prauus zelus inferno comparatur.

*Is autem, qui sanus factus fuerat, nesciebat quis esset: Iesus enim declinauit à turba constituta in loco.*

23. Hinc etiam Iudæi Christi Domini sanctitatem apertè colligere poterant; cùm enim tàm mirabiliter paralyticum sanasset; ei quis ipse tanti miraculi operator esset, tamquam humanæ gloriæ contemptor manifestare tunc noluit; sed potiùs à turba circumstante se subtraxit; vt humanæ gloriæ fuga nobis exemplo præluceret. Similiter Matth. 8. & Marci 1. Cùm leprosum Dominus mundasset, *Comminatus est ei*, hoc est, iuxtà Euthymium, seuero, & minaci vultu præcepit: *statimque eiecit illum, & dicit ei: Vide, nemini dixeris.* Similiter Matth. 9. Cum solo tactu duos cæcos illuminasset; *Comminatus est illis dicens: Videte, ne quis sciat.* Quibus verbis planè ostendit, quantùm miraculorum ostentationem auersaretur.

Christus humanæ gloriæ contemptor.

*Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es; iam noli peccare; ne deterius tibi aliquid contingat.*

24. Quicquid patimur, *peccata nostra meruerunt*, ait hîc Hieronymus. Ideo Matth. 9. antequam alium paralyticum Dominus sanaret, ei dixit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: scilicet, vt radicem, vnde paralysis prouenibat, euelleret. Paralysis autem, quæ continuo tremoris motu membra concutit, peculiariter peccatoris pœna esse debet. Ideo Ieremias Thr. 1. dixit: *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est*, seu, vt legit Origenes: *Propterea facta est in commotionem.* Caïno etiam post peccatum à Domino dictum est Genes. 4. *Vagus, & profugus eris super terram.* Vbi Septuaginta legunt: *Gemens, & tremens eris super terram.* Denique ad id indicandum 1. Esdræ 10. dicitur: *Sedit omnis populus in platea domus Dei trementes pro peccato.*

Peccator velut paralyticus in tremorem incurrit: Idem n. 29.

25. Dei vltio in sacris litteris ignis appellatur. Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima; deuorabitque terram cum germine suo.* Et Isaiæ 26. *Videant; & confundantur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret*: Hunc ignem è cœlo deuocant in terras, qui peccata iterando Deum ad vlciscendum prouocant. *Post ignem ætheria domo subductum macies, & noua febrium terris incubuit cohors*, fabulosè cecinit Ethnicus. Nos verissimè conqueri possumus, quod peccata diuinæ vltionis ignem è cœlo subducant; quo subducto igne non immeritò morborum, pestilentiæ, & calamitatum omnium supplicio humanum genus obruitur. Ideo Deut. 28. contra peccatores maledictiones horribiles plurimæ congeruntur, inter quas morbi, febres, vlcera, & pestilentiæ: *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius. Percutiat te Dominus egestate, febri, & frigore, ardore, & æstu, & aëre corrupto, ac rubigine; & persequatur, donec pereas. Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac feritate mentis. Percutiat te Dominus vlcere pessimo in genibus, & in suris; sanarique non possis à planta pedis vsque ad verticem tuum.*

Peccata morbos, calamitatesque plures inducũt; idem numeris seq.

Horatius ode 3. 1.

26. *Quicquid patimur, peccata nostra meruerunt*, benè ergo Hieronymus ait: Saltem originale peccatum, vt hîc notat Hugo Cardinalis. Sanctus Basilius in quæstionibus fusius disputatis, quæst. vltima ait: *Non omnes ægritudines naturæ sunt, neque ex neglecto victu, aut alijs quibusdam principijs nobis accedunt; ad quas sanè aliquando medicinam commodam esse videmus. Sæpè enim flagella peccatorum sunt ægritudines ad conuersionem inductæ.* Ideo benè Ecclesiasticus 38. 15. pronunciauit: *Qui deliquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici.* Qui scilicet medicus, veluti tortor peccatorem ægrotum cruciatibus varijs torquebit; nempe amaris succis, stomachumque mouentibus, incisionibus, cauterijs, vstionibus, alijsque similibus: ad torturæ verò cumulum accedit, quòd huiusmodi cruciatus à Pharmacopola, & medico tortore largis pecunijs emere languidus cogatur. Morbo autem, & cruciatibus ad morbum expellendum adhibitis, duo ab ægroto tortor medicus, & Deus iudex extorquere intendit: tortor pecuniam, Deus iudex peccatorum expiationem. Quæ qualis esse debeat, docet ibidem Ecclesiasticus: *Auerte à delicto; & dirige manus; & ab omni delicto munda cor tuum.* Primò: *auerte à delicto* mentem; & voluntatem firmiter proponendo in posterum non peccare. 2. *dirige manus* ad opera iusta, ad restituenda aliena, ad beneficentiam in pauperes. 3. *Ab omni delicto munda cor meum*, per contritionem, & pœnitentiam. Lucæ 9. Dominus *duodecim Apostolis dedit virtutem, & potestatem super omnia Dæmonia, & vt languores curarent.* Ad languores ergo curandos prius potestas super Dæmonia data est; vt significetur prius ex anima Dæmonem, & peccatum esse ejiciendum, deinde è corpore morbum è peccato prouenientem.

Peccator cogitur suos cruciatus emere.

Morbi sæpè à peccatis, vt eorum suppliciũ proueniunt.

Peccatum quomodo expiandum.

27. Hanc Domini comminationem: *Noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, confirmat iterùm Ecclesiasticus cap. 3. 29. dicens: *Cor nequam grauabitur doloribus; & peccator adjiciet ad peccandum.* Vbi ex Hebraïsmo particula, *&*, idem est ac, *Quia*; redditque præcedentis sententiæ rationem; ita vt sensus sit: Ideo peccatori supplicium, & dolor augebitur; quia ab eo peccata peccatis adduntur. Propterea de peccatoribus à Deo liberandis dicitur Psal. 71. 14. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.* Si quæratur, quibus ex vsuris sint liberandi? Respondetur, ex vsuris, quas diabolus exigit; nempe, vt pro illicita peccati delectatione, à peccatore alia, atque alia grauiora peccata deposcat; & hinc maiora supplicia subeat.

Particula & interdũ Quia significat.

Diabolus à peccatore vsuram exigit.

Sic à Salomone pro nimia lasciuia, & alienigenarum mulierum contra Dei legem coniugio, pessimum idololatrandi scelus exegit diabolus.

Capitis nomine anima significatur.

28. Isaïas suæ Prophetiæ initio de gente peccatrice verba faciens dixit: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens; à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas: Vultus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Cùm caput doluerit, inquit ibi Hieronymus, *omnia membra debilia sunt.* è capitis igitur languore tot corporis ærumnæ initium sumere dicuntur. At cur languente capite reliquum corpus non solùm morbos; sed etiam vulnera, & vlcera pessima subire cogitur? Capitis nomine, animam intelligi docet Gregor. quare Psalm. 37. dicitur: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum,* id est animam meam. Anima igitur, si peccando spirituali morbo laboret, in reliquum corpus ærumnarum genus omne promanat, teste Isaïa.

Gregorius in Psal. 37.

Peccatum ipsum magis peccatorem torquet quam Dei indignatio.

Notandum profectò est, quod eodem Psalm. 37. Dauid indicat; scilicet quòd minus Dei indignatione, plus ipso peccati contagio lædi se, atque eneruari peccatores experiantur: cùm in scelerum pœnam, peccatorum quidem carnem diuina indignatio punire dicatur; peccata verò in ipsa interiora ossa pestem immittant: *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.*

29 Genes. 4. post innocentis fratris necem Domino dixit Caïn: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Non à tunc viuentibus sibi sanguine coniunctissimis necem sibi inferendam timebat Caïn. Sed ne à posteris occideretur, timuisse Caïnum censet Procopius. At si contra Abelum præualuit: *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum;* cur non etiam sperare poterat se etiam contra posteros fore, vt viribus præualeret; ita vt ex ijs, si quando aliquem sibi infensum esse suspicaretur, illum ipse prior è medio tolleret? Respondet sub Caïni persona Chrysostomus; *Facilè me inuadere poterit, si quis interficere volet; neque enim ipse obluctari potero, tam dissoluta, imbecilliaque membra circumferens.* Statim igitur post patratum scelus in sui corporis membra languorem promanasse expertus est Caïn.

Caïn peccans nondum natos timuit C. 4:

Chrysost. in Gen. hom. 19.

Christus morbis non obnoxius, cur dicatur la[...] & ægrotationes nostras portasse.

30. Isaïas 53. de Christo Domino Prophetice dixit: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit:* Languor, vt ait Hugo Card. Morbus inueteratus est; & dicitur, quasi longus angor, ideò Ecclesiastici 10. dicitur: *Languor prolixior grauat medicum.* At suis quidem cruciatibus dolores nobis debitos subijt Christus Dominus, longiores tamen morbos, & febrium languores sanctissimum Christi corpus non pertulit, cum optima humorum temperie constaret. Quomodo ergo dicitur ab Isaïa: Redemptor noster præter dolores, languores etiam, hoc est morbos subijsse? Quod quidem Matthæus cap. 8.17. apertè indicat dicens: *omnes malè habentes curauit; vt adimpleretur, quod dictum est per Isaïam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit; & ægrotationes nostras portauit.* Respondetur ex Septuaginta interpretum lectione, vbi nos legimus: *Verè languores nostros ipse tulit,* Septuaginta legunt: *Iste peccata nostra portat:* iuxtà illud primæ Petri epist. 1. cap. 2. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Quia igitur peccata virtualiter morbos omnes, & pestilentias continent; perferendo Dominus humani generis peccata, hominum etiam morbos, & languores perferre visus est. Quod egregie docet Chrysostomus explicans citata Euangelistæ ex Isaïa verba: *Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. Non dixit dissoluit, aut curauit; sed accepit, atque portauit. Quod de peccatis mihi dictum à Propheta videtur; vt cum Ioanne conueniat dicente: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Cur ergo de morbis, aut ægrotationibus id dictum Euangelista scripsit? Indicare voluit plures ægrotationes à peccatis originem trahere. Nam si mors, quæ morborum omnium fons, caputque est, à radicibus peccati pullulauit; quid mirum est, si ægrotationes quoque multæ inde nascantur, vnde vel ipsa ægrotandi potestas egressa est?*

Chrysost. hom. 28. in Matth.

Ioan. c. 1.

Diaboli dolus cur nouaculæ comparetur.

31. Psalm. 51. Doëgo Idumæo Dauidis proditori litteraliter, mysticè verò diabolo dicitur: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Cur diaboli dolus nouaculæ comparatur? Legatur Iudicum caput 16. ibi Dalila sub amicitiæ specie Samsonem super genua sua consopitum dolosè fortitudine spoliauit; eumque redditum prorsus imbecillem Philistæis hostibus tradidit. Proditionis huius pessimæ tonsoris nouacula instrumentum fuit: *Vocauit tonsorem, & rasit septem crines eius; statim ab eo fortitudo discessit.* Non dissimiliter diabolus carnis illecebris peccatorem consopitum fortitudine, firmæque valetudinis robore spoliat, eumque morbis oppressum languentem reddit. Rectè igitur infidæ Dalilæ exemplo, nouaculæ illius dolum imitari diabolus dicitur: *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.*

Iudic. 16.

Peccator recidiuus ex se sibi veniam excludit.

32. S. Cyprianus lib. de disciplina, & habitu Virginis in hæc Domini verba: *Ecce iam sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat,* ait: *Sospitantis Domini verba sunt, & docentis, curantis pariter, & monentis. Dat viuendi morem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem; nec habenis liberis, & solutis vagari postmodum patitur: Sed ipsis potius, sanatus quibus fuerat, mancipato grauius comminatur; quod sit scilicet minor culpa deliquisse ante, cùm nec dum nosses disciplinam Dei, nulla sit venia vltra delinquere, postquam Deum nosse cœpisti.* Quare autem ex parte peccatoris nulla sit venia, non autem ex parte abundantioris Dei misericordiæ, rationem reddit S. Augustinus 3. de pœnitentia: *Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum sanatur tardius; sic lugens, & peccans veniam non meretur: nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata: nec valet de malis veniam poscere, & mala denuò iterare.*

33. Expertus hoc est Pharao, qui pluribus plagis territus, & ad pœnitentiam prouocatus; cùm sæpius in obstinatam voluntatem de non dimittendo Dei populo recideret; tandem suo cum exercitu è maris aquis, quò demersus descenderat, ad æterna inferorum incendia transijt. Ideo benè Gregor. ait: *Pharao si confestim prima percussione fuisset admonitus; neque posteriores plagas habuisset, neque tandem cum eo tantus exercitus periisset. Hæc ideo dico, quia non ignoro multos etiam nunc in Pharaonis impietate viuere; & luto, ac lateribus sibi obnoxios affligere: qui non in rubro mari demergentur; sed in ignis pelagus, in quo ignei fluctus montium instar erigentur.*

Gregor. in Matth.

34. Expertus idem est Israëlis rex Achab idololatra, Israëlitis subditis idololatrandi auctor; & innocentis Nabothi falsò accusati, eiusque filiorum homicida, eorumque vineæ iniquus possessor: quia tamen ab Elia monitus pœnitens scidit *vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam; ieiunauit, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite,* vt dicitur 3. Reg. 21. ideo veniam impetrauit;

Achab pœnitens veniam impetrat: sed iterum peccata recidiuus miserrimè moritur. 4. Reg. 26.

cum Eliæ Deus dixerit: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Hinc Chrysostomus epist. ad Theodorum ait: *Achab perturbatus sui sceleris immanitate pœnitentiam egit, & cilicio circumdatus, facinus suum fleuit; atque ita erga se Domini misericordiam prouocauit, vt à cunctis eum absoluerit peccatis.* Nihilominus postea rex idem cùm in impietatem recidisset, miserrimè in prælio sagitta transfixus occubuit, canesque eius sanguinem linxerunt.

2. Reg. 11.

David post adulterium, & homicidium peccans iterùm leuius, grauius punitur.

35. Dauid bis peccator fuisse legitur. Primò, cum Bersabææ adulterio, Vriæ homicidium iunxit: Monitus tamen, statim pœnitens, culpamque confessus, ingentique dolore affectus dixit: *Peccaui Domino.* Ideo statim etiam à Propheta audiuit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum:* ex Hebræo: *Transire fecit ex te peccatum tuum;* hoc est, tibi culpam condonauit. Peccauit iterùm Dauid, cùm subditum sibi populum numerari iussisset; relatumque ei fuisset, *Inuenta esse de Israël octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Iuda quingenta millia pugnatorum.* Tam ingenti multitudini se præesse cognoscens. *Tumore repentinæ elationis inflatus populum numerando peccauit,* vt ait Gregorius. Idemque docet Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 26. Paulò post Dauid peccati conscientia monitus, culpam pœnitens agnouit, & humillimè à Deo veniam petiit dicens, *Peccaui valde in hoc facto; sed precor, Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egi nimis.* Hac autem tam humili peccati confessione, qua non peccasse solùm, sed valdè peccasse, & stultè nimis egisse confessus est, qualis prima confessio non fuit, cum tantum tunc: *Peccaui Domino*, dixit; hac, inquam, confessione, non tam facilè peccati leuioris veniam impetrauit; sicut antea grauioris impetrarat, nec à Propheta audiuit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Sed ei dictum est: *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos; & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Scilicet, vt hinc intelligamus post commissum, remissumque peccatum præcedens, si deinde aliquis iterum peccet etiam leuiori culpa; magis tamen commouere diuinam indignationem, maioremque mereri pœnam; eo quòd ob condonatam culpam Deo se minimè gratum ostenderit; & peccati malitiam, quam experimento valde sibi noxiam nouerat, non vitauerit.

2. Reg. 24.

Gregor. 19. Moral. cap. 14.

Lacrymæ peccatoris in peccata relabentis sordidæ sunt.

36. Sed quoniam Domini comminatio: *Noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat:* non solùm corporis calamitates, & morbos; sed animæ etiam multò deteriorem perniciem incurrere relabentes in peccata significat: videamus quid de hoc Spiritus sanctus Ecclesiastici 34.30. dicat; vbi alludens ad immunditiam legalem ex cadaueris contactu contractam per lustralem aquam expiandam, vt habetur Num. 19. ait: *Qui baptizatur a mortuo*, id est propter mortui contactum, *& iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet?* Deus certè non exaudiet. Nam si de peccatoribus pœnitentibus cæci nati sententia illa vera non est: *Scimus, quia peccatores Deus non audit;* de recidiuis, ingratisque erga diuinam eis exhibitam misericordiam vera regulariter est. Ideo Isai. 1. à Deo dicitur: *Cum multiplicaueris orationem, non exaudiam:* eo quòd cum multiplici

Ioan. 9.

A oratione multiplex culpa repetatur. Propterea ibidem peccatoribus dicitur: *Lauamini, mundi estote quiescite agere peruersè.* Sed benè addit Cyrillus: *Quid prodest, obsecro studiose vestes abluere, & lotas rursus luto inquinare? Quid lauare manus, & ablutas iterùm contaminare sordibus?* Diogenes ingressus aliquando sordidum balneum, dixit: *Qui hîc se lauant, vbi lauantur?* Balneum, seu lauacrum, vbi peccatorum sordes sunt abluendæ, lacrymæ sunt. Sed Gregorius de eo, qui commissa peccata deflet, & in ea iterùm relabitur, ait: *Ante Dei oculos sordidas ipsas lacrymas facit.* Si ergo lacrymarum lauacrum sordidum est, qui in eo se abluunt, vbi abluentur?

Cyrillus in Ioannem cap. 5.

Lib. 3. Apoph. 18.

Gregor. 3. parte post admonit. 31.

Peccata iterata murum orationis voces impedientem construunt.

37. Qui à peccatorum sordibus diuina gratia
B mundatus, frequenter tamen in peccatum recidit, indignus certè est, vt ad nouam animæ munditiem acquirendam à Deo exaudiatur. Et ne id diuinę bonitati semper in misericordiam procliui tribuatur, Isaiæ 59. dicitur. *Non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat; neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat. Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum; & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* Qui in peccata relabitur, addendo prioribus culpis noua crimina, veluti durissimum obstinationis murum opponit, vltra quem orationis vox, vt exaudiatur, aditum reperire non potest.

38. Sed si recidiuis malum est, non exaudiri ad diuinam gratiam acquirendam; peius est in eo-
C dem peccati statu non consistere, sed in multò peiorem ruere. Hinc Cyrillus ait: *In cassum sumitur medicina, si post instauratam sanitatem, per vitæ incontinentiam, qui conualuit, in pristinum incidit morbum. Quin immò relapsus in ægritudinem periculosior esse solet, & exitio propior, quàm prior ille languor: & quos prima valetudo aduersa non extinxit, sæpius iterata post redditam incolumitatem ægrotatio sustulit è vita. Haud secus frustra pœnitentiæ medicamentum sumitur, si post eam peractam ad præterita vitæ sordes reditur. Hæc enim secunda admodum periculosa est animæ febricitatio.* Similiter Chrysostomus monet: *Noli peccare post veniam; noli vulnerari post curam, noli sordidari post*
D *gratiam. Cogita grauiorem culpam esse post veniam; renouatum vulnus peius dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat: sanitate indignus est, qui seipsum, postquam curatus est, vulnerat: nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. Graue est hominem instructum delinquere, grauius absolutum peccare: seruo peior est, qui dominum post datam libertatem offendit.* Similiter ait Bernardus: *Timeas pro accepta gratia; amplius pro amissa; longe plus pro reparata. Nam si gratiæ propitiatæ redieris; multò magis tunc timendum: ne fortè contingas recidiuam pati. Recidere, quàm incidere est deterius. Proinde inualescente periculo inualescat & metus.*

In Ioan.

Chrysost. sermo de lapsu primi hominis.

Serm. 54. in Cant.

E 39. Ex Apostol. ad Hebr. 6. *Impossibile est*, hoc est difficillimè, & rarissimè, & vix vnquam iuxtà communem cursum tùm naturæ, tùm gratiæ contingit, *eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti; gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renouari ad pœnitentiam.* Similiter cap. 10. *Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Vbi quamuis de apostatis à fide deficientibus sermo sit; eadem tamen sententia aptari congruo modo recidiuo peccatori potest. De hoc enim Grego-

Peccator recidiuus velut apostata est.

rius in Ezech. ait: *Sicut qui à fide recedit, apoſtata eſt; ita, qui ad peruerſum opus, quod deſeruerat, redit, ab omnipotenti Deo abſque vlla dubietate apoſtata indicatur, etiam ſi fidem tenere videatur.*


40. Ad ſpiritualis morbi recidiuam luem vitandam ſalubre monitum eſt Auguſt. lib. de verb. Apoſtoli: *Semper adde, ſemper ambula, ſemper profice: noli in via retardare; noli retro redire, noli deuiare. Remanet enim, qui non proficit; retro redit, qui ad ea relabitur, vnde iam receſſerat; deuiat, qui apoſtatat.* De recidiuis peccatoribus plura habentur feria quarta poſt Dominicam primam Quadrageſimæ in illa verba: *Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.*

Recidiuum peccandi morbum vitandi remedium.

A

*Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.*

41. IN ipſis Probaticæ piſcinæ porticibus paralyticos curare debebat, vt Domini tam eximiè erga eum beneficii nomen ſciret: ſed vel præ reſtitutæ ſanitatis lætitia, vel vt Domino grabatum eum tollere præcipienti, ſtatim obtemperaret; domini notitiam tunc habere, poſtea eam habiturus, omiſit. Hinc cum ei Dominus iterùm ſe oſtendiſſet, eius potentiam grati animi ergo celebrare non deſtitit.



# SABBATVM POST DOMINICAM primam Quadrageſimæ, & Dominica ſecunda Quadrageſimæ.

## Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, &c. Matth. 17.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

1. SCopvs huius Euangelij eſt homines ad terrenas illecebras contemnendas, ad cœleſtia bona exoptanda excitare. Ad hoc præſtandum cœleſtis regni felicitas prælibanda offertur; & qualis Chriſti Domini ſpecies, & maieſtas Moſi, Eliæ, & Apoſtolis Petro, Iacobo, & Ioanni viſa eſt, nobis etiam contemplanda proponitur. Quoniam verò cœleſtis gloriæ beatitudo, cuius ſpeciem transfiguratus Dominus oſtendebat, ipſius Domini paſſione, & diuina legis cuſtodia acquirenda ſignificabatur; ad diuinæ legis cuſtodiam commendandam æterni Patris vox audita eſt: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite.* Rurſus, quia diuinæ legis promulgatores Deus elegit primùm Moſem, deinde Prophetas, tandem Apoſtolos; ideò ſuæ gloriæ teſtes Moſem, Eliam Prophetam, & Apoſtolos Petrum, Iacobũ, & Ioãnem Dominus eſſe voluit. Moſes autem, & Elias cum Domino loquentes iuxta S. Lucam cap. 9. 31. *Dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem:* quia ſcilicet Domini paſſione ad cœleſtem gloriam, cuius ſpeciem prægustabant, erat additus reſerandus.

*Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.*

Matth. 20.

Diabolus peccatores vindemiat: Deus iuſtos vt racemos colligit.

2. RAbanus, *Tres*, inquit; *ſolummodo diſcipulos ſecum duxit; quia multi ſunt vocati; pauci verò electi.* De electorum paucitate Michææ cap. 7. dicitur: *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.*

B Quo in loco peccatores vindemiæ nomine ſignificantur; Iuſti verò eſſe velut racemi dicuntur: ea autem proportio, quam pauci racemi habent cum vberiori vindemia, ea inter iuſtorum paucitatem, & reproborum multitudinem videtur intercedere. Septuaginta legunt: *Væ mihi, quia factus ſum, ſicut, qui colligunt ſtipulam in meſſe. Quidquid pulchrum eſt in mundo metunt Dæmones, & vindemiant*, ait Hugo Cardin. *Dominus verò pauperes aliquos, quaſi ſtipulam colligit.*

3. Sed etiam ſi duodecim Apoſtolos in montem Dominus duxiſſet, adhuc pauci fuiſſent: cum C præter Apoſtolos, alios etiam ſeptuaginta duos diſcipulos haberet, quos paulò poſt Lucæ 10. *Miſit binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipſe venturus:* Quos ibidem Dominus paucos etiam operarios vocat; cur ergo tantùm tres, & non omnes Apoſtoli à Domino in montem ducti ſunt? *An non omnes Diſcipuli, & Apoſtoli?* inquit Damaſcenus. *An non omnes ſimul ac ſunt vocati, æquè ſecuti ſunt? An non omnes parem curandorum morborum gratiam nacti ſunt? Cur igitur non omnes etiam hoc quoque proſpectum omnem ſuperante ſpectaculo donati ſunt?* Reſpondet Damaſcenus: *Omnes Chriſti amore præditi:* D *at vnus pecuniæ ſtudio flagrans Iudas Iſcariotes, vnus hic dumtaxat indignus erat, qui diuinitatem ſpectaret. Tollatur impius, & non videat gloriam Dei.* Si verò rurſus quæratur, cur non relictus eſt Iudas ſolùm, & omnes vndecim alij in montem ducti? Reſpondet Damaſcenus: *Iudas Andream cum cæteris infra manſiſſe conſpiciens, excuſandi facinoris ſui cauſa, dicere non poterat ſe ob eam cauſam ad Dominum vendendum impelli, quòd huiuſmodi ſpectaculo caruiſſet.* Præterea Dominus

Damaſc. orat. de Transfig.

Dominus transfigurandus Iudam cum aliis diſcipulis relinquit, vt eius ſaluti conſuleret, & ne ſuæ proditionis excuſationem haberet.

cum Iuda alios relinquere voluit, vt ipsius Iudæ famæ consuleret; relictus enim solus in demeriti, & infamiæ notam incurrisset: Quòd nobis documento esse potest, quanti proximorum etiam præuaricantium fama sit facienda.

Petrus Confessorum, Ioannes Virginum, Iacobus Martyrum ordinem repræsentabat.

4. Porro ex Apostolis Dominus, vt suæ gloriæ spectatores forent, Petrum, Iacobum, & Ioannem elegit, quòd in his tribus Apostolis tres insignes Ecclesiæ ordines continerentur; nempe Confessorum, Martyrum, & Virginum. Petrus confessoris ordinem referebat; ob præclaram illam de Redemptore confessionem: *Tu es Christus filius Dei viui.* Iacobus Martyrum, Ioannes verò Virginum ordinem repræsentabat. Hanc rationem indicat Damascenus, *Quid causa est,* inquit, *cur Petrum, Iacobum, & Ioannem assumpserit? Petrum, vt testimonium, quod verè prebuerat, à Patre exhibitum fuisse ostenderet: Iacobum, vt qui ante omnes Apostolos pro Christo mortem oppetiturus, ipsiusque calicem bibiturus erat: Ioannem denique, vt Virginem.* Præterea horum trium electionis ratio redditur à Sancto Thoma 3. part. quæst. 45. art. 3. *Nam Petrus excellens fuit in dilectione, quam habuit ad Christum; & iterum in potestate sibi commissa: Ioannes verò in priuilegio amoris, quo à Christo diligebatur propter suam virginitatem; & iterum propter prerogatiuam Euangelicæ doctrinæ: Iacobus autem propter prærogatiuam Martyrij.*

Matth. 16.

B

*Et duxit illos in montem excelsum seorsum.*

5. HAnc vocem *seorsum*, inquit Damascenus, *idcirco adiungit Euangelista, vt ostenderet orationis causa in semotum locum secedendum esse; Mater enim orationis est solitudo.* Hæc mater diuinum lac habet vberrimum, quo sobolem nutriat: hinc Oseæ secundo dicitur: *Ecce ego lauabo eam, & ducam eam in solitudinem.* De solitudine, remotique secessus laude, & vtilitate plura dicta sunt Dominica prima Quadragesimæ, aliaque dicentur feria quinta, Dominica tertia, & Dominica quarta. Meritò autem Dauid Psalm. 97. prædixit: *Montes exultabunt à conspectu Domini:* cum sæpe Dominus in montes ascendisse legamus; idque, vt secedendo à turba sicut corpore, ita animo è terra subleuandos nos esse doceat: vt cum Domino versari dignissimus; & *nostra conuersatio in cœlis sit*; cum etiam cœlum montis nomine appelletur, de cœlo dicente Dauide Psalmus 27. *Quis ascendet in montem Domini?*

Solitudo mater orationis.

ad Philipp. 3. 20.

6. Præterea in præcelso monte Dominum transfigurari voluisse docet hîc Christianus Druthmarus, vt discipulos ab efferuescente æstiuo calore defenderet; eum Augusto mense, die sexto Domini Transfiguratio fuerit, vt infra dicetur. Propter hanc Domini erga discipulos sedulam curam meritò Dominus Ecclesiast. 34. 20. dicitur: *Tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani.* Ita tamen vmbraculum meridiani, æstiuique solis Apostolis Dominus fuit, vt ipse innocuo suæ faciei splendore multò melius Solaris luminis munus suffecerit: Et propterea, cum *vmbraculum meridiani* Dominus fuerit; fuit etiam, vt ibidem ab Ecclesiastico dicitur; *Illuminans oculos*, tum spirituales animæ, tum materiales corporis. De mira Domini suos erga Discipulos quoad corpus, non solùm quoad animam cura, ait S. Bonauentura in meditationibus vitæ Christi cap.

Discipulorum non solum spiritualia, sed etiam corporalia Domino curæ erant.

A

19. *Docebat, & instruebat eos, & curam de ipsis habebat præcipuam, sicut mater de vnico filio. Dicitur, quod B. Petrus referebat; quod quando in aliquo loco dormiebat cum eis, surgens de nocte, si aliquem eorum inueniebat discoopertum, recooperiebat eos, quia tenerrimè diligebat eos. Sciebat enim quid de ipsis esset facturus; quamuis essent homines rudis conditionis, & humilis nationis; tamen Principes mundi, & Duces in bello spirituali omnium fidelium constituturus eos erat.*

*Et transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut Sol.*

7. PLuribus laborant hîc interpretes, fusè differendo qualis fuerit, qualisque non fuerit Domini transfiguratio. Sed vt breuiter ea qualis fuerit, intelligatur, recolenda est Scripturæ regula, qua docemur iuxta Hebraïcum idioma copulam, *Et*, sæpe esse particulam exegeticam, notamque explicationis eius, quod præcessit, idemque significare, ac *Id est*. Sic Num. 3. Aaronis filiorum dicuntur *repleta, & consecratæ manus*. vbi per consecratas manus explicatur, quid significent manus repletæ, scilicet oleo, quo Sacerdotes consecrabantur. Similiter in hoc Euangelio, cum dicitur: *Transfiguratus est ante eos*; ad transfigurationem, qualis fuerit, explicandam subditur: *Et resplenduit facies eius sicut sol.* Domini ergo figura, & facies eadem quoad lineamenta manens, addita tamen diuinitus eximiæ lucis claritate, dicitur transfigurata. Tria præcipuè Domini Transfigurationis vaticinia in sacris litteris reperio. Primum habetur Psalm. 88. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Quod vaticinium partim in Domini baptismo in Iordane prope Hermon, partim in Domini trāsfiguratione in monte Thabor verificatum fuisse docet Damascenus. Vtrobique enim Redemptor Dei filij nomine est indicatus: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quare citatum Psalmum in Transfigurationis officio Ecclesia recitat iuxta institutionem Callisti tertij: & communis Sanctorum Patrum sententia in monte Thabor Domini Transfigurationem fuisse asserit. Meritò autem Thabor Hebraïcè *lumen veniens*, seu *lucis accessio* interpretatur, cum in eo instar Solis ad Domini illustrandam faciem lumen accesserit.

Et, sæpè est particula exegetica explicans præcedentia, idemque valet, ac Id est.

C

Domini transfiguratio qualis fuerit.

Primum Domini transfigurationis vaticinium.

Transfigurationis Domini vaticinia tria, hic, & num. 12. & 15.

D

Damasc. orat. de Transfig.

Matth. cap. 5. & cap. 17.

8. Thabor montem, quem vna cum Septuaginta Thaburium vocat. Iosephus ita describit: *Thaburius inter campum magnum, & Scythopolim situs: cuius altitudo triginta stadiis consurgens Septentrionali tractu inaccessa est: in vertice autem viginti stadiorum planities patet.* Celeber est Mons Thabor in veteri testamento. Ibi Barac Israëlitarum Dux vnà cum Debbora de Sisara insignem victoriam reportauit, vt dicitur Iudicum 4. In eodem monte Saül, cum à Deo in Israëlitarum regem esset electus, duos panes ab obuiis tribus viris accepit, sicut ei antea Samuël Propheta prædixerat, vt dicitur 1. Reg. 10. Celebrior est idem mons in nouo testamento; nam ibi iuxta Hieronymum in cap. 5. Matth. Bonauenturam in medicat. cap. 21. Ludolphum 1. part. de vita Christi cap. 32. Gagnæum in cap. 5. Matth. Dominus longiorem sermonem de Beatitudinibus habuit. In eodem monte existimat. Salmeron tom. 4. part. 1. tract. 28. electos à Domino Apostolos fuisse, cum ante Apostolorum electionem eumdem montem Dominus nocturna oratione sanctificasset, dicente Luca cap. 6. 13. *Exiit in montem orare, & erat*

Iosephus lib. 4. de bello cap. 2.

E

Mons Thabor Domini transfigurationis locus ex multiplici capite celeber.

*& erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* Ibidem Dominus iuxta eumdem Salmeronem tom. 6. tract. 26. quinque panibus, & duobus piscibus satiauit quinque millia hominum, vt dicitur Matth. 14. Marci 6. Lucæ 9. Ioan. 6. In eumdem montem Dominus fugit; cum, vt in regem eligerent, quærerent eum turbæ, vt dicitur Ioan. 6. 15. Denique iuxta Iansenium Concor. cap. vlt. Thabor locus est, quem Matth. cap. vltimo. Christus constituit, in quo discipulis se post resurrectionem ostenderet. Meritò ergo ob tot prærogatiuas hunc montem sanctum Petrus Apostolus epist. 2. cap. 1. appellauit, De Christo Domino Transfigurato dicens: *Cum essemus cum illo in monte Sancto.*

Libanus falsò Domini transfigurationis locus fuisse dicitur.

Isaias cap. 35. 2.

9. Falsò Iacobus Faber Stapulensis in cap. 9. Marci, & Lucas Brugensis in Matth. 17. ex illo Isaiæ, *Gloria Libani data est ei*, coniiciunt Domini Transfigurationem in Libano fuisse. Ibi enim non de Christo, sed de eius Ecclesia, & Gentilitate ad Euangelicam legem vocata est vaticinium illud: *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo; & florebit sicut lilium: germinans germinabit, & exultabit lingua lætabunda, & laudans. Gloria Libani data est ei; decor Carmeli, & Saron.* Quo vaticinio prædicuntur diuina beneficia, gratiæ, & sanctitatis dona ad Ecclesiam, Gentilitatem complectentem, transferenda esse è Synagoga Iudæorum, mysticè per Libanum, Carmelum, & Saron significata. Ita Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, & alij Patres.

Delirium confutatur Rabbinorum asserentium Ierosolymam sub leuandam supra Thaborem & Carmelum.

10. Falsò præterea, & omninò fabulosè Rabbini interpretantur Isaiæ cap. 2. vaticinium, cui consonat Michæas cap. 4. *Erit in nouissimis diebus preparatus mons Domus Domini in vertice montium; & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Asserunt enim Messiæ tempore Thabor cum Carmelo coniungendum, & eos supra imponendam esse Ierosolymam tribus leucis sursum sublatam. Quod figmentum, ac delirium bene reiicit Galatinus lib. 5. cap. 2. Tantum enim abest; vt Ierosolyma ob Messiam sursum eleuata fuerit; vt ob illatam à perfidis Iudæis Christo Domino vero Messiæ mortem, à Tito ad terram prostrata fuerit, iuxta Domini vaticinium, quo Ierosolyma prædixit Luc. 19. 44. *Circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique; & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt; & non relinquent in te lapidem super lapidem; eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.*

Transfiguratio Domini æstiuo, non verno tempore fuit.

Transfiguratio Domini fuit sextò Augusti; non vigesimo quarto Iunij, vel vigesimo septimo.

11. Hæc quoad Transfigurationis locum. Quoad tempus 33. ætatis suæ anno Domini Transfiguratio fuit iuxta Baronium, & alios; die autem 6. Augusti, quo Ecclesia Transfigurationis festum celebrat iuxta antiqua Martyrologia, & Menologia, & communem, veramque sententiam aliis præferendam. Quamuis Thomas Beauxamis homilia de Transfiguratione eam Iunij die vigesimo quarto. & Petrus Canisius die Iulij vigesimo septimo fuisse asserant. Ludolphus autem, & alij censent verno tempore, quo Ecclesia bis in Quadragesima Transfigurationis Euangelium recitat, fuisse: quod autem die sexto Augusti, Domini Transfiguratio celebretur, asserunt non tunc contigisse, sed tunc post Domini resurrectionem fuisse ab Apostolis euulgatam. Fallitur præterea Platina, cum asserere videtur Callistum Tertium Transfigurationis festum instituisse: quandoquidem talis celebritatis in antiquioribus Patribus, & auctoribus mentio reperiatur. Verum quidem est Callistum III. anno Domini 1456. celebrius reddidisse tale festum, edito proprio eius officio vnà cum indulgentiis, quas Corporis Christi solemnitas habebat. Celebritatis autem maioris iuxta Pelbartum in Pomærio de Sanctis serm. 45. Causam dedit insignis de Turca diuinitus reportata victoria. Et quidem satis congruum fuit, vt profligata Thracia Luna in Turcarum Insignibus, Transfigurati Redemptoris festum, cum *eius facies sicut Sol resplenduit*, solemnius celebraretur. Hactenus de primo Transfigurationis vaticinio: *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt*: ad secundum veniamus.

Platina in Callisto 3.

Callistus tertius Domini Transfigurationis celebritatem non instituit, sed auxit.

Transfigurationis solemnitas maiori celebritate aucta ob victoriam de Turcis.

Transfiguratio Domini noctu fuit.

12. Noctu se Dominum transfigurasse non improbabiliter docent Caietanus, Salmeron, & Didacus Stella. Quod quidem colligi bene videtur ex Luca 9. dicente: *Petrus, & qui cum illo erant grauati erant somno; & euigilantes viderunt maiestatem eius.* Non enim somnus in Apostolos irrepsisse videtur ex labore conscensi montis, vt Cornelius ait: cum Apostoli non delicati, sed laboribus, & nocturnis piscando vigiliis essent assueti? fatente Petro Lucæ c. 5. 5. *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Neque Euangelista, vt censet Chrysostomus, *somnum vocauit magnam resolutionem virium, quæ ab illa visione facta fuit, oculis ex nimio fulgore obtenebratis.* Nam post non ante somnum transfigurati Domini splendorem Apostoli viderũt; ita vt talis splendor potius eos dormientes excitauerit, quàm consopierit: *Et euigilantes viderunt maiestatem eius.* Quare cum noctu Dominus se transfigurauerit; bene ex eius transfiguratione, ac facie sicut Sol radiante verificari videtur Dauidis vaticinium Psal. 138. *Nox sicut dies illuminabitur.* Subditur autem: *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*; sicut enim passionis die in Caluariæ monte Crucis affixum Dominum tenebræ contexerunt; ita è contrario Transfigurationis nocte in Monte Thabor eiusdem Domini gloria clarissimo se lumine manifestauit.

Lucæ 9.

Secundum Domini transfigurationis vaticinium.

Tertium Domini Transfigurationis vaticinium.

13. Tertium Transfigurationis vaticinium prolatum est ab ipso Domino; cum octo ante dies, vel sex; si tantùm dies intermedij numerentur, vt cap. præcedente Matth. refert, Discipulis Dominus dixit: *Sunt quidem de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Quibus verbis iuxta Hilarium, Chrysostomum, Hieronymum, Ambrosium, & alios, Apostolis Petro, Ioanni, & Iacobo se in Monte Thabor Transfigurandum, suamque ibi gloriam manifestandam, seque in suo regno vidẽdum Dominus prædixit: In suo quidem regno videndum non perfectè, vt à Beatis in cœlo videtur, sed ex parte. Fuit enim Christi Domini gloriosa illa apparitio specimen quoddam felicitatis, & gaudij, quo in cœlesti regno sancti perfruuntur.

Transfiguratus est Dominus in nube lucida.

1. ad Timoth. cap. 6.

3. Reg cap. 8.

Transfigurans se Dominus externam corporis gloriam, non Diuinitatem Apostolis ostendit: Idem num. 15.

S. Leo orat de Transfig.

14. Et quia cœlestis Regis habitaculum, regiusq; thronus est lux iuxta Apostolum, à quo Deus dicitur; *Rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem*: & iuxtà Salomonem: *Dominus dixit, vt habitaret in nebula*: in nebula lucida, quæ in templo apparebat, vt explicat Caietanus: ideo Dominus nubem lucidam, quæ cum in Monte Thabor transfiguratum vnà cum Apostolis circumdedit, suum regnum, hoc est regium thronũ appellauit: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Etiam Ecclesia. H. 24. 7. dixit. *Thronus meus in columna nubis. In regno suo*, ait S. Leo, *id est in regia claritate spiritualiter ad naturam suscepti hominis pertinente.* Subdit S. Leo: *Nam illam prius Deitatis ineffabilem, &*

*inacceſſibilem viſionem, quæ in æternam vitam mundis corde ſeruatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intueri poterant & videre.* Quibus verbis iuxta veriſſimam, cõmunemque ſententiam docemur externam tantùm corporis gloriam, non autem Diuinitatem Apoſtolis Dominum oſtendiſſe.

Transfigurati Domini claritas vna ex quatuor dotibus corporis glorioſi.

15. Sed quia oppoſitum indicare videtur Damaſcenus dicens: *Hodie diuinæ naturæ radius in monte Thabor Apoſtolorum oculos perſtringit.* Similiter Eccleſia in Transfigurationis feſtiuitatis hymno canit: *Illuſtre quiddam cernimus, Quod neſciat finem pati. Sublime, celſum, interminum, Antiquius Cœlo, & Chao.* Chriſti autem Diuinitas, non autem Humanitas antiquior eſt Cœlo, & Chao. Reſpondetur, cum Damaſcenus transfigurati Domini claritatem Diuinæ naturæ radium fuiſſe dixit; per huiuſmodi verba, aliaque ſimilia, quæ in aliis SS. Patribus leguntur, non aliud ſignificari, quàm quòd per talem claritatem lateris in Chriſto Diuinitas ſe tamquam per ſignum manifeſtauit. Iuxta hunc ſenſum Damaſcenus etiam de Iuda à transfigurati Domini viſione excluſo ait: *Indignus erat, qui Diuinitatem ſpectaret.* Ideo etiam ſignum perennis gloriæ transfigurati Domini ſplendorem Eccleſia vocat: in tali autem ſigno Apoſtolos vidiſſe *ſublime celſum, interminum, antiquius Cœlo, & Chao* indicare voluit.

Transfigurati Domini claritas naturalis, an ſupernaturalis dicenda.

Transfigurati Domini claritas potuit à diſcipulorum oculis videri non eleuatis, ſed corroboratis.

16. Quæri hic vlterius poteſt, an Trãsfigurati Domini ſplendor naturali oculorũ potentia ab Apoſtolis videri potuerit: & talis lux, & ſplẽdor naturalis, an ſupernaturalis fuerit? Reſpondetur ex S. Th. 3. p. q. 45. art. 1. Splẽdorem illum fuiſſe vnam ex quatuor dotibus glorioſo Beatorũ corpori attributis, quę claritas dicitur: ideo Riccardus in 4. diſt. 49. qu. 6. docet eſſe ſupernaturalem; cui ſubſcribit Suarius 3. p. q. 45. art. 4. ſect. 1. Sed ad quæſitum clarius reſpondit S. Thom. in 4. diſt. 44. qu. 2. art. 4. *Quidam dixerunt, quòd claritas corporis glorioſi non poteſt videri à corpore non glorioſo, niſi fortè per miraculum: ſed & non poteſt dici, niſi claritas æquinocè diceretur; quia lux ſecundum id quod eſt, nata eſt mouere viſum: & viſus ſecundum id quod eſt, natus eſt recipere lucem. Vnde ſi eſſet aliquis viſus, qui non poſſet percipere aliquam lucem omnino; vel ille viſus diceretur æquiuocè, vel illa lux: Quod non poteſt in propoſito dici. Et ideo dicendum eſt, quod claritas corporis glorioſi naturaliter à corporis oculo non glorioſo videri poteſt. Dicendum ergo quod claritas gloriæ erit alterius generis, quam claritas naturæ quantum ad cauſam, ſed non quantum ad ſpeciem. Vnde ſicut claritas naturæ ratione ſuæ ſpeciei eſt proportionata viſui; ita claritas glorioſa.* Sed quia corporis glorioſi claritas, qualis fuit Chriſti Domini in Monte Thabor, fuit valde intenſa; ideo ſubdit ſanctus Doctor: *Claritas intenſa non offendit viſum, inquantum agit actione animæ: ſed ſecundùm hoc magis delectat: offendit autem, inquantum agit actione naturæ calefaciendo, & diſſoluendo organum viſus, & diſgregando ſpiritus; & ideo claritas corporis glorioſi, quamuis excedat claritatem Solis; tamen de ſui natura non offendit viſum, ſed mulcet; propter quod claritas illa comparatur claritati iaſpidis Apoc. 21.* Præterea Suar. 3. part. qu. 44. art. 4. ſect. 1. ait: *Mihi videtur claritas gloriæ non eſſe extra latitudinem obiecti viſibilis: quamquam corruptibilis oculus propter imbecillitatem non poſſit fortaſſe in illam intendere; vt ideo veriſimile ſit confortatos fuiſſe Diſcipulorum oculos, vt poſſent eam intueri.* Confortatio autem hæc fuit, non eleuãdo oculos; cum illorum naturalis potentia eſſet ad vidẽdum ſufficiens; ſed impediendo diſſolutionem organi, & ſpirituum diſgregationem ex magna lucis intenſione alioqui cauſandam, vt ſupra dixit S. Thom. Qualis autem

A ſit iſta ſupernaturalitas indicat S. Thõ. in 3. diſt. 16. qu. 2. art. 1. ad 4. dicens: *Claritas illa eſt alterius generis, quàm ſit iſta claritas naturalis; prouenit enim ex claritate ſpirituali animæ.* Quod autem non proueniat ex naturali temperie corporis; ſed ex claritate ſpirituali animæ, hinc ſequitur, quòd ſit alterius generis, quàm claritas naturę, quãtùm ad cauſam, non quantùm ad ſpeciem, vt ſupra idem S. Doctor aſſeruit: Et in 4. diſt. 44. qu. 2. art. 4. prope finem id explicans ait: *Claritas corporis glorioſi prouenit ex merito voluntatis, & ideo voluntati ſubdetur; vt ſecundùm eius imperium videatur, vel non videatur.*

B

*Reſplenduit facies eius ſicut Sol.*

Sponſa ad ſponſum nocturno tempore dignoſcendum cur eius colores aſſignauerit?

17. CAnticorum 5. cum ſponſa nocturno tempore cœleſtem ſponſum quæreret, interrogata, qualis eius ſponſus foret, vt certis indiciis inueſtigari poſſet. Reſpondit: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Certè ad rem non videtur; vt ſponſus nocturno tẽpore cognoſci poſſet, pro indicio vultus cãdorem, & ruborem inueſtigãtibus aſſignare; colores enim in noctis tenebris difficilè dignoſcuntur, à proceritate potius corporis, vel vocis ſuauitate ſponſus nocturno tempore cognoſci poterat: Quare ad hæc ſignificanda melius ſubditur: *Species eius, vt Libani; electus vt* C *cedri; guttur illius ſuauiſſimum:* nihilominus ab ipſo vultus candore rubori immiſto cognoſci poſſe cœleſtem ſponſum nocturno tempore ſponſa prudenter ſatis exiſtimabat; quandoquidem ex illius vultu plurimum luminis radiare ſatis nouerat. Sponſæ ſententiæ conſonat Hieronymus, qui epiſtola ad Principiam explicans de Chriſto verba Pſal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, affirmat in Chriſti vultu *ſydereum aliquid reſplenduiſſe.* Hunc igitur ſplendorem, transfigurato Domino coram Apoſtolis, conſueto multò vberius radiaſſe Euangelica hiſtoria docemur.

18 Pſalm. 8. Dauid mirabilia Dei contemplaturus, cum mentis aciem in cœlum conieciſſet, Lunæ quidem, & ſtellarum meminit; de Sole verò ne D verbum quidem protulit: *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum; Lunam, & Stellas, quæ tu fundaſti.* An Sol præſtantiſſimum cœli ornamentum è memoria cœlo contemplantis excidere poterat? Huic difficultati vt ſatis fiat, certum eſſe debet in eo Pſal. de Chriſto verba fieri; cum ipſemet Dominus de ſeipſo illius Pſ. verba interpretetur Matth. 21. Dauid igitur Prophetico Spiritu eleuatus, cum futuri Redemptoris ſpeciem ante mentis oculos haberet, ea illi pro ſplendidiſſimo ſole erat; Sol autem materialis cœli planeta prę Chriſto Domino veluti ſtellula videbatur. Allata difficultas, & E ſolutio ex Greg. Mag. accipitur his verbis: *Qui cælos opera Dei eſſe profeſſus eſt, dicturus lunam, & ſtellas, cur non etiam Solem pariter enumerauit? Dicturus luminare minus, prius luminare maius dicere debuit. Solem nominare noluit, quia ipſi æterno Soli loquebatur, de quo ſcriptum eſt: Vobis, qui timetis Dominum, orietur Sol iuſtitiæ. Dicendo ergo lunam, & Stellas, quas tu fundaſti; & tacendo Solem, qui factus eſt; indicauit, quia illi ſoli locutus eſt, qui non ſolùm Solem, & Lunam, atque ſtellas corporaliter; Sed etiam Lunam Eccleſiam, atque ſtellas ſanctos homines ſpecialiter fecit.*

19. Geneſ. 3. de primi parentis è Paradiſo eiectione ita legit Chryſoſtomus: *Eiecit Dominus Deus Adam, & habitare fecit eum è regione horti deliciarum.* Septuaginta Interpretes legunt: *Eiecit Adam, & collocauit eum ante Paradiſum voluptatis.* Cur ſignanter ſacra hiſtoria ex

Dei imperio in conspectu terrestris Paradisi Adamum habitasse commemorat? Cur propè Paradisum? Exules certè in suburbiis commorari consuetum non est. Cur non potius procul è Paradiso in remotissimam regionem Adam fuit eiectus? Respondet Chrysostomus: *Dominus noster in singulis operibus misericordiæ argumentum ostendit: & singulæ pœnarum species bonitate plenæ sunt. Misericordiæ, & benignitatis argumentum erat, quòd contra Paradisum illum habitare faciebat; vt ingem dolorem haberet quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem statum se conieceris. Ex quamuis grauissimi doloris spectaculum erat; erat tamen magna vtilitatis occasio: vt dolens continuo aspectu munitior, & cautior esset in aliis, ne iterum in ea peccata incideret.* Adami etiam posteris vt terrestris Paradisi memoria animo obuersaretur; Apostolica traditione, teste sancto Basilio de Spiritu sancto cap. 27. consueuerunt fideles ad Orientem conuersi orare: cuius consuetudinis rationem reddens Basilius ait: *Id facientes antiquam requirimus patriam, videlicet Paradisum, quem conseruit Deus in Eden ad Orientem.* Similiter Damascenus lib. 4. de fide cap. 13. ait: *Plantauit Deus in Eden Paradisum ad Orientem: vbi hominem, quem effinxerat, collocauit; eumque violato precepto expulit; atque è regione Paradisi voluptatis constituit, hoc est ad occasum. Quo fit, vt veteris patriæ desiderio ad eam defixos oculos habeamus, cum Deum adoramus.* Sed vt efficacius non ad terrestris, sed cœlestis Paradisi desiderium excitemur; cœlestis gloriæ imaginem nobis Dominus contemplandam proposuit; cum in monte Thabor *facies eius resplenduit sicut Sol.*

Fideles ad Orientem orabant, vt terrestris Paradisi, quem amiserant, memoriam seruarent.

20. Genes. etiam 3. legitur: *Collocauit Dominus ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Alias legimus Angelos contra homines gladium vibrasse: *Balaam vidit Angelum stantem in via euaginato gladio.* Daniel. 13. *Manet,* inquit, *Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos.* Non tamen legitur huiusmodi gladios flammeos fuisse: & quidem versatilis gladius, nempe ex vtraque parte acutus, & Angelica manu directus nullo superaddito ignis ardore, satis erat ad vitæ arborem custodiendam. Cur igitur flammæ ardor gladio est superadditus? scilicet vt flammæ illius aspectu sæpius excitaretur Adam ad amissa immortalitatis bona iterum acquirenda. Hoc idem excitandi munus ad cœlestis regni immortalitatem consequendam præstat nobis; non Cherubini flammeus gladius, sed Redemptoris nostri iucundissima facies; quæ hodie sicut Sol primùm Apostolorum oculis, deinde nostris animis coruscare voluit.

Flammeus gladius cur ad custodiendum Paradisum à Deo positus.

Num. 22.

21. S. Dauid vehementer expetens ad cœlestem patriam peruenire, aiebat Psalm. 42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam; ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Vbi cum S. Hieronymo, & Chaldæo legitur: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa deducent me, & adducent in montem sanctum tuum, & in scholas domus maiestatis tuæ.* Beata Paradisi patria veluti schola nobis esse debet, quam quotidie contemplatione frequentare debemus. Libri, qui in hac schola leguntur, cæli sunt. *Complicabuntur sicut liber cæli,* dicitur Isaiæ 34. Hac in schola, & hisce in libris quæcumque pollicetur humana ambitio, Chymeras esse docemur. Sublunaria omnia corruptioni esse obnoxia, ideoque ab iis cordis affectus retra-

Paradisus schola est in qua optima doctrina discitur.

A hendos esse discimus. Hac in schola Apostolus didicit ex proximi charitate se veluti ad formas omnes excipiendas tamquam primam materiam exhibere. *Omnia omnibus factus sum, vt omnes facerem saluos,* ait 1. ad Cor. 9. 22. Hac denique in schola terrenarum opum, ac voluptatum contemptores, cælestium tantummodò cupidi reddimur: *Tales nos in schola Christi esse debemus,* ait Augustinus: scilicet, vt ita instituti ad cælestem patriam ascendamus.

August. serm. 44. de verbis Domini.

22. Isaiæ 33. 10. vt ad cælestem patriam animus erigatur, dicitur: *Respice Sion ciuitatem solemnitatis nostræ;* hoc est, mentis oculis contemplare cælestem Ierosolymam iuxta Cyrillum: *Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit; nec* B *auferentur claui eius in sempiternum; & omnes funiculi eius non rumpentur.* Si quis spretis diuitiis voluntariæ paupertatis ærumnas subit; sibi ipsi sæpius dicat: *Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam.* Si hîc ob humana incommoda de loco in locũ migrare cogimur, sibi ipsi quisque dicat, *Oculi tui videbunt tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur claui eius in sempiternum: & omnes funiculi eius non rumpentur.* Quinam funiculi sunt numquam rumpendi? *Charitas est, qua omnes celestes inuicem colligabuntur,* ait Hugo.

Ierosolymæ cælestis contemplatio ærumnas perferre facilè docet.

23. Sap. 10. legitur: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas; & ostendit illi regnum Dei:* Ex Hebræo: C *Quia ostendit illi regnum Dei,* scilicet *dando gratiam iusto contemplandi, & pregustandi gaudia regni celestis,* ait Carthusianus: ideo per vias rectas diuinæ legis iustum deduxit. Efficax igitur medium, vt homo neque ad prosperitatis dexteram, neque ad aduersitatis sinistram præuaricetur, sed in via iustitiæ progrediatur, diuinæ pulchritudinis, cælestisque felicitatis contemplatio est.

Cælestis Patriæ contemplatio neque ad sinistram aduersitatis, neque ad prosperitatis dexteram deflectere nos sinit.

24. In Iaponia ethnico dormienti per quietem ingentis voraginis species oblata est, densissimo fumo, & caligine obsita: eidem ex altero latere videbatur serenus aër, amœnumque pratum, in cuius medio puella eximiæ formæ pulcherrimum puerum lactentem inter vlnas complectebatur. D Huc se dormiens cum conuertisset amœnum locum ingressurus; quò ire auderet à puella interrogatus respondit: *Vbi tu moraris; mirum enim in modum me loci amœnitas allicit. Si hic tibi locus arridet, religionem mutes necesse est; ea enim, quam sequeris, aliò te deducit,* puella respondit: Hinc excitatus è somno ethnicus Christianum familiarem adit, baptismum flagitat, illumque bene instructus consequitur; & amœnissimi loci illius speciem memori animo seruans, numquam se veram fidem deserturum ob cruciatus quoslibet firmam spem habere se sensit. Huic ergo ethnico ad salutis, cælestisque patriæ in eo amorem excitandum, in monte se videndum Dominus obtulit; non tamen in monte Thabor, sed E in matris complexu, nempe in monte illo, de quo locutus est Daniel cap. 2. *De monte abscissus est lapis sine manibus:* sub cuius montis figura Beatam Virginem significari docent Sancti Augustinus, Hieronymus, Epiphanius, & Theodoretus. *Cum ab ea sine nuptiali commercio,* vt Theodoretus ait; *Christus Dominus natus sit; hoc enim mysterium de monte sine manibus abscissus lapis insinuat.*

In annuis litteris Societ. Iesu 1645.

B. Virgo montis nomine significata.

August. in Conc. ad Cathecumen. Hieron. epist. ad Eustoch. cap. 22. Epiphan. serm. de Laudibus Virginis. Theodoretus in Danielem

*Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*

Transfigurati Domini in vestibus verus color albus fuit: idem num. 25.

25. PRæter splendorem è Christi facie in vestibus radiantem, verum coloris albi candorem Christi vestibus aduenisse probabilius videtur dicendum. Primò ex regula sancti Basilij, & communi; Cum sensus nullus inconueniens sequitur; Scripturæ verba, quantùm potest iuxta significatum, quem magis propriè significant, sunt explicanda. Quare, cum *vestimenta facta alba sicut nix* legimus; ea verè, & propriè albedinem, candoremque, sicut nix, habuisse dicendum est. Secundò licet in Lucæ verbis: *Vestitus eius erat albus, & refulgens*; interpretatio esse posset iuxta regulam in hoc ipso Euangelio supra allatam, quòd particula, *&*, non sit copulatiua, sed explicatiua significans, *id est*, & hinc dici posset: *Vestitus eius erat albus*, id est, *refulgens*: nihilominus huic interpretationi repugnant Marci 9. verba dicentis: *Vestimenta eius facta sunt splendida, & candida nimis, veluti nix; qualia fullo non potest super terram facere candida.* Vbi, cum post splendida, addatur fuisse candida, vtique particula, *&*, non videtur explicare splendorem, sed insuper addere candorem: si enim in vestibus tantùm splendor fuisset, dicendo eas fuisse splendidas, earum fulgor satis fuisset explicatus, non addendo fuisse etiam candidas. Tertiò si vestes tantùm splendidæ, non candidæ fuissent, allata comparatio cum vestibus à fullone dealbatis, fuisset valde incongrua; fullo enim candorem inducit, non splendorem. Quartò si Domini vestes tantùm splendidæ fuissent, in vulgata lectione nobis amplectenda non legeremus: *Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix*: sed potius retenta fuisset lectio ex Græco, Syro, & Arabico textu, in quo legitur: *Vestimenta eius facta sunt alba sicut lux*; vel ex textu Ægyptio: *Vestimenta quoque eius splenduerunt forma Solis.* Quintò splendor cum niuis candore, seu albedine similitudinem habet, non æqualitatem: æqualitas autem esse potest inter vnam, & alteram albedinem. Hinc à sancto Leone Domini quidem facies Solis fulgori similis; ac vestitus candori niuium æqualis fuisse dicitur. Et quidem conueniens fuit, vt albus color diuinitus vesti inditus, Domino foret ad gloriam; cum postea idem in veste color eidem Domino futurus esset ad ignominiam. Quando scilicet *spreuit illum Herodes cum exercitu suo; & illusit indutum veste alba.* Redemptor noster, vt humanam gloriam contemnere nos doceret, ad ignominiam coram ingenti multitudine, vniuersoque Herodiano exercitu veste alba indui voluit: veste tamen alba, & fulgida ad gloriam indutus, paucis se ostendere voluit, idque in monte excelso seorsum ab hominum frequentia. Propterea etiam idem Dominus ad humanæ gloriæ contemptum, vt S. Leo ait: *Bethleem præele it natiuitati; Ierosolymam passioni.* In Bethleemij stabuli angustiis Angelorum concentu celebrati, & ab Orientis regibus adorari; passionis tamen opprobria coram vniuersæ Ierosolymæ frequentia subire voluit. Ad ignominiam in Caluariæ monte, & Ierosolymæ cõspectu Crucem nudus ascendit; ad gloriam in solitario monte candidis, fulgidisque vestibus apparuit.

Basilius hom. 3 & 9. Hexam.

Scripturæ verba quantùm potest iuxta significatum magis proprium sunt explicanda.

Lucas 9.

Luc. 23. 11.

Dominus bis candida veste indutus, prius ad gloriam, deinde ad ignominiam.

Leo serm. 1. de Epiphan.

26. Auctores, qui in transfigurati Domini vestibus splendorem tantùm, non autem candorem fuisse asserunt, aiunt alibi Euangelistas vestimenta

A splendida vocasse candida: quos contra assero potius in Euangelio fulgidi nomine vocari album, & candidum. Quare ad Domini sepulchrum Angeli amictum, quem *vestem fulgentem* vocat Lucas, Marcus vocat *stolam candidam*: Matthæus verò *vestimentum sicut nix.* Ioannes denique de Magdalena, quæ ad Domini sepulchrum Angelos vidit, ait: *Vidit duos Angelos in albis.* Similiter de Angelis post Domini ascensum Discipulos alloquentibus dicitur Act. 1. *Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis*: quas profectò vestes nemo tantùm splendidas, omnes verò albas fuisse intelligunt. Tandem Apoc. 5. 3. dicitur: *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis.* Albas vestes, quas Dominus mortem, & diabolum vincens in Caluariæ monte habiturus non erat; in monte Thabor habere voluit.

Lucæ cap. vlt.

Marci cap. 16.

Matth. cap. 28.

Ioan. 20.

B

*Et ecce apparuerunt eis Moyses, & Elias cum eo loquentes.*

27. IDem Marcus cap. 9. sic refert: *Euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros stantes cum eo.* Hinc Thyræus, quem sequitur Cornelius, asserit Christum non sublatum in aëra, vt nõnulli pictores pingunt, sed recto situ pedibus terræ insistentem fuisse transfiguratum; simulque cum eo similiter stetisse Mosem, & Eliam. Sed contra est, quia standi verbum non semper significat rectum C corporis situm, sed tantùm præsentiam. Quare idem Cornelius explicans Lucæ cap. 7. verba de Magdalena: *Stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius*, ait: *Non videtur totus fuisse tam altus, vt ipsa stans (vt vult Toletus) attingeret pedes Christi; præsertim, quia ipsa fuit alta, & procera. Stans ergo hic dumtaxat præsentiam significat in quolibet situ.* Iuxta hanc standi significatum dicitur 3. Reg. 1. *Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatque in sinu suo.* Qui standi sensus alibi passim legitur in Scriptura. Quare si probabilius dicatur Dominus non terræ pedibus in- D sistens, sed aliquantùm in sublimi aëre eleuatus apparuisse; ibidem Moses, & Elias diuina ope vel agilitatis dote eleuati Domino adstantes stare poterant. Hæc autem in aëra eleuatio magis ad Transfigurati Domini gloriam manifestandam congrua videtur: & tali modo antiquæ Transfigurationis picturæ se conformant. Quare dicente Luca c. 29. *Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera*: piè credi potest prius Dominus genuflexo orasse; dum autem oraret adueniente ei eximio splendore fuisse in aëra eleuatum. Cur enim, cum plures sanctos, & præcipuè S. Franciscum, orantes sursum raptos legamus, non idem de Domino est dicendum?

Thyræus cap. 9. de Transfigurat.

Transfiguratus Dominus in aëre eleuatus, non terræ insistens apparuit.

28. Ex eo, quod 4. Reg. c. 2 legimus: *Ascendit Elias* E *per turbinem in cœlum*, cõmunis sanctorum Patrum sententia docet Eliam adhuc viuere; itaut quieto aliquo in loco à Deo constituto, nobisque ignoto vnà cum Henoch vitã diuinitus conseruatam iugi Dei contemplatione peragat: idque sine cibi indigentia, vt docet Epiphan. hæresi 64. & Hieron. ad Pammach. Hinc Tertul. l. de resurrect. carnis c. 58. ait: *Henoch, & Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; æternitatis candidati, ab omni vitio, ab omni damno, ab omni iniuria, & contumelia immunitatem carnis ediscunt.* Similiter S. Ambros. in symb. Apostol. sub fin. *Henoch translatus est, ne videret mortem; similiter & Elias in corpore isto positus curru igneo, id est Angelorum subuectione, qui sunt spiritus, & flamma ignis, vsque ad cœlum*

Enoch, & Elias adhuc viuunt.

*assumptus est*, ad cœlum aërium, vt cum Irenæo lib. 5. cap. 5. Iustino quæst. 85. Isidoro lib. de ortu, & obitu Sanctorum cap. 5. explicat S. Thomas 1. par. quæst. 102. art. 2.

29. Quod de Henoch, & Elia translatis dicitur, idem de Mose asserere videtur Ambrosius lib. de Caïn, & Abel cap. 2. dicens: *Non legimus de Moyse, sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est, sed per verbum Dei mortuus est. Vnde addidit Scriptura: Nemo scit sepulturam eius vsque in hodiernum diem; quod ad translationem magis, quàm ad interitum intelligas. Mors enim secessio quædam est animæ, & corporis. Mortuus igitur est per verbum Dei, non secundum verbum, vt aduertas non nuncium mortis, sed gratiæ munus expressum; qui translatus magis, quàm derelictus est, cuius nemo nouit sepulturam. Quis enim in terrenis reliquias eius potuit deprehendere, quem secum esse Dei filius in Euangelio demonstrauit? Elias simul est à quibusdam visus, qui translatus curru est, non sepultus, nec mortuus legitur; viuit enim, qui cum Dei filio est. Moyses autem mortuus quidem legitur; sed per verbum Dei mortuus, per quod facta sunt omnia. Verbo Dei cœli firmati sunt. Per verbum igitur Dei non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tamquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tamquam verbi cœlestis operatione donatus, & munere; vt quietem magis caro eius, quàm bustum acceperit.* Similiter Hieronymus in Amos cap. 9. ait: *Ascendit Dominus in cœlum cum Henoch, ascendit cum Elia, ascendit cum Moyse; cuius sepulturæ locus, quia in cœlum ascenderat, in terra non potuit inueniri.*

Deut. vlt. Mosem non esse mortuum asseritur, sed falsò.

4. Reg. 2.

Ps. 32.

30. Sed quia oppositum docent idem Hieronymus, & alij mox citandi: & quia Deut. vlt. legitur: *Mortuus est Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab:* Quod ipsi Mosi à Domino prædictum antea fuerat. cap. 2. 50. *Iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor:* hinc apertè patet Eliam nondum vita functum potuisse in Monte Thabor videri ab Apostolis: secus autem Mosem iisdem Apostolis apparere non potuisse; nisi vel assumpto aërio corpore Angelorum ministerio; vel proprio assumpto corpore resurgendo. Hoc secundum videtur probabilius, quod ex antiquis Patribus multi docent: Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22. & contra Praxeam cap. 14. Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 37. Cyrillus catechesi 10. Origenes hom. 12. in Exodum: Auctor de mirabilibus sacræ scripturæ, l. 3. c. 10. Hieronym. in hoc 17. Matth. caput dicens: *Vt Apostolorum augeat fidem, dat signum de cœlo, Elia inde descendente, quò ascenderat; & Moyse ab inferis resurgente.* De quo S. Hieronymi testimonio quamuis S. Thom. 3. p. quæst. 45. art. 3. ad primum dicat: *Non esse intelligendum, quasi anima Moysi suum corpus resumpserit; sed quòd anima eius apparuit per aliquod corpus assumptum, sicut Angeli apparent*: Opponitur tamen S. Gregor. 14. Mor. c. 28. qui negans aliquem dici posse resurgere in aërio, aut alio corpore ait: *Resurrectio dici non poterit, vbi non resurgit, quod cecidit.* Quod antea etiam docuerat S. Clemens Romanus lib. 5. constit. cap. 6. & Tertullianus de resurrectione cap. 16. Damascenus denique ait: *In hoc monte mortuorum resurrectionis fides astruitur, ac mortuorum, & viuorum Dominus declaratur; vt qui scilicet ex mortuis Moysem assumpserit; viuum autem Eliam testem adhibuerit.*

Moses reassumpto proprio corpore transfigurato Domino adstitit: idem n. 34. 35 36, 37.

Orat. de Transfig.

31. Præter Patrum auctoritatem probat allatam sententiam 1. Suarius 3. p. quæst. 45. sect. 2. art. 4. *Quia allato modo sincerior est veritas Scripturæ, Dicit enim apparuisse Moysem; non esset autem Moyses in omni proprietate, nisi corpore constaret.* Sed hæc ratio non conuincit. Nam 1. Reg. 28. dicitur mortuus Samuël apparuisse Sauli; quamuis tantùm Samuëlis anima ex inferis euocata esset; vt idem Suarius docet 3. p. disp. 42. sect. 2. & Cornelius Ecclesiastici 46. dicens apparuisse verè ipsam animam Samuëlis in corpore aërio assumpto, quale assumunt Angeli, dum hominibus apparent: Et S. August. ad Simplicianum lib. 2. q. 3. ait: *Non est absurdum credere ex dispensatione diuina, vt non inuitus consentiret Spiritus Prophetæ se ostendi aspectibus regis.*

Mosis resurrectio in monte Thabor, probatus inefficaciter: idem n. 34. 31.

32. Probat idem 2. Suarius: *Quia ibi apparuerunt Moyses, & Elias, vt essent testes gloriæ Christi. Quapropter non fictè, sed verè apparere debuerunt: ergo eadem ratione debuit adesse Moyses in corpore proprio, quia adhibitus est, vt esset testis oculatus, qui proprijs sensibus gloriam Domini conspiceret, quod esse non poterat, nisi in proprio corpore.* Sed dicet aliquis non corporeis oculis, sed euidenti mentis visione terminata ad præsens obiectum, certum, & oculatum testem Mosem esse potuisse.

33. Probat 3. *Quia (vt est probabilior opinio) anima separata non potest vi sua naturali assumere corpus, neque mouere illud: ergo vt anima Mosis assumeret aërium corpus, & per illud loqueretur, oportebat vim ei supernaturalem, & miraculosam imprimi: ergo si oportet, vt fateamur aliquod supernaturale opus; melius est proprij corporis assumptionem, ac temporaneam resurrectionem fateri; cum æquè facilè à Deo fieri potuerit; illaque posita Scripturæ verba, ac totum mysterium proprius, & verius intelligatur.* Sed dicet aliquis; si allata ratio esset efficax, etiam proprio potius, quàm assumpto aërio corpore Samuëlem cum Saule locutum fuisse esset dicendum.

34. Probari allata sententia efficaciter videtur 1. ex verbis Lucæ 9. *Erant Moyses, & Elias visi in maiestate:* seu ex Græco textu: *Visi in gloria.* Quibus verbis Dominum sui splendoris gloriam Mosis, & Eliæ corporibus communicasse significatur. Quod si diuinæ gratiæ largitate proprium Eliæ corpus cælesti illa claritate glorificatum est; Mosem etiam Eliæ non imparem meritis, proprio, non alieno corpore eamdem glorificationem habuisse dicendum est. Hinc Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22. Mosi, & Eliæ idem *claritatis consortium* tribuit in monte Thabor; & expressè ibi ait Mosem stetisse cum Christo *os ad os, & faciem ad faciem, & in gloria ipsius, nedum in conspectu, De qua gloria non aliter illustratus discessit à Christo; quàm solebat à Creatore.* Sed à Creatore in monte Sina illustratus est quoad proprium corpus; ergo etiam à Christo quoad proprium corpus in Monte Thabor. Tertulliano consonat Origenes hom. 12. in Exodum dicens: *Apparuerunt Moyses, & Elias in gloria. Hic non refertur quod glorificatus est vultus eius*; idest Mosis; *sed quia apparuerit in gloria. Necessariò gauisus est; quia iam non solùm vultu glorificatus descendit de monte, sed totus glorificatus ascendit in montem.* Denique Ambros. lib. 1. de Iacob, & vita beata ait: *Operationes bono commendantur affectu. Neque enim minus Beatus Elias, quàm Moyses; cum alter cibi indigus, meloti de vili, sine filijs, sine sumptu, sine comite: alter populi ductor, lætus sobole, succinctus potentia, diuerso genere meritum æquale fundauerit; quando cum Domino in resurrectionis gloria refulserunt. Videtur enim parem, his quasi paribus gloriæ suæ testibus dedisse mercedem.* Quod ab Ambrosio de pari resurrectionis

Mosis resurrectio in monte Thabor efficaciter probatur: idem n. 35. 36. 37.

gloria dicitur; idem de pari in monte Thabor glorificatione dicendum videtur.

35. Probatur 2. quia cum quæritur, cur ex Prophetis Moses tantùm, & Elias Domini transfigurationi præsentes fuerint? Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. bene respondet: *Mosem, & Eliam hanc visionem meruisse, quia æquè, vt Christus, quadraginta diebus ieiunarunt in monte.* Talis igitur visio præmium fuit afflicti olim ieiunio corporis: Ergo tam in Elia, quàm in Mose proprium, non alienum corpus erat præmiandum. Hinc in illa Iob verba cap. 19. 26 *Rursum circumdabor pelle mea; & in carne mea videbo Deum meum*, Nicetas ait: *Docemur hoc loco Ecclesiasticum dogma; corpus ipsum, quod impetus, & cruciatus excepit, anima comite resuscitandum esse; vt cum illa vnà fruatur.* Ad id ostendendum in citato Iobi textu Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 18. legit: *Cutis mea resurget, quæ ista patitur.* Quod autem de electorum in perpetuum resurrectione dicitur; idem de temporanea, ob præmium, Mosis resurrectione dicendum videtur.

36. Probatur idem 3. quia vt Damascenus supra citatus docet per Mosem iam vitæ functum in monte apparentem *Mortuorum resurrectionis fides astruitur*: Ergo Moses non in aëreo, sed in proprio corpore resurgens apparere debebat. Alioquin data esset ansa hæreticis Marcionitis, Basilidianis, & Valentinianis asserendi animam non idem, quod antea habuerat corpus in resurrectione assumere: contra quos benè arguit Tertullianus lib. de resurrectione carnis.

37. Cornelius, qui in hoc Matth. capite in nostram sententiam inclinat, quod scilicet in proprio corpore Moses apparuerit; oppositam tamen sententiam sequens Deut. vltimo ait: *Quidam putarunt Mosem resurrexisse in transfiguratione Christi. Verùm hoc est improbabile. Certum enim est Christum primum omnium, & ante omnes homines resurrexisse ad vitam immortalem. Si dicas Mosem resurrexisse, & rursus esse mortuum: respondeo longè durius, & acerbius fuisset Mosi post resurrectionem mori, quàm non resurgere. Ergo non resurrexit in Transfiguratione, sed tantùm apparuit ibi in corpore assumpto, vt apparent Angeli.* Allatæ obiectioni respondendum videtur non fuisse durum, & acerbum Mosi post resurrectionem, & apparitionem in monte Thabor iterum mori: quia talis illi displicentia vel fuisset in voluntate, vel in sensu: non in voluntate; cum ea, vt sanctissimi viri voluntatem decet, omnino diuinæ voluntati se conformaret; præsertim cum paulo post se resurrecturum ex reuelatione bene sperare posset. Nam, vt ibidem ipse Cornelius ait: *Planè verisimile est Mosem paulò post Christum cùm Patriarcha Iacob, Ioseph, aliisque priscis Sanctis (de quibus Matth. 27. 52.) resurrexisse. Si enim alij Patriarchæ resurrexerunt cum Christo; ergo multo magis Moses, qui fuit legislator, & dux populi, expressusque typus Christi.* Rursus non fuit displicentia in sensu, cum talis mors sine vllo dolore contigerit. Sicut enim Deut. vlt. dicitur: *Mortuus est Moyses seruus Domini iubente Domino*: id est sine vllo mortis dolore, & molestia; sed ex mero Dei beneplacito: ita post apparitionem in monte Thabor cum mortuum dici potest.

38. Quæri hic primò potest, qua ope resurgens Moses è sepulchro Moab in montem Thabor venerit? Communiter censent, id Angelorum ministerio factum esse. Sed quia, vt supra diximus, Christi splendor secundùm aliquam participationem Mosi, & Eliæ communicatus, claritas

Moses probabilius agilitatis, & subtilitatis dote, qua Angelorum ministerio in montem Thabor venit.

A fuit, vna ex quatuor dotibus gloriosis corporibus attributis; consequenter dici potest fuisse eidem Mosi, & Eliæ agilitatis dotem ad tempus communicatam, vt citissimè in montem Thabor peruenirent; & insuper Mosi dotem subtilitatis datam, vt è sepulchri claustro egrederetur. Eiusdem tamen Mosis iterum vita funeri corpus ad sepulchrum ministerio Angelorum delatum fuisse videtur dicendum. Nam visa à Mose in Monte Thabor Domini gloria iuxta eius desiderium. Ex. 33. *Ostende mihi gloriam tuam*: & iuxta promissionem illi factam: *Cum transibit gloria mea, videbis posteriora mea*: id est videbis humanitatis meæ assumendæ splendorem, & gloriam: *Posterior Christi pars est humanitas, Diuinitas autem est prior,*

Moses post Domini transfigurationis finem iterum mortuus Angelorum ministerio ad pristinum locum fertur.

B *& potior*: ita Tertullianus Nazianz. Origenes, & Ambrosius: visa, inquam, à Mose Domini gloria, eiusque antiquo expleto desiderio, piè credi potest in ipso monte Thabor expirasse, cum instar Senis Simeonis diceret: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Lucæ cap. 2.

Tertull. l. 4. cont. Marcian. cap. 22. Nazianz. orat. 2. de Theol. Origen. hom. 12. in Ex. & 4. in Num. Ambr. in Ps. 41. 44.

39. Quæri secundò potest cum Moses, & Elias eximia claritate glorificati apparuerint, cur non ijdem, sicut Christus transfigurati fuisse dicuntur? Respondeo primò Christum Dominum eximio, & præcellenti splendore fuisse transfiguratum; Mosem verò, & Eliam per aliquam eiusdem splendoris participationem. 2. quia cum Apostoli antea diuersam ab ea tam eximiè splendente in

Moses, & Elias quamuis facie splendentes, cur transfigurati non dicantur.

C Christo faciem vidissent; propterea Christum ante eos transfiguratus fuisse dicitur; Mosis autem, & Eliæ cum ijdem Apostoli faciem antea non vidissent, ideo habito respectu ad eorum visionem, necessarium non fuit explicare Mosem, & Eliam fuisse transfiguratos.

40. Quæri tertiò potest, cur tantùm Moses, & Elias ad transfigurati Domini visionem, & colloquium fuerint electi; & quale fuit eorum colloquium? Theophylactus, & Hugo Card. de Domini morte, & resurrectione cum eo locutos esse Mosem, & Eliam censent: Quare cum mors discessus è vita sit, & resurrectio discessus à morte;

Moses, & Elias cum Domino de eius morte, & resurrectione locuti sunt.

D vnico *excessus*, hoc est discessus nomine bene Domini mortem, & resurrectionem Lucas 9. Significauit dicens: *Dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Hinc duæ lectiones in Græco textu concordant: Ibi pro *excessu* aliqui legunt ἔξοδον, id est exitum: Chrysost. verò hom. 53. in Matth. legit δόξαν, id est gloriam: gloriæ autem nomine resurrectio ad immortalem vitam significatur: exitus verò nomine Domini mors intelligitur: mortem etiam exitum Ecclesiast. 33. 24. appellauit: *In tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam.* Hæc de colloquio. Cur autem Moses tantum, & Elias electi fuerint, præ-

Græci textus, & Latini concordia.

E ter rationem supra allatam à Sancto Hieronymo, sex affert S. Thom. 3. p. quæst. 45. art. 3. ad 3. quæ ibi videri possunt. Præterea in sacris litteris Mosis mansuetudo celebratur: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Eliæ verò celebratur zelus, & vltio diuinarum iniuriarum: ideo 4. Reg. 1. igne è cœlo deuocato quinquagenarios principes cum suis militibus incendit. Inter Mosis igitur mansuetudinem, & Eliæ zelum apparere Dominus voluit; vt seconstitutum humani generis Iudicem, in puniendis culpis cum indignatione plurimum misericordiæ admiscere significaret, iuxta illud Habacuc 3. *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Quare proximè ante hæc verba Septuaginta Interpretes legunt: *In medio duorum animantium cognosce-*

Moses, & Elias cur ad Domini transfigurationem videndam electi.

Numer. c. 12. Dominus inter Mosem, & Eliam apparens, diuinam indignationē misericordia temperari indicauit.

ris, id est *In medio Moysis, & Eliæ tecum in monte sermocinantium cognosceris*, vt exponit August. 18. de Ciuit. Dei cap. 32. & oratione contra Iudæos, & Paganos cap. 15. Animantes autem, seu viuentes veluti antonomasticè Moyses, & Elias appellantur; eo quòd vtriusque vita miraculosa foret; altero scilicet diuinitus ad vitam reuocato, altero plurimorum annorum spatio vsque ad mundi finem à morte præseruato: *Elia inde descendente, quò conscenderat, & Moyse ab inferis resurgente*, vt supra dixit Hieronymus. Porrò diuinam iram misericordia temperari ostenditur Gen. 3. vbi ante voluptatis Paradisum flammeus gladius versatilis à Deo dicitur collocatus, quod quidem ita Rupertus explicat: *Grandis ira necessariæ nobis misericordiæ societatem non relinquit. Ira namque iusti Dei est, quod ante Paradisum flammeum gladium collocauit; Misericordia vero, quod eumdem gladium versatilem esse voluit. Gladius versatilis sententia est diuini Iudicij; quæ talis est, vt possit versari; id est non semper eadem districtione claudat hominibus aditum Paradisi.*

5. In Gen. 32. Gladius versatilis in Paradiso Dei misericordiam erga puniendos peccatores indicauit.

A in redemptionem hominum futuram; immo parabat illum occidere per Iudæos; dicitur enim Ioan. 13. *Cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas*: & de Iudæis ait Dominus: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria eius vultis perficere.* Sed pro Origene responderi, potest diabolum animo fluctuasse, eo quòd tunc anceps forte, esset ne Christus Dei filius, nec ne. Et quamuis sæpè ex odio in Christum, & ex animarum conuersione à Christo prouenienete motus, ad illius mortem Iudæos diabolus incitauerit; aliquando tamen, ne humana redemptio à Christi morte prouenirer, metuens, eiusdem mortem impedire studuit. Hinc 26. Matth. 19. *Misit ad Pilatum vxor dicens: Nihil tibi, & iusto illi: multa enim hodie per visum*, seu ex

Ioan. c. 8. 44.

B Græco *in somnis passa sum propter illum.* Vbi somnium mulieri immissum fuisse à dæmone, ne per Domini mortem homines saluarentur, censent S. Ignatius ep. 8. ad Polycarpum; & ep. 5. ad Philippenses apud Baronium; S. Cyprianus, vel alius antiquus Doctor serm. de Passione; S. Bernardus ser. 1. de Paschate, Lyranus, Carthusianus, Caietanus, & Rabanus. Quamuis autem alij Patres censeant non à dæmone, sed à Deo tale somnium fuisse immissum ad testificandam Christi Innocentiam: Certum tamen videtur esse ex citatis Patribus & auctoribus diabolum aliquando mutata sententia Christi mortem impedire tentasse.

Somnium vxoris Pilati lucrit ne à Deo, an à Dæmone immissum.

*Respondens autem Petrus dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hîc esse.*

41. Quæri hîc potest, quibus verbis præcedentibus responderit Petrus? Si sequamur sententiam Cyrilli Ierosolymitani catechesi 12. asserentis Mosem, & Eliam Discipulis annunciasse Domini excessum; tunc facilè dici potest Petrum Mosis, & Eliæ auditis verbis, ad Dominum sermonem dirigendo respondisse: *Domine, bonum est nos hîc esse.* Sed quia conformius est Matthæi verbis Mosem, & Eliam cum Domino, non cum discipulis esse locutos, audientibus tamen discipulis, vt censet Origenes tract. 3. in Matth. & Chrysost. hom. 53. in Matth. ideo etiam dici potest ex ijs, quæ audierat, Petrum respondisse: *Bonum est nos hîc esse.* Sed magis genuinè dicendum est, vt sæpè in sacris litteris, ita hîc ex Hebraïsmo respondere non referri ad sermonem aliquem antecedentem, sed significare tantùm absolutè loqui. Sic Matth. 11. *Respondens Iesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli, & terræ.* Matth. 12. *Responderunt ei quidam de Scribis, & Pharisæis dicentes: Magister, volumus à te signum videre.* Matth. 14. *Respondens Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas.* Matth. 22. *Respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis.*

Respondere interdum est absolutè loqui, non referendo verba ad antecedentem sermonem.

C tasse.

43. Improbari igitur aliter Origenis sententia sic videtur. Si diabolus suspicabatur Christum esse Dei filium, & certò cognoscebat esse sanctissimum virum; talemque, vt posset in monte Thabor vnà cum Mose, & Elia, & discipulis diu miraculosè, & gloriosè versari; profectò sibi suadere non poterat, vt tentaret Christi constantiam, & sanctitatem Petri verbis labefactare, ita vt ab eo, quod iam statuerat, recederet: præsertim quia paulò ante, vt patet ex cap. præcedente, iam audierat diabolus Petrum à passione Dominum retrahentem acriter reiectum fuisse illis verbis: *Vade post me Satana; scandalum es mihi; quia non*

D *sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Præterea versutus diabolus non impulisset Petrum ad ineptè dicendum: *Faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Quid enim Dominus Moses, & Elias in illa gloriæ maiestate apparentes tabernaculis indigebant; ad quæ construenda Petrus dicens, *Faciamus*, vtique laborasset?

42. Quæri 2. potest, quo motiuo allata verba protulerit Petrus? Prima sententia est Origenis tract. 2. in Matth. Petrum motum à Dæmone per eum loquente verba illa protulisse: dæmonem autem ad id dicendum mouisse Petrum, vt Domini mortem pro humani generis redemptione impediret. Qui quidem finis à dæmone intendebatur, non à Petro; ad quod significandum Marcus 9. addidit: *Non enim sciebat quid diceret.* Hanc Origenes sententiam præterquam dubitanter proponit; eam etiam plurimis non probandam agnoscens ait: *Scio, quòd hæc, quæ dico, multis legentibus, & non sapienter indicantibus contraria, & aspera videbuntur, quasi in blasphemiam Petri dicta; qui paulò ante beatus à Christo est dictus; cui non caro, & sanguis, sed Deus pater reuelauit notitiam filij sui:* Cui obiectioni respondere nititur Origenes, sed inualidè. Improbat Toletus Origenis sententiam; *Quia dæmon tunc temporis ignorabat Christi mortem*

Petrus ad dicendum: Bonum est nos hic esse, non est motus à dæmone, vt censet Origenes: Idem n. 41.

Toletus in Lucam c. 9.

44. Secunda, & vera sententia est Petrum verba illa protulisse, vt ei diu tam iucunda Domini visione frui liceret. Hinc S. Leo ser. de Transfiguratione ait: *Petrus mundana spernens, & terrena fastidiens in æternorum desiderium quodam mentis rapiebatur excessu, & gaudio totius visionis impletus, ibi*

E *cum Iesu optabat habitare, vbi manifesta eius gloria lætabatur.*

45. Gustata ergo Redemptoris gloria, aliud præterea Petrus se non expetere significauit. *Satiabor*, dicitur Psalm. 16. *cum apparuerit gloria tua*; seu, vt alij ex textu Græco legunt; *lætabor, cum apparuerit imago tua.* Dei gloria, & imago Christus Dominus est: *Gloria patris est filius sapiens*, ex diuina Scriptura, ait Sanctus Maximus: & Sapientiæ 7. de Dei filio dicitur: *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Porro satietas, quæ à cœlesti gloria pro manat, animum quidem explet, sui tamen fastidium numquam parit. Isaias 6. *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant replebant templum. Se-*

Cœlestis beatitudo animum explendo fastidium non parit. 

S. Maximus hom. 19.

Seraphici Angeli cur Deo proximi adhuc volabant?

*raphim stabant super illud; sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Si cœlestes hi spiritus Deo adeo propinqui erant, vt ipsius faciem, & pedes, ne à remotioribus viderentur, velare possent; cur tandem non quiescere, sed adhuc volare dicuntur? Scilicet, vt perpetuo ipsorum volatu perenne Beatorum desiderium indicaretur diuinam faciem contemplandi.

46. Sanctus Damascenus excusat Petrum, quòd è monte illo, & Domini prospectu discedere noluisset dicens: *Bonum est nos hic esse. An non,* inquit, *bonum est à bono minimè seiungi? Sed Domino haudquaquam bonum erat illic manere.* Redditque inter cætera hoc motiuum, nimirum quod si ibi mansissent, Latro Paradisum non impetrasset. Apud Dominum ergo maioris momenti fuit Latronis gloria, quàm sua; cum huic illam prætulerit; ex quo quanta Deus benignitate peccatores prosequatur apertè colligitur. Rursus Petrum alloquens ait Damascenus: *Si in monte Thabor mansisses, numquam, ô Petre, regni clauiger extitisses; non Latroni Paradisus patuisset.* Quid tam peculiariter ad Petrum Latronis conuersio spectabat? Nimirum cum Petrus Latroni per pœnitentiam paradisum patuisse cognosceret; sibi etiam pœnitenti, quamuis Dominum periurio negasset, Paradisum patere posse cognouit. Petrus igitur tamquam cœlestis clauiger cœli ianuam alijs reserat; Petro verò cœli ostium Latro reserauit, cum illum ad culpæ pœnitentiam exemplo firmauit.

Christus in monte Thabor manere noluit, vt in Caluariæ monte latroni cœleste regnũ daret.

*Faciamus hic tria tabernacula; tibi vnum; Moysi vnum, & Heliæ vnum.*

47. CHristi Domini speciem contemplando oblectatione summa deuinctus diuturnam ibi sedem Petrus exoptabat. 2. Paralip. 3. de Salomone celeberrimi templi columnas exornante dicitur: *Malogranata centum catenulis interposuit.* Quæ malogranatis cum catenis societas? Malogranata quidem, quod coronam summo apice præferant, Regni symbolum esse possunt; Catenæ verò seruitutis sunt argumentum. Mysterium hoc ex Cantic. 4. explicari liquidò potest; ibi de Redemptore Ecclesiæ sponso dicitur: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Cum igitur Salomon sculptis in templo malogranatis futuri Redemptoris speciem præsignificaret, quam ipsemet in Canticis malogranato etiam assimilarat; catenulis malogranata interposuit; vt indicaret futuri Redemptoris speciem eam fore, vt eius aspectu intuentium corda trahenda, & veluti catenulis vincienda facilè forent.

Salomon cur in templo malogranata catenulis interposuit?

48. Oseæ 11. *In funiculis Adam traham eos,* ait Dominus. Quinam Adæ fuere funiculi? Genes. 3. *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, deditque viro suo.* Pulchritudo igitur pomi per Euam coniugem Adamum illaqueauit, ambosque ex liberis redegit in seruitutem. Quare si pomi species ad vinciendos primos humani generis parentes satis fuit: Efficiam, inquit, æternus Pater, vt mei filij pulchritudo, qui cum carnem ceperit, *fructus ventris generosi* dicetur, homines vinciat, eosque in filiorum Dei redigat seruitutem: *In funiculis Adam traham eos.* His funiculis deuinctus Petrus è monte non discedere expetebat.

Funiculi qui sint, quibus Deus homines trahit.

In Hymno de Sacram.

49. Sed cur Petrus de tabernaculis Domino dixit: *Tibi vnum, Moysi vnum, & Heliæ vnum:* cur etiam sibi vnum non poposcit? Piè, & egregiè respondet Marulus Spalatensis l. 3. c. 1. *Quia eodem*

Petrus in monte Thabor, cur vt sibi etiam tabernaculum fieret, non curabat.

A *cum Iesu contubernio vti, & nullo prorsus intersepto ab eo seiungi velle consilium erat: Semper oculis illum intueri cupiebat, quem semel animo complexus fuerat.*

50. Quæritur hîc prætereà vnde Petrus colloquentes cum Domino, Mosem, & Eliam fuisse cognouerit? Respondet 1. Cornelius: *Elias cognosci potuit ex zona pellicea, & melote, qua vestiri solebat, vt legitur 4. Reg. 1. Et Moses ex facie cornuta iuxta id, quod dicitur Ex. 34. Videntes Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem timuerunt propè accedere.* Sed contra, quia esto sub rudi illo tegmine Elias venerit; nihilominus ex splendore, quem illi & Mosi Dominus afflans communicauit, non solùm vultu, sed toto corpore splendidi apparuerunt: hinc B enim eos S. Luc. c. 9. refert *visos esse in maiestate,* seu *in gloria,* vt ex Græco legitur. Quare si Elias toto corpore eximiè refulgebat, non est probabile Petrum ita in eum oculos fixisse, vt pelliceam Zonam, & meloten, hoc est ouinam pellem lanigeram in Elia cognouerit. Quoad cornutam verò Mosis faciem benè idem Cornelius explicans Exodi verba loco citato: *Ignorabat Moyses, quòd cornuta esset facies sua,* ait: *Cornutum hîc metaphoricè accipitur; non enim cornua habebat in fronte Moses, vt ei affigunt pictores: sed ita lucida erat facies eius, vt radios luminis vibraret, eiusque quasi cornua emitteret. Vnde Septuaginta legunt: Non sciebat Moses, quod glorificatus fuit aspectus coloris faciei suæ. Hi* C *radij Mosis vocantur cornua; quia ita perstringebant, & siderabant oculos Hebræorum, vt quasi cornibus feriri, & transfigi viderentur. Adeo enim ijs percellebantur, vt præ terrore retrocederent, & radijs hisce quasi repercussi, vim eorum non sustinentes diffugerent.* Hâc positâ cornuum interpretatione, non est probabile plus Mosis, quàm Eliæ faciem radiasse, ita vt hinc Mosis dignosci potuerit.

Petrus, vnde Mosem, & Eliam in monte Thabor agnouerat.

Prima responsio rejicitur.

51. Respondetur 2. ex Origene, & Druthmaro Mosem apparuisse cum tabulis legis; Eliam verò curru igneo, quo translatus dicitur 4. Reg. 2. Sed contra, quia vel tabulas illas legere potuisse Petrus dicitur: & hoc in illo tam præcellenti visumque perstringente splendore est improbabile; vel lectas non fuisse dicitur; & tunc vnde Petrus ta- D bulas illas, legis tabulas esse cognouit? An quia erant lapideæ? Sed hoc sine reuelatione indicium certum non erat: Cur enim Isaïas, aut alius propheta in similibus tabulis ad stabilitatem indicandam sua insculpta de Domino vaticinia etiam afferre non poterant? Quod autem de igneo Eliæ curru dicitur, frigida omnino solutio est. Vel enim intra igneum currum apparuisse Elias dicitur: & improbabile omnino est Eliam in curru, cum Domino, & Mose extra currum colloquentem apparuisse. Vel tam Elias, quàm Moses extra currum apparuerunt: Et tunc quomodo alter Elias, alter Moses esse cognoscebatur? Quandoquidem vtrumque eo curru è longinquo in montem aduectum, E iure Apostoli censere potuissent. Dices saltem ex igneo curru alterutrum esse Eliã cognosci potuit. Respondeo tale indicium fuisse planè incertum, cum igneus currus non ita proprius Eliæ fuerit, vt omnino sanctis alijs à Deo exhibitus non crederetur. Bene enim Tostatus Genesis 5. ait: *Tota fidelium Ecclesia credit, quod Henoch translatus fuerit in Paradisum; & forte sicut Elias in curru igneo: Sed non visus est transferri; quia forte nullus erat tunc dignus videre eum transferri.* Præterea S. Franciscus absens sui Ordinis fratribus clarissima luce radians apparuit in curru igneo, vt alter Elias teste S. Bonauentura in eius vita c. 4.

Secunda responsio rejicitur.

52. Respondetur 3. & valde probabiliter ex interno

Tertia responsio admittitur.

terno reuelationis lumine à Petro, & alijs etiam Apostolis Mosem, & Eliam fuisse cognitos. Benè enim Tertull. l. 4. contra Marcionem c. 22. ait: *Quomodo Petrus Moysem, & Eliam cognouissent, nisi in Spiritu? Nec enim imagines eorum, vel statuas populus habuisset, & similitudines lege prohibente*: legem intelligit à Deo datam Ex. 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*: idque ad cohibendam idololatriam, vt idem Tertull. ait lib. 2. contra Marc. cap. 22. Cum ad idololatrandum Iudaïcus populus esset valde propensus.

Redemptoris oculi cur vino pulchriores dicti sunt.

53. De Petri petitione: *Bonum est nos hic esse*, &c. ait 5. Marcus: *Non enim sciebat quid diceret*: & 5. Lucas: *Nesciens quid diceret*. Gen. 29. Iacob cum Iraëlitis, qualis promissus Redemptor futurus esset, prophetice delinearet; *Pulchriores*, inquit, *sunt oculi eius vino*. Numquid non alia nobiliori, quàm vini comparatione futuri Redemptoris oculi repræsentari poterant? Cœlestes quidem Domini oculi stellis, soli, & cuilibet lucidissimo Eoo poterant comparari. Vino tamen Domini oculos comparare sanctissimo Patriarchę placuit; quia vt Oseas testatur, *Vinum, & ebrietas auferunt cor*. Quare, quia siderei Redemptoris oculi præ vino ad auferendum cor efficacitatem maiorem habebant; ideò vino pulchriores fore prædicti sunt: *Pulchriores oculi eius vino*. Nil mirum igitur, si vultu, atque oculis Christi Domini radiantibus Petrus veluti excors nescierit quid diceret.

Oseæ cap 4.

Martyres per ascensum purpureum ad reclinatorium aureum ascenderunt.

54. *Errauit Petrus*, inquit Remigius, *quia oblitus est se, & socios esse mortales; & absque gustu mortis voluit subire æternam felicitatem*. Cant. 3. In Salomonis ferculo, seu iuxta Nyssenum, & Theodoretum in regij currus throno reclinatorium aureum, & ascensus purpureus fuisse dicitur: vbi mysticè per reclinatorium aureum æternæ vitæ felicitas significatur. *Ad hoc reclinatorium*, inquit Gregor. *multis laboribus peruenitur, multis tribulationibus ascenditur; ita vt, si necesse fuerit, etiam sanguis effundi permittatur; ideo ascensus rectè purpureus esse dicitur. Dum enim S. Martyres propter vitam eternam corpora sua ad supplicia tradiderunt, dum flagella, aculeos, ignes, gladios, & alia innumerabilia tormenta pertulerunt; nonne ad reclinatorium istud, ad beatam scilicet vitam per ascensum purpureum ascenderunt*. Generosos Aquilarum pullos, qui in sublime volare, solemque fixis oculis intueri queant, non nisi quibusdam in nidum iniectis lapidibus generari docet Plin. l. 36. c. 21. Similiter iactis à perfidis Iudæis in B. Leuitam Stephanum lapidibus, sanctissimus protomartyr è terreno ergastulo, velut natalitio è nido in cœlum euolauit. Similis etiā alijs Dei electis natalis fuit, de quibus Apost. ad Heb. 11. 37. ait, *lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt*. Iustis tumulus veluti nidus est, in quo ad immortalem vitam oriuntur: propterea Iob 29 aiebat: *In nidulo meo moriar. Aëtites lapides reperiuntur in nidis Aquilarum, nec sine ijs parere*, ait Plin. Persecutionum lapides suum in tumulum, simulque nidum sancti secum afferunt; vt sanctissimæ eorum animæ ex magna meritorum fœcunditate in cœlum euolēt. Inter Saulis, Absalomi, aliorumque hostium insectationes iustus Dauid aiebat Psal 51. *Ego sicut oliua fructifera in domo Dei*: Oliuæ non in molliori solo, sed inter lapides valdè fœcundæ sunt. Ideo oliuarum instar inter persecutionum asperitates se plurimis meritis fructificasse, quibus cœlum acquireret, S. Dauid testatus est.

Sancti cruciatibus Cœlestē gloriam sunt consecuti.

55. Iosepho teste l. 18. antiquit. c. 7. & 8 Agrippa piè Mariamnæ nepos antea à Tiberio ferrea catena vinctus postea à Caio imperij successore, amisso regno restituitur; eoque remittitur aurea catena eiusdem ponderis, cuius erat ferrea, qua prius vinctus fuerat. Similiter Petrus Apostolus antequam

A aureo gloriæ torque insigniretur, & perpetua Domini visione frui posset. Ierosolymæ ab Herode, Romæ à Nerone ferreis erat catenis vinciendus: antē quas iucundę quietis sedē appetens *non sciebat quid diceret*. Præterea nesciebat quid diceret; quia diuinæ Christi potentiæ, sac potius quàm *faciamus hic tria tabernacula*, dicere debebat. Qualia enim Domino in gloriæ maiestate apparenti, eo digna, suo Petrus labore excitare tabernacula poterat?

*Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.*

56. Nubes hæc è puris vaporibus Angelica manu compacta Dominum, Mosem, Eliam, & tres Apostolos suo ambitu contexit. Cu-
B ius ratio reddi potest primò, quia sicut Matth. 26. 51. & 53. Cum Petrus, vt fugaret satellites, qui ad Dominum vinciendum venerant, *exemit gladium, & percutiens seruum principis Sacerdotum amputauit auriculam eius*: Dominus defensione tali se non indigere significans dixit: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* ita nunc, cum ad tabernacula Domino excitanda suam Petrus operam offert, dicens, *faciamus hic tria tabernacula*; Dominus, vt eius opera se non indigere ostenderet, repente lucidissimum nubis tentorium Angelico ministerio consurgere iussit.

C 57. 2. Cum Apostoli ęterni Patris vocem essent audituri, eos intra nubis claustrū Dominus abscondi voluit: vt significaret eos, qui diuino alloquio frui debent, in secretioris loci conclaue se recipere debere. Sic 45. Ecclesiast. 5. De Deo cum Mose familiariter collocuturo dicitur: *Induxit illum in nubem*. Ideo Beatus Laurentius Iustinianus in ligno vitę de orat. c. 5. Animam Dei sponsam monet: *Sponsus tuus amator est verecundus; & non vult sponsæ suæ sua secreta reuelare in publico*. Quę autem secretò cum Deo colloqui felicitas sit, benè explicat Nazian. orat. 21. de fuga in Pontum: *Nihil mihi fortunatius eo homine esse videtur, qui clausis, compressisque corporis sensibus, atque extra carnem, mundumque positus, & in se collectus; nec nisi summa necessitate impellēte, quidquam humanarum rerum attingens, & secum ipse, & cum Deo colloquens, superiorem rebus in aspectum cadentibus vitam agit; diuinasque species, & imagines puras semper, nec vllis terrenis, & errantibus formis permistas in seipso circumfert: ac Dei, rerumque diuinarum purum omnino speculum est; ac iam futuri æui bono perfruitur, & cum Angelis versatur; & licet adhuc in terris agat, terram deserit, & à spiritu in cœlo collocatur*. Beatus Petrus Damianus opusc. 2. c. 19. ait *Solitaria vita cœlestis doctrine Schola est, ac diuinarum artium disciplina. Illic enim Deus est totum, quod discitur; via, qua tenditur, per quam ad summæ veritatis notitiam peruenitur. Vnum pro certo scio, ô vitæ benedicta, quia quisquis in amoris tui desiderio perseuerare studuerit, ipse quidem habitator est tuus, sed eius inhabitator est Deus*.

Secretus locus ad colloquendum cum Deo est eligendus.

Secretò, & familiariter cum Deo colloqui, quanta felicitas sit,

D

Solitudinis commendatio.

E

*Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.*

58. Audire in sacris litteris multiplicem significatum habet. 1. audire est credere. Gen. 21. *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*; & Ioan. ep. 1. c. 4. *Qui nouit Deum, audit nos*. 2. audire est obedire: Exod. 18. *Audi verba mea, atque consilia*. Ex. 19. *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum*. 3. audire est exaudire; hoc est precanti alicui satisfacere Ex. 22. *Ego audiam clamorē eorum*. Num. 14. *Querelas filiorum Israël audiui*, hoc est ijs satisfacere decreui. Omnes istos sensus æternus Pater intendit, cum tunc Apostolis, nunc nobis omnibus ait: *Ipsum audite*; hoc est ipsi credite; ei obedite,

Audire significat credere, obedire, & exaudire.

eum vos pro vestra salute deprecantem exaudite. Quod autem Christus Dominus etiam precibus obiectando à peccatoribus ipsorum salutem flagitaturus esset, in Isaiæ vaticinijs c.65. & apud Apost. ad Roman. c.10.21. legitur: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.*

Æternus Pater cur in Iordane, sicut in monte Thabor, de Christo non dixerit: *Ipsum audite.* Idem n. 60.

59. Præterea, cum post Domini baptismum de eo idem testimoniũ æternus Pater protulerit Matth. 3.17. Quæritur, cur non ibi in Iordane etiam, sicut in monte Thabor addiderit: *Ipsum audite?* Respondent aliqui 1. huius discriminis rationem fuisse, quia in Iordane inter peccatores se baptismi lauacro veluti indigentem Dominus ostenderat: Qui autem tamquam immundus lauacro indiget, is prædicando ad aliorum sordes abstergendas non est proponendus. Hæc responsio videtur inepta; nam cum in Iordane Christum Dominum æternus Pater dilectum filium, in quo sibi complacuit appellasset; vtique eum ex humilitate, non ex sordium indigentia lauacrum suscepisse satis apertè indicauit.

Marci c.1. Lucæ c.3.

60. Respondetur 2. post Domini baptismum non ad adstantes, sed ad ipsum Christum æterni Patris vocem fuisse directam; dicente æterno Patre, vt apud duos Euangelistas Marcum, & Lucam habetur: *Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui.* Ideo non ad adstãtes additum fuisse: *Ipsum audite.*

Respondetur 3. in Iordane non additum fuisse: *Ipsum audite*; ne id adstantes turbas à Ioannis præcursoris prædicatione remouere, & ad Christum tantùm eas aduocare videretur.

*Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde: & accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere.*

Apostoli cur in monte Thabor in faciem prostrati valdè timuerint?

1. Quæritur hîc vnde timor, & prostratio discipulorum prouenerit? Respondetur 1. timuisse, ne Moses è nube fulmina, & tonitrua iacularetur; vt olim fecerat accipiens à Deo, & dans populo legem in Sina Ex. 19 16. Similiter ne Elias è nube iacularetur ignes, vt olim fecerat 4. Reg. c.10 Quare Origenes, Chrysost. & Euthymius aiunt discipulos timore perculsos cecidisse in faciem, vt Deo supplicarent; ne fulmen, aut tonitru eos afflaret; vel aliquod aliud malũ in eos ingrueret. Hæc responsio non probatur. Nam, cum discipulos in montem Dominus duxisset; eosque tam benignè suæ faciei splendore, & gloria recreasset; improbabile omnino est, eos sub Christi Domini clementia, & tutela, quam toties experti fuerant, Mosis, & Eliæ fulmina timuisse. Quare cum paulo ante c.14. à Domino inter fluctuantes magno ventorum impetu aquas incolumes se discipuli seruatos esse scirent; non erat, cur nunc ab immittendo è nube igne timerent: præcipuè, cum Petrus paulo ante c.16. a Domino audiuisset: *Beatus es Simon Bariona: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam; & tibi dabo claues regni cœlorũ.* Adde denique à pijs viris Mose, & Elia malum aliquod non fuisse expectandum: præsertim à Mose, de quo dicitur Num. 12.3. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.*

Prima ratio reijcitur.

Secunda ratio reijcitur.

62. Respondet 2. S. Ephrem orat. de Transfig. *Ad hanc vocem proni ceciderunt Apostoli in terram; erat. n. tonitru terribile; quamobrem voce eius tremuit terra, & ij ceciderunt in terram.* Hæc etiam responsio non satisfacit; nam cum in Iordane eadem æterni Patris vox audita fuerit, cur non ibi etiam ea vox tamquam tonitru turbas adstantes non prostrauit? Præterea Ioan. 12. cum audita est æterni Patris vox de Christo dicentis: *Clarificaui, & iterum clarificabo*: de qua reboante voce *turba, quæ stabat, & audiebat, dicebat tonitruum esse factum*; cur ibi præ timore prostrata turba non fuit?

Tertia ratio reijcitur.

63. Respondetur 3. timuisse Apostolos, eo quòd se repente intra nubẽ concludi cernerent. Sed contra est, quia non à visu, sed ab auditu timor ille prouenisse videtur, dicente S. Matth. *Audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.*

Quarta ratio reijcitur.

64. Respondetur 4. timorem illum nõ tam metus, quàm venerationis fuisse timorem; ita vt Apostoli auditâ diuina voce ad Deum adorandum, & venerandum se prostrauerint. Sed contra est, quia ijs Christus dicens, *Surgite, & nolite timere*, significauit non venerationis, sed metus fuisse timorem.

Vltima ratio efficax.

65. Respondetur vltimò, quamuis allatæ timoris causæ, separatim eas accipiendo, inualidæ videantur; eædem tamen si simul, & collectiuè sumantur, proposito quæsito bene satisfacere videntur. Dico igitur discipulorum timorem cœpisse, eo quòd se repente intra nubem concludi cernerent; creuisse deinde eumdem timorem tonante æterni Patris voce; qua, cum præciperetur, *Ipsum audite*, discipuli expectantes aliquid aliud è cœlo esse audiendum, partim metu, partim veneratione proni in terram ceciderunt Non improbabiliter etiam Christi Domini facies tunc ad Patris vocem clarius radians discipulorum oculos perstrinxit. Quas omnes simul causas neque in Iordane, neque Ierosolymæ Ioan. 12. fuisse legimus.

*Leuantes autem oculos neminem viderunt, nisi solum Iesum.*

Æternus Pater cur post Mosis, & Eliæ discessum dixerit: *Hic est filius meus.*

66. Si antea Moses, & Elias non discessissent, de ijs dicente S. Luca 9.33. *Et factum est, cum discederent ab illo*; vox Patris videretur incerta, cui dedisset testimonium, an Mosi, an Eliç, an Christo; vt benè notauit Hugo Card. Porrò allata verba memori animo seruare debemus: Sicut enim Apostoli è monte deorsum descensuri *Neminem viderunt, nisi solum Iesum*: Sic nos è præsenti vita corpore in sepulchrum descendentes, relicti ab amicis, à familiaribus, à consanguineis, solum Iesum, vt migranti animæ auxilio sit, habebimus.

*Et descendentibus illis de monte precepit eis Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.*

Viri cœlestes cœlestia loqui debent.

67. *Silentium rerum gestarum, quas viderant, imperat; vt cum essent Spiritu sancto repleti, tunc gestorum spiritualium testes essent*, ita Hilarius. *Cœli*, inquit Dauid, *enarrant gloriam Dei*; idest cœlestes, vt explicat Ambr. l.2. de Abraham c.8. Cœlestes igitur prius fieri oportebat Apostolos, vt postea possent cœlestia, quæ in monte Thabor viderant, enarrare. Porrò sicut Isaiæ diuina mandata promulgaturo, ignito calculo, seu carbone labia purgata sunt; ita Apostolorum labia, antequam cœlestem Domini gloriam promulgarent, immisso cœlitus diuini spiritus igne purganda erant.

Psal. 18.

Isaiæ c. 6.7.

Dominus suã in monte Thabor gloriam alijs manifestari noluit, ne discipulis reliquis, præsertim Iudæ inuidendi occasio daretur; idem n. 69.

68. Redditur & alia ratio, cur suam gloriã in monte visam silentio premi Dominus voluerit; scilicet, *Ne proditorem inuidiæ rabies ageret in furorem*, vt ait Damascenus. Quare sicut Iudæ auaritia in Caluariæ monte Domino crucis ignominiã attulit; ita eiusdem Judæ inuidia factum est, vt Domini gloria in monte Thabor reuelata, diutius celaretur.

69. Exod. 34. n.5. & 28. dicitur: *Cum descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo. Fuit ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes.* Vbi quæritur, cur Deus familiariter cum Mose collocuturus in monte Sina, eique legem daturus, ipsum Mosem intra nubem absconderit? Preter rationem

Num. 13.

supra allatam, aliam reddit Oleaster: scilicet, ne Iudæos ad montis radices stantes tanta Mosis gloria, & cum Deo familiaritas ad inuidiam commoueret. Ex eadem causa suam tribus Apostolis manifestatam gloriam promulgari Dominus vetuit; ne scilicet discipulis alijs nondum Spiritus sancti aduentu à prauis affectibus omnino purgatis manifestatio illa inuidiæ fomitem ministraret.

# FERIA SECVNDA POST DOMINICAM secundam Quadragesimæ.

## Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini, Ioan. 8.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

Pharisæorum triplex peccatum: temerarium iudiciū, immoderata cupiditas, & incredulitas.

1. PHARISÆORVM triplex peccatum A hoc Euangelium detegit; scilicet temerarium iudicium: irregulatum amorem rerum terrenarum; & incredulitatem. Primum habetur illis verbis: *Numquid interficiet semetipsum?* Secundum verbis illis significatur. *Vos de deorsum estis; ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.* Tertium denique indicatur, cum dicitur: *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Ideo aduersus illos, aliosque Pharisæis non dissimiles peccatores ter mortis comminatio pronunciatur: *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Dixi vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si non credideritis; quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Rursus, quia triplex vita reperitur, scilicet naturalis vita per animam; meritoria vita per gratiam; æterna vita per gloriam; ideo, vt triplici hac vita obstinatos peccatores priuandos esse significetur, tribus vicibus aduersus illos Domini verbis mors prænunciatur. Euangelicis Domini Verbis Ecclesiastici sententia consonat: *Cor durum habebit malè in nouissimo. Hac animaduersione*, inquit Augustinus, *peccator percutitur, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens, & sanus oblitus est Dei.* Cordis igitur duritiem; vt æternæ damnationis radix nobis euellenda proponitur.

Peccator obstinatus vita triplici priuatur, naturali communicata per animam; meritoria per gratiam; æterna per gloriam.

C. 5.

August. tract. 48. in Ioanné. Peccator viuens oblitus Dei, moriens sui obliuiscitur.

*Ego vado.*

Imminens vt præsens significatur.

2. QVamuis stans Dominus Iudæos alloqueretur; & proinde *Vadam* potiùs, quàm *Vado* dicere debuisse videretur; nihilominus *Vado* dixit, non quidem motu corporis, sed temporis cursu. 1. quod imminet, vt præsens indicatur. Sic Ionathas, cui mors imminebat, dixit 1. Reg. 14. 43. *Gustans gustaui paululum mellis; & ecce morior.* Sic Ioan. 4. 25. Samaritana per præsens verbum dixit: *Scio, quia Messias venit:* hoc est eius aduentus imminet. 3. quia, vt benè Augusti. ait: *Non mouetur anima pedibus, sed affectibus:* affectu autem, & desiderio Dominus stans, sedens, iacens semper ad passionem ire verè dicere potuit.

Animæ pedes sunt affectus. August. tract. 48. in Ioan. Christi perenne suæ passionis desiderium.

*Et quæretis me; & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire.*

3. HIs verbis ait Cyrillus, *Prænunciat eis, quòd cum abierit, magno quidem desiderio quærent eum, petentes videre vnum diem filij hominis; sed non inuenient. Sanè post ascensionem quæsiuerunt eum illi pio affectu, qui Petro prædicante compuncti sunt corde dicentes: Quid faciemus viri fratres? Non tamen corpore præsentem inuenerunt; quamuis secundùm Diuinitatis præsentiam eis non defuit.* Huic Cyrilli interpretationi obstat, quod B Dominus subdidit: *In peccato vestro moriemini.* Qui enim Apostolo prædicante compuncti sunt corde, peccatorum remissione impetratâ in peccato mortui non sunt: & hunc fuisse fructum orationis Christi in Cruce pro crucifixoribus notat Chrysost. orat. in Parasceue. Similiter August. in Psalm. 93. ait: *De his, qui crucifixerunt Christum, facta sunt postea miracula, quando de ipso numero Iudæorum crediderunt, & donatus est illis sanguis Christi. Impias manus, & cruentas de sanguine Christi portabant: lauit eos ipse, cuius sanguinem fuderunt. Adiuncti sunt corpori ipsius, id est Ecclesiæ, qui corpus eius mortale, quod viderunt, persecuti sunt.* C *Fuderunt pretium suum, vt biberent pretium suum:* cum scilicet sub vini specie Eucharistia tunc fidelibus concederetur: Huiusmodi autem retributionem suis persecutoribus Dominum retribuisse ait Augustinus explicans Psalm. 93. verba: *Exaltare, qui iudicas terram; redde retributionem superbis.* Superbis scilicet Iudæis, qui antea suaui Christi iugo per fidem se subdere renuerunt. Idem docet August. serm. 4. de Sanctis. Dicendum est ergo Domini verba de impœnitentibus, obstinatisque Iudæis intelligi debere, qui Dominum non solùm in carne passibili, sed etiam, cum resurrexisse audiissent, iterum ad mortem D quæsierunt: & ideo Dominus talem eorum conatum fore omnino irritum prænunciauit dicens: *Quò ego vado*, scilicet post passionem ad immortalem vitam, *vos non potestis venire.*

Cyrilli sententia de quærentibus Christū improbatur.

Act. c. 2. 37.

Christi crucifixorum aliqui ad salutem conuersi.

*Et in peccato vestro moriemini.*

4. HIs verbis ad cognoscendam, & detestandam cordis duritiem excitamur. Isaïæ 23. *Erubesce, Sidon, ait Mare.* Quare peccatoribus sub Sidonis nomine significatis pudo-

Mare adsit Peccatoribus erubescentiam inijcere potest.

rem, & ruborem immittere possit mare plures afferuntur causæ. Illa à Sancto Ambrosio affertur. *Tamquam fatigati elementi vox ista dicentis est: Erubesce Sidon: hoc est meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior; Erubesce velut pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores venti sunt, quàm vestræ cupiditates; illi habent otia sua, numquam vestra quærendi studia feriantur; & cum otiosa tempestas est, numquam vestra otiosa sunt nauigia: versatur vnda sub remige, quando quiescit à flamine.* Præterea hominibus ruboris causa mare esse potest, eo quòd natiuas mare diuitias, nempe gemmas in littus frequenter expuat, veluti ad contemptum: cum è contrario auara hominum corda conquisitis diuitijs semper cupiant repleri.

Ambr. de Elia & ieiunio c. 19.

5. Sed ad rem nostram si humanum cor cum maris fluctibus comparetur, in ijs erubescendi causam inueniet; eo quòd, vt frequenti experientia fere semper contingit, mare cadauera intra suum gremium ad triduum tantùm esse patitur, deinde illa in littus ejicit: obstinati verò peccatores propriam animam ob amissam gratiam cadaueri assimilatam non ad triduum, sed ad totius vitæ cursum intra conscientiam peccatis marcescere patiuntur; ita vt ijs Domini verbis meritò prædici possit: *In peccato vestro moriemini.* B. Iudas Apost. in epist. Cath. Peccatores vocat *fluctus feri maris despumantes suas confusiones.* Idem affirmat Isa. cap. 57. Sed quia impar, & deficiens comparatio videbatur, addidit particulam *Quasi: Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest; & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum:* ex Hebræo. *Quasi mare, quod numquam nisi stercus, & lutum ejicit cuius aquæ propellunt ad littus cœnum, & lutum*, iuxta Vatablum. In hoc ergo comparatio agitati maris, & obstinati peccatoris deficit; quòd mare cum tempestate fluctuat, sordida eiectamenta ad litus expellit: secus verò peccator, licet efferuescentium passionum fluctibus intra conscientiam agitetur, & æstuet, peccatorum sordes non ejicit. Matth. 8. cum dæmonum legio in porcorum gregem introisset, *impetu abijt totus grex per præceps in mare.* Sues cum infernorum hostium vexationem ferre non possent, in mare præcipites se iecerunt: peccator à dæmonum vexatione etiam cum incolumitate se liberare non curat.

Mare post triduum cadauera foras ejiciens, obstinatis peccatoribus erubescentiæ causa esse potest.

6. Quod si peccatores malè vsurpantes verba illa Augustini tom. 10 serm. 6. de verbis Apostoli cap. 10. *Venit Saluator ad genus humanum, nullum sanum inuenit; ideo magnus medicus venit:* Si, inquiunt, Christus Dominus generis humani tamquam magnus, immò omnipotens medicus venit; ab eo cuilibet peccatorum morbo medela facillimè est expectanda; ità vt propterea comminatio illa: *In peccato vestro moriemini*, valdè à peccatoribus quibuslibet timeri non debeat: Si, inquam, huiusmodi cogitatione peccatores se ipsos decipiant; meminerint quòd de cœlesti medico Ecclesiastici 10. Scriptum est: *Breuem languorem præcidit medicus:* id est recentem languorem, vt ibi explicat Dionysius. Nam sæpè inueteratum obstinatione languorem præcidit quidem cœlestis medicus, ne vlterius serpat; Sed præcidendo vitam; ita vt propterea obstinatis peccatoribus iusta hæc comminatio fiat: *In peccato vestro moriemini.*

Recentem languorem, non inueteratum, sanare solet medicus.

Morbum inueteratum præcidere solet cælestis medicus, vitam recidendo.

7. Obstinati peccatores lapideum cor habere dicuntur; quare cum ex ijs aliquos diuina bonitas ingenti gratiarum effusione ad pœnitentiam efficaciter vocare dignatur ait: *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Sed aliquando ipsis lapidibus peccatorum corda magis obduruisse legimus 3 Reg. 13. Cum impius rex Ieroboam super lapideum altare thus idolis offerret, indignatus Domini Propheta, cum tantum scelus increpare vellet, *Exclamauit contra altare in sermone Domini, & ait: Altare altare, hæc dicit Dominus.* Sed cur contra lapideum altare potius innocenter impio sacrificio illi deseruiens, quàm contra sacrilegum regem verba conuertit? Scilicet, vt significaret lapidem facilius, quàm peccatis obstinatum animum commoueri. Quod quidem exitus comprobauit; quandoquidem lapideum altare scissum est, vt Sacra Historia testatur; Ieroboami verò cor peccatis obduratum ad mortem vsque impœnitens perseuerauit: quare Chrysostomus his verbis Propheram alloquitur rom. 5. hom. 5. de pœnitentia: *Lapidem alloqueris? sic, quoniam quidem lapide ipso insensibilior homo. Audi altare, audi: Hæc dicit Dominus. Atque illico altare scissum est, lapisque audiuit, fractusque est lapis, & effudit libamen: quomodo non audiuit homo?* Meritò igitur Ieroboamo per Amos in obstinationis pœnam mors violenta prædicitur: *In gladio morietur Ieroboam* cap. 7.

Peccator lapidibus durior: Idem n. 9. 10.

Ezechielis 11.

Propheta Domini cur potius contra altare, quam contra idololatram Ieroboamum exclamauit.

8. Apoc. 9. dicitur: *De fumo putei exierunt locustæ in terram; & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.* Vbi Ambrosius, vel alius grauis auctor ait: *Per scorpiones possumus dæmones accipere: quia sicut scorpiones, dum non præuidentur, corpora hominum suo veneno inficiunt, & extingunt; ita dæmones incautis hominibus venena malarum persuasionum ingerunt; & dum ad perpetranda scelera pertrahunt, eorum animas veneno suæ malitiæ infectas occidunt. Potestas ergo locustarum, id est hæreticorum similis est potestati scorpionum, id est dæmonum.* De scorpionibus Vlysses Altonrandus lib. 5. de insectis cap. 21. ait: *Sub lapidibus plerumque nascuntur, ac degunt, ac in locis petrosis: vnde Græca paræmia: Sub omni lapide scorpius dormit.* Similiter dæmon tamquam tartareus scorpio sub obdurato, & lapideo corde latet, ibique libentissimè conquiescit: & difficillimè expellitur.

9. Numer. 20. post eruras è saxo aquas Mosi, & Aaroni à Domino dictum est: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Si quæratur cur Moyses, & Aaron incredulitatis culpam subierint eliciendo è saxo aquas? Respondetur illos elicere debuisse è lapide aquas, non geminando virgæ ictum, vt Moyses fecit: *Cum eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ*: Sed potius lapidem ipsum ex Domini imperio alloquendo: *Petra*, inquit Abulensis, *dicere debebant, Petra, dicitur tibi in nomine Dei nostri viui, quòd des aquas nobis, & dimidaris.* Quandoquidem Moysi præceperat Dominus: *Tolle virgam, & congrega populum tu, & Aaron frater tuus; & loquimini ad petram coram eis; & illa dabit aquas.* Si igitur prolatis à Moyse vocibus aquas lapis daturus erat; maiorem efficacitatem Dei verba in lapide erant habitura, quàm in Mose, & Aarone habuerunt; quandoquidem lapis effusis aquis statim Mosis verbis obtemperaturus erat; Moses verò, & Aaron Dei verbis obsequi noluerunt, existimantes cum lapide, ictibus potius, quàm vocibus esse loquendum. Quod si in sanctis viris, quales Moses, & Aaron fuerunt, præ lapidibus animum obduruisse reperimus; quid de durissimo pec-

Moses silicem percutiens, in quo peccauit.

Cordis duritiem expellere à saxis addiscere possumus: Idem n. 10. & 11.

catorum corde non temere poterit iudicaturi? 10. Iſaiæ 48. plura ſcelera, præcipue cordis duritiem, animique obſtinationem Hebræo populo Dominus exprobrat: *ſciui, quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.* Vt ſcelerum autem exprobratio vim maiorem haberet, collata Hebræis beneficia erant commemoranda. Ex præteritis tamen beneficiis illud commemorat Dominus, ſcilicet lapidis ad effundendas aquas promptum obſequium, vt diuino pareret imperio, Hebræiſque ſitim extingueret: *Auditum facite hoc, & efferte illud vſque ad extrema terræ; dicite: Redemit Dominus ſeruum ſuum Iacob: aquam de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ.* Hoc, inquam, ſolummodo ex innumeris beneficium commemoratur: ſcilicet, vt idem ſimul eſſet, & grati animi incitamentum, & ad Deo obediendum exemplum: poſſentque peruicaces Iſraelitæ à duriſſimo ſaxo cor emolliendi, diuiniſque vocibus obſequendi rationem addiſcere.

Marci 16.

11. Chriſtus Dominus ab Oliueti monte in cœlum aſcenſurus, cum diſcipulorum quorundam incredulitatem, & cordis duritiem exprobraſſet; deinde antequam è terra eleuaretur, lapidem ſuis veſtigijs impreſſit, de quibus prophetice teſte Baronio Zacharias c. 14. dixit: *Stabunt pedes eius ſuper montem Oliuarum, qui eſt contra Ieruſalem ad Orientem.* Scilicet, vt quam iuſtè humana duritiés argueretur, emollitus Domini veſtigijs lapis teſtimonium exhiberet.

12. Porrò Burcardus parte prima c. 7. citatus & admiſſus à Baronio, docet lapidem Domini veſtigijs impreſſum ab infidelibus è pauimento ſublatum, in templi porta Orientali ab iiſdem fabricæ obſtructione clauſa fuiſſe contectum. Quare meritò de hoc occultato lapide intelligi poteſt illud Habacuc ſecundo *lapis de pariete clamabit*, ſcilicet ad peccatorum duritiem increpandam. De lapide Domini veſtigijs impreſſo teſtatur etiam Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem agens de monte Olíueti. Subſcribit eidem ſententiæ Ribadineyra in Domini Aſcenſione: diſſentit tamen Lorinus in act. Apoſt. aſſerens impreſſa non in lapide, ſed in terra, & arena Chriſti veſtigia. Verumtamen, vt opiniones concilientur, quod ab aliquibus auctoribus de puluere è ſignatis Chriſti veſtigijs à fidelibus auferri ſolito dicitur, intelligi poteſt de puluere ipſi impreſſo lapidi ſuperiecto.

Lapis contra peccatorum duritiem clamabit.
Lapidé ſuis veſtigijs impreſſum Dominus in cœlum aſcendens reliquit, ad humanam duritiem arguendam.

13. Sed vt è ſacro puluere ad cordis duritiem execrandam redeamus; 3. Reg. 18. dixit Elias: *Apprehendite Prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis; quos cum apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Cyſon, & interfecit eos ibi.* Quo in loco quæritur, cur Sanctus Domini vates ad ſacrilegos pſeudo-Prophetas puniendos conſultò Cyſonis ripas delegerit? An non alibi laniena illa melius exerceri poterat, ne ſcelerato illorum ſanguine limpidæ torrentis aquæ commacularentur? Reſpondet Hugo Victorinus: *Duxit Elias Prophetas Baal ad torrentem Cyſon, qui interpretatur duritia eorum; & interfecit eos ibi. Sic Redemptor noſter adueniente die Iudicij mittet Angelos ſuos, & colligent omnia ſcandala de regno eius, & mittent eos in ſtagnum ignis, vbi cruciabuntur ſecundùm duritiem, & impœnitens cor eorum.*

Elias ad damnandam peccatorum duritiem, Pſeudo-Prophetas propè torrentē Cyſon, qui interpretatur *Durities* occidit.

14. Quod ſi cor durum, & impœnitens quale ſit quæremus? Reſpondet Origenes in epiſt. ad Rom. cap. 2. *Cor durum eſt, cum mens humana, velut cera, frigore iniquitatis obſtricta ſignaculum imaginis diuinæ non recipit.* Si imaginem non recipit ab imaginis prototypo in Gehennæ incendium ejicietur, vt ibi tam obſtinatè obdurata cera æternas flammas nutriat. Reſpondet 2. Bernardus lib. 1. de conſideratione: *Cor durum id ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur; nec pietate mollitur; nec mouetur precibus; minis non cedit; flagellis induratur; ingratum ad beneficia eſt; ad conſilia infidum; ad iudicia ſæuum; inuerecundum ad turpia; improuidum ad pericula; inhumanum ad humana; temerarium ad diuina; præteritorum obliuiſcens; præſentium negligens; futura non prouidens. Ipſum eſt, cui præteritorum, præter ſolas iniurias, nihil omnino non præterit, præſentium nihil non perit; futurorum nulla, niſi fortè ad vlciſcendum proſpectio, ſeu præparatio eſt. Et vt breui cunctis horribilis mali complectar, ipſum eſt, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.*

Cor durum quale ſit.

15. De obſtinatis duro corde peccatoribus dicitur: *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum.* Quid lacte mollius? parum igitur congruè ad exprimendum iniquorum duritiem lactis ſimilitudo vſurpari videtur. Ferro potius, chalybi, aut æri peccatoris durities erat comparanda. Sed ferrea, chalybina, aut ænea maſſa, quantumuis obduruerit, igne iterum liquefieri facilè poteſt; lac verò, vbi ſemel coagulo obduruit, ad priſtinum ſtatum redigi, & liquefieri neutiquam poteſt. Ideo ad ſignificandum in obſtinatis peccatoribus cordis duritiem cauſam eſſe, vt diuina gratia emolliri renuant, coagulato lacti à Dauide comparantur: *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum*: iiſque meritò à Deo dicitur: *In peccato veſtro moriemini.*

Pſal. 118.
Cor durum coagulato lacti ſimile.

16. Peccator ſe ſuo in peccato moriturum non credit, eo quòd peccati pœnitentiam, & emendationem habiturum ſe ſperet: propterea præſens tempus in peccatis agit, differendo in futurum tempus pœnitentiam. Ex quo fit, vt ſpe vitam in duas medietates partiatur, quarum priorem peccatis tribuat; poſteriorem verò peccati emendationi daturum ſe ſperet. Sed ad fallacem hanc ſpem tollendam peccatoribus dicitur duas has, quas ſibi fingunt vitæ medietales, non habituros. *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Dies dimidiare*, inquit Gregor. *eſt tempus vitæ malè in voluptatibus ductum ad pœnitentiæ lamenta diuidere, atque hoc ad bonum vſum partiendo reparare. Sed iniqui dies ſuos nequaquam dimidiant; quia peruerſam mentem, nec in extremo tempore immutant. Quò contra benè Paulus admonet dicens: Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Tempus quippe redimimus, quando ante actam vitam, quam laſciuiendo perdidimus, flendo reparamus.*

Peccator pœnitentiam diu differens quomodo ſuos dies non dimidiabit.
Pſal. 54.
Greg. 5. Moral. c. 9.
Ad Eph. c. 5.

17. Notandum hîc eſt, non ſolùm ante actam vitam iam amiſſam flendo reparare nos poſſe, vt Greg. ait; ſed inſuper tam efficacem eſſe pœnitentiæ fletum, vt futurum vitæ ſpatium iam amittendum iterum acquirat. Expertus id eſt Ezechias, cui ex Iſaiæ ore Dominus dixit: *Morieris tu, & non viues. Fleuit itaque Ezechias fletu magno; & factus eſt ſermo Domini ad Iſaiam dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas, & ecce ſanaui te, & addam diebus tuis quindecim annos.* O præclarum antidotum lacrymæ, quæ præteritos annos reparant, præſens vitæ ſpatium à morbo liberant; futuros annos certò ſtabiliunt. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram*, dicitur 2. Regum 14. Ne in terram, ſicut aqua, dilabamur, in cœlum per Pœnitentiæ lacrymas eleuemur: piarum enim lacrymarum fons ille eſt, de quo myſticè dicitur

Pœnitentiæ lacrymis præterita vita peccando iam amiſſa reparatur, & futurum vitæ tempus, alioquin amittendum, acquiritur.
4. Reg. c. 20.
Pœnitentia ligno vitæ comparatur.
Pœnitentis fletus ſimilis fonti è vitæ ligno mananti.

Ioan. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Possunt ex pœnitentia cordis lacrymæ imminentem ex peccati pœna mortem prohibere: *Beatus homo, qui inuenit sapientiam,* dixit Salomon Prouerb. 3. vbi ait Bernad. *Sapientia est in pœnitudine peccatorum: inuenisti plane sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas.* Subdit Salomon: *signum vitæ est his, qui apprehenderint eam.* Aptissimè vitæ ligno pœnitentia comparatur: sicut enim imminentem vitæ defectum propter senium, & radicalis humidi iacturam vitæ lignum suis fructibus prohibere poterat, vires reficiendo: similiter pœnitentia imminentem ex peccatorum supplicio mortem prohibere potest. Propterea dicitur Isaiæ 65. *Secundùm dies ligni erunt dies populi mei:* id est *ligni vitæ*, vt Septuaginta legunt. E ligni vitæ radicibus largus ille erumpebat fons, qui paradisum vniuersum irrigabat: propterea dixit Ambrosius cætera ligna eius viriditate floruisse: transmittendo enim fluuium, quo ipsum vitæ lignum virebat, vt arbores aliæ florerent, efficiebat. Similiter ex pœnitentis corde largus lacrymarum fons debet effluere, qui Deo animum amœniorem paradisum reddat.

Bernardus serm. 15. de diuers.

Ambrosius in Psalm. 37.

*Dicebant ergo Iudæi: Numquid interficiet semetipsum, qui dicit: Quò ego vado, vos, non potestis venire?*

18. CVm Christus Dominus ad immortalem vitam se resurrecturum significaret; cum Iudæi sibi mortem illaturum temere iudicarunt. Quàm bene contra huiusmodi temere iudicantes Deus comminatur Isai. 5. 20. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Profectò Iudaïca contra Dominum tanquam blasphemum prolata Ioan. 10. 33. contra ipsum Iudæum temere Iudicantem retorqueri possunt: *Tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Quia enim solus *Deus nouit abscondita cordis*, vt Psalm. 43. 22. dicitur: is, qui temere de alterius corde, occultaque intentione iudicat, vtique occulta iudicandi munere se Deum constituere videtur: immo ex nullo manifesto indicio temere iudicando, ipsi Deo se præfert. Patet hoc ex Genes. 18. *Dixit Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Cum *omnia nuda, & aperta sint oculis Dei.* Cumque Sodomorum, & Gomorrhæorum peccata ipsis hominibus occulta iam non forent; nihilominus iustissimus Iudex Deus ait: *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint; an non est ita, vt sciam.* Scilicet, non quod ad rei veritatem cognoscendam Deum descendere opus esset; cum Deus vbique sit, *& in altis habitans humilia respiciat in cœlo, & in terra:* Sed, vt homines doceret de aliorum occultis non temere esse iudicandum. Hinc bene Gregorius monet: *Noli ex suspicione tua iudicare antequam discas, vtrum ita se habeat; neque aliquem culpare; sed potius Deum imitare, qui ait: Descendam, & videbo.*

Occulta cordis iudicans, sibi impiè Dei munus vsurpat.

Temerè iudicans se Deo præfert.

Epist. ad Hebr. cap. 4. 13.

Psalm. 112.

Gregor. 19. Moral. 13.

19. Sophoniæ cap. 1. in peccatores diu peccatorum sordibus hærentes inquirere se velle Dominus asserit: *Visitabo super viros defixos in fæcibus suis.* Vt autem eorum peccata inquirendi ratio noscatur, *Scrutabor*, inquit, *Ierusalem in lucernis.* Atqui Deus *Pater luminum* in sacris litteris dicitur, præsertim ob infinitam ad omnia cognoscenda claritatem: quid igitur ei lucernis opus est, vt visitet peccatores, non quoscunque, sed fœculentos, peccandique frequenti consuetudine satis notos? His etiam verbis insinuat Dominus intolerabilis temeritatis conuinci eos, qui de aliorum ignotis culpis facilè iudicant; cum Deus peccata temporis diuturnitate satis certa adhuc lucernarum superaddito lumine scrutari se velle testetur.

Temerè iudicans se Deo præfert.

Epist. Iacobi cap. 1. 17.

20. Qui in culpis ad se pertinentibus vel cæcutiunt, vel iis cognitis ad correctionem negligenter se gerunt, ij facile de aliorum operibus temere iudicant. Ophni, & Phinees filij sacerdotis Heli lasciuiæ peccato rapinam addebant; nam ex sacrificiis Deo offerendis meliorem partem per vim, & iniustè sumebant; & ideo *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini*; vt 1. Reg. cap. 2. dicitur. Porro, vt ibidem cap. 3. dicitur, Sacerdos Heli iniquorum filiorum pater *nouerat indignè agere filios suos, & non corripuit.* Ea seueritate, qua tantum crimen corripere opus erat. Nihilominus, vt ibidem cap. 1. dicitur, cum Anna Elcanæ coniux *multiplicaret preces coram Domino, Heli obseruabat os eius. Anna loquebatur in corde suo, tantùmque labia illius mouebantur; & vox penitus non audiebatur. Æstimauit ergo eam Heli temulentam, dixitque ei: vsquequo ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades.* Feruidas ergo preces piæ mulieris è spiritus ardore prouenientes ebrietati temere tribuit, Heli; qui filiorum, vt gulæ satisfacerent, impiam rapacitatem dissimulauit. Similiter non alij, quàm Pharisæi iuxta Basilium, qui suis in vitiis cæci erant, & duces cæcorum, cum Domini discipulos è Spiritus sancti feruore concepto loquentes audiissent, eos ebrios temere existimarunt dicentes: *Musto pleni sunt hi:* Act. 2. 13.

Cæcutientes in peccatis ad se pertinentibus, ad aliena temerè iudicanda proni sunt.

Basilius serm. 1. de institut. Monach.

21. Ne temerè iudicemus optimum nobis motiuum datur ex eo, quod in sacra Scriptura de Iuditha refertur. Pia hæc, & forma & pudicitia celeberrima mulier, vt eius historiæ cap. 10. dicitur: *Abstulit à se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ, & lauit corpus suum, & vnxit se myro optimo; & discriminauit crinem capitis sui; & imposuit mitram super caput suum; & induit se vestimentis iucunditatis suæ; induitque sandalia pedibus suis; assumpsitque dextrariola; & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se.* Cum Iuditha tam accuratè se comeret; & à planta pedis vsque ad verticem capitis, à sandaliis vsque ad mitram capitis ornatum assumeret; qui præsens fuisset, nescius quod pia fœmina meditaretur, vtique ornatum illum leuitati, & lasciuiæ facilè tribuisset: Cum tamen ex pietate in patriam ad se ornandam diuino instinctu pia mulier moueretur: Quod certè breui temporis spatio exitus comprobauit. Benè ergo nos monet Apostol. *Nolite ante tempus iudicare* 1. ad Corinth. 4. 5.

Iuditha, quæ cilicio se exuens, pretiosis vestibus exornauit, ne temerè iudicemus edocuit.

22. Similiter Lucæ 19. cum Dominus Zachæo publicanorum principi dixisset: *Zacchæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere:* qui adstabant Iudæi *murmurabant dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset:* malè scilicet de Domino iudicantes; eo quòd cum peccatoribus, tamquam à peccatis non alienus tam libenter versaretur; & sua familiaritate publicani exercitium comprobare videretur. Quod vtique temere non iudicassent, si tantisper expectassent: audissent enim pœnitentem Zachæum dicentem: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus. Et si quid aliquem defraudaui, reddo*

Iudæi cur ante tempus, & temerè de Zachæo iudicarint.

*quadruplum.* Bene ergo Monet Apost. *Nolite ante tempus iudicare.* A Act. cap. 28. cum vipera Apostoli Pauli manum inuasisset, hinc ad temerè de eo tanquam de peccatore iudicandum adstantes moti sunt, peiorem vipera maledicam linguam exhibentes: *Vt viderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtique homicida est homo hic; qui cum euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere.* In hoc autem temerarium iudicium non incidissent, si allatum Apostoli monitum seruassent: *Nolite ante tempus iudicare.* Nam *Videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se dicebant, eum esse Deum.* Sic *ex homicida Deum faciunt*, vt Chrysostomus ait, praui omnino iudices, siue in malam, siue in bonam partem factum accipiunt. B Bene enim Ecclesiasticus cap. 19. ait: *Qui credit citò, leuis est corde, est modicus mente*, vt legit Arabicus.

*Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum: Vos de mundo hoc estis; ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris.*

23. CHristus Dominus verè de supernis se esse dixit, non solùm quoad naturam, & suppositum diuinum, sed etiam quoad humanam naturam, quia animo in cœlum fixus erat cælestia cognoscendo, de cœlestibus cogitando, C cœlestia expetendo: propterea de hoc infimo mundo non erat, cum à terrenis, & transitoriis mundi bonis liberum animum, & omnino alienum haberet. Ideo de Christo 1. ad Cor. 15. 47. dictum est: *Secundus homo de cœlo cœlestis.* Contra verò de Iudæis eum calumniantibus Dominus ait: *Vos de mundo hoc estis: vos de deorsum estis*, quia erga hæc infima terrena bona affectu trahimini: propterea graui corde deorsum tenditis; vobisque à Dauide dicitur Psalm. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde; vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* & ab Isaia 1. 4. D *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum; blasphemauerunt sanctum Israël; abalienati sunt retrorsum.*

24. Iudæi, præcipuè Pharisæi, & Scribæ Domini verbis increduli, eumque calumniantes cum terrenis bonis maximè inhærerent, deorsum animo tendebant; cum tamen per hypocrisim sursum ferri, diuinamque legem zelare viderentur. Propterea Gregor. 31. Moral. cap. 5. explicans Iobi verba, *Penna struthionis similis est pennis herodij, & accipitris*, Pharisæos, & Scribas struthioni aptissimè comparat: *Quis Herodium, & accipitrem nesciat aues reliquas quanta volatus sui velocitate transcendunt? Struthio verò pennæ eorum similitudinem habet, Sed volatus eorum celeritatem non habet. A terra quippe eleuari non valet & alas quasi ad volatum specie tenus erigit; sed tamen nunquam se à terra volando suspendit. Ita sunt omnes hypocritæ, qui dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ conuersationis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent. Habent quippe volandi pennas per speciem, sed in terra repunt per actionem; quia alas per figuram sanctitatis extendunt; sed curarum secularium pondere prægrauati nullatenus à terra subleuantur: speciem Pharisæorum reprobans Dominus, quasi struthionis pennam redarguit; quia in opere aliud exercuit, & in colore aliud ostendit, dicens: Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: subleuare vos videtur species pennæ; sed* A *in infimis vos deprimit pondus vitæ.*

Pharisæi, & Scribæ Domini calumniantes struthioni similes.

Iob cap. 39. 16.

25. Dominus dicens: *Vos de deorsum estis*, paucis istis verbis plurium causam reddit. Primò: *Quò ego vado, vos non potestis venire*: eum opposita via incedamus: vos enim quia *de deorsum estis*, terreno affectu deorsum tenditis: ego verò, quia *de supernis sum*, in cœleste Regnum ad Patrem meum vado. Secundò, quia *de deorsum estis*, ideo de me temere iudicatis dicentes: *Numquid interficiet semetipsum?* Nam *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Tertiò denique, quia *de deorsum estis*, nunquam sursum per pœnitentiam vos erigetis; ideo *moriemini in peccatis vestris.*

Dominus paucissimis verbis multa significat: de quo num. 27.

1. ad Cor. 2. 14.

*Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.*

26. MEritò mors æterna obstinatis Iudæis prædicitur, cum ab æterna vita per incredulitatem se separauerint. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, ipse Dominus ait Ioan. 17. 3. Moriemini ergo incredulitatis, & obstinationis rei, Dominus ait, *si non credideritis, quia ego sum*, nempe talis, qualem iustus Simeon in Ierosolymitano templo coram multitudine me esse dixit; scilicet *salutare Dei ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis Israël. Si non credideritis, quia ego sum*, is, de quo Ioannes turbis ad Iordanem accurrentibus dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum; & ego vidi, & testimonium perhibeo, quia hic est filius Dei, si non credideritis quia ego sum*, de quo æternus Pater audientibus in Iordane turbis è cœlo dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: Ioan. 1. Denique, *Quia ego sum* talis, qualem mea opera testantur: *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius facit, peccatum non haberent.* Ioan. 15. 14.

Lucæ 2.

Ioan. 1.

Matth. cap. 3.

*Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium, qui & loquor vobis.*

27. IVdæis interrogantibus, quis esset, Dominus Principium se esse respondit: qua vna Principij voce plura de se mirificè indicauit. Primò se principium nominando, non purum hominem, sed etiam Deum esse significauit. Principij enim nomen Deo tribuitur, eo quòd rerum omnium fons, & principium sit. Ideo, vt Chri- E stus verus Deus esse significaretur; Psalm. 109. habetur: *Dixit Dominus Domino meo*: hoc est, vt benè explicat Rupertus lib. 1. de Trinit. cap. 7. *Dixit Pater Filio Deus Christo: Tecum Principium; ac si dicat: Idcirco sede à dextris meis; idcirco dominare in medio inimicorum tuorum, quia Deus es & non homo tantum; Verbum, & non caro tantùm. Denique hoc idem sonat: Tecum principium: Cum natura humana, secundum quam visus es, vel reputatus es nouissimus virorum, Diuina natura esse in vnitate personæ antiquum, & increatum principium.*

Principium se Christus nominauit, quia Deus, quia æternum Verbum; quia sapientia diuina, quia humani generis Redemptor; quia etiam vt homini omnia dedit ei Pater in manus. Idem nu. 28 & seqq.

28 Secundò Principij nomen Diuino Verbo tribuitur, eo quod omnium creationis sit principium; testante Ioanne de diuino Verbo: *omnia*

Ioan c. 1. Verbum non solùm vocem, sed etiam opus significat. *per ipsum facta sunt.* Quamuis enim opera ad extra communia sint tot Trinitati; nihilominus (vt bene docet Toletus, cum Deus imperio creauerit omnia: *Dixit enim, & facta sunt; mandauit, & creata sunt*, Psalm. 32. imperare autem cum sit intellectus, rectissimè sicut verbum, ita imperium tribuitur Filio; vnde Filij est esse Verbum, & imperium, per quod omnia facta sunt. Ideo Ecclesiastici 43. dicitur: *In sermone eius composita sunt omnia:* ideo psalm. 118. 160. Deo dicitur, *Principium verborum tuorum veritas.* Vbi iuxta Hugonem veritatis nomine diuinum verbum, Deique filius bene significatur, qui de se dixit Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Cumque in scriprura verbum non solùm vocem, sed etiam opus significet, vt Exodi 9. *Cras faciet vobis Dominus hoc verbum in terra:* Lucæ 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum:* Luc 2. *Videamus hoc verbum, quod factum est:* hinc cum Deo dicitur: *principium verborum tuorum veritas;* sensus est: diuinum verbum, quod veritas æterna, & increata est omnium Dei operum principium est. Ideo psalm 32. dicitur: *verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vbi simpliciori litteræ sensu, vt bene notat Lorinus, spiritus oris Dei non differt à verbo; sed imperium vtroque significatur. Similiter Isaias 11. & Apost. 2. ad Thessal. 2. de Christo imperante ait: *percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Propter allatam rationem, vt per diuinum verbum omnia creata Moses significaret Gen. initio dixit: *In principio creauit Deus cælum, & terram. Abscondit personam filij sub velamine nominis principij*, ait Rupert. lib. 1. de Trinit. c. 5. *sapientes, & superbi, quales dicebant Dei filio: Tu quis es? in hoc dicto: in principio creauit, nihil aliud inuenerunt, quàm si diceretur: primitus creauit. Quo sensu Poeta Ethnicus dicere potuit: principio cælum, ac terras, camposque liquentes, lucentemque globum lunæ, litaniaque astra spiritus intus alit. At Dominus interrogantibus, tu quis es? ait, principium, qui & loquor vobis.* Addit Rupertus ideo Dominum psalm. 39. dixisse: *in capite libri scriptum est de me:* Quia in capite, hoc est initio libri sacram scripturam continentis dicitur: *in principio*, hoc est in verbo *creauit Deus cælum, & terram.* Idem docet Tertul. in Praxeam, & Hieronymus in traditionibus Hebraïcis: idemque explicans citata psalm. verba ait: *caput libri testamenti veteris tale sumit exordium: In principio fecit Deus cælum, & terram; id est in Christo Domino: & ipse interrogantibus Iudæis quis esset? respondit: principium, qui & loquor vobis:* scilicet, qui nunc tamquam homo sensibilibus verbis vos alloquor, verbum diuinum etiam sum, quo Deus omnia creauit, ac proinde rerum omnium principium sum. Idem antea docuerat Ambros. lib. primo in Hexameron c. 2. *Moyses in exordio sermonis sui sic ait: in principio fecit Deus cælum, & terram. Initium rerum, auctorem mundi, creationem materiæ comprehendens, vt Deum cognosceres ante initium mundi esse, vel ipsum esse initium vniuersorum: sicut in Euangelio Dei filius dicentibus sibi, tu quis es? respondit: Initium, quod & loquor vobis: & ipsum dedisse gignendis rebus initium, & ipsum esse creatorem mundi.* Idem docuit etiam Basilius in Hexameron. Hom. 1.

29. Tertio quia sicut æterno Patri omnipotentia, & spiritu sancto bonitas; ita diuino verbo per intellectum à Patre procedenti sapientia tribuitur: rursus, quia psalm. 103. 24. verissimè Deo

A dicitur: *omnia in sapientia fecisti;* ideo Christus Dominus, vt diuinum verbum, bene se rerum omnium principium nominauit. Ideo Ecclesiastici 24. diuinum verbum, Deique sapientia ait: *ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam; ego feci, vt in cælis oriretur lumen indeficiens. Omnia in sapientia fecisti*, ait Augustinus hic; *ergo omnia in Christo fecisti; ille contemptus, ille expalmatus, ille consputus, ille spinis coronatus, ille crucifixus, omnia in illo fecisti. Audio, audio quid de illo, scilicet Christo, tuo milite, scilicet Apostolo, nuncies hominibus; quid de illo*, scilicet Christo, *præcone sancto*, scilicet Apostolo, *prædices gentibus: Christum Dei virtutem, & sapientiam. Omnia in sapientia fecisti; repleta est terra creatura tua, Christe. Quod enim non à Patre per* Ep. 1. c. 1. ad Corinth. 24.

B *filium creatum est. Quidquid enim ambulat, & repit in terris; quidquid natat in aquis; quidquid volat in aëre; quidquid in cœlo circumagitur; quantò magis terra, totus mundus creatura Dei est*, idem Aug. lib. 11. de ciu. c. 32. ait: *in principio fecit Deus cœlum, & terram; quia omnia in sapientia fecit: quod est verbum eius, & ipsum scriptura principium nominauit; sicut ipse in Euangelio Iudæis quærentibus quis esset? respondit se esse principium.* Idem indicat August. de Genesi ad litteram c. 5. similiter Ambrosius: *omnia in sapientia fecisti, non sapientiam fecisti; omnia in sapientia facta sunt; Christus autem Dei sapientia est, non accidens, sed subsistens, & permanens in æternum.* Rupert. lib. 1. in

C Gen. c. 3. *in principio creauit Deus cælum, & terram. Cum ipsa creatura principium mundi sit, cur sic dictum est: in principio creauit? idem enim est, ac si diceretur: in principio principium fecit. sed si hoc modo vulgariter hic accipias principium; dum dicitur: in principio creauit, vitium est in superfluitate dictionis: Bene ergo hoc loco principium sic accipitur tamquam proprium quoddam filij vocabulum; quia videlicet sic ipse voluit, qui tum interrogaretur à Iudæis: tu quis es? principium ait, qui & loquor vobis. Nam verè in hoc principio creauit cælum, & terram Deus, quia omnia per ipsum facta sunt. Hæc, & alia scriptura fatetur, cum dicit: omnia in sapientia fecisti: quæ videlicet sapientia non est alia,* Virg. 1 æ.

D *quàm verbum Dei; verbum Deus, qui se ipsum principium nominauit.* Idem docet Athanasius disp. 2. & 3. contra Arianos, & Cyrillus Alex. dialog. 5. de Trinit. Denique ad hoc expresse significandum Apost. ad Coloss. c. 1. 16. de Christo Domino Dei filio ait: *in ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia; siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Per ipsum scilicet, tamquam Dei verbum, ideam, & sapientiam: *Et in ipso creata sunt*, quia immensitate sua omnia complectitur; *& ipse est ante omnes*, dignitate, & æternitate: *& omnia in ipso constant*, cum ab eo omnia consistant, & conseruentur: & ideo ab Apost. ad Hebræos c. 1. Dei fi-

E lius dicitur *portans omnia verbo virtutis suæ:* id est creata omnia suæ virtutis imperio moderans, & conseruans. Ibidem ait Apost. *Deus locutus est nobis in filio, per quem fecit & secula:* Hoc est, vt bene explicat cum Ribera Cornelius, Deus Pater per Filium suum, qui est verbum suum æternum, tamquam per ideam omnes rerum gradus, & species continentem, & tamquam per sapientiam architectonicam, increatam, omniscium, & omnipotentem, in qua sunt, & viuunt sempiternæ rerum omnium rationes, fecit secula: *fecit non tantum æterna, idest sempiterna; sed secularia, visibilia, & inuisibilia*, ait Hugo Cardinalis,

dinalis. Sed melius per sæcula non mutabilia tantùm, sed etiam immutabilia, & sempiterna significati simul videntur; quod equidem etiam sempiterna, & si non temporalia sunt, cum tempore tamen cœperunt. Sicut igitur mundi nomine non solùm cœlum, & terra; sed etiam omnia, quæ in illis sunt significantur; ita seculorum nomine non tantùm successiones temporum, sed etiam omnia, quæ cum tempore transeunt, vel cum tempore cœperunt, intelliguntur.

30. Quarto non solùm vt creator, & conseruator, & verbum diuinum; sed insuper, vt humani generis Redemptor Christus Dominus, qua Deus homo principium dicitur; principium scilicet nostræ salutis, omniumque cælestium gratiarum, quas nobis meruit, & tandem beatitudinis in Cœlesti patria acquirendæ. Ideo Christum Dominum vitæ authorem Petrus Apostolus nominauit act. 3. 15. *Auctorem vitæ interfecistis.* Ideo idem Dominus ab Isa. 9. 6. *Pater futuri seculi, princeps pacis dicitur*: quia scilicet per ipsius mortem Deo reconciliati sumus: *ipse est pax nostra*, ait Apost. ad Eph. 2. & ad Coloss. 1. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, & primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipsô complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius; siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Similiter ad Ephes. 1. de Deo patre dicitur: *proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.* Quare ibidem Apost. monet gratias Deo agendas, *qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ; in qua gratificauit nos in dilecto filio suo; in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Ideo de Christo Domino Ioannes cap. 1. ait: *De plenitudine eius omnes accepimus. Ipse enim fons est, & radix bonorum omnium*, ait Chrysostomus; & ideo iustissimo titulo principium dicitur. Subdit Chrysostomus: *Ipse vita, ipse lux, ipse veritas; non in se ipso bonorum diuitias coërcens, sed in vniuersos diffundens; quibus diffusis plenus permanet; neque ex eo, quod alijs suppetat, minuitur; sed diuitias suas elargitur semper vberius; cumque omnibus bona impartiat, in eadem permanet perfectione.* Hoc ipsum significauit Apost. ad Ephes. 1. de Deo dicens: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo*, id est per Christum. Idem 1. ad cor. 11. *Omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir. Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Ideo Rupertus lib. 1. de Trin. c. 8. ait: *Rectè filius Dei principium nominatus est; quia si vir caput, id est principium mulieris rectè dicitur; id circo quod propter eum mulier facta est; multò magis sine dubio filium Dei rectè scriptura principium nuncupat, idcirco, quia propter ipsum, & per ipsum omnia.* Omnia scilicet per ipsum facta in creatione, & instaurata in redemptione. August. illa psalmi 103. verba: *omnia in sapientia fecisti; impleta est terra possessione tua*, cùm de Christo, vt Deo Deique filio, Deique sapientia explicasset, vt supra vidimus; verba eadem de Christo, vt homine diuino verbo personaliter vnito, humanique generis Redemptore explicat: citans autem Apost. verba 2. ad cor. 5. *si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt omnia noua*: Quærit August: *Noua creatura quæ facta est?* Et respondet; *omnes credentes in Christum, exuentes se veterem hominem, & induentes nouum. Repleta est terra creatura tua. Agnosco vocem tuam, qua dixisti psalm. 104. singularis ego sum, donec transeam. Singularis ergo eras donec transires; singularis eras, cum agnouisti occasum suum: sed ab occasu in ortum transisti: ortus es, splenduisti; clarificatus es, cum in cœlum ascendisti; & repleta est terra creatura tua.* Huius ergo nouæ creaturæ, id est fidelium omnium cœtus Principium Christus Redemptor est. Nam, vt ait Apostolus ad Ephes. cap. 2. 10. *Dei factura sumus, creati in Christo Iesu*, id est per Christum Iesum in gratiæ vita creati; *in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Bene ergo Apoc. 22. 15. Christus Dominus ait: *Ego sum alpha, & omega; principium, & finis*; principium redimendo, finis glorificando.

31. Quintò principium, cui respondet vox græca ἀρχή, non solùm principium, sed etiam principatum significat; & in sacris litteris interdum principium pro principatu sumitur. Quare sicut Apoc. 3. 14. Christus dicitur *principium creaturæ Dei*; hoc est iuxta Andream Cæsariensem, *principatum obtinens in omnes creaturas*: ita in hoc Euangelio se etiam Christus principium nominauit; eo quòd illi in creaturas omnes à Deo patre principatus, & dominatio data sit; idque iuxta æterni patris promissum psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et iuxta Angeli prædictionem Lucæ cap. 1. 32 *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. In domo Iacob*, id est in Ecclesia, populoque fideli, vt bene explicat Beda. *Christus est caput omnis principatus, & potestatis*, dicitur ad Coloss. 2. Ideo act. 2. 36. Petrus Apostolus ait: *certissimè sciat omnis domus Israël, quia Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Similiter Ioannes 13. ait: *Omnia dedit ei Pater in manus*: Et ipse Dominus Matthæi vltimo dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Hinc Apoc. 1. 5. dicitur *Princeps regum terræ*, cap. 17. 14. *Dominus Dominorum, & Rex Regum*, & cap. 19. 16. *Rex Regum, & Dominus dominantium.*

32. * Porrò nominando se Dominus non Principem, sed principium, hoc est principatum, iuxta phrasim Hebræam summum se Principem significauit. Abstractum enim pro concreto Hebraico idiomate in sacris litteris sæpe ponitur, idque ad aliquid summum in re significata indicandum. Sic 1. Petri 2. 9. ad Sacerdotis præstantiam indicandam pro Sacerdotibus sacerdotium ponitur: *Vos genus electum, regale sacerdotium*: Sic psalm. 106. 42. dicitur, *omnis iniquitas oppilabit os suum*, id est omnis maximè iniquus. Abstractum plusquam concretum significare bene etiam Augustinus docet in Ioan. tract. 39. *Pius homo; sed plus est ipsa pietas; plus est pulchritudo, quàm pulcher: castitas plus planè est, quàm castus.*

*Abstractum pro concreto ponitur, ad aliquid summum in re significata indicandum.*

33. Quærit Rupertus 1. de Trinitate cap. 9. cur Dominus interrogatus: *Tu quis es?* apertè non dixerit, filius Dei sum, vel Christus ego sum? Respondet Rupertus altius quoddam sonare nomen Principij, quàm nomen filij, vel Christi; cum etiam homines dicantur filij Dei iuxta psalm. *Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes*; seu, vt alij legunt: *filij altissimi*: & Genes. 6. dicitur: *Videntes filij Dei filias hominum.* Christi quoque nomen hominibus communicatur iuxta psalm. 104. *Nolite tangere*

*Christos meos.* Hinc ait Rupertus: *Dominus altius veritatem essentiæ suæ deprompsit dicendo Principium; quàm si diceret: Filius Dei, vel Christus ego sum: & malignam intentionem illorum sic elusit; vt non possent eum accusare apud Romanum Imperium, quasi de assumptione regij nominis*; quale est Christi nomen.

34. Vltimò soluenda est difficultas ex Græco textu proueniens; vbi principium non casus rectus, sed accusandi casus est: explicando autem casus hic vnde dependeat, variè laborant interpretes. Dicendum mihi videtur talem casum à verbo, *respondeo*, pendere; ita vt dicente Domino: *Principium, qui & loquor vobis*, sensus sit: Cum me interrogetis, quis ego sum? respondeo me esse. *Principium, qui & loquor vobis.* & hoc verbum, *respondeo*, apponunt SS. Augustinus & Ambrosius supra citati.

*Multa habeo de vobis loqui, & iudicare: sed qui misit me, verax est; & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.*

35. Sensus est: Quamuis vos: vt calumniatores, multorumque criminum reos arguere, & condemnare possem; tamen quia in primo aduentu, *non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum*, hoc est, vt tamquam publicus Iudex condemnet; *sed vt saluetur mundus per ipsum*: ideò ad vestras calumnias refellendas, & ad vestram arguendam perfidiam, meamque testandam innocentiam satis erit æterni Patris mei veracitas, & mea cum eius regimine conformitas. Ioan. 3. 17.

*Et non cognouerunt, quia Patrem eius dicebat Deum.*

36. IVdæi, præcipuè Pharisæi, & Scribæ, qui sacrarum litterarum perfectam notitiam profitebantur, si bene recoluissent Dauidis testimonium Psalm. 115. *Omnis homo mendax*; cum Dominus dixisset: *Qui misit me verax est*; hinc bene eum non ab homine, sed ab æterno Patre missum cognoscere potuissent; sed vt dicitur Sap. 2. 21. *Excæcauit illos malitia eorum; & nescierunt Sacramenta Dei. Si omnis homo mendax, nullus homo de suo verax. Pater autem de suo est verax, quia genuit veritatem. Ecce quomodo verax est Deus, non participando, sed generando veritatem*, ait Augustinus tractatus 39. in Ioannem.

*Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.*

Christus suam Passionem, Clarificationem existimauit.

37. EXaltare in sacris litteris glorificare est; Matth. 23. *Qui se exaltauerit humiliabitur; qui se humiliauerit exaltabitur.* Glorificari se igitur Dominus existimauit, cum in crucis patibulo pro humano genere sæuam, & ignominiosam mortem subiret. Augustinus tract. 104. in Ioan. in illa Domini verba: *Clarifica me tu Pater*, ait: *Clarificatum à Patre filium nonnulli accipiunt in hoc, quòd ei non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit. Sed si passione clarificatus dicitur, quantò magis resurrectione?* Porro, vt Christi per Ioan. 17.

A crucem exaltatio significaretur, Spiritus sanctus cum Septuaginta interpretum mentes diuinitus illustraret, versiculo illi Psalm 95. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit*, superaddi voluit, *à ligno*; quod quidem deerat in Hebræo: quam additionem Ecclesia libenter amplexa in hymno cecinit: *Impleta sunt, quæ cecinit Dauid fideli carmine dicens: In nationibus regnauit à ligno Deus.* Idem præsignificauit Isaias cap. 9. cum ait: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis; & factus est principatus super humerum eius.* Vbi ex sanctis Basilio, & Cyrillo Crux, quam Dominus humeris sustulit, Principatus appellatur. *Quis*, inquit Tertullianus, *quis omnino regum insigne potestatis suæ humero præfert; & non aut in capite. Diadema, aut in manu sceptrum? sed solus Rex nouus nouorum sæculorum Christus Iesus nouam gloriam, potestatem, & sublimitatem suam in humero extulit; Crucem scilicet, vt secundùm Dauidis prophetiam exinde regnaret.* Crux Principatus appellatur.

B

38. *Tunc cognoscetis, quia ego sum.* Talem esse cognoscetis, qualem me & dictis, & factis esse testor, & profiteor, scilicet verum Messiam vobis à Deo promissum. Dicendo, *tunc*, triplex tempus designat; primum iuxta Hugonem immediate suam post passionem, & mortem, cum *Videns Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Vere hic homo iustus erat; & omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur*, vt dicitur Luc. 23. 47.

C Secundum tempus post Domini resurrectionem, & in cœlum ascensum iuxta Augustinum, qui ait: *Misso desuper Spiritu sancto post Domini Passionem, & Resurrectionem, & Ascensionem, cum miracula fierent in eius nomine, quem tamquam mortuum persequentes Iudæi contempserant, compuncti sunt corde: & qui sæuientes occiderunt, mutati crediderunt; & quem sanguinem sæuiendo fuderunt, credendo biberunt.* Tertium tempus in Ierosolymæ obsidione, & captiuitate iuxta Chrysostomum Iudæis dicentem: *Qui curati noluistis cognoscere, cruciati scietis.*

D *Et à me ipso facio nihil; sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.*

39. SIcut antea Dominus suam Diuinitatem indicarat, vocando se Principium, ita nunc vt homo est, se nihil, nisi ex æterni Patris directione operari, & iuxta eiusdem doctrinæ illustrationem loqui testatur; quod etiam capite antecedente significauerat dicens: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit.* Imitemur & nos Christum Dominum; & Deum nos interius docentem audiamus; dicamusque cum Samuële: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Cum 1 Reg. 3. 10. Dauide: *Doce me iustificationes tuas. Bonitatem,* Psalm. 118. Psalm. 142.
E *disciplinam, & scientiam doce me. Doce me facere* Psalm. 41. 12.
*voluntatem tuam.* Nam verè: *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.*

A

*Et qui me misit, mecum est; & non reliquit me solum; quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.*

Obedientia erga diuinam legem nexus est, Deum nobis adiutorem deuinciens:

40. Æternum Patrem secum esse tum in vnitate Diuinæ naturæ, tum quoad regimen naturæ humanæ, non solùm dictis, sed etiam operibus Dominus comprobauit. Nam



# FERIA TERTIA POS
## secundam Quad

## Locutus est Iesus ad turbas, &
## Matth.

### *Euangelij nexus.*

Isaiæ cap 7:



1. EX Isaiæ oraculo Christo Domino ab æterno Patre scientia reprobandi malum, & eligendi bonum data est. Huiusmodi Dominus scientiam in Euangelio hoc exercet; cum enim in Pharisæis duo forent; scilicet Sacerdotij dignitas, vt hîc testatur Chrysostomus; & animi elatio, ac superbia ex his alteram, scilicet Sacerdotij dignitatem commendat Dominus, eique obsequium docet esse exhibendum: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia quæcumque dixerint vobis seruate, & facite:* alteram, scilicet elationem, & superbiam deprimendam esse pronunciat illis verbis: *Qui se exaltauerit humiliabitur; & qui se humiliauerit exaltabitur.* Quare Ieremiæ 15. cum dicatur: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris:* Redemptor noster Dei os, Deique Verbum se ostendit, cum hic pretiosam Sacerdotij dignitatem à vili Pharisæorum superbia, atque iactantia separet, atque dignoscat. Pharisaïca verò superbia, atque iactantia, vt benè cognoscatur, ait Dominus: *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Quod sequentibus etiam verbis explicare pergit.

B

C

D

*Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate, & facite.*

Obedientia & veneratio exhibenda erga superiores, licet alioquin immeritos.



2. OMnia scilicet, quæ verè spectant ad exequenda Decalogi mandata; & Mosaïcæ Legis cæremonias; alia enim ab his diuersa præcipientes Scribæ, & Pharisæi, qui ad populi regimen eligebantur, super Cathedram Moysi sedere non dicebantur. Hinc docemur superiores eorumque, qui nobis quamuis maiorum prauos mores cognoscamus, constituuntur, nihilominus iuxta

*bo Sacerdoti, quia tamen humiliter paruit, oraculum mox diuinæ reuelationis accepit. Superbum Saulem nequam spiritus vexat, & ei Dauid obsequi pulsando citharam non recusat.* Quod Dauidis obsequium erga improbum Regem, ipsique infensum maius quid fuit, quàm eiusdem Dauidis in Terebinthi valle victoria. Tunc enim fundæ ictu Philistæum gigantem strauit; sed postea citharæ pulsu dæmonem acerbiorem, & fortiorem hostem deuictum procul abegit.

Dauid, Saulem dæmoniacum citharæ pulsu refocillans, laudabilior quàm gigantem fundæ ictu prosternens.

3. Hebræorum Synagoga vineæ nomine in sacris litteris appellatur Isai. 5. *Quid est, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* Pharisæi autem, & Scribæ, quibus in Synagoga Mosaïcæ legis cura demandata erat ad talis vineæ custodiam, veluti sepem se exhibebant; sepem tamen ob prauos mores totam è spinis compactam. Sed si ex talibus spinis diuinæ legis mandatum, Deique vox resonabat, audienda erat; sicut diuinam vocem Moses audiit, eique obediit, cum ei Dominus spinoso in rubo loqueretur, vt Exod. 3. dicitur: *Vocauit eum de medio rubi.* Similiter Mosem imitando, si quid boni à Prælatis præcipiatur, quamuis prauis moribus, & asperis verbis horrentem rubum, & senticetum illi referant, eos audire eisque obedire debemus. Sic, vt ait Ambrosius initio de Virginibus, *Erunt, quibus de rubo audita vox soluat de pedibus calceamentum, vt impedimentis corporalibus exuatur mentis incessus.* Nec mirum esse debet, si in prauis hominibus Dominus loquatur, *qui est locutus in sentibus, nec rubum est dedignatus*, vt idem Ambrosius ait.

Mosi Deus spinoso è rubo loquens indicauit asperis etiam Prælatis esse obediendum.

4. Cum Balaam ad Dei populo maledicendum mitteretur Num. 22. vt eum Deus à tali impietate remoueret, & stolidi animalis, & Angeli voces adhibuit: scilicet, vt tum malos, tum bonos Prælatos audiendos esse intelligeremus, dummodo de Dei voluntate nos moneant. *Si in asina operata est gratia Dei propter vtilitatem Israelitarum, manifestum est, quod neque in nobis operari detrectabit*, sub immeriti Prælati persona Chrysostomus ait hom. 3. in epist. ad Coloss.

Balaam tum Angeli, tum stolidi animalis voce monitus, bonos, malosque prælatos benè monentes audiendos esse ostendit.

5. Ad idem probandum ex ipso Balaamo documentum accipi potest; qui impius idololatra, & ex diabolico commercio magus, & ariolus fuit. Ideo Isidorus Pelusiota ait lib. 2. epist. 37. *Quid Balaamo impurius, & scelestius extitit? & tamen ipsius lingua Deus ad benedictiones vsus est.* Ad benedicendum scilicet Dei populo, cum Num. 24. dixit: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel! Vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus; quasi cedri prope aquas. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.* Immo non solùm ad populo benedicendum assumptus est; sed etiam de Christi aduentu, & regno vaticinandum dicens: *Orietur Stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab; vastabit omnes filios Seth; & erit Idumæa possessio eius.* Porro Num. 24. Balaam dicitur. *Homo, cuius obturatus est oculus: qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.* Vbi benè Rabanus ait: *Balaami obturatus est oculus ad corrigendum errorem suum, & ad venerandum ipsius prophetiæ auctorem; cum apertus esset ei oculus ad percipienda prophetiæ sacramenta.* Balaamum profectò imitantur, qui Pharisæis similes, quæ Dei sunt, *dicunt, & non faciunt.* Hinc benè etiam Greg. hom. 9 in Ezech. ait: *Cadens Balaam apertos oculos habuit, qui rectum, quod diceret, vidit; sed rectè agere contempsit; cadens videlicet in peruerso opere; & apertos*

Balaamo, quamuis scelesto, vsus est Deus ad benedicendum populo & ad vaticinandum de Messia: sic prauos etiam Prælatos in subditorum bonum Deus adhibet.

A *habens oculos in sancta prædicatione.* Post Balaami exemplum citatum subdit Isidorus: *Quid Caipha sceleratius? Et tamen vaticinatus est; & gratia linguam quidem ipsius tetigit, at non item mentem tetigit. Si quid etiam, quod magis mirandum sit, intelligere cupis; per coruum, hoc est immundam auem, cæli petam Eliam Deus pascebat. Quocirca ne dubites, quin per flagitiosos quosdam Sacerdotes diuina, & sublimiora beneficia tribuantur.* Panis nomine verbum Dei, diuinæque legis eruditio mysticè significatur iuxta illud Ecclesiastici 15. *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus.* Sicut autem coruus ex pane, quem quotidie Eliæ afferebat, ne frustulum quidem sibi sumebat; ita Scribæ, & B Pharisæi, usque similes diuinam legem aliis prædicantes, eam sibi seruandam non accipiunt; *Dicunt enim, & non faciunt.* Sed de hoc infra.

Ioan. cap. 11.

3. Regum cap. 17.

Coruus Eliæ panem ministrauit: prauis etiam sacerdotes si tali sua doctrina cibum ministrent, sunt audiendi.

Coruus panis, quem Eliæ ferebat, ne frustulum quidem accipiebat: tales sunt docentes, & non facientes.

6. Nunc ad verba in Sacerdotij honorem à Domino prolata redeamus: *Omnia quæcumque dixerint vobis, seruate & facite.* Honor præcipuè per obedientiam exhibetur; quare ad legis transgressores per Malachiam à Domino dicitur: *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus?* Porro Sacerdotibus adeo debitus honor est, vt Sacerdotium in sacris litteris absolutè honor nominetur: ad Hebræos 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Quod si C veteris legis Sacerdotibus ex Domini præcepto honor, & obsequium erat exhibendum; quantò maiori obsequio, ac veneratione Christianæ legis Sacerdotes prosequi debemus? Cum his Sacramentaliter conficiendi Christi corpus, & sanguinem potestas à Deo data sit; vt in eorum manibus Christus Dominus considere videatur: *Si Mosis sedes adeo veneranda fuit, vt propter ipsam audire oportuerit Sacerdotem; multò magis sedes Christi*, ait Chrysostomus homilia 3. in epist. ad Coloss.

Honorare significat obedire.

Sacerdotium absolutè, & antonomasticè honor nominatur.

Sacerdos est sedes Christi.

7. Cant. 4. Aquilonem discedere, spirare Austrum sponsa cupiebat. Quorsum? nempe, vt in eius horto aromata largè profluerent: *Surge Aquilo, & veni Auster; perfla hortum meum, &* D *fluant aromata illius.* Sed in Christianæ Ecclesiæ veræ Dei sponsæ pomario, vt aromata fluant; scilicet, vt Christi Domini corpus cœlestes afflans odores è cœlo ad nos defluat, quænam aura requiritur? Profectò non alia, quàm quæ è Sacerdotis ore proflatur. Quare Ieremias nouæ legis sacerdotes præfigurans dixit: *Spiritus oris nostri Christus Dominus.* Psalm. 67. Dauidis vaticinium exstat, quo Dei filius peculiarem pluuiam dandam esse prædicitur: *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ*; Pluuiam scilicet ex Caietano; quam Deus iuxta humanam voluntatem, & appetitionem elargiatur. At quotannis variis temporibus terram imbribus fœcundat E Deus, non tamen iuxta hominis arbitrium imber dimittitur: quænam igitur pluuia ab humano arbitrio pendet: Pluuiam voluntariam, id est Dei filium sub humana carne è cœlo ad nos demissum intelligit Hugo Cardinalis iuxta illud Psalm. 71. *Descendit sicut pluuia in vellus.* Pluuia hæc iuxta sacerdotis arbitrium, & verba ad nos defluit: *Flabit spiritus eius*, nempe Sacerdotis Christum repræsentantis, cum Sacramentalia verba pronunciat; Psalm. 147. *& fluent aquæ.* Ex Hebræo, *Spirabit spiritus eius, & fluent aquæ*; nempe gratiæ, immo ipsarum gratiarum auctor. Meritò igitur cum Ieremia Sacerdos dixerit: Spiritus oris nostri Christus Dominus.

Flans Auster in sponsæ horto aromata, sed sacerdotis os Christum Dominum spirat, cum sacramentalia verba profert.

Ierem. Thr. cap. 4.

Pluuia voluntaria est Christus iuxta consecrantis sacerdotis arbitrium ad nos descendens.

8. Eliæ lingua clauis cœli à Chrysost. dicitur, A eo quòd iuxta Eliæ verba è cœlo demitti, vel non demitti pluuia videbatur. Multò verius Paradisi clauis Sacerdotis lingua dici potest; cum iuxta Sacerdotis verba non corporeus imber, sed diuinus ille ros, & imber è cœlo defluat, quem tantopere Isaïas expetebat: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Imber, quem è cœlo euocauit Elias, deficientem fame populum cibo refecit; plurima tamen mora temporis interiecta; scilicet primùm aquis ager fœcundatus est; deinde in agrum iactum est semen; postmodum semen in spicam germinauit, hæc demessa, trita, & cocta tandem in panem euasit. *Terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica,* B dicitur Marci cap. 4. v. 28. At Sacerdotis lingua multò nobilior cœli clauis cœlestes fores reserat, atque inde pluuiam deuocat, quæ statim nulla interposita mora cœlestis panis efficitur. Quare de Sacerdotis lingua mysticè cecinit Dauid: *Ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.* Psalm. 77. 23.

Sacerdotis lingua est cœli clauis.

Cap. 45.

9. Cœli efficacitate terra in aurum euadit; at longè nobiliori conuersione Sacerdotalium verborum vi è pane Christi corpus efficitur: quare meritò Christi personam gerens Sacerdos dici potest ex Apostoli verbis, *Excelsior cœlis factus*, nempè perfectior, & efficacior.

Sacerdos excelsior cœlis factus.

Ad Hebr. 7.

10. Ex Ruperto Beata Maria cœlum illud est, de quo mysticè fuerat scriptum: *Ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum.* C Cui sententiæ consonant Apostoli verba: *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis.* Huic etiam cœlo comparari sacerdos potest. Beata quidem virgo paucis verbis, quibus loquenti Angelo ascensum dedit, Dei filium nobis elargita est: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et Verbum caro factum est.* At paucioribus verbis, non semel, sed quoties consecrauerit Sacerdos incarnatum Verbum præsens hominibus exhibet. Rursus post prolata Beatæ Virginis verba, mortalem vitam subijt Christus Dominus: at non passibili, sed immortali vita gaudet Domini corpus, D cum illud Sacerdos Sacramentalibus verbis efficit. Quoad hoc igitur Sacerdos *excelsior cœlis factus* dicatur.

Rupertus in Matth. c. 1. Beata Virgo cœlum ex quo mána depluit Psal. 77. 1. ad Cor. c. 15.

Lucæ c. 1. Ioan. c. 1. Sacerdos B. Virgini comparatur.

11. Sed parum sit cœlo sacerdotum comparasse; cœlestium etiam orbium Conditori comparetur. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*: at sacerdotis Spiritus, seu halitus in verba articulatus ipsius cœlestis Conditoris corpus, & sanguinem creandi vim habet. Augustinus relatus cap. Vtrum de consecrat. dist. 2. ait: *Caro, & sanguis consecratione potentialiter creatur.* Cyprian. serm. de cœna Domini: *Christus vsque hodie verissimum, & sanctissimum corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit, & piè sumentibus diuidit.* E Hieron. ep. 1. ad Heliod. *Sacerdotes proprio ore corpus Domini conficiunt.* Ecclesia ex S. Thomæ Hymno *Verbum caro panem verum verbo carnem efficit.* Adelmannus Episcopus: *Christus per os Sacerdotis corpus, & sanguinem suum creat.* Verè igitur cum Ieremia sacerdos dicat: *Spiritus oris nostri Christus Dominus.* Thr. c. 4.

Psal. 32. Sacerdos cœlestium orbium conditori comparatur.

Adelmannus ep. ad Berengarium.

12. Inter mirabiles diuinæ vocis effectus illum Psalmista commemorat. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*; seu ex Hebræo: *Vox Domini intercidens flamma ignis.* Iuxta Basilium ignis flammam intercidit, & diuidit diuina vox, cum ad iniquos cruciandos in inferno ab igne splendorem separat ardore relicto. E contrario Sacerdotis vox

Psalm. 28 Sacerdotis vox diuini ignis flammam intercidit.

*rum sublenabunt animas eorum. Cur peccata populi mei comedunt; nisi quia peccata delinquentium fouent, ne temporalia stipendia amittant*, ait Gregor. similiter Bernardus: *Peccata populi mei comedent. quasi dicat: Peccatorum pretia exigunt, & peccatoribus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero Præpositorum, qui non plus inuigilet subditorum euacuandis marsupijs, quàm vitijs extirpandis? Et ad iniquitatem eorum sublenabunt animas eorum: quia adulationibus, & malis exemplis facient eis quasi scabellum, vel scalam, vt ad iniquitates eorum, quæ sunt maiores, audacter ascendant*, ait Hugo Cardinalis. *Et erit sicut populus, sic sacerdos. Factus est sacerdos sicut populus*, ait Gilbertus Abbas; *vt licentius populus sicut sacerdos fiat Mundo se Monachi studio conformant; & qui in mundo sunt, errorem suum nostrorum satis versutè, & nimis verè tuentur exemplo: mutuis ad vitia se se aut informant, aut fouent exemplis, pastores, populi, seculares, & religiosi. Promptuaria plena sunt huiusmodi eructantia ex hoc in illud aut turpis, aut tepidæ conuersationis Spiritum pestilentem. Heu quàm auido cordis ore prauum hunc attrahimus spiritum, & corrumpantem haurimus auram.* Isa. 24. dicitur: *In die illa*, hoc est iuxta Hieron. I. *In iudicij die visitabit Dominus super militiam cœli in excelso; & super Reges terræ, qui sunt super terram.* Per Cœli militiam hîc templi ministri præcipuè Sacerdotes intelliguntur. De his enim interpres Forerius ait: *Sicut Angeli in cælo Deo, ita illi Domino in templo adsistunt, & ministrant.* Templum enim est militantis Ecclesiæ cœlum. *Hic vide quantum præstet dignitas sacerdotalis Regiæ. Illi enim in excelso habitant, Reges super terram. Illi similes Angelis dicunt, isti homines mortales. Quapropter si illi in homines degenerant, maiori periculo ruant necesse est.* Ideo in extremo iudicio seuerè à Domino visitandi, & puniendi sacerdotes tamquam Dei milites dicuntur. Miles n. Regiæ militiæ adscriptus, Regijsque stipendijs enutritus, si delinquat, multò seueriori, quàm ciuis supplicio dignus est: Cum ex militum vel virtute; vel culpa Regis Victoria, vel Regis, Regnique pernicies proueniat.

Greg. hom. 17. in Euang. Bernard. serm. 77 Cantica. ni

Prauum sacerdotem exemplum alijs maximè noxium.

Oseæ c. 4

Gilbertus ser. 13. in Cant.

Ps. 143, 13.

16. Spinæ vuas producere non possunt: *Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Dominus ait 7. Matth. 16. Nihilominus si fœcunda vitis supra spinosam sepem suos palmites, vuasque diffundat; inde relictis spinis vuas viator colligit. Prauis operibus spinæ quidem erant scribæ, & Pharisæi: ex ijs tamen relictis prauis operibus sanctæ doctrinæ fructus erant colligendi. Aptissimè hæc similitudo affertur ab August. tract. 46. in Ioan. *Botrum carpe, spinam caue; quia botrus aliquando de radice vitis exortus pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum. Non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubuit. Quære radicem spinæ, extra inuenis à vite: quære originem vuæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moy^ s vitis erat, Pharisæorum mores spinæ erant. Doctrina vera per malos, palmes in sepe. Botrum inter spinas cautè lege; ne dum quæris fructum, laceres manum; & cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Quæ dicunt facite; legite vuas; quæ autem faciunt, facere nolite; cauete spinas.* Idem lib. de past. cap. 10. *Ne lacereris à spinis; id est ne facta imiteris malorum: lege vuam inter spinas pendentem, sed de vite nascentem: ad te perueniat botri alimentum; spinis seruatur ignis tormentum.*

*Dicunt enim, & non faciunt.*

17. DE Christo Domino coram suis Discipulis in cœlum ascendente ex S. Luca Ecclesia refert: *Eleuatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cœlum.* Manus Dominus eleuauit, tum vt discipulos benediceret, formans super eos crucis signum iuxta Dionysium Carth. tum etiam, vt ostenderet quomodo fidelibus in cœlum esset ascendendum. *Quid per manus, nisi operationes accipimus?* ait Gregorius 6. mor. 28. manus igitur in cœlum ascendens Dominus eleuauit, vt indicaret in cœlum, non dicendo solùm, sed bene operando esse ascendendum. *Et agere, & pati fortia Romanum esse*, Ethnicus olim gloriosè iactauit: multò melius de Christo Domino dicere possumus in eo & agere, & pati fortia diuinum fuisse. Manus igitur sanctarum actionum operatrices, & plagis insignitas in cœlum ascendens Dominus eleuauit; vt non dicendo solùm, sed operando, & patiendo cœli nobis aditum patere monstraret. Quod cum Scribæ, & Pharisæi non seruarent, eis cœli aditus claudebatur: & ideo hoc eodem cap. Dominus ait: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum.*

Cap. 24.

Eleuatis manibus cur Dominus in cœlum ascenderit.

18. Qui aliter verbis, aliter vitæ, & operationis exemplo docent, vocibus, & moribus discrepando, exercitè in caput suum mentiuntur. Benè enim Auctor imperfecti in Matth. hom. 43. ait: *Benè viuendo, & benè docendo populum instruis, quomodo debeat viuere: bene autem docendo, & malè viuendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.* Similiter August. in sent. sent. 6. ait: *Vera confessio est bene dicentis; cum idem est sonus oris, & cordis. Bene autem loqui, & malè viuere nihil aliud est, quàm se sua voce damnare*: Si iuxta S. Iacobum cap. 4. 17. *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi*: Multò magis peccatum erit scienti, docenti, & non facienti. Damnatus Epulo Luc. 16. Lazarum potius quàm se ad suos fratres benè monendos mitti petijt: redditque rationem August. lib. 2. quæst. Euangel. q. 38. *Quod Lazarum petit mitti ad fratres suos, sensit se vtique indignum, qui testimonium perhibeat veritati.* Peccator enim si alios moneat, minimè proficit.

Malè viuens, & benè docens, sibi damnationis sententiam profert.

19. Si quæratur cur pluries Pharisæi viperis comparentur, nempe Matth. cap. 3. 7. cap. 12. 34. cap. 23. 33. respondet B. Petrus Damiani: *Quia viperarum more dum filios pariunt, ipsæ moriuntur.* Diuinæ enim legis mandata docendo, spiritualiter homines Deo pariebant; cum ipsi interim prauis operibus spiritualem mortem subirent. S. August. lib. 11. Retract. cap. 37. ait, *A carendo appellatas ceremonias, quasi caremonias; eo quòd obseruantes carent his rebus, à quibus abstinent.* Verè talis nominis deductio in Pharisæis comprobatur; qui cum tamquam cerimoniarum seruantissimi, verbis sed legis præuaricatione abstinere profiterentur; idemque faciendum alios docerent; ipsi tamen diuinæ legis obseruatione carebant. Erantque proinde eorum cerimoniæ vero Dei cultu carentes, & planè vacuæ; ita vt propterea meritò ijs dicatur: *Videte vt impleatis ceremonias, atque iudicia.* Deut. 11.

Pharisæi cur viperis similes.

Damianus opusc. 13. c. 18.

Ceremoniæ vnde dictæ.

Ceremonias quomodo Pharisæi exercebant.

20. Qui Pharisæis similes bene docent, & malè viuunt, aquæ scaturigini comparantur, quæ partim assumitur ad sacrum baptismum, quo peccati labes abluitur; partim in terræ cauernas delabitur. Id egregiè explicat Gregor. hom. 17. in

Bené docens, & malè viués, aquæ compa ratur, quæ ad Baptismum adhibita, in terram labitur.

Euang. *Ingrediuntur electi sacerdotum manibus expiati cœlestem patriam; & sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad Inferni supplicia festinant; cui ergo rei, cui similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis; quæ peccata baptizatorum diluens illos ad regnum cœleste mittit, & ipsa postea in cloacas descendit?* Idem Gregor. hom. 40. in Euang. quærens cur Epulo diues maiorem cruciatum in lingua senserit; ita vt propterea Lucæ 16. linguam aqua refrigerari poposcerit? ait, quia Epulo Iudaïcum populum repræsentans *verba legis in ore tenuit, quæ opere seruare contempsit. Ibi ergo amplius ardebit, vbi se amplius ostendit scire, quod facere noluit.* Quod de Epulone Gregor. ait, idem de Scribis, & Pharisæis, eorumque similibus est dicendum. Augustinus explicans Psalmi 46. verba: *Omnes Gentes plaudite manibus; iubilate Deo in voce exultationis,* ait Deo esse iubilandum *& voce, & manu. Si tantum voce, non bene, quia pigræ sunt manus. Si tantum manibus, nec hoc benè; quia muta est lingua. Concordent manus, & lingua: illa confiteatur; illæ operentur.*

21. *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis,* dicitur Ierem. Thr. cap. 4. vbi panis nomine Dei verbum, diuinæque legis instructionem bene intelligit. Hugo Cardinalis. & addit: *Panis, vel manibus frangitur, vel dentibus. Multi hodie per gratiam frangunt panem istum & manu, & dente. Multi etiam dente frangunt panem istum, & non manu; qui scilicet non faciunt, quod dicunt.* Docet ibidem Hugo bene loquentes, & malè operantes similes esse Iacob, de quo Gen. 27.

22. Isaac dixit: *Vox quidem vox Iacob est; manus sed manus sunt Esaü.* Tales enim bene loquendo Iacob à Deo dilecti vocem referunt; malè operando reprobi Esaü manus habent: *Dilexi Iacob, Esaü autem odio habuit.* Deus ait Malachiæ Luc. 1. Sed Iacob Esaü manus simulando Patris Isaac benedictionem obtinuit: benè loquentes, & malè operantes in se cœlestis Patris maledictionem inducunt. *Fitque eis amplitudo muneris incrementum damnationis,* vt Gregorius ait 8. Moral. cap. 27.

22. *Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute, & in Spiritu sancto,* ait Apost. 1. ad Thess. cap. 1. *In virtute bonæ operationis, quæ magis mouet auditorem, quàm strepitus verborum,* ait Hugo: *Non in sermone tantum,* apud Ambrosium legitur. *Non in phantasia:* non enim phantastica, sed vera, & solida eloqui concionator debet. Rursus si vocibus quantumuis sanctis opera veræ charitatis in Deum, & proximum non respondeant. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens,* ait Apost. 1. ad Cor. 13. Bellicæ tubæ sonorum æs milites quidem ad pugnandum excitat; pugnam tamen bellicis alijs instrumentis exercendam relinquit. Æs campanum fideles ad Dei cultum in templum aduocat: cum ipsum semper extra templum pendeat. Tales erant Pharisæi, eiusque sunt imitatores, qui quæ Dei sunt *dicunt, & non faciunt*; aliosque ad Deum, diuinæque legis obseruantiam vocant, cum ipsi à Deo, eiusque legis custodia procul prauis moribus absint. *Factus sum velut æs sonans,* ait Hugo Cardinalis. *Quod non delectatar in sono suo, sed contunditur; alijs enim vtile est, & delectabile: vnde bene comparatur quibusdam Prædicatoribus, qui prædicando se consumunt,* id est se perdunt, & damnant, & *auditoribus sunt vtiles.* Ex huiusmodi ære Diaboli galea conflatur; nam, vt subdit Hugo: De Goliath di-

Æs campanū fideles ad templum congregans; vel tuba adpugnā milites aduocans, similitudinem cum malè viuente, & benè docente habēt

Prædicator

Caluini conuicia in Prælatos falsitatum sunt conuincenda.

*tui infideles, socij furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Hoc vitare debent in Euangelica lege Prælati, & mendacissimum fuisse probare Caluinum, qui ait Episcopos vocandos esse Episcotos, vel Aposcopos; Cardinales Carnales, vel Carpinales; Canonicos Cænonicos Præpositos Præposteros. Talia Caluinus calidus vino conuicia eructabat.

Deus non solù vocibus, sed etiam manibus est quærendus.

27. A Pharisaïcis moribus valde alienum se iustus Dauid ostendit. Cum Psalm. 118. 46. dixisset: *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum:* ne in sola loquela se sistere profiteretur, ad opera transijt, ibidem dicens: *Leuaui manus meas ad mandata tua.* Similiter Psalm. 76. cum dixisset: *Voce mea ad Dominum clamaui;* vt ostenderet à voce ad bona opera transiisse, addidit: *Deum exquisiui manibus meis nocte.* Vbi benè Bellarminus ait: *Manibus quærere Deum in nocte, nihil aliud est, nisi per bona opera, per obedientiam mandatorum, per vitæ puritatem in hoc exilio cali; inosò Deum quærere.* Similiter Hugo Cardinalis. *Deum exquisiui manibus; id est bonis operibus, non solùm vocibus; sicut hypocritæ, qui dicunt, & non faciunt.*

Basil. hom. 24 de legendis libris Gentil.

28. Bene Basilius ait: *Qui verbo tenus sunt Philosophati, nec vita sermonem sunt comitati, umbris comparandi, & simile aliquid pictoribus præseferentes existunt.* Comparantur tales pictoribus, qui sæpe cum sint deformes, pulcherrimas tamen hominum imagines depingunt. Quare S. Gregorius, cum qualis esse debeat spiritualis animarum pastor, præclaris monitis docuisset, in illius operis fine ex humilitate quidem, non ex veritate ait: *Ecce, dum monstrare qualis esse debeat pastor inuigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus; aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor.* Addit S. Basilius: *Magnificè virtutem laudare, & in medium longos de hac Sermones facere; priuatim verò voluptatem temperantiæ præferre, & rem malè partam iustitia potiorem habere, similem ego dixerim histrionibus, qui in scena fabulas agunt; & vt reges, & principes sæpenumero ingrediuntur; cum nec reges, nec principes, & forsan omnino ne liberi quidem existant.*

Gregor. in Pastor. Peccatores malè viuentes pictoribus, & histrionibus similes.

Basilius supra

Prædicatoris vita sermoni concors esse debet.

29. Sanctorum Patrum sententijs Seneca ethnicus auctor addatur lib. 1. epist. 75. vbi tum quæ dicuntur, à dicente facienda docet; tum nimiam verborum concinnitatem egregiè reprehendit dicens: *Multum operæ impendi verbis non oportet. Hæc sit propositi nostri summa; quod sentimus, loquamur; quod loquimur sentiamus; concordet sermo cum vita. Ille promissum suum impleuit; qui & cum videas illum, & cum audias, idem est. Videbimus qualis sit, quantus sit, vnus sit. Non delectent verba nostra, sed prosint. Si tamen contingere eloquentia non sollicito potest, aut si parata est; aut paruo constat, adsit, & res pulcherrimas prosequatur; talis, vt res potius, quàm se ostendat. Aliæ artes ad ingenium totæ pertinent; hic animi negotium agitur. Non quærit æger medicum eloquentem, sed sanantem: sed si ita competit, vt idem ille, qui sanare potest, comptè de his, quæ facienda sunt, disserat, boni consulet: non tamen erit, quare gratuletur sibi, quòd inciderit in medicum etiam disertum. Hoc enim tale est, quale si peritus Gubernator, etiam formosus est. Quid aures meas scalpis? Quid oblectas? Aliud agitur, vrendus, secandus, abstinendus sum. Ad hæc adhibitus es: curare debes morbum veterem, grauem, publicum. Tantum negotij habes, quantum in pestilentia medicus. Circa verba occupatus es? Iam dudum gaude, si sufficis rebus. Quando multa disces? Quando quæ didiceris, affiges tibi; ita vt excidere non possint? Quando illa experieris? Non enim, vt cætera, memoriæ tradidisse satis est: in opere tentanda sunt. Non est beatus, qui scit illa, sed qui facit.*

Verborum nimia concinnitas à concionatore vitāda.

30. Contra Pharisæorum dicentium, & non facientium morem de Redemptore restatus est Lucas: *Cœpit Iesus facere, & docere.* Ex quo fit, vt Sancti viri Redemptorem imitantes, & lingua, & vita sanctitatem proximis prædicarint. Apostolicus vir, vt Chrysostomus hom. 5. in secundam ad Thessal. ait: *Magis debet esse doctor vitæ, quàm sermonis. Vtrumque Dei seruis necessarium, vt opus sermone, & sermo operibus comprobetur,* ait Hieronymus. Consonantia hæc operum, & verborum melodiam suauissimam reddit ad Dei aures oblectandas. Ecclesiast. 32. dicitur: *Non impedias musicam; id est consonantiam, & melodiam,* ait Hugo Cardinalis, *quæ debet esse inter cor, & os Prædicatoris; hoc est inter linguam, & vitam Doctoris. Nam cum vita non discordat voci, dulcis est Symphonia. Hanc Symphoniam impedit, qui aliter prædicat, & aliter viuit; vel qui pro inani fauore canoram eloquentiam prædicationis effundit.* Similiter Basilius ait: *Musicus, vt populo canat, lyram discordem non facilè sumet: nec chori princeps officium suum peraget, nisi ex æquo respondentem chorum habeat: hoc modo quisque à se ipso dissidebit, dum sermoni vitam non adhibet consonam; sed linguam virtuti consonam, mentem verò affert disparem.* Similiter August. in sent. num. 76. ait: *Rectè in Dei laudem psallit, cuius opera cum voce concordant. Nam finito sermone vox tacet: in bonis actibus vita permanens nunquam reticet eius gloriam, quem in se gaudet operari.* Concordem hanc harmoniam cordis, & linguæ, verborum, & operum tam Deo iucundam diuinus Amor docet: *Cantare amantis est: vox cantoris, feruor sancti amoris,* vt idem August. ait serm. 256. de tempore. Quare *illi soli de Deo suauiter loqui nouerunt, qui eum totis visceribus amare didicerunt,* ait Gregor. Porro extrema citata Hugonis verba valde ponderanda sunt; illis n. monemur plerumque eam, quæ humanis auribus canora eloquentia existimatur, diuinis auribus dissonantiam molestissimam reddere.

Act. c. 1. Harmonia Dei auribus iucundissima redditur; cum vox, & cor, verba, & opera simul concordant.

Hieron. in Matth. c. 7.

Basil hom 24. de legendis libris Gentil.

Harmoniam consonam vocis, & cordis diuinus Amor docet.

Canora Prædicatoris eloquentia nimis elegans ad populares plausum consequendum, Dei auribus dissona est.

31. Quantùm præ lingua, & sermone vitæ sanctitas valeat, vt proximi ad animæ salutem excitentur, egregio documento suæ prædicationis initio nobis Christus Dominus insinuauit. Nam ex Euangelica historia nouimus B. Apostolos Petrum, & Andream vocantem Dominum statim secutos esse *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum: at illi continuò relictis retibus: secuti sunt eum: Ad vnius iussionis vocem,* inquit Gregor. *Petrus, & Andreas relictis retibus secuti sunt Redemptorem. Nulla hunc facere miracula viderant; nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant.* Nihilominus ex Ecclesiæ testimonio habemus B. Andream à Redemptore non simpliciter vocante, sed prædicante motum esse ad eum sequendum. *Mox, vt vocem Domini prædicantis audiuit B. Andreas, relictis retibus æterna vitæ secutus est præmia largientem.* Quæ fuit ista Domini prædicatio; cum Gregorius asserat, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis Apostolos audisse? Redemptoris certè viuax prædicatio erat diuini illius vultus, & corporis decora modestia interioris sanctitatis indicium. Hæc quidem sermone quolibet efficacior Apostolis, vt Redemptorem sequerentur, facillimè persuasit. *Militat omne fera corpus,* de Herinacio Vates quidam cecinit. At multò verius Christi Redemptoris membra omnia sanctitatem præseferentia contra Diabolum militasse, tamquam efficax

Prædicatio, quæ Christus ad se sequendū Apostolos traxit, fuit eius decora modestia, interioris sanctitatis index.

Matth. c. 4. Hom. 5. in Euang.

Claudianus.

cax

cax Sanctimoniæ incitamentum, dicere poſſumus.

Paulus Apoſtolus de ſua ſalute certus, cur reprobationé timuiſſe videatur? Hic, & ſeq.

32. Timor reprobationis, quem Apoſtolus prima ad Corinth. 9. habere videtur dicens: *Ne fortè reprobus efficiar*, multum admirationis ſacris interpretibus affert. Eſtque admirationis ratio manifeſta, cum ex plurium ſententia dicatur Apoſtolus certam ſui in gratia ſtatus, & prædeſtinationis reuelationem habuiſſe, teſtante ipſo ad Romanos 8. *Certus ſum, quia neque mors, neque vita*, &c. *poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Cuius tanti beneficij egregium pignus conſequutus fuerat, cum antequam mortalem vitam abſolueret, ei datum eſt in Paradiſum rapi; ibique clara viſione Deum intueri. Quare Magiſter Sententiarum expreſsè docet Deum oſtendiſſe Paulo vitam, in qua videndus eſt in æternum. Chryſoſtomus ſimiliter Apoſtolum alloquens ait: *Es trium cubitorum, & ad tertium cœlum peruenis: tertium cœlum peruaſiſti, & ingreſſus es in Paradiſum, & vſque ad Dominicam cathedram, quæ mente comprehendi non poteſt, aſcendiſti; & arcana myſteria audiſti, quæ non licet homini loqui.* Præterea ſi Ionas in mare proiectus mergi non potuit; eo quòd ſecum ſanctum Dei nomen haberet. *Quod nomen*, ait Origenes, *cum Cethis vidiſſet in Iona, obſtupuit; atque illæſum eum, quem de naui ſuſceperat, reddidit*: multò magis Apoſtolus inter huius vitæ procellas ſpirituale naufragium timere non debebat, cum ad Dei nomen portandum fuerit electus. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, Regibus, & filijs Iſraël.* Denique, cum in omnibus Dei operibus maximè decorum eluceat; cumque indecens omnino ſit eodem in Tribunali eumdem, & reum, & iudicem eſſe; proculdubio, ſi Apoſtolus Paulus à Deo conſtitutum ſe eſſe ſciebat in extremo iudicio iudicem, non modo hominum, ſed Angelorum, Angelorum ſcilicet præuaricantium, vt Chryſoſtomus explicat: *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus?* Videtur Apoſtolus hinc nullum potuiſſe reatus, & reprobationis metum habere.

In 2. ad Cor. c. 12.

Chryſoſt. apud Surium tom. 3. ſub finem.

Act. c. 9.

Chryſoſt. 1. ad Cor. c. 6.

33. His non obſtantibus apertè Apoſtolus timuit dicens, *Ne, cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Adeo periculoſum eſt Pharifaïco more dicere, & non facere: quandoquidem neceſſarium omnino eſt, vt qui alios viam ſalutis docent, ſanctitatis etiam exemplo præluceant. Quæ neceſſitas tanta eſt, vt ipſi Apoſtolo alioquin ſuæ ſalutis certo timorem incutere potuerit. *Paulus hoc timuit, poſtquam prædicauit, & factus eſt Angelus, & totius orbis terræ defenſionem ſuſcepit, & patrocinium. Quid nos dixerimus? Mihi prædicaſſe, docuiſſe, innumerabiles adduxiſſe non ſatis eſt ad ſalutem; niſi mea quoque actiones ſint eiuſmodi, vt in eas nulla cadat reprehenſio*, ait Chryſoſtomus.

Dicentes, & non facientes, calcant oliuã, & non vnguntur.

34. Contra Eccleſiaſtas, qui Phariſæos imitantes, *Dicunt, & non faciunt*, Domini verba ſunt vſurpanda Michææ 6. *Calcabis oliuam, & non vngeris oleo.* Monſtroſa omnino res eſt, vt qui ex vberrimo diuinæ benignitatis torculari miſericordiæ oleum proximis impertiuntur, ipſi prorſus aridi, diuinæ miſerationis inungi oleo non laborent.

1. ad Cor. c. 13.

35. *Si habuero omnem fidem, vt montes transferam*, id eſt, ait Apoſtolus, ita cacitatem habuero, ſi tantam fidei efficere valeam ex hominum meis ſermonibus ejicere cordibus diabolum:

non laboriosam, sed deliciosam; & ita eius amœnitatem custodiret; & ex alia parte mutuò ipse Adam à Paradiso perficeretur, & custodiretur in diuini mandati obedientia, & obsequio erga Creatorem; quatenus aspiciendo voluptuosi illius loci arbores adeò creatori, & agricolæ obedientes, vt debitis semper temporibus vberrimos fructus redderent; hinc ipse Adam obedientiam similiter ediscere deberet, quotidie grati animi, obsequijque fructus Deo reddendo; ita vt quot frondes in Paradiso essent, tot forent linguæ, quæ Adamo diuinæ legis obseruantiam prædicarent. *Vt quod operaretur*, ait Augustinus, *in terram per agriculturam, in se ipso custodiret per disciplinam: vt sicut ei ager obtemperaret colenti, ita ipse præcipienti Domino suo: vt sumpto præcepto, obedientiæ fructus, non spinas inobedientiæ redderet.* Similiter Apostolici viri ita in Ecclesiæ Sanctæ Paradiso à Deo collocantur, vt excolendo proximos, eosque in salutis via custodiendo, ipsi similiter proximorum inspicientes profectum, eorum exemplo magis, ac magis ad sanctitatem proficere conentur; ita vt hoc modo à Pharisæorum moribus abhorrentes simul & dicant, & faciant.

Manus prætendere benè operando debemus; dum in mortali vitæ nocte incedimus.

Epist. Petri 2. c. 1.

38. Dum in præsenti sæculo, ac mortali vita versamur, veluti per obscuram, & caliginosam viam incedimus, donec ad beatæ vitæ lumen, diemque perueniamus. Quare Apostolus de Prophetarum sermone, quo in hac vita instruimur, loquens ait: *Habemus firmiorem Propheticum Sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Propterea Augustinus dixit, *Comparatione illius diei, quando resurgent mortui, adhuc nox sumus.* At qui nocturno tempore obscura via gradiuntur, ne offendant, manus prætendere debent: Similiter, qui in hac vita ad patriam peregrinantur, præuijs manibus, hoc est meritorijs operationibus, debent incedere. *Manus*, ait Gregorius, *est virtus operis.* Mirum igitur esse non debet, si Pharisæi dicendo, & non faciendo, hoc est manus non prætendendo, obscuro tamen itinere incedentes, tam prauis vitæ gressibus offenderent.

August. serm. 27. de tempore.

Greg. hom. 5.

Magnus in regno cœlorum erit faciens, & docens: Maximus in regno diaboli docés, & non faciens.

39. Qui apud Reges Magnatis titulum consequi voluerit, præclara facinora in Regni profectum moliatur oportet. At, vt quis in Diaboli regno Magnatis titulum consequatur, quæ facinora edere debet? Hoc profectò sufficiet, si Pharisæos imitando dixerit, & non fecerit: quia tali pacto in Diaboli gratiam cœlestia dona contemptibilia esse demonstrat, cum ad ea alios alliciendo, ipse eadem consequi non laboret. Quare, cum Dominus dixerit: *Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in Regno cœlorum*: E contrario, qui docuerit, & non fecerit, magnus quidem vocabitur, non tamen in cœlorum, sed in Diaboli regno. *Si ille*, inquit Cassianus, *qui vnum mandatum minimum soluerit, docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno cœlorum; qui multa, & maiora negligens docere præsumpserit, consequens profectò est, vt non iam minimus in Regno cœlorum, sed in gebennæ supplicio, maximus habeatur.*

Matth. c. 5.

Cassianus coll. lib. 14 c. 9.

40. Contra Pharisæos, eorumque imitatores acerrimè Dominus Ezech. 34. comminatur: *Væ pastoribus Israel, gregem meum non pascebatis.* Quæ autem pascua fidelium gregi ab iniquis pastoribus subtrahuntur, illa præcipuè sunt, de quibus Gregorius 2. part. past. capite 3. loquitur. *Si sit rector operatione præcipuus, vt vitæ viam subditis viuendo denunciet: & grex, qui pastoris vocem, moresque sequitur per exempla melius, quàm per verba gradiatur. Illa namque vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, ostendendo adiuuat, vt fiat.*

Pastor bonus verbo, & exemplo fidelium gregem pascere debet.

41. Suis ouibus non alibi, quàm in montibus se pascua daturum Dominus pollicetur Ezech. 34. *Pascam eas in montibus Israel, in pascuis vberrimis pascam eas; in montibus excelsis Israel erunt pascua earum; ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël.* Propterea pastori, qui Dominicas oues verbo, & exemplo pascere debet, præcipitur Isaïæ 40. *Super montem excelsum ascende tu, qui Euangelizas Sion.* Redditque huius mandati rationem Gregorius supra: *Vt videlicet, qui cœlestis prædicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare iam videatur: tantoque facilius subditos ad meliora pertrahat; quantò per vitæ meritum de supernis clamat.* Si in huiusmodi cathedra è terrenis affectibus eleuata Pharisæi docuissent, de ijs non diceretur: *Dicunt, & non faciunt.* Bene autem monet Imperfect. in Matth. hom. 9. *Nemo potest in valle stare; & de monte loqui. Aut vbi stas, inde loquere; aut vnde loqueris, ibi sta; si in terra est animus tuus, vt quid de cœlo loqueris?*

Pastor bonus in monte, non in valle fidelium gregem pascat.

42. Vbi nos legimus: *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion*: Ex Hebræo legitur: *Super montem excelsum ascende tu euangelizatrix Sionis.* Quæritur autem, cur Sion, hoc est Ecclesia ab euangelizatrice, non ab euangelizatore in diuina lege instruenda dicatur? præsertim cum Apostol. 1. ad Timoth. capite 2. dicat: *Mulier in silentio discat cum omni subiectione; Docere autem mulieri non permitto.* Rursus Psalm. 67. vbi dicitur: *Dominus dabit verbum euangelizantibus*: ex Hebræo legitur: Dominus dabit verbum euangelizantricibus. Auget difficultatem, quod Salomon etiam Ecclesiastæ librum, quem diuino spiritu dictante scripsit, Hebræo vocabulo *Cohelet*, hoc est concionatricem, non concionatorem nominauit. Respondent aliqui primò Hebræos fœmininum vocabulum tribuere solitos ei, cuius pulchritudinem significare volunt; pulchritudinem autem spiritualem in superioribus citatis locis vocabulum tale significat. Respondetur secundò, & ad rem nostram melius, vnà cum huiusmodi fœmininis vocabulis subintelligi animam, seu spiritum. Nam *Ipse Spiritus Sanctus secundum proprietates linguæ Hebrææ fœmineo genere profertur Ruha*, vt ait S. Hieronym. epist. 145. Apostolicus ergo vir, qui alios diuinam legem docet, euangelizatrix, seu concionatrix esse debet; quasi eius anima, & spiritus tantùm concionetur, & veluti corpore carens nihil planè corporeum sapiat. Qui ita loqueretur, non verbo tantùm, vt Pharisæi, sed etiam spiritualis omnino vitæ exemplo alios ad æternam salutem dirigeret.

Prędicator cur Euangelisatrix dicatur.

Prædicator totus spiritus, nihil corporeũ habens videri debet.

43. *Qui in carne sunt Deo, placere non possunt; vos autem in carne non estis, sed in spiritu*, ait Apostolus ad Romanos 8. Tales esse debent

Penna vt scriptioni seruiat, à carne seiungitur.

*prædicatoris lingua ſcribẽtis calamo ſimilis à carnali affectu ſeiungatur.*

diuinæ legis doctores; vt, licet in corpore viuentes, è terrenis, & carnalibus affectibus planè ſeiuncti videantur. Ad quod inſinuandum ſub ſpiritualis Doctoris perſona Dauid Pſalmus. 44. dixit: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Calamus, hoc eſt penna, vt in ſcribendi vſum adhibeatur, ex pennati animalis carne euellitur: ſimiliter pius Doctor, vt lingua, & ſermone bene ſuadeat, calami inſtar à carne ſeiunctus eſſe debet; ita vt tam ore, quàm opere nihil carnale ſapere videatur. Quod ſi cum Ambroſio Lucæ 7. calamum ſcribendi inſtrumentum ex arundine intelligamus; eius etiam ſimilitudo pio Doctori conuenit: *Arundines ſumus, nulla validioris naturæ radice fundati*, ait Ambroſius. *Hanc arundinem ſi quis de terra euellat plantarijs; & ſuperfluis exuat, expolians veterem hominem cum actibus ſuis; & ſcribæ velociter ſcribentis manu temperet; incipit non arundo eſſe, ſed calamus; qui præcepta cœleſtium Scripturarum penetralibus mentis imprimat, tabulis cordis inſcribat: de quo calamo habes dictum: Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Calamum tuum, hoc eſt carnem tuam, tinge non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, vt, quod ſcribis, æternum ſit. Tali calamo Paulus illam Epiſtolam ſcripſit, de qua dicit: Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta non attramento, ſed ſpiritu Dei viui. Tinge carnem tuam in Chriſti ſanguine. Tingis carnem tuam in Chriſti ſanguine, ſi vitia diluas, peccata detergas, mortem Chriſti in tua carne circumferas. Serpens, ſi ſemel calamo percutiatur, moritur*, legitur apud Sanctum Hieronymum. Hinc Sanctus Ambroſius ſupra ait: *Bona arundo caro Chriſti, quæ Serpentis Diaboli caput, & mundanæ cupiditatis illecebras patibulo crucis affixit.* Tali calamo eorum, qui alios docent, lingua ſimilis eſſe debet; nimirum, vt verbis diaboli vires frangat. Quod quidem non efficiet, ſi operibus Diabolo obſequatur; non enim illius linguam timet Diabolus, quem operibus ſeruum habet. Vt lethalis Satanæ infligatur ictus, oportet linguæ calamum armare veneno, venenum autem contra Diabolum bonorum operum exemplum verbis aſſociatum eſt.

*Calamus, hoc eſt arundo, è terra euellitur, vt ſcriptioni ſeruiat: Prædicatoris lingua calamo ſimilis è terreno effectu euellatur.*

*Prædicatoris lingua calamo ſimilis, quod atramentum habere debet; hic, & ſeq.*

*2. ad Cor. c. 3.*

*Serpens calamo percuſſus moritur: diabolus à Prædicatoris lingua calamo ſimili percuti debet.*

*Hieron, tom. 9. epiſt. ad Præſidium de cereo Paſchali: & in regulis Monachorum cap. de laude religionis.*

*Prædicatoris lingua calamo ſimilis ſuperiori ex parte ſanctitate plena, ex inferiori per humilitatem vacua eſſe debet.*

44. Præterea calamus pij prædicatoris linguam ſignificans ex ſuperiori parte plenus, ex inferiori verò, qua atramentum attrahitur, vacuus eſſe debet: Sanctitate ſcilicet plenus ſit myſticus calamus, vacuus verò per humilitatem, vt ait Hugo. Talis non erat Iudæorum ſcribarum lingua Phariſaïca ſuperbia plena. Quare ei, qui ad Dei verbum promulgandum mittitur, dicitur: *Quaſi tuba exalta vocem tuam. Tuba, per quam Prædicator deſignatur, non reſonat, niſi ſit vacua*, ait idem Hugo: vacua per humilitatem, vacua per amoris proprij, carnaleſque excluſionem. Secundò, vt S. Zeno ſermone de ſomnio Iacob notat, calamus ſectione, & inciſione ad ſcribendum aptus redditur. Plures prauorum affectuum ſectiones prædicatoris lingua ſubire debet, vt in auditorum cordibus diuinam legem ſcribere efficaciter poſſit. Neque hoc efficiet, niſi calamus encauſto repleatur, Poſtea tamquam
*Eli gratia*, ait Hugo. De hoc id eſt Spiritus ſan-
2. ad Corinth. 3. *Vos eſtis* encauſto dicitur
*ſtrata à nobis, & ſcripta non* epiſtola Chriſti mini-
*ritu Dei viui.* Tertiò, calamo attramento, ſed ſpi-
gua comparatur. *Sicut enim* Prædicatoris lin-
*lamus non ſcribit, quod vult*, inquit Hugo, ca-
*ſic homo non prædicat à ſe* ſed quod ſcribens vult,
, ſed à Spiritu ſancto

*Iſai. 58.*

*Prædicatoris lingua in quo tubæ ſimilis.*

*Calamus ſectione ad ſcribendum aptus redditur: ſimiliter Prædicatoris lingua calamo ſimilis.*

*Calamus à ſcribente dirigitur: Prædicatoris lingua*

1. ad Cor. c. 11.

*Christo.* Hinc Cassianus collat. 14. capite 9. ait: *Cauendum est, ne illorum ad docendum inciteris exemplis, qui peritiam disputandi, ac sermonis affluentiam consequuti; quia possunt ea, quæ volunt, ornatè, copioséque disserere, scientiam spiritalem possidere creduntur ab ijs, qui vim eius, & qualitatem discernere non nouerunt. Aliud namque est facilitatem oris, & nitorem habere sermonis, & aliud venas, ac medullas cœlestium intrare dictorum, ac profunda, & abscondita sacramenta purissimo cordis oculo contemplari: quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio secularis; sed sola puritas mentis per illuminationem Sancti Spiritus obtinebit.* Quare si non verborum lenocinijs, inanique artificio diuinæ legis doctrina impediatur; tunc *velociter currit sermo eius*: tunc docentis *lingua est calamus scribæ velociter scribentis. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*, ait Ambrosius. Lucæ primò, *O qualis est artifex iste Spiritus?* ait Gregorius Homil. 30. in Euangel. *Nulla ad discendum mora agitur in omne, quod voluerit: mox enim, vt tetigerit, mentem docet; solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subitò, vt illustrat, immutat: abnegat repente, quod erat; exhibet repente quod non erat.* Porrò calamo velociter scribentis solent res per verborum abbreuiationes exprimi. Tales calami fuerunt Apostolorum linguæ; ideoque Paulus prima ad Corinth. cap. 1. dixit: *Greci sapientiam querunt: nos autem predicamus Christum Crucifixum.* Christus Crucifixus *Verbum abbreuiatum est*, iuxta SS. Patres Hieronymum, Cyprianum, & Bernardum, *Abbreuiatum in carne, magis abbreuiatum in Cruce.* Quàm incongrui sunt Christo Crucifixo, spinisque coronato verborum flosculi?

Velociter scribens abbreuiata verba scribit. Verbum abbreuiatum, hoc est Christũ crucifixum prædicare debet lingua similis calamo velociter scribentis.

Christus spinis coronatus, & verborum flosculi non benè conueniunt.

Hieron. ad Algasiam q. 10. Cyprian lib. 2. contra Iudæos. Bernard. serm. de Natiu. primo.

47. Sed Dauid boni, non Pharisaïci Doctoris typus cur linguam suam calamo velociter scribentis, modo hactenus explicato comparauerit rationem præmittit ibidem dicens: *Dico ego opera mea Regi.* Quid opus est sua opera Deo regi dicere; cum *omnia nuda, & aperta sint oculis eius?* Respondet Hugo dicere opera sua regi, est dicere ad honorem regis Christi. Tunc autem ad honorem regis Christi opera dicuntur; cum bona opera, quæ alijs facienda dicimus, eadem & nos facimus. *Dico ego opera mea Regi*, idem iuxta Hugonem. *Illa dico, quæ facio; & illa, quæ facio, predico: ne dicatur mihi; Qui alium doces, teipsum non doces: Qui prædicas non furandum furaris.* Nam vt ait Gregor. *Loquentis authoritas perditur, cum vox opere non adiuuatur. Hinc Apostolus Romanis cap. 15. testatur: Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus verbo, & factis.*

Opera sua Regi Christo dicere, quid significet.

Ad Hebr. c. 4. 13.

Ad Rom. c. 2.

48. Exploratores missi ad lustrandam Palæstinam, & Iudæam retulerunt Hebræis: *Ibi vidimus monstra quædam.* Numer. cap. 13. 34. Quantò veriùs Scribæ & Pharisæi dicentes, & non facientes; amantes primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, seque nugaciter seruantissimos legis Mosaïcæ iactantes, veluti monstra se in Iudæa exhibebant? Benè num. Bernardus lib. 2. de consider. ait: *Monstrosa res est gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus grauis, & actus leuis; ingens authoritas, & nutans stabilitas; facies rugosa, & lingua nugosa.* De Mose dicitur Ecclesiastici 45. *In verbis suis monstra placauit.* Pharisaïca monstra Christus Dominus non placauit; cum eius mortem semper infensissimè procurauerint.

Monstro simile est Prælatus malè viuens.

49. Quærunt sacri Interpretes, cur Dominus è Bethania Ierosolymam iter faciens fici arborem arefieri iusserit; eo quòd talis arbor fructus non haberet? Matth. 21. *Vidit fici arborem vnam secus viam; venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm; & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum; & arefacta est continuò ficulnea.* Nihilominus scimus hoc sub veris initium accidisse, quod fructus educendi tempus non est. Respondetur eum, qui prototypum odit, eius typum etiam, & imaginem odio habere. Infelix illa arbor plena folijs, expers fructuum, typus, & imago erat Scribarum, & Pharisæorum; qui cum verbis abundarent, bonorum operum fructus non habebant: ideo Dominus arborem illam maledictione arefacere voluit. *Arefecit Dominus arborem maledicto*, ait Beda; *vt homines hoc videntes, siue audientes multò magis intelligerent de diuino condemnandos esse iudicio; si absque operum fructu, de plausu tantùm religiosi sermonis, velut de sonitu, & blandimento viridantium glorientur foliorum.*

Fici arbor à Domino arefacta typus Prælati dicentis, & non facientis.

Beda tom. 7. hom. 7. Quadrag.

50. Ex qua Bedæ interpretatione colligitur fici arborem illam fructu carentem Dominum aridam reddidisse præcipuè ad Scribarum, & Pharisæorum infructuosum sermonem arguendum; quorum tunc temporis munus erat ad populum de diuina lege verba facere: quod ad doctrinę ostentationem potius, quàm ad spiritualem fructum inaniter exercebant. Sed cur Dominus fici arborem cum procul vidisset, dicitur accessisse ad eam; quasi indagaturus, an fructus haberet: dicente Marco cap. 11. *Cum vidisset à longe ficum habentem folia, venit si quid fortè inueniret in ea; & cum venisset ad eam nihil inuenit, præter folia.* Cum Dominus omnia præsciret, quid illi accessu opus fuit? Respondetur ad significandum immane aliquod facinus, adeoque incredibile, dici Deum omnia præscientem ad illud indagandum accedere. Sic 18. Genes. 20. *Dixit Dominus: clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint; an non est ita, vt sciam.* Similiter in casu nostro, cum viri ad proximorum salutem procurandam destinati, instar Euangelicæ huius ficus foliorum viridantium redundantiam sine fructu, hoc est ornatum sine spirituali animarum profectu ostentant, adeo immane scelus contra Dei gloriam, proximorumquè charitatem committunt; vt ad illud, tamquam ad incredibile facinus cognoscendum Dominus accessisse dicatur. Caueant ergo Euangelici concionatores, ne Scribas, & Pharisæos imitantes verborum blandimento, non solida, & efficaci oratione, bonorumque operum exemplo diuinam legem doceant. Alioquin ipsorum culpa accidet, quod auditorum culpa contigit Ezechielis tempore; cui à Domino dictum est, cap. 33. *Audiunt sermones tuos, & non faciunt eos; quia in canticum oris sui vertunt illos: Et es eis, quasi carmen musicum, quod suaui, dulcique sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Quod si auditores spirituali scabie laborantes *prurientes auribus* sint, vt ait Apostolus, non propterea eorum scabies, & prurigo verborum blandimento titillanda est. Nam, vt ait Plato in Philebo: *Iucundum, & volupe est scabiem scabere; at postea tetros ciet dolores, & dolores.* Potius cum tali morbo prurientes aures laborant, ijs sulphur illud applicandum est; de quo Apoc. c. 14. & c. 20. dicitur peccator *cruciabitur igne, & sulphure: missus in stagnum ignis, &*

Concionatores verborum elegantiæ studentes sine auditorũ fructu, quam immane facinus comm

2. ad Tim. 4. Prurientes auditorum aures non verborum blandimento titillandæ, sed inferno sulphure contrectandæ.

sulphuris. Ei, qui à peccatis ad animæ salutem A alios reuocat, ait Chrysostomus: *Facies, vt sit os tuum, sicut os Dei*: iuxtà illud à Deo Ierem. 15. dictum: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*; eum ergo, qui os Dei constituitur, non alia verba, quàm efficacia, sancta, quæque Diuinitatem sapiant, decent: non autem fabulosa, vanamque eloquentiam ostentantia. *Nam maior est ambitioso eloquentia mendacio simplex veritatis fides*, vt ait Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 2.

Chrysost. orat. 5. contra Iudæos.

Concionator cum sit os Dei, verba diuino ori conuenientia proferat.

51. Porrò, vt benè intelligatur quantæ culpæ reatum subierint infructuosi Scribæ, & Pharisæi; subeantque nunc eorum imitatores, ad quos diuinam legem promulgare, & efficaciter suadere B pertinet; recolendum est, quod Genes. 4. legitur à Deo dictum Caino de Abelo eius fratre occiso: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: Vbi ex Chaldæo legitur: *Vox generationum, quæ futuræ erant ex fratre tuo, clamant ad me de terra*. Ex qua lectione Caietanus nomine sanguinis intelligit filios, qui ex Abelo, si vixisset, procreandi erant. Eadem sanguinis acceptione vsus est ille, qui nepotem ex sua stirpe nasciturum alloquens dixit: *Proyce tela manu, sanguis meus*. Abeli igitur filij, quia Caïni culpa naturale esse consecuti non fuerint; vindictam à Deo clamoribus exposcere dicuntur. Sicut autem Deus ad certum numerum filios procreandos ab Abelo destinarat; ita ad certum numerum à spiritualibus Pa- C tribus spirituales filios per diuinam gratiam procreandos decreuit. Qui filij, si supernaturalem vitam per diuinam gratiam non consequuntur spiritualium patrum culpa; sine dubio ingentibus clamoribus aduersus eos vindictam à Deo efflagitabunt.

Concionatorem contra vindictam à Deo clamant, qui eius culpa salutem non consequuntur.

Æneid. 6.

52. *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus non se custodierit; veneritque gladius, & tulerit de eis animam; ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram*, ait Deus Ezech. 33. Iuxta sacros interpretes speculatoris nomine hîc spirituales magistri, diuinæque legis D Doctores intelliguntur, ad quos spectat efficaci sermone populum à peccatis auertere. Peccat autem primo Speculator, si non in sublimi loco, vnde aduenientes hostes præuidere possit, resideat. Peccat secundo; si non buccina insonet. Peccat tertio, si buccina quidem insonet; eius tamen sonitus non bellicus sit ad excitandum; sed potius musicus, & iucundè temperatus ad oblectandum. Triplici huius peccati rei Scribæ erant, & Pharisæi, hodieque etiam esse possunt Euangelici Sacerdotes, quibus animarum cura committitur. Primò non in edito loco per sublimis vitæ exemplum à terrenis affectibus procul residebant. Secundo non buccina insonabant. Buccina enim vt insonet, speculator eam manu E sustentare debet: Scribæ, & Pharisæi licet ore de diuina lege loquerentur; manum tamen ad monita, quæ dabant, bonorum operum exemplo sustentanda non admouebant; dicentes scilicet, & non facientes. Tertiò eorum sonus non bellicus erat ad efficaciter populum excitandum; sed potius ad popularem plausum captandum adaptatus; vt auditorum beneuolentiam sibi potius, quàm Deo conciliarent; & ne populum eius vitia arguendo à se auerterent; adeoque non buccinæ, seu tubæ sonitus erat. Bene enim Augustinus serm. 106. de tempore ait: *Quasi tuba exalta vocem tuam. Clamare ergo iubemur, & vehementer clamare scitis, quia tuba non tam oblectationis esse*.

Speculator suo in munere tripliciter peccare potest: similiter prædicator.

Isai. 58.

ait Hieronymus; *quæ medullam non habent, nec possunt nutrire credentium populos. Quicunque blanda propter fauorem prædicant, sunt palea incendio Domini reseruata*, ait Hugo. Rursus inanium Prædicatorum verba paleæ sunt indicantes eos, qui illis oblectantur, belluarum gustum habere. Paleæ sunt, quia sæpè ipsæ paleæ, ipsa inania, & fucata verba vanis concionatoribus memoriæ defectu subtrahuntur; dicatque illis Diabolus instar Pharaonis: *Non do vobis paleas.* Idque in vanitatis pœnam, vt meritam apud auditores ignominiam subeant. *Quid Sceptro, & Plectro?* ad rem aliam Stratonicus dixit. Similiter quid ad zelum propagandi Dei regnum, sceptrumque spectat, & confert inanium verborum inutilis cantilena?

Concionatoris vanus sermo paleæ similis.

Exodi 5. 10.

Concionatoris vanus sermo auditorem belluarum gustum habere indicat.

55. Cum Roma incenderetur, Nero crudelitatis monstrum oblectatus incendio, musicos cantus ciens vorantes flammas dicitur inspexisse. *Incendium è turri prospectans, lætus flammæ pulchritudine, illi decantauit*, ait Suetonius. *Peruaserat rumor ipso tempore flagrantis vrbis, iniisse eum domesticam scenam, & cecinisse Troianum excidium, præsentia mala vetustis cladibus assimilantem*, ait Tacitus Ann. 15. Crudelitas hæc, immo maior in iis videtur, qui Scribarum, & Pharisæorum more potius popularem auram, quàm animarum salutem curantes, ad doctrinæ, ingeniique ostentationem concinna verba adaptantes, ea veluti cantilenam auditoribus proferunt; dum passim homines præuaricantes peccatorum incendio obruuntur; sicque propriæ vanitati, non animarum necessitati consulunt: suntque populo, vt Ezechielis 33. dicitur: *Quasi carmen musicum, quod suaui, dulcique sono canitur; & audiunt verba, & non faciunt ea.* Concionatori etiam affectatæ eloquentiæ cantilena popularem auram captanti, Isaiæ irrisio aptari potest cap. 23. *Bene cane, frequenta Canticum; memoria tui sit.* Indicant historici Neronem Romani incendij fuisse authorem: *Videbatur Nero condendæ vrbis nouæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quærere.* Sed si Romam incendit Nero propriæ gloriæ cupidus; Scribæ, & Pharisæi, eorumque imitatores, vt propriæ vanitati satisfaciant; cœlestem Ierosolymam depopulari videntur; cum ciuibus orbant, qui ad cœlestem patriam incolendam creati erant. Si matrem Nero interemit; quot spirituales filios praui Doctores interimunt: dum eorum culpa ad cœlestis gratiæ vitam non perueniunt.

Concionatoris vaniloqui similes Neroni in Romanæ incendio canenti.

Tacitus Annal. 15.

Tacitus Annal. lib. 14.

56. Sub talium Doctorum persona ait dolenter Chrysostomus: *Flosculos verborum, & compositionem, & harmoniam curiosius sectamur, vt canamus, non vt prosimus: vt simus in admiratione, non vt doceamus; vt oblectemus, non vt compungamus; vt plausu, & laudibus obtentis abeamus; non vt mores componamus.* Subdit deinde Chrysostomus. *Vbi domum redeo, & intelligo plaudentes sine fructu abiisse, & si fructum accipere poterant, à plausu, & laudibus periisse: ploro, & gemo, & lacrymor, & quasi frustra omnia dixerim, sic afficior.* Hinc Chrysostomus occasionem sumpsit audicorum plausus inter concionandum prohibendi. *Hanc nunc legem firmabimus, ne quis auditor plaudat: quamdiu nos loquimur.* Quòd cum Chrysostom. magno zelo inculcaret, plaususque auditorum excitaretur, dolens exclamauit: *Quare applausistis? De hoc legem pono:* Adeo verum est plausum, & gloriam fugientes sequi.

Chrysostomi contra Prædicatores populi plausum captantes querimonia.

Chrysostomus sib auditores plaudere vetuit.

57. Porro cum teste Chrysostomus concionatores sæpe verborum flosculos sectentur; flores quidem sectari eis detur, sed quales diuina Sapientia profert dicens: *Flores mei fructus honoris, & honestatis:* ornatè autem dicendo illud secum ipsi sedulò recogitare debent, quod sponsa in canticis ait: *Videamus si flores fructus parturiunt:* adeoque si sæpius dicere possint cum Prophetis: *Hæc dicit Dominus:* quod, vt verè dicant, eorum dicendi modus Dei ori conuenire debet.

Eloquentiæ flores ij adhibendi sunt, qui fructus pariunt.

Eccli 14. 23.

Cantic. cap. 7. 12.

58. Quàm alieni à Chrysostomo plausum, vt supra vidimus, abhorrente, & prohibente sunt ij, de quibus idem Chrysostomus ibidem ait: *Multi si applaudentem multitudinem habent, quasi regnum adepti sint, gaudent: si autem cum silentio clauditur sermo, tristitia maior illis est è silentio, quàm è Gehenna.* Sed quoniam hoc non solùm à dicentis, sed etiam ab auditorum culpa prouenit, subdit Chrysostomus: *Hoc subuertit Ecclesias, quod & vos non quæritis audire sermonem, qui compungere possit; sed qui oblectet, & tinnulo strepitu, & verborum compositione, quasi Citharœdos, & Cantores audientes: & nos frigidè, & miserè facimus, vestras affectiones sequentes, quas eiicere oportebat. Et idem fit, ac si pater videns puerum, quem supra modum tenerè amat, ægrotum; illi frigida, & quæcumque oblectant, porrigat; quæ autem vtilia, minime curet.* Potius probi medici imitandi forent; qui quamuis ægros pueros dulcedine aliqua delinire studeant; salutare tamen medicamen, quamuis iniucundum, & amarum, dulcedine illa permiscent: *Pueris absinthia tetra medentes cum dare conantur, prius oras pocula circum contingunt dulci mellis, flauoque liquore*, ait Lucretius lib. 4.

Concionatorum infructuosa concio ex auditorum vanitate prouenit.

59. Oseæ 2. de idololatra populo queritur Deus: *Argentum multiplicaui eis, & aurum, quæ fecerunt Baal. Quod mysticè faciunt*, ait Hugo Cardinalis, *qui ad Dei gloriam prædicant, sed ad hoc, vt sint superiores, & aliorum deuoratores. Argentum, & aurum, id est eloquentiam, & sapientiam multiplicaui eis, & ipsi fecerunt Baal*, hoc est humanæ gloriæ idolum hinc sibi conflatant. Idem Hugo explicans verba illa Ieremiæ 23. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus; & quasi malleus conterens petram?* Ait: *Multi prædicatores tantum ignem, & malleum habent in ore; sicut ioculatores, qui ignem habent in ore, flatum emittunt alios comburendo, & ipsi frigidi manent: ita & hic, quia sermo Dei non æstuat in corde eorum, sed tantum est in ore, & ideo nonnisi flatum vanæ gloriæ emittunt. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti:* talis vt Dei sermone sit, debetè corde prodire, non ex loquentium ore tantùm; ita vt de mystico sermonis gladio non dicatur iuxta Hugonem: *Gladius in labiis eorum: & non est spiritus in ore ipsorum.* Idem Hugo in illa Domini verba Ierem. 23. *Ecce ego ad prophetas, qui seduxerunt populum meum in miraculis suis;* indicat, quæ sint ista miracula: scilicet *verba euoluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere.*

Hugo in fontem 13.

Prædicatores vaniloqui idololatriæ similes.

Concionatoris sermo quasi ignis, & malleus esse debet.

Concionatores vaniloqui similes circulatoribus ignem afflantibus.

ad Hebr. 4. 12.

Concionatoris vaniloqui macula quæ sint.

Psalm. 58

Psalm. 134.

60. Matthæi 27. & Marci 15. *Circa horam nonam. Clamauit Iesum voce magna dicens: Eli, Eli lammasabathani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Vbi Epiphanius hæresi 69. ait: *Ideo Syriacè hæc dicit Dominus, vt adstantes loquentem intelligerent.* Hinc colligant concionatores aliter è Crucis suggestu prolata esse verba, & aliter ab ipsis vsurpari; dum non facili sententiæ claritati; sed affectatæ locutionis, & reconditæ eruditionis ostentationi deseruiunt cap. 27. Deuter. Israëlitico populo Moses præcepit: *Ædificabis altare Domino Deo tuo de saxis informibus, & impolitis.* Deinde præci-

Concionatoris sententiæ claritati, non exquisitis verbis studere debet; hic, & sequentibus.

pitur: *Scribes super lapides omnia verba legis huius planè, & lucidè.* Vnde benè Seraphinus Capponus deducit per prædicationem populo planè & lucidè quidquid ad diuinam legem seruandam pertinet, esse declarandum. *Non vult Deus*, ait citatus auctor, *vt nostri admirationem quæramus in populo, sed illius vtilitatem: & quòd altare ex impolitis lapidibus construi ibi præcipiatur, mysticè indicatur verbis vtendum familiaribus, & stylo communi, & perspicuo; non ex affectata eloquentia perpolito.* Hinc in Moguntino Concilio cap. 25. peculiari canone imperatur diebus festiuis verbi Dei prædicatio, iuxta quod vulgus intelligere potest. Similiter Tridentinum sess. 5. cap. 2. præcipit annuncianda esse populo cum breuitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriam consequi valeat. Ideo sanctus Augustinus cum Latinè os dicendum esse benè sciret; vt populi intelligentiæ consuleret, ossum dixit explicans Psalm. 138. & addidit: *Sic potius loquamur. Melius est, vt reprehendant nos Grammatici, quàm non intelligant populi.* Similiter S. Bernardus serm. 1. ad fratres cum humilitatem, & humile cor dicere potuisset, *bassitudinem, & bassum cor* vsurpauit.

61. Quàm dissimiles à S. Ecclesiæ luminibus, quales Augustinus, & Bernardus fuerunt, ij se ostendunt; qui ad populum verba facientes exquisitas dicendi formas, & à communi vsu abhorrentes affectant! Contra quos inuehitur Hieronymus in epist. ad Galatas initio: *Iam & in Ecclesiis ista quæruntur; omissaque Apostolicorum simplicitate, & puritate verborum, quasi ad Athenæum, & ad auditoria conuenitur; vt plausus circumstantium suscitentur; vt oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula prodeat in publicum, non tam eruditura populos, quàm fauorem populi quæsitura; & in modum psalterij, & tibiæ dulce canentis sensus demulceat audientium; vt verè illud* Ezech. cap. 33. *Prophetæ Ezechielis nostris temporibus possit aptari, dicente Domino ad eum: Et factus es eis, quasi vox citharæ suaue canentis, & bene composita; & audiunt verba tua, & non faciunt ea.*

62. Magnum profectò crudelitatis argumentum foret, si quis hominem vndique mordacibus scorpionibus, viperisque circumdatum, grauique somno pressum intuens, non modo ingenti voce eius auribus non inclamaret: *Surge, qui dormis:* (ad Ephes. 5. 14.) sed sub consopiti cubito, & ceruice puluillos adaptaret; vt inde mollius dormiens grauiore sopore premeretur. Sæuities similis, immò maior erat in Scribis, & Pharisæis, quorum munus erat populum à peccati somno excitare; quod tantum aberat, vt facerent; vt etiam veluti mollia quædam puluinaria sub hominum cubitis, & ceruice supponerent; quò grauius consopiti obdormirent. Sæpè enim omissa Dei lege futiles quasdam traditionum obseruationes blandè populo proponebant; vt iis seruatis, quiescentibus conscientiæ stimulis, securi omnes dormitarent. Quare eos increpando Dominus Matth. 15. dixit: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram;* & hoc cap. 23. *Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: quicumque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet.* Hinc ad hos comminando dicitur Ezechielis 13. *Væ, quæ consuunt puluillos sub omni cubito manus; & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis.* Vbi de talibus loquitur, tanquam de fœminis, eo quod effœminatos mores potius, quàm virile pectus haberent, vt hîc sacri interpretes docent. Spectat etiam al-

Concionatores vaniloqui fœmineo nomine appellantur.

latum dulcedine delectat, sed etiam corpora salubritate iuuat: similiter, qui diuinam legem docent, non ita delectationis dulcedini studere debent; vt eorum sermo non etiam languentes peccatorum animas salubritate reficiat. Quod bene docet Ambros. explicans allatum Psalmi 118. versiculum: *Stillant mel labia prædicantis, quando collisa duris casibus, vel ruinis lapsa animæ membra refouentur.* Mel ebrietatem retundit. Qui diuinam legem docent, ebrietatem illam arcere debent, de qua loquitur Ioannes Apoc. 17. *Inebriati sunt, qui habitant terram, de vino prostitutionis eius: nempe mundanæ gloriæ, & voluptatis.* Quomodo poterant ebrietatem hanc ab aliis scribæ, & Pharisæi arcere, cum ea ipsi premerentur, ambientes, *primos recubitus in cænis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, vocari ab hominibus Rabbi.*

*Apis fauos aculeis defendit: concionator Dei timore confligere debet violantes diuinam legem mellis fauo comparatam.*

*Concionatoris sermo similis sit melli, quod non solùm palato dulce, sed ægro corpori salubre est.*

65. Præterea teste Plinio lib. 22. cap. 24. *Mellis natura talis est, vt putrescere corpora non sinat: faucibus, tonsillis: anginæ vtilissimum: item vulneribus à serpente percussis.* Similiter diuina lex ita doceri debet, vt tanquam mel cum dulcedine salubritatem coniungens, aduersus tartarei serpentis morsum antitodum sit; animosque lethali peccatorum putredine marcescere non sinat: & hoc quidem efficit, cum expellit spiritualis anginæ morbum fauces coarctantem, ne quis proprias fateatur culpas; ne in diuinas laudes, & in gratiarum actionem os adaperiat. De tali diuinæ legis melle ait Chrysostomus homil. 55. ad pop. *Hoc mel non syluestres quapiam apes floribus insidentes colligunt; neque rorem maturantes aluearibus immittunt; sed Spiritus Sancti gratia construens pro faucis, & aluearibus, & fistulis in Sanctorum oribus recondit; vt volenti liceat cum voluptate inde vesci. Has insuper apes & ipsi sancti imitantes sacrorum voluminum floridos saltus circumuolitant; & inde quidquid suaue, ac mellitum est decerpunt. Et si vis, experire ipsorum ora videbis quidem talia eructantes; omnia mitia, & iucunda, & spiritualis odoris suauitate plena, omnia ipsis cælis digna.* Vbi notandum iuxta Chrysostomum non à profanis, ethnicis, & poëticis libris; sed à sacris voluminibus, tale mel esse legendum. Exitiale mellis genus in Pontica regione reperiri testatur Plinius lib. 21. cap. 13. quod homines insanos reddit. Tale mellitum dicendi genus est, quod à profanis scriptoribus, præcipuè à poëtis elicitur. Porro Pharisæi, & Scribæ è sacris quidem voluminibus diuinæ legis mel colligebant; sed quoniam cum alijs tale mel proferrent, ipsi ab eo gustando alieni erant; dicentes scilicet, & non facientes; ideo mel tale in ipsorum ore erat, sicut mel in mortui leonis ore fuisse legimus, Iudic. 14. qui quamuis mel in ore haberet, dulcedinis sensum quippe mortuus non habebat.

*Mel ebrietatem impedit: concionatoris sermo voluptatis ebrietatem arceat.*

*Mel putrescere corpora non sinit: concionatoris sermo spiritualem putredinem arceat.*

*Mel salubre est contra serpentis morsum: concionatoris sermo contra tartarei serpentis ictûs antidotum sit.*

*Mel morbo fauces coarctanti salubre est: concionatoris sermo peccatoris fauces ad peccata confitendo laxet.*

*Pij sermonis mel non è profanis, sed è sacris libris est colligendum.*

*Pontificum mel insaniem affert: talis est mellitæ oratio è profanis auctoribus emendicata.*

66. Canticorum secundo, Ecclesiæ suæ sponsæ, atque adeo Ecclesiastis à Domino dicitur: *Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Quibus verbis cum vocis, & loquelæ dulcedine faciei decor expetitur. Rogat ergo Deus, vt bonus Ecclesiæ Minister faciem suam ostendat; nimirum, vt in ea tamquam in speculo ipse Deus Ecclesiæ sponsus imaginem suam repræsentatam aspiciat, iuxta Theodoretum. Talis facies diuinam imaginem repræsentans erit speculum illud, quod Dei Ministrum exhibere debere monet. Apostolus ad Tit. 2. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum:* vbi bene

*Concionatores verbo, & exemplo prædicantes sponsam imitantur, quæ cum vocis dulcedine faciem decoram habebat. Idem sequiti.*

A Chrysostomus ait: *Sit doctrina, & exemplar virtutis tuæ speculum vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti archetypus, & primitiua quædam imago omnia in se habens, quæ bona, & honesta sunt.*

67. Ad confirmandum in allata Canticorum verba, audiamus Gregorium. *Præcipit sponsus, vt ei sponsa faciem suam ostendat; quia quicumque se fidem dicit habere, necesse est, vt in bonis operibus se exerceat, vt in operibus exterioribus fides interior innotescat. Sed & opera necesse est vox prædicationis sequatur: quia quicumque in sanctis operibus perfecti se dilatat; consequens est, vt ad ea facienda proximos quosque exhortetur. Ideò sequitur: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Tunc*

B *enim & vox placet, & facies decoratur; quando & opera prædicatio sequitur, & rursum prædicationem bona opera comitantur.* Similiter Bernardus. Ser. 62. in Cantica. *Quantùm illi placeat cum puritate quidem mentis prædicatio veritatis, ostendit, cum sub inde infert: Vox enim tua dulcis. Quia enim non placeat: si displiceat facies, demonstrat, cùm illico subdit: & facies tua decora. Quid interna decor faciei nisi puritas. In pluribus hæc absque prædicationis voce complacuit; illa absque ista in nemine. Impuris non se veritas ostendit, non se credit sapientia. Quid ergo loquantur, quam non viderunt? Quod scimus, inquit, loquimur, & quæ videmus testamur. Id ergo tu audes testari, quod non vidisti;*

C *& loqui quod ignoras? Quæris quem dicam impurum? Qui laudes requiris humanas; qui non ponis sine sumptu Euangelium; qui Euangelizat, vt manducet; qui quæstum æstimas pietatem; qui non requiris fructum; sed datum.* Quàm egregiè extremis his verbis Scribæ, & Pharisæi, eorumque imitatores exprimantur nemo non videt qui præsens Euangelium legat.

68. Præterea quibus è labris dulcis sermo ad diuinam legem docendam prodire debeat, indicatur Cantic. 4. vbi animæ cœlesti zelo incensæ dicitur: *Sicut vitta coccinea labia tua; & eloquium tuum dulce.* Vittis, seu funiculis, talis animæ labia comparantur: nam Dei gloriam,

D hominumque salutem zelans, vt ait Theodoret. *Verba profert veritatis, quibus tamquam funiculo quodam capiuntur auditores, & vinciuntur, nec discedere permittit.* Quod quidem non efficiet, nisi charitate, bonorumque operum exemplo præluceat. Audi Gregorium; *Prædicatores labia Ecclesiæ dicuntur; quia nimirum per eos populis præcepta vitæ loquitur: qui bene sicut vitta dicuntur; quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus restringunt, quasi sparsos crines, ne immoderatè diffluant, reprimunt. Sed quid est, quod non tantùm vitta, sed coccinea comparantur; nisi quia per coccum flamma charitatis intelligitur, qua illi ardent, & per eos alij accenduntur. Quia dum, quæ dicunt faciunt, prædica-*

E *tiones suas hominibus, quasi sapidas escas apponunt.* Quare iuxta Gregorium cum sanctitatis exemplo prædicationes veluti insipidæ escæ auditoribus proponuntur, mirum esse non debet, si spiritualiter non nutriant; sed potius ex nausea reiiciantur.

99. Idem Gregorius Cantic. 4. inuestigat, cur de Ecclesia Dei sponsa dicatur: *Fauus distillans labia tua, sponsa; mel, & lac sub lingua tua:* cur non in lingua solùm, sed sub lingua mel habere dicatur? & respondet: *Falsi prædicatores mel in lingua portant, quod sub lingua non habent; quia cœlestia gaudia aliquando prædicant tamquam veri sint; cum ipsi terrestria bona totis desiderijs appetant. Sancta verò mens mel in lingua prætendit; quia sapienti-*

*Concionatores impuros qui sit.*

*Concionatoris bono exemplo non prælucentis verba sunt veluti insipidæ escæ quæ ex nausea reiiciuntur.*

Ioan. 3. 11.

*Concionatoris pij labia cur vittis coccineis comparentur.*

*Mel sub lingua cur sponsa habere dicatur.*

*pientiæ dulcedinem loquendo ostendit; quam veraci-* A *ter prædicans audientes tanquam mellis dulcedine reficit. Sub lingua autem hæc omnia sibi ipsi reseruat; quia internam dulcedinem assiduè secum portat. Dum enim terrena abijcit; dum vitiorum amaritudinem respuit; in interioribus sensibus sapientiæ dulcedine se pascit; qua robur colligit, vt ad æterna gradiens, in labore viæ lassescere non possit.*

Concionatoris sermo partim melli, partim myrrhæ similis sit.

70. Diuinæ legis prædicatio prius melli comparatur deinde myrrhæ: scilicet, vt cum orationis dulcedine reprehensionis amarities misceatur iuxta Apost. 2. ad Tim. 4. dicentem: *Argue, obsecra, increpa.* Quare Cantic. 5. Ecclesia Dei sponsa de se ait: *Manus meæ stillauerunt myrrham.* Vbi Gregor. ait: *Manus sponsæ prædicationis myrrham* B *stillant*: scilicet, vt per talem myrrham à peccatorum putredine auditores præseruentur. Geminæ hæ manus myrrham stillantes verbum, & exemplum sunt. Sed qui verbo docet, prauoque exemplo scandalizat iuxta Nazianzenum similis est ei, qui ruentem vna manu traheret, altera verò in præceps impelleret.

Geminæ manus sponsæ myrrham stillātes sunt verbum, & exemplum.

Concionator docens, & non faciens, auditores altera manu trahit, altera in præceps agit.

Nazianzenus in Tetrast. Sen. 4

Cibus regius non deferendus est à sordido ministro: nec spiritualis animæ cibus à concionatore peccatis immundo.

71. Psalm. 100. à Deo dicitur: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*, scilicet cibum animarum, de quo Redemptor dixit Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius*; nempe animarum redemptionem. Quod quidem nemo bene exequi potest nisi ipse bonorum operum exemplo in via C immaculata ambulet. Si enim valde dedeceret regium ministrum fœdis, sordidisque manibus, ac pedibus conuiuanti Regi dapes afferre: multò magis dedecet à Dei ministro prauis operibus spiritualem animarum cibum Deo ministrari. Decentiam hanc bene cognoscens Dauid prius à Deo postulauit: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis*: deinde exhibens se idoneum diuinæ legis Doctorem dixit: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Vbi iuxta Augustinum, Bedam, & alios impij intelliguntur infideles; iniqui verò fideles, sed peccatores. Indicat ergo Dauid optimam viam esse conuertendi ad fidem, animæque salutem in- D fideles; si hi videant fideles à peccatis auerti; & ea, quæ iuxta fidem profitentur, docentque, exequi. *Qui anteactis renunciantes flagitijs emendauerint cursum posterioris ætatis; his ad imitandum propositi sunt, qui vel opere, vel cogitatione labuntur*, ait Ambrosius in Psalm. 50. v. 15.

Christus prius filius Dei dilectus, deinde aliorū doctor est declaratus.

72. Matth. 17. æternus pater prius Christum filium suum dilectum esse, in quo sibi complacuit, testatus est: deinde eum, vt diuinæ legis Doctorem alijs proposuit dicens: *Ipsum audite.* Doctoris enim sanctitas, & exemplum vera via est ad diuinæ legis disciplinam docendam. *Exemplo didici disciplinam*, ait Salomon prouerb. 24. 32. Verè ergo asserit Dauid, si fideles in Dei via incedant, infideles ad Deum E conuertendos: *Impij ad te conuertentur.* Bene enim affirmat Chrysostomus in cap. 3. Ioan. Ethnicos non ita miraculis, sicut vitæ sanctitate ad fidem adduci: *Qui enim miracula faciunt, nunquam à Gentilibus deceptores appellantur: at vitæ puritas veram interiorem animæ bonitatem arguit.* Sanctè ergo fidelibus viuentibus impij ad Deum conuertentur: ad Deum enim, non ad se beneuolentia, & plausu conuertere, auditorum animos pius Doctor debet.

Gentiles cum ad fidem volantur, miracula calumniari, non autē vitæ sanctitatem possunt.

73. Optima alios in via Domini instruendi ratio est illa, quę Iosepho Patriarchę ...

*conuersatio in cœlis est. Isti sunt cœli, in quibus fides, grauitas, continentia, doctrina, vita cœlestis est. Nam quemadmodum terra dictus est, qui lapsus ex illa præuaricatione cœlesti gratiæ, & in hæc vitia terrena deiectus, præuaricationis suæ se vinculis religauit; ita è contrario cœlum dicitur, qui vitam Angelorum custodia integritatis exercet; & corpus suum continenti sobrietate moderatur: mentem quoque suam miti tranquillitate componit: pecuniam pauperibus misericordi liberalitate dispensat. Est ergo in terris cœlum, in quo possunt virtutes esse cœlestes.* Hugo Cardinalis citat. Psalm. pluribus prosequitur inter spiritualem Doctorem, & cœlum comparationem. Illud tamen præcipuè notandum: *Cœli enarrant gloriam Dei. Non dicit narrant, sed enarrant; propriè enim notatur; quòd vita debet præcedere prædicationem, id est, quod in eis est, foris prædicent. Alioquin dici potest eis: Qui alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum furaris.* Ideo dicit Dominus Ioan. 8. *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Lapis ibi dicitur auctoritas sacræ Scripturæ.* Rursus *cœli enarrant gloriam Dei*; non suam, sicut Scribæ, & Pharisæi faciebant, quærentes *primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis*, &c.

Enarrare & narrare gloriam Dei in quo differunt.

ad Rom. 2.

78. Qui diuinam legem docere profitentes, linguam cœlestem, & Angelicam præferunt; reliqua verò membra prauis operibus deturpata habent; monstrum quoddam conflant adeò fœdum, & abominabile; vt in ipsorum pœnam aliud magis congruum supplicium non sit, quàm iis ipsis ipsam eorum turpitudinem, & abominationem spectandam obiicere. Psalm. 49. hypocrita dicens, & non faciens à Deo arguitur: *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas; & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam.* Vbi legit Hieronymus: *Quid tibi est cum narratione præceptorum meorum.* Contra huiusmodi temeritatem, & intolerabilem audaciam, quæ pœna pronunciatur? subditur: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Hieronymus legit: *Proponam te ante oculos tuos.* Seipsum, vt abominabile monstrum intueri, est inter maiores cruciatus, quos subit in inferis damnatus teste Basilio orat. 25. de Iudicio: *Longè magis horrendus est, quàm tenebræ, & ignis ille æternus, is pudor, quam perpetuò ij, qui se vitiis obstrinxerunt, retinebunt: semper ob oculos habentes peccati vestigia, in memoria ipsorum, quasi quædam tinctura, quæ deleri non possit, permanentia.* Dixi malè operantem, & bene loquentem monstrum quoddam conflare: sed monstrum hoc ex partibus adeò inter se repugnantibus constat; vt tale conflatum pœne impossibile videatur. *Quomodo potest bona loqui, cum sitis mali?* ait Dominus Matth. 12.

Monstrum abominabile est Doctor diuinam legem docens, & non seruans.

Peccati memoria quàm acriter damnatos cruciet.

79. Qui regia diplomata regio sigillo non obsignata ad regimen aliquod capessendum proferret; profectò vt falsarius esset damnandus. *Litteras mortis suæ portant viri litterati, qui sciunt, & docent, & non faciunt. Istæ sunt litteræ sine sigillo id est scientia sine vita, & ideo non creditur eis*, ait sanctus Thomas præfat. in epistolas canonicas. Quare isti litteras mortis suæ portare dicuntur? respondet sanctus Augustinus in sententiis num. 6. *Quia bene loqui, & malè viuere nihil aliud est, quàm se sua voce damnare.* Quare *non creditur eis?* Respondet Gregorius 19. moral. cap. 6. quia *loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur: sermones etenim Dei post se prædicator proiicit, cum hoc, quod dicit, facere contemnit. Quando autem dictis eius alter obediat, dum ipse destruit opere, quod prædicat voce?* Quare non creditur eis? quia profert *litteras sine sigillo id est scientiam sine vita.* Ideo cantic. 8. Deus Ecclesiæ suæ sponsæ, & cuilibet eius ministro ait: *Pone me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*: vt *sigillum*, legitur ex Hebræo. Et sensus est: Tuas omnes cordis cogitationes, & affectiones, brachiique operationes meæ sigillo sanctitatis obsigna: alioquin verbis, quæ proferes, non credetur. *Imprimere mihi intus, me iugiter cogitando: imprimere mihi foris, propter me strenuè operando: vt pia cordis interna cogitatio in externam brachij operationem emanet*, vt Guilielmus interpretatur. Si quis ad captiui redemptionem adulterinos nummos offerret ei captiui redemptio negaretur: similiter ei accidit; qui malè viuens, proximum verbis, non exemplo à peccati seruitute liberare contendit. Qui autem nummi non adulterini sint explicat Theodoretus dicens: *Vult Saluator, vt eum pro signaculo in contemplationibus, & actionibus nostris habeamus; & notam ipsius tum dictis, tum factis imprimamus. Sic enim erunt vt numismata regia, non adulterina, sed regiam imaginem præferentia.* Talia numismata esse debent, vt homines è peccati seruitute efficaciter redimant. *Funiculus triplex, qui difficile rumpitur, ad extrahendas animas de carcere Diaboli, & trahendas post se ad regna cœlestia; si rectè sentias; si digna proloquaris; si viuendo confirmes*, ait Bernardus serm. 16. in cantica.

Diploma falsum sine sigillo, est doctrina sine vitæ exemplo.

Docens, & non seruans diuinam legem in seipsum damnationis sententiam profert idem num. 28.

Sigillo sanctitatis non solum cor, sed etiam brachium est imprimendum.

Nummi adulterini inepti ad captiuos redimendos, sunt verba sine exemplo.

Funiculus triplex hominem è peccatis extrahens quis sit.

Eccle. cap. 4. 12.

80. De Mose legislatore ad Israëlitas misso in Ægyptum à Deo dicitur Exod. 4. *Occurrit ei Dominus*, hoc est Angelus gerens Dei personam; *& volebat occidere eum.* Vbi quæritur, cur Angelus Dei minister Mosem interimere voluerit? Respondent Rupertus, & alij, quia Moses filium non circumciderat iuxta Dei mandatum Genes. 17. 12. Sed quare eo in itinere, non antea Mosi cædes intentata est? quia tunc Israëlitici populi legislator mittebatur; atque adeo ipse primus legem, quam aliis allaturus erat, seruare debebat. *Viri sublimis culpa graue peccatum est. Quod à summo viro, vtpote à Doctore populi fit, acerbissimum est peccatum*, ait Augustinus. Audi Isidorum Pelusiotam epist. 325. *Angelus Mosi in Ægyptum descendenti occurrit, eumque morte afficere voluit, vt legis, ad quam explendam proficiscebatur, transgressionem ipsi obiiceret. Nam cum legislator à Deo institutus fuisset, ac legem accuratè seruare deberet, ipse primum hanc violabat, filios videlicet cum præputio in Ægyptum secum ducens.* Sed si quæratur quo mortis genere Angelus Mosi cædem intentauit? respondet Tertullianus lib. contra Iudæos cap. 3. Mosem ab Angelo præfocatione fuisse compressum; meritò enim illi habitus, & vox adimitur, qui sola voce, non exemplo alios instruere contendit.

Angelus Mosem cur occidere volebat.

Docens diuinam legem, & non seruans, suffocationis morte dignus est.

Au tom. 4. quæ 16 ex veter. testam.

81. Quid prodest, χρυσῶν λαλούντων ἄπρακτος λόγος? ait Nazianzenus in Iambicis? *Quid prodest aurum loquentium, non operatorius sermo?* Licet aurea verborum eloquentia concionando ostentetur, tali auro animæ è peccati seruitute non redimuntur; nisi prius huiusmodi sermonis efficaciam in seipso benè operans, vim habuisse concionator ostendat. Chrysostomi quidem fuit vera aurea, vera efficax eloquentia. Ita enim & vitæ exemplo, & aurea oratione auditores ad Dei, proximique charitatem

Aurea eloquentia inefficax vt animas à peccatis redimat, nisi exemplo asseratur.

Chrysostomus plura pauperum millia eleemosynis concionando acceptis aluit.

incendit ; vt corrogatis eleemosynis quotidie plura egenorum millia alere potuerit ; adeoque hinc etiam meritò aurei oris cognomentum inuenerit.

*Medico scabie laboranti eiusdem morbi remedium offerenti non creditur: similiter nec prauo concionatori.*

82. Circulatori medicum vnguentum ad scabiem mundandam vendenti accurrens popularis turba non credidisse narratur ; eo quod ipsius circulatoris manus fœda scabie obsitas vidisset. Similiter peccatores, cum alios ad diuinæ legis obseruantiam à peccatis auertere conantur, eorum sermo, veluti irrita medela reiicitur. Sed vtinam istorum saltem irritus sermo foret, & non etiam noxius. Audi Chrysost. homilia 30. in act. Apost. *Doce me vita tua ; hæc doctrina optima est. Dicis, quod opus est modestia, & tu procul ab hoc sermone recedis. Non sic insident animæ verba, ac opera. Si non habueris opus bonum, non solùm non proderis loquendo, sed etiam plus nocebis ; vtiliusque fuerit tacere. Quare ? quia opus mihi proponis, ac si impossibile foret. Cogito enim mecum, si tu, qui tanta loqueris, non facis ; multò magis ego venia dignus sum, nihil tale dicens.* Iuxtà Chrysostomus ergo prædicatur malè viuens, prauo exemplo Deum iniustum legislatorem esse indicat, cum eum impossibilia præcipere ostendat. Propterea Leuitici 13. 45. de leproso præcipitur: *Habebit os veste contectum.* Vbi Origenes homilia 8. ait : *Edocemur, quòd ea, quæ de lepra scribuntur, vmbra sint, & in aliis habeant imaginem veritatis. Transi nunc ab ista legis vmbra ad veritatem eius. Leprosus os tantummodo iubetur obtegere. Nonne palam est, & in aperto positum, quòd ei, qui in lepra peccati est, clauditur sermo, clauditur os, vt fiducia sermonis & dicendi auctoritas excludatur? Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum ? Clausum ergo habeat os peccator, quia qui se ipsum non docuit, docere alium non potest.* Hoc bene noscens Bernardus aiebat serm. 36. in Cant. *Si tacuero, os meum condemnabit me. Quid si loquar? profectò vereor idem iudicium : ne loquentem videlicet, & non facientem, itidem os meum condemnet me.*

*Docens diuinam legem, & non seruans plus nocet quàm prodest.*

*Docens diuinam legem, & non seruans, Deum iniustum legislatorem videtur asserere.*

*Leprosum os contectum habere præcipitur. Peccator ad diuinam legem docendam os operiat.*

Psalm. 49.

Iob, 16.

*Manus sub pennis habere est cum contemplatione bona opera iungere.*

83. De Sanctis Dei nunciis, ac ministris dicitur Ezechielis 1. *Manus hominis sub pennis eorum. Manus hominis sub pennis est virtus operis sub volatu contemplationis*, ait Gregorius hom. 3. Ægyptij, ait Florus hieroglyphico 27. pingebant linguam, & sub ea manum, significantes, vt sermo sit efficax opere implendum esse id quod quis dicit, & suadet. De hoc vide Lactantium lib. 4. instit. cap. 23. & ea, quæ feria quinta maioris hebdomadæ in illa verba dicentur. : *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

*Hieroglyficum Ægyptium sub lingua manum repræsentans, quid significet.*

*Diabolus vt victus expellatur, non solùm exaltanda vox, sed eleuanda manus est.*

84. Terminemus, quæ diximus, Dei verbis Isai. 13. vbi suis militibus, quos ad deuastandam Babylonem, hoc est Diaboli imperium Deus aduocat, cum dixisset : *Exaltate vocem* : addidit : *Leuate manum.* Vox enim sine manu hoc est sermo sine opere ad Diaboli regnum diruendum, & animas ex eius captiuitate liberandas planè inutilis est. An vtilis sermo sit, affectus, qui in auditorum animis imprimuntur, ostendere debent. Quales autem tales affectus imprimendi esse debeant, egregiè explicat Augustinus 4. de doctrina cap. 5. *Sicut delectatur auditor, si suauiter loquaris ; ita flectitur, si amet, quod polliceris ; timeat, quod minaris ; oderit, quæ arguis ; quæ commendas amplectatur.* Adde denique quod idem Aug. alibi docet: *Si in ipso etiam sermone malit rebus placere,*

August. tract. 21.

mè asserit: *Qui cum hominibus in hac vita non flagellantur, cum dæmonibus flagellabuntur in Gehenna.*

86. A Pharisæis legis onera, quæ aliis imponebant, detrectantibus Christus Dominus eiusque imitatores maximè dissiderunt. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos,* ait Dominus. Matth. 11. 29. *Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Si quæritur cur tale iugum suaue sit, cur tale onus leue? respōdet Dominus: Quia simul vobiscum iugum etiam meum est. Ad ea enim, quæ hominibus præcepit exequenda, suo Dominus exemplo præluxit: quo exemplo leuis omnis diuinæ legis obseruatio reddi debet. Quid enim detractet seruus facere, quod Dominus laboriosius fecit? Dauid spiritu præuidens, quàm ingens futura esset fidelium multitudo, qui Christi exemplo moti Euangelicæ legis iugum libentissimè subituri erant, Psalm. 7. prophetice dixit: *Exurge Domine Deus in præcepto, quod mandasti, & Synagoga populorum circumdabit te.* Quod explicans Hugo ait: *In præcepto, quod mandasti, id est merito humilitatis, quam impleuisti in passione obediendo Patri vsque ad mortem. Et hoc est præceptum, quod mandauit Dominus, scilicet humilitas, quod ipse primus impleuit. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem* ad Philip. 2. Est ergo sensus: Exurge in præcepto, quod mandasti, id est humilis appare in incarnatione, & passione: & quod aliis præcipis, imple: & si facis quod aliis præcipis, & prædicas, Synagoga populorum circumdabit te iuxta Isaiæ vaticinium cap. 2. *Fluent ad eum omnes gentes*, similiter in Domini Epiphaniæ canit Ecclesia: *Omnes gentes quascumque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine.* Quod si obstinati peccatores non venient, hi non sunt in hominum numero computandi, iuxta Dauidem Psalm. 14. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus:* ideo peccatoribus dicitur Luc 13. *Nescio vos.*

Iugum Christi quam suaue.

87. Cum duo idem iugum ad onus portandum subeunt, altior socij minus alti laborem magna ex parte subleuat. Ideo Oseæ 11. Deus sub humana carne ad nos venturus dixit: *Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Ideo Isaiæ 53. 4. dicitur: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Quare mittendo ad nos Deus filium suum sub humana carne, ad onus quodlibet facilè ferendum fecit nobis adiutorium simile nobis. Et vbi Christus est, onus non grauat, sed eleuat; non portatur, sed portat. Quare bene Bernardus ait epist. 72. *Licet admirari, quàm leue sit onus veritatis, quod non solum non onerat, sed etiam portat omnem, cui portandum imponitur. Hoc onus potuit vterum grauidare virgineum, sed non grauare. Hoc onus ipsum, quibus se præbuit sustentandum, Simeonis brachia sustentabat. Hoc etiam Paulum, in graui scilicet, & corruptibili corpore positum, rapiebat vsque ad tertium Cœlum.*

Iugum, & onus Christi leue.

88. Si duplex iter distinguamus, terrestre scilicet, & cœleste; bene intelligemus quomodo Christi onus portetur, & portet terrestri itinere portatur, cœlesti verò portat: si portari eo onere velimus, non portare; terreno affectu relicto, cœleste iter ineamus. Nam similiter, si aues terrestri itinere gradiantur, earum pennæ portantur. Si verò in aëra euolent, eædem à pennis portātur. Similitudo est Augustini de diuinæ legis onere dicentis: *Hæc sarcina non est pondus onerati, sed ala volaturi. Habent enim & aues pennarum suarum*

Onus Christi portatur, & portat.

August. serm. 14. de verbis Apostoli.

A *sarcinas: portant illas, & portantur: portant illas in terra; portantur ab illis in cœlo. Tu si misericordiam velis præbere aui, præsertim æstate, & dicas: Miseram istam aniculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc; in terra remanebit, cui subuenire voluisti.* Similiter si noxia erga nos commiseratione moti, nobis ipsi effetuescente concupiscentiæ æstu diuinæ legis onus detrahamus; veluti deplumes aues in terra remanebimus; cum potius eo onere ad cœlum nobis esset euolandum.

Onus Christi simile est auium pennis.

89. Catena si sit aurea, eam ad ornatum Domini gestant: si sit ferrea, ad libertatem demendam, eam serui ferunt. Similiter iugum vel ferreum,
B vel aureum est: si sit ferreum, peccatores peccati serui illud ferunt: si verò sit aureum, quale ex charitate est diuinæ legis iugum; illud iusti, Dei filij ita subeunt, vt potius eo ornari, quam onerari videantur. Ideo bene nos hortatur Ambrosius: *Suscipite iugum Christi: nolite timere, quia iugum est; festinate, quia leue est: non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis? Quid procrastinatis. Non alligat ceruicem vinculis, sed mentem gratia copulat: non necessitate constringit; sed voluntatem boni operis dirigit.* Ideo etiam monet Bernardus: *Sine iugo esse non potes; homo nimirum, qui natus es ad laborem. Sed graue iugum super omnes filios Adam*: vtique, qui sequuntur *eum*, nempe Adam præuaricantem. *Nam super eos, qui Christum sequuntur, leue est, & sua-*
C *ue. Cum sine iugo iugo esse non possint; quale hoc ipsum est eligere potius quinque, quàm vnum? Quis enim potest seruire quinque Dominis, nedum quinque tyrannis, quinque prædonibus? An non sæpe aliud gula exigit, ad aliud pruritus aurium vocat. Sic & odoratus, & tactus diuersa imperant; interdum forsitan & aduersa; dum vterque communem sibi gestit præripere seruum, & trahit sua quemque voluptas.* Propter quinque sensuum tyrannidem ait Bernardus mundanum hominem à Domino inuitatum ad nuptias dixisse Lucæ 14. *Iuga boum emi quinque.* Addit Bernardus: *Si numeres iuga eorum, qui variis seruiunt vitiis; erit inuenire ementes, non modo quinque,*
D *sed plusquam quinquaginta quinque, non plane iumentorum iuga, sed dæmonum. Contendunt ambitio, & elatio cordis; altera nidum, altera foueam parat: volare altera iubet, repere monet altera; cum neutrum profectò sit hominis.* Repere monet ambitio; ambitiosi enim se potentibus aliis humiliter subdunt, vt ab iis honores consequantur. *Auaritia quoque, & appetitus laudis sibi inuicem aduersantur; & quod hæc congregat, hic dispergit. Nec minus contraria sunt, quæ simulatio, & pusillanimitas suggerunt impudentia, impatientiaque clamoribus; & vtraque labor, & dolor, & afflictio spiritus.*

Iugum Christi vt ferreum peccatores onerat; vt aureum iustos ornat.

Ambrof. lib. de Elia, & ieiunio cap. 22.

Bernardus in declamat. ser. 1.

Eccl. cap. 40.

Iuga quinque grauia peccator subit; Iustus vnum, & leue.

Vitia simul pugnantia peccatorum discerpunt.

90. Meritò iuxta Bernardum ad Dominum peccator exclamat: *O custos hominum, quare po-*
E *suisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis? Nullum mihi onus importabilius, nulla grauior sarcina est. Factus sum mihi talentum plumbi, & resedit iniquitas super illud. Sed audiam vocem Solatij; audiam quid loquatur magni consilij Angelus: Venite ad me, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris.* Certa hæc spes inueniendi in cœlesti patria æternam requiem, diuinæ legis iugum, & omne onus leue reddere debet. Momentaneum, & leue æternum gloriæ pondus

Bernardus supra Iob cap. 7.

Zachariæ cap. 5.

Beatitudo cœlestis cur pondus appelletur.

Matth. 11.

*operatur in nobis*, ait Apostol. 2. ad Corinth. 4. Cur cœlestis beatitudo pondus nominatur? *Quia in se tanta est, vt eam homo sustinere non possit*, ait Hugo, & ideo supernaturalibus viribus adiuuetur necesse est. Hoc pondere pondus alleuatur; gloriæ scilicet pondere, onus, iugumque Christi leue redditur. Hoc modo, quæ imponebant Scribæ, & Pharisæi onera non alleuabant: quandoquidem hoc eodem capite 23. à Domino dicitur: *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi hypocritæ; quia clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*: cum scilicet prauo vestro exemplo hominibus in scandalum sitis; quodque præcipitis, non impleatis.

Prælatus tamquam currus, & auriga subditos auxilio sustentare, cõsilio regere debet.

91. Cum magnam sacrarum litterarum peritiam Scribæ, & Pharisæi profiterentur; hinc profectò grauioris culpæ reatum subibant; quod sanctos viros in sacris litteris celebres non imitarentur: libro 4. Reg. 2. Celebratur Elias, eo quod fuerit *Currus Israël, & auriga eius. Quid est, quod Elias currus, & auriga Israël dicitur?* ait Gregorius. *Nisi quia auriga agitat, & currus portat.* Agitandi sibi munus Scribæ, & Pharisæi tamquam populi aurigæ arrogabant; portandi verò munus omninò recusabant. *Currus, & auriga dicitur, vt populi sustentator, & rector: sustentator auxilio, rector consilio*, ait Hugo Card.

Gregor. hom. 22. in Ezech.

Sacerdotibus cur ex victimis pectus, & armus seruabatur.

92. Exod. 29. 27. Israëlitico populo præcipitur: *Sanctificabis pectusculum consecratum, & armum, quem de ariete separasti; cedentque in partem Aaron, & filiorum eius.* Cum aliæ victimæ partes sint ad esum meliores; quæritur, cur tantùm pectus, & armus sacerdotibus reseruari præcipiatur? Quia scilicet debet Sacerdos, quæ docet ipsemet opere exequi; bonorumque operum exemplo, veluti humero diuinæ legis onera subleuare; & sic ea non obseruatu difficilia ostendere. *Sacerdoti in esu pectusculum cum armo tribuitur; vt quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de semetipso auctori discat immolare: & non solùm pectore, quæ recta sunt, cogitet; sed spectatores suos ad sublimia armo operis inuitet*, ait Gregorius. Hanc veram allatæ legis interpretationem, vel negligentes, vel non intelligentes Scribæ, & Pharisæi imponebant quidem legis onera populo; iisdem tamen oneribus non modo non humeros, sed ne digitos quidem supponebant. Contra Pharisaïcum marem Apostolicus vir Dominum imitans esse debet *sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans; expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Cum enim Ecclesiasticus Laïcos, vt spretis terrenis bonis ad cœlestia volent, inuitat, ipse exemplo non solùm cum eis, sed super eos volitans sublimius se efferre debet: lassisque & tepidis, auxilium verbo, & opere præbere. Hoc est enim alas expandere, & in humeris portare.

Gregor. 2. p. Pastoralis c. 3.

Deut. 32.

*Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.*

93. CHrysost. tom. 1. sub finem, hom. 3. in illud Paralip. 2. 26. *Fecit Ozias, quod rectum est in conspectu Domini*, ait: *Non modò fecit, quod rectum erat; verum etiam fecit in conspectu Domini, non apud homines ostentans; quemadmodum apud Iudæos faciebant* Scribæ, & Pharisæi. *Quid facis ô homo? Aliis redditurus es rationem factorum tuorum, & alium testem citas eorum, quæ facis? Alium habes iudicem, & alium adhibes spectatorem? Non vides aurigas, qui prætercurrentes ...*

Deus noster rerũ operum Iudex

Gloriam humanam quærens velut arcus prauus, & ad collimandum inutilis.

uid aiebat Psalm. 76. 7. Hoc est, in bonis operibus exercebar, & ad scopum dirigebam spiritum meum, iuxta Agellium, & Genebrardum. Ad quem scopum? Non mea, sed Dei gloriæ; non vt hominibus, sed vt Deo placerem meæ tantùm mentis scopus erat. Contra verò de Scribis, & Pharisæis conqueritur Dominus Psalm. 77. 57. *Conuersi sunt in arcum prauum: Incuruati sunt, quasi arcus inutilis*, legit Hieronymus. Arcus planè inutiles Scribæ, & Pharisæi erant; eò quod numquam ad Diuinæ gloriæ scopum; sed tantùm ad inanem hominum gloriam captandam suis operibus collimarent. Ibidem ex Hebræo legitur: *Conuersi sunt retrorsum, velut arcus fraudis.* Huiusmodi enim hypocritæ debita Deum gloria fraudabant; cum tantùm propriæ laudi captandæ studerent. Ne huius fraudis reus foret, Deum Dauid precabatur Psalm. 118. 37. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Quæ quidem Dauidis precatio in hac mortali vita primo aspectu videtur omnino frustranda. Quomodo enim fieri potest; vt dum in terris viuimus vanitatem non videamus? Cum verè Salomon testetur. *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole; & ecce vniuersa vanitas.* Hoc profectò verum est, si de corporeis oculis sermo sit: sed si de mentis oculis loquamur, optima, & nobis imitanda Dauidis oratio est: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Vbi Augustinus ait: *Magni interest, cum aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione facimus. Non tantùm, si bonum est; sed præcipuè si bonum est; propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos, quibus contemplamur, quare facimus, quid facimus, auerti poscit Dauid, ne videant vanitatem; id est, ne hanc attendant, propter quam faciat, cum boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ.*

Ecclesiast. c. 1.

Gloriam humanā captans, arcus fraudulentus est.

Oculi quomodo à vanitate sint auertendi.

Palmas Salomon cur sculptas in templo sculpserit.

98. In Ierosolymitano templo à Salomone Spiritus Sancti directione ædificato frequentissimæ palmarum figuræ videbantur. In primis templi portis insculptæ erant Palmæ 3. Reg. 6. *Fecit in introitu templi duo ostia de lignis abiegnis, & sculpsit Cherubim, & palmas.* In aditu ad sancta sanctorum videbantur palmæ: *In ingressu Oraculi fecit duo ostia de lignis oliuarum; & sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum.* Denique templi parietes omnes vndique erant insculptis palmis ornati: *Omnes parietes templi per circuitum sculpsit varijs cœlaturis, & torno; & fecit in eis Cherubim, & palmas.* Salomon his figuris templum exornauit; eius tamen pater Dauid talis ornatus iam antea rationem attulerat; eo quòd qui templum frequentant, Deique cultui vacant, palmis similes flore videntur. *Iustus vt palma florebit.* Sed cur palmæ iustus similitudinem refert? Quia scilicet semper cœlum versus, virtutum profectu succrescit, & dilatatur: *Palma vastior in summitate est, quàm esse cœperit in radice. Quia sæpe electorum conuersio plus finiendo peragit, quàm proponit incohando*, ait Gregorius. Hanc inter arbores eximiam proprietatem palma habet; quia non sicut arbores aliæ in ramos diuiditur; sed solo recto stipite contenta, ramorum est expers. Ita sanè vir iustus, non ad diuersos humanos fines suas operationes dirimit; sed ad vnam Dei gloriam rectà tendit. Tales Scribæ, & Pharisæi non erant; cum suas operationes ad humanam laudem, ad honores, ad lucra captanda dirigerent; adeoque ramos ad inferni ignis pabulum nutriebant.

Psal. 91. 13.

Palma, vt rationum expers, est iusti symbolum.

99. Apostolus 2. ad Corinth. 6. 16. citans verba Leuitici 26. 12. ait: *Vos estis templum Dei viui, sicut dixit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* In huius mystici templi structura fideles, veluti lapides sunt: benè enim Petrus Apostolus ait. *Ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spiritualis; id est templum Dei sanctum*, subdit Augustinus. Sed qui alios docendi, & in diuinæ legis obseruatione instruendi manus habent, non quilibet lapis, sed veluti columnæ in spirituali ædificio esse debent. Ideo de Apostolis ad Galathas 2. 9. Paulus ait: *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi.* Primò, cum in ædificij structura plures lapides viliores sursum attollantur, columnæ tamen in infimo ædificij loco, hoc est in atrij peristylio ad totius ædificij onus sustentandum collocari solent: similiter, qui alios diuinam legem docent columarum instar multum oneris, parum honoris suscipientes, vt reliquis exemplo præluceant, humanæ honorificentiæ ambitiosi esse non debent; tantaque animi moderatio esse debet, vt neque iniurijs moueantur; neque laudibus eleuentur: & ita salutare Agathonis Abbatis monitum sequantur, qui in vitis Patrum lib. 7. cap. 42. ait: *Si habitas cum proximo, esto sicut columna marmorea, quæ si iniuriatur, non irascitur; si glorificatur, non extollitur.*

Ep. 1. c. 2.

Columnæ instar infimo loco contentus sit Dei seruus. Idem n. sequenti.

100. Sicut cum quis columnam ex porphyrite, vel alio pretioso lapide affabre elaboratum laudat; non proinde priori è loco illa laudibus eleuatur: sic pius Doctor, cum eius ingenium, eruditio, eloquentia à populo commendatur, nullam talis laus ei animi elationem afferre debet. Egregium spiritualis columnæ specimen in Apostolo Paulo nouimus. Cum enim 2. ad Corinth. 11. *Sollicitudine omnium Ecclesiarum* se premi ait; tunc onus, quod subitura est spiritualis columna, demonstrat: cum verò ait 1. ad Corinth. 15. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus*; tunc quàm minimè humana gloria afficiatur, & quam infimo loco contentus sit, ostendit. Tales Scribæ, & Pharisæi non erant, cum *primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis amarent*: cumque onera alijs imposita ne minimo quidem labore subire vellent.

Paulus Apostolus quomodo columnæ instar in ecclesia fuerit.

101. Secundò, vt supra columnas firmiter ædificium collocetur, nulla ex parte terram versus columnæ vergere debent; sed omninò rectæ sursum assurgere: tales, qui alios docent, esse debent; scilicet, vt sanctæ intentionis rectitudine solam diuinam gloriam quærant. Hinc benè Gregorius ait: *Quisquis in Dei opere recta intentione firmatur, Columna in structura fabricæ spiritualis erigitur; vt in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, & vtilitati sit, & decori.* Ij, qui diuinam legem alios docendi munus habent iuxta Bedam columnis geminis figurabantur; quas Salomon in primo templi aditu collocauit. Hæ columnæ vt fortissimæ esse significarentur, sinistra à Salomone vocata est *Booz*; dextra verò dicta est *Iachin*: *Statuit duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocauit eam nomine Iachin; similiter erexit columnam secundam, & vocauit nomen eius Booz.* Vtroque nomine columnarum stabilitas, & fortitudo significabatur: Booz enim fortitudo interpretatur: Iachin verò interpretatur rectitudo, seu directio, vt iuxta Septuaginta habetur 2. Paralip. 3. Rectitudo enim columnam valde stabilem, & fortem ad onus sustinendum reddit. Quare, qui alios diuinam legem docent, veluti rectæ columnæ, intentionis directionem ad Dei gloriam habere debent; Si

Columnæ, vt impositum ædificium sustentent, rectæ esse debent, talis & Apostolicus vir.

Greg. 17. Mor. c. 14.

Beda de templo Salom. c. 18.

3. Regum c. 7. 21.

blimis assurgeret: *cuius caput pertingebat ad cœlum.* Tales Scribæ, & Pharisæi non erant, cum obliqua intentione *omnia opera sua facerent, vt viderentur ab hominibus*; indeque inanem gloriam captarent.

Humilitas cũ doctrina est coniungenda.

102. Quoniam Scribæ, & Pharisæi adeo diuinam legem callere, & sacrarum litterarum testimonia nosse profitebantur; profectò meminisse debebunt, quod Isaiæ cap. 24. dicitur: *In doctrinis glorificate Dominum.* Non ad se, sed ad Deum glorificandum doctrinis populi Doctor vti debet. Ibidem à Septuaginta legitur: *In vallibus glorificate Dominum.* Quæ connexio doctrinæ cum vallibus? Sua profunditate valles animi demissionem, humilitatemque significant: Cum humilitatis valle doctrina est coniungenda. Contra verò Scribæ, & Pharisæi humanam gloriam suis operibus, verbisque quærentes, cum elatis superbiæ montibus suam Mosaïcæ legis eruditionem doctrinamque coniungebant. In eodem Isaïæ textu ex Hebræo legitur: *In igne glorificate Dominum.* Dicitur in doctrina, & igne glorificandus Deus; quia omnis diuinæ legis doctrina erga Deum, & proximum Charitatis igne flagrare debet: quod significans Dauid Deo ait: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Et Salomon, *Omnis sermo Dei ignitus.* Contra verò Scribarum, & Pharisæorum doctrina potius superbiæ fumo caligabat, quàm charitatis igne flagraret. Dicitur præterea doctrinæ igne glorificandus Deus; eo quòd sicut ignis omni repagulo superato rectà sursum ascendit, ita diuinæ legis doctrina sursum ad Dei gloriam eleuari debet. Naturæ mirabilis vis cernitur, cum ignis scintillæ celeritate maxima sursum euolant. Similiter Diuinæ gratiæ, sanctique zeli vis efficere debet; vt Dei seruorum cogitationes, conatus, & voces omnes sursum ad Dei gloriam celerrimè tendant. Secus verò ò Pharisaicis verbis, & operibus scintillæ charitatis nullæ, sed tantùm teterrimus superbiæ fumus exhalabat.

Doctrina sacra ardore, rectaque intentione igni simulis sit.

Ps. 118. 140. Prouer. 30. 5.

## *Dilatant enim Phylacteria sua.*

Lex diuina in intimo cordis affectu seruanda.

103. DE iusto dicitur Psalm. 36. 30. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Quamuis meditatio non sit oris, sed cordis; dicitur tamen os iusti sapientiam, hoc est diuinam legem, in qua vera sapientia sita est, meditari; tum quia prius est meditandum, quàm loquendum; ita vt iuxta Bernardum; *prius verba veniant ad limam, quàm ad linguam*: tum quia in iusto cordi os consentit; & ex spirituali *cordis abundantia os loquitur.* Cur autem iustus Sapientiam meditetur, & iudicium, hoc est, quod recta ratio iudicat, loquatur, ratio est, quia *lex Dei in corde ipsius.* Quod etiam Psal. 39. 9. iustus testatur dicens: *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui; & legem tuam in medio*

Matth. 12. 34.

te confecti Scribæ, & Pharisæi incederent; bene

B Dominus Matth. 7. 15. populum monuit: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* An non lupi rapaces Scribæ, & Pharisæi erant; cum ijs Dominus hoc eodem capite verè exprobret: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum*, hoc est earum facultates exhauritis? Gestandi has membranas vsum Scribæ, & Pharisæi inuenerunt; quia eam per metaphoram, seu parabolam Dominus significare vellet continuam diuinæ legis memoriam habendam, & sua mandata opere exequenda; præcepit Deuteron. 6. 8. *Ligabis ea, quasi signum in manu tua; eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos.* Sed quia,

Legis præcepta intra animum Hebræi ferebant, & inde eorum fragilis obseruatio ostendebatur.

C vt Apostolus ait 1. ad Corinth. 2. 14. *Animalis homo*, cuiusmodi erant Scribæ, & Pharisæi, *non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*: ideo, vt materialiter verba sonabant, ea accipientes, diuinam legem è corde, & opere seiunctam, membranis custodiendam tradebant. Quod autem ea verba non iuxta materialem, & grammaticalem litteram essent intelligenda, patet; quia Dominum has inscriptas membranas non gestasse legimus; cum cæremonias alias, quæ verè Mosaïcæ legis erant, non omiserit; vt de vestium fimbrijs infra dicemus. Præterea membranas legis præceptis inscriptas mediæ arundini insertas gestasse Hebræos

D nonnulli tradunt: vt ex arundine legem continente, quàm apud illos parum solida, & valde fragilis legis obseruatio foret, bene conjici posset. Denique si quæratur, cur Apostol. 1. ad Timoth. cap. 1. dicat, *Lex iusto non est posita, sed iniustis*; Respondet Ambrosius: *Quia in corde iusti lex Dei est*; iuxta Dauidis testimonium: *lex Dei eius in corde ipsius*: & propterea scripta lege non eget. Quare Scribæ, & Pharisæi in membranis scriptam legem præferentes, contra eorum hypocrisim præuaricatores potius, & iniustos, quàm legis obseruatores se ostendebant.

Lorinus in Ps. 39. 9.

Ambr. in Ps. Iusto lex posita quare non est.

## *Et Magnificant Fimbrias.*

E

104. NVmer. 15. 38. à Deo Mosi dictum est: *Loquere filijs Israel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas; quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini:* Idem præcipitur Deut. 22. 12. *Funiculos in fimbrijs facies per quatuor angulos pallij tui, quo operieris.* Hoc quidem mandatum erat ad litteram seruandum; quare huiusmodi fimbrias Dominum gestasse affirmant interpretes in illud Matth. 9. 20. *Mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius*: ob tales fimbrias à Samaritana Dominum, vt Iudæum cognitum fuisse Hugo Cardinalis hic asserit. Sed Scribæ, & Pharisæi pallij angulos latioribus, & longioribus vittis exornabant; vt se religiosiores ostenderent;

& ideo hic dicuntur magnificare fimbrias. Hinc autem benè coniicimus, quàm interius religionem parui penderent, cum eorum affectata religio ad pedes vsque deciderit.

*Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas Cathedras in Synagogis; & salutationes in foro; & vocari ab hominibus Rabbi.*

105. EN quorsum Mosaïcæ legis eruditionem Pharisæi ostentabant; scilicet, vt apud populum honores acquirerent, & primas Cathedras consequerentur. Ex muneribus, quæ Dei filius in terris exercuit, vnum fuit, frumentum à paleis separare: *Purgat Dominus aream suam ventilabro; & paleas ventorum flatibus dispergendas, vrendasque ignibus derelinquit; triticum autem condit in horrea*, ex testimonio sancti Præcursoris Matth. 3. ait Hieronymus in Ierem. 23. è contrario Scribæ, & Pharisæi vanitatum paleas sectantes, nempe *salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*; triticum autem, nempe animarum messem, in cœleste horreum recondendum colligere negligebant. Ideo contra eos Ierem. 23. Dominus exclamat: *Quid paleis ad triticum?*

Doctor prauus humanæ gloriæ cupidus quomodo se gerat.
106. Hypocritas Pharisæis similes sic egregiè describit Gregor. 8. Mor cap. 27. *Plerumque studio sacræ eruditionis insistunt; & quia hanc non præparandis meritis, sed promerendis fauoribus inquirunt, statim, vt indicium humanæ laudis arripiunt, & per hoc gratiam transitorij profectus assequuntur, tota mente secularibus curis inseruiunt, atque à sacra funditus eruditione euacuantur, & agendo post indicant, quantùm temporalia diligant, qui sola prius æterna prædicabant. Plerumque assumpta speciem maturitatis ostendunt, quiete silentij, longanimitate patientiæ, continentiæ virtute decorantur: sed cum per hæc quæsiti culmen honoris attigerint; cumque sibi iam reuerentia à cunctis impenditur, protinus se in lasciuiam voluptatis fundunt; & bona se non ex corde tenuisse ipsi sibi testes sunt, qui hæc citò dimiserunt.*

107. Ibidem Gregor. cap. 28. explicans verba, quæ habentur Iob cap. 8. 13. *Spes hypocritæ peribit; non ei placebit vecordia sua*, ait: *Quid in cunctis suis operibus hypocrita sperat, nisi honoris reuerentiam, gloriam laudis, à melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari? Sed permanere spes hypocritæ non valet; quia æternitatem non quærens, fugit, quod tenet. Nequaquam mentis eius intentio in illa gloria figitur, quæ sine fine possidetur: Sed cum transitorijs fauoribus inhiat, perdit percipiendo, quod laborat. Veritate attestante, quæ ait: Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Sed hæc spes recipiendæ mercedis diu teneri non potest. Quia pro ostensis operibus honor tribuitur; sed vita ad terminum vrgetur: laudes resonant, sed ad finem cum laudibus tempora festinant. Benè autem subditur: Non ei placebit vecordia sua. Magna quippe vecordia est laboriosa agere, & auræ laudis inhiare. Qui pro virtute, quam agit, humanos fauores desiderat; rem magni meriti vili pretio venalem portat. Vnde cœli Regnum mereri potuit, inde nummum transitorij sermonis quærit. Vili ergo pretio opus vendit, quia magna impendit, sed minima recipit.*

Gloriam humanã captans, nunquam maius mercator impendit magna, vt minima recipiat.

Matth. 6.

Apostolici viri quas cathedras consequendi cupidi esse debent.
108. Apostolici viri non primas Cathedras, vt Pharisæi ambire; sed sedes illas exoptare, & mereri debent, quas cum sequentibus Dominus pollicetur Matth. 19. 28. *Vos, qui secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* De qua prærogatiua benè disserit Hieronymus, Platus de bono status religiosi lib. 2. cap. 17. & Suarius in 3. p. tom. 2. quæst. 59. art. 6. sect. 4.

109. Si adeo sacrarum litterarum eruditionem Scribæ, & Pharisæi iactabant, cur primas Cathedras ambientes Ecclesiastici monitum, vel ignorabant, vel negligebant? *Noli quærere à Domino ducatum; neque à Rege Cathedram honoris.* De superbis, & ambitiosis Scribis, & Pharisæis detrectantibus onera alijs imposita præcipuè, vt supra indicauimus, dicitur Psalm. 72. *In labore hominum non sunt; ideo tenuit eos superbia.* Ibidem superba, & ambitiosa eorum vita somnio comparatur: *Velut somnium surgentium, Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Iuxta Artemidorum in onorcit. libro 2. cap. 51. *Si æger somniet se alijs dominari; hinc ei mors portenditur: si verò sanus idem somniet; hinc ei cognatorum, & sodalium omnium portenditur amissio.* Quidquid sit de tali somnij præsagio; certum est in vigilantium somnio, qualis est ambitiosorum vita, ex ambitiosa dominatione mortem, & cognatorum, sodalium que separationem portendi; eo quòd ambitiosi pestilentia quadam corripiantur. Quare Augustinus explicans Psalm. 1. verba de viro iusto: *In cathedra pestilentiæ non sedit*, ait: *Noluit regnum terrenum cum superbia, quæ ideo cathedra pestilentiæ rectè intelligitur; quia non ferè quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Pestilentia est enim morbus latè peruagans, & omnes, aut penè omnes inuoluens.* Addit Chrysostomus homil. 43. ad pop. *Vt peste correptum omnes fugiunt; sic eum, qui honoris cathedras ambit, amici etiam, & cognati abominantur.*

Ambitio Pharisæi et Scribarum litterarum [illegible] ostendunt [illegible]

Somnianti se in alium dominari mors portenditur, & cognatorum amissio.

Ambitio pestilentiæ comparatur.

*Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim Magister vester; omnes autem vos fratres estis. Et Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini Magistri; quia Magister vester vnus est Christus.*

110. QVi condiscipulis, quod à magistro didicit, repetit; si hinc magistri sibi nomen vindicaret, arroganter sanè se gereret. Talem arrogantiam suis à discipulis remouet Dominus dicens: Vos autem Pharisæis dissimiles *nolite vocari Rabbi; vnus est enim magister vester*, nempe Deus, & qui cum Deo in diuina natura idem est, eius filius, & Sapientia Christus; qui solus interius supernaturalem veræ fidei doctrinam docet: cum homines tantùm exterius, quòd interius à Deo didicerunt, alijs repetere possint. Ideo Iacobus Apostolus cap. 3. fideles quosque monuit: *Nolite plures magistri fieri, fratres mei. Magistri tunc plures fieri dicuntur*, ait Augustinus, *cum diuersa, & inter se aduersa sentiunt: cum verò idipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab vnius veri magistri magisterio non recedunt. Offendunt autem, non cum illi multa dicunt, sed cum addunt sua: sic quippe incidunt ex multiloquio in falsiloquium.* Recolendum hic est, quod S. Præcursor de Christo Domino dixit Ioan. 1. *Vidi descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum.* Vbi egregiè Augustinus ait: *Quid per columbam didicit, nisi quamdam proprietatem in Christo talem futuram; vt quamuis multi ministri baptisaturi essent; siue iusti, siue iniusti, non tribueretur sanctitas baptismi,*

Apostolici viri quæ à Deo didicerunt, alios docent: ideo Deus solus magister vocandus.

August. in Prologo lib. 2. Retractationum.

Idem tract. 6. in Ioan.

ptismi; *nisi illi super quem descendit columba; de quo dictum est: Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Petrus baptizet, hic est qui baptizat: Paulus baptizet, hic est qui baptizat.* Quod de baptismo dixit Augustinus, de magisterio similiter dicere possumus: Si hic, vel ille doceat; Deus est, qui docet, eiusque filius, & sapientia, cum Patre idem in natura diuina Christus Dominus.

111. Ex allata Iacobi sententia in Academijs magisteria non prohibentur, vt hæretici somniarunt; dummodo, qui docent, à Christi Domini supremi magistri doctrina non discedant; seque magistros non absolutè, sed tantùm per participationem supremi diuini magistri, vt eius instrumenta, se noscant. Sicut, quamuis Ecclesia Christo Domino dicat: *Tu solus Sanctus*, sanctitate scilicet substantiali, & increata per hypostaticam vnionem cum diuina natura; adhuc tamen alij sancti per participationem, & accidentalem gratiam dici possunt. Allatam, & veram Iacobi sententiæ interpretationem non intelligens Carolostadius hæreticus, VVitembergicæ Cathedræ, vbi Doctoratus gradus accipiebatur, ineptè inscripsit: *Nolite vocari Magistri:* & hinc ipse ex Doctore factus est pistor: pistor quidem, cui vera fides decoxerat; ideoque præ pane potius in ardentem clibanum iniiciendus. Sed quem non subijt clibani ignem, Gehennæ incendio pensat. Inscriptionem illam à Carolostadio positam legens Lutherus, consuetæ falsitatis oblitus dixit illa Christi, & Iacobi sententia non aliud sanciri, quàm ne quis nouum dogma excogitet, & doceat. Ita Cochlæus in gestis Lutheri.

Carolostadius hæreticus ex doctore pistor.

112. Præterea, quia celebris illa Heroïna septem filiorum mater pro fide morituris filijs verissimè dixit 2. Machab. 7. *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam; & singulorum membra non ego ipsa compegi: sedenim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddat, & vitam.* Hinc est, vt Deus absolutè, & antonomasticè Pater ab omnibus habendus sit: corporales autem Patres tantùm per participationem, & potentiam à Deo communicatam: *Ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur,* vt Apost. ait. Et hoc Dominus significauit dicens: *Patrem nolite vobis vocare super terram; vnus est enim Pater vester, qui in cælis est:* cum tamen vniuscuiusque genitorem patrem vocauerit, & à filijs honorandum esse præceperit Exod. 20. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.*

Deus solus Pater antonomasticè dicendus, alij per participationem.

Ad Eph. 3. 15.

113. Secundò, in sacris litteris interdum vocare est inuocare, & auxilium flagitare, vt Zach. 13. *Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum,* Ideo cum Dominus ait: *Patrem nolite vobis vocare super terram;* sensus est: cum auxilio indigetis, vt illud consequendi certam spem habeatis, non terrenum, sed cœlestem Patrem inuocate.

Vocare Inuocare significat, opemque implorare.

114. Tertiò, in sacris litteris sententiæ quædam negatiuæ, tantùm in sensu comparatiuo sunt intelligendæ; ita vt non absolutè vnum negetur, sed tantùm alteri comparatum posthabendum significetur. Ratio huius est, quia Hebræi carentes comparatiuo, illud per negationem eius, quod minus est, exprimunt. Ideo cum ex Osee 6. Dominus Matth. 9. 13. dixit: *Misericordiam volo, & non sacrificium;* sensus est: *Misericordiam volo,*

Sententiæ quædam negatiuæ in sensu comparatiuo sunt intelligendæ; ita vt vnum non negetur, sed alteri postponatur.

amplectendam indicant.

Similiter in militante Ierosolyma, hoc est in Ecclesia pretiosi lapides, hoc est insigniores sanctitate viri, non supremum fastigij locum, sed fundamenti infimum, humilitatis ergo sibi eligant, vt Christi mandato pareant: *Qui maior est vestrûm, erit vester minister*: &, vt diuina promissio Ecclesiæ facta verificetur Isa. 54. 11. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris*: seu vt S. Hieronymus: cum Septuaginta legit: *Sternam carbunculum lapides tuos*. Carbunculi, qui inter gemmas pretiosissimi sunt in pauimento domus Dei ponentur, vt omnium pedibus subjiciantur: Sapphiri cœlestis coloris gemmæ intra fundamenti infimam profunditatem dejicientur. Si verò quæratur quid per carbunculos, quid per Sapphiros significetur? Ibi ex contextu, interroganti Ecclesiæ respondetur significari, *Vniuersos filios tuos doctos à Domino*. Sancti viri non in mundi academijs, vbi humana gloria quæritur; sed in Dei gymnasio, vbi humilitas discitur edocti infimum sibi locum in Dei Ecclesia omnibus ministrantes, & seruientes habebunt.

Domus Dei pauimentum carbunculis sterni dicitur ad indicãdam iustorum alijs se subjicientiũ humilitatem.

117. Objici hîc potest, quod Apost. Petrus 1. epist. cap. 2. fidelibus ait. *Ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spiritualis*: & quod Paulus Apostolus fidelibus etiam dixit: *Templum Dei estis vos*. Ad hoc mysticum ædificium, ad hoc sacrum templum excitandum; non solùm in infimo pauimenti, & fundamenti loco lapides esse debent; sed etiam in sublime sunt attollendi ad parietes construendos; atque adeo non ab omnibus humilis locus est eligendus. Respondetur sistendo in allata ædificij similitudine, vnusquisque, qui ad tam sacri ædificij constructionem se exhibet, quamuis non imum fundamenti, vel pauimenti locum obtineat; sed in sublime tamquam ad parietum constructionem attollatur; adhuc alijs non se præferre, nec sanctæ humilitatis immemor esse debet. Fabri murarij, vt rectâ sursum parietem attollant, perpendiculo vtuntur; & si lapidem foras exporrectum vident, valido mallei ictu illum intra detrudunt. Similiter spirituali ædificio suus perpendiculi est vsus; vt si quis non iuxta humilitatis regulam extra promineat, is mortificationis malleo intra retrudatur, ita, vt alijs cedat, neminique se præferat. Hoc nobis ad Ephesios scribens S. Martyr. Ignatius indicauit: *Iesus Christus fundauit vos super petram, vt lapides electos, aptos ad diuinum ædificium Patris; sublatos in altum per Christum, qui pro vobis crucifixus est, perpendiculo vsus Spiritu sancto*. Internum Spiritus Sancti lumen menti diuinitus communicatum perpendiculum esse debet, quod viuos lapides omnes supra alios prominere prohibeat; & vbi contrarium accidat, mortificationis malleus adhibendus est, qui dicitur Ierem. 23. 29. *Malleus conterens petram*. Insensibiles lapides sicut ex sua natura ad infimum locum inclinant; ita spirituales viui lapides, non ex natura, sed ex diuina gratia humilitatem suadente infimum locum, quantùm ex se est, appetere debent: alioquin nobis humilem locum refugientibus, ad superbiam exprobrandam *lapis de pariete clamabit*, vt Habacuc 2. 11. dicitur.

1. ad Cor. 3. Ædificio spirituali in structura perpendiculum Spiritus sancti, & mortificationis malleus adhibetur.

Insensibiles lapides ex sua natura ad infimum locum inclinant, similiter ex diuina gratia spiritualis ædificij lapides viui.



*Qui autem se exaltauerit humiliabitur: & qui se humiliauerit exaltabitur.*

118. Isaiæ 38. Ezechias rex dixisse legitur: *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*. Vbi Septuaginta legunt: *In excelso dierum meorum vadam ad portas inferi*: hoc est iuxta Cyrillum: Euectus ad fastigium regni, gloriæ, & fælicitatis, ecce cado. Clarius iuxta Theodoretum: Cum intumui, & in altum superbè me extuli, tunc à Deo humiliatus, & percussus sum morbo lethali. Humiliatio ergo elationem, superbiamque consequitur. Sed interdum humiliatio non solùm superbiæ pœna est, sed insuper ex Diuina bonitate ad superbiam in posterum euitandam adhibetur. Quare cur vsque ad mortem ægrotauerit Ezechias. Reddit rationem Hieronymus: *Ne eleuaretur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos, & de media captiuitate victoriam, infirmitate corporis sui visitatur, & audit se moriturum*. Matris ex vtero humilitatis affectum Dominus detulit. Experientia enim compertum est sæpe in concepto fœtu notam imprimi eorum, quorum desiderio matres tenentur. Sic Genes. 30. cum pastoris Iacob sitientes oues aquas appeterent; quæ quidem aquæ ob messas virides, & decorticatas virgas, versicolores apparebant; tales oues maculosos partus edidisse legitur. Porrò cum eo maximè tempore, quo æternum Verbum vtero Beata Virgo concepit, eximium humilitatis affectum corde sentiret, quem verbis ille protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: hinc in concepta diuina prole humilitatis affectus, veluti materni desiderij nota, fuit impressus: quæ quidem nota, non in extima corporis parte fuit obsignata; sed ad intima cordis penetrauit: vt ipsemet Dominus Matth. 11. testatur: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Tota vita Saluatoris humilitate est concepta, humilitate confecta*, ait S. Leo sermone 7. de Ephiph.

Cur Ezechias ad mortem ægrotarit?

Humilitatis affectum sibi impressum Dominus ex materno vtero detulit.

Luc 1.

119. Adeo verum est exaltandos esse humiles, & superbos humiliandos; vt hanc sententiam: *Qui se exaltauerit humiliabitur; & qui se humiliauerit exaltabitur*, ter Dominus repetierit: hoc Matth. cap. 23. cum de ambitiosis Scribis, & Pharisæis loqueretur: iterum Luc 14. Cum de inuitatis ad nuptias parabolam proponeret: iterum Luc 18. Cum de Pharisæo, & Publicano parabolam aliam afferret. Præterea Dominicæ sententię plura alia in sacris litteris testimonia consonant. Iob cap. 5. 11. De Deo dicitur: *Qui ponit humiles in sublimi; & mœrentes erigit sospitate*. Psal. 47. 7. *Quoniam Deus iudex est, hunc humiliat*, scilicet superbum, *& hunc exaltat*, scilicet humilem. Clarius Psalm. 17. *Populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis*. Vbi quæri potest, cur speciatim oculo in sacris litteris superbia tribuatur? Nam præter citatum locum, Psalm. 100. dicitur: *Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam*. Prouerb. 6. 17. *Odit Dominus oculos sublimes*, id est elatos, & superbos. Prouerb. 21. 4. Superbia dicitur *Exaltatio oculorum*. Prouerb. 30. 13. de superbis dicitur: *Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrecta*; Ecclesiastici 23. *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi*. Isaiæ 2. 11. *Oculi sublimes hominis humiliati sunt; quia dies Domini exercituum super omnem superbum*. Isaiæ 10. *Visitabo super gloriam altitudinis oculorum*. Respondetur, per oculorum

Humilitatis exaltandæ, & superbiæ deprimendæ sententiam ter Dominus repetijt.

Superbia cur speciatim oculo tribuatur, triplex ratio.

superbiam exprimi. Primò, quia sicut oculus, ita superbus leuiter tactus facilè læditur. Secundò, quia oculus omnia alia videt præter seipsum; non dissimiliter superbus alienos defectus scrutatur, seipsum ignorat. Tertiò, quia de oculorum supercilijs benè Plinius ait lib. 11. cap. 37. *Hæc maximè indicant fastum. Superbia alibi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Nihil altius simul, abruptiusque inuenit in corpore, vbi solitaria esset.*

Homo non mouetur pedibus, sed affectibus: hinc Deo proximus, vel distàs dicitur.

120. De humilitate, & superbia allatis testimonijs addatur illud Psalm. 137. *Dominus humilia respicit, & alta à longe cognoscit*: hoc est, corda Deus sanctâ humilitate depressa benignis, ac beneficis oculis respicit; vt de ijs peculiarem curam habeat, iisque sua beneficia largiatur; & tandem in cœlum euehat. Contrà verò corda inani superbia elata cognoscit quidem Deus; sed tamquam à se ipsorum culpa distantia, suæ beneficentiæ expertia relinquit; eaque despicit potius, quàm respicit. Quamuis autem Deus vbique sit præsens; & vt Apostolus ait: *Non longè sit ab vnoquoque nostrum*; Superbum tamen corà Deo distat, quia vt Augustinus ait; *Non mouetur anima pedibus, sed affectibus*; affectibus autem à Deo remouetur superbus animus; cùm non Dei gloriam, sed propriam quærit. De hoc superbiæ affectu à Deo recedente Dauid aiebat Psalm. 35. *Non veniat mihi pes superbiæ.* De ijs autem, qui à Deo recedunt dicitur Psalm. 72. *Qui elongant se à te peribunt*; & Ierem. 17. *Recedentes à te in terra scribentur*; ita vt eorum nomen per superbiam elatum tamquam in terra scriptum facilè deleatur; eorumque fama euanescat.

Act. 17. 27.

Aug. tract. 48. in Ioan.

121. De humilitatis exaltatione, & superbiæ humiliatione suo in cantico B. Virgo dixit: *Qui potens est, deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Quod ipsa B. Virgo se expertam esse testatur dicens: *Respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; quia fecit mihi magna, qui potens est.* Meritò exclamat Augustinus sermone 2. de Assumptione: *O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit; vitam mortalibus edidit; cœlos innouauit; mundum purificauit; paradisum aperuit, & hominum animas liberauit. Facta est Mariæ humilitas scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras.* Fiat nobis humilitas cœlestis scala, per quam è terris in cœlum ascendamus.

Lucæ c. 1. Humilitas scala est, qua Deus ad nos descendit; eadem ad Deum ascendamus.

122. Ad humilitatis exaltationem indicandam Apost. ad Eph. 4. 9. De Christo Domino dixit: *Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos.* Vbi benè Theophylactus ait: *De humilitate disputans Paulus Christum producit exemplum. Quemadmodum, inquit, ille non recusauit descendere; sic & vos non refugiatis per humilitatem, & moderatum spiritum condescensum. Quò descendit? ad inferos: hos enim infimas partes terræ appellauit. Descendit igitur ad infimas partes, post quas non est aliud quid; & ascendit supra omnia, vltra quæ non sunt alia: nec obstitit ei descensus, quominus ascenderet: & vos igitur, si humiliamini, atque demittamini, exaltabimini.* Lucæ 24. 42. de Domino dicitur: Obtulerunt ei fauum mellis: cum manducasset, &c. Hinc benè Tertullianus de Corona militis sub finem ait: *Christus fa- nos post fella gustauit; nec ante Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm Rex Iudæorum proscriptus in crucem: minoratus primò à Patre modicum quid citra Angelos, & ita in gloria, & honore coronatus.*

Dominus post fel mel gustauit.

Christus Dei 123. Christus Dei Filius, æternique Pa-

A pientia E
cani. Vu
rum ped
etiam in
ras transf
nobis ex
vt humil
hac mor
plebis; q
reuntium
tam hum
supremu
euectus.
124. Ie
B diuinæ l
xit: Fact
delium. Q
deceptio
stas ante
deceptio
cœlum v
sum ad i
tur. Ho
tati sunt
descendu
perboru
ra viden
catorum
C ita vt D
tauerit, h
tentiam
quod qui
in concul
cum ant
conculca
Ieremia
cium aqu
125. E
betur lo
ria tumi
bus euol
nis præs
locustis
D Apocal.
abyssi, &
locustæ.
nempe l
fuerit ho
Prætere
superbi
rum hum
oculi sp
teterrim
tei exier
126.
Psalm. 4
rum gr
E relictâ r
lictâ su
citur, I
aliorum
non eni
auaritia
libido
quam e
bi, Deo
jicient
oderun
sempe
vt ex
dist.
loc

*miliabuntur; sed malignitas odij tantùm in illis excrescet, vt velint illum omninò non esse, per quem sciunt se tam infeliciter esse.*

Superbi saltantibus locustis similes.

127. Sed ad infernas locustas superbos significantes redeamus. Locustæ fere semper saltibus huc, illuc exiliunt. Non dissimiliter superbi, quales Pharisæi, rectà progredi nolunt; sed ferè semper saltibus vtuntur; scilicet, vt ex vno honoris fastigio ad aliud deueniant; & si quis inter honorum culmina humilior locus occurrat, illum saltu transiliunt. Oppositum cœlestis sponsus, hoc est Redemptor noster itineris modum inijt; cum sponsam, hoc est humanam naturam inuiseret: nam veræ humilitatis magister, vt mysticè significaret honorum culmina esse vitanda, montes transmisisse saltu, & colles transiluisse legitur, quod in ijs sublimiis consistere noluerit. Canticorum 2. *Venit saliens in montibus, transiliens colles.* Cœlestis sponsi saltus eleganter S. Ambrosius in Psalm. 118. enumerauit. *Salit*, inquit, *de cœlo in Virginem; de vtero in præsepe; de præsepi in Iordanem; de Iordane in crucem; de cruce in tumulum; in cœlum de sepulchro.* Quibus saltibus patet semper ad humilitatis loca descendisse, excepto in cœlum ascensu, qui ascensus humilibus non prohibetur; immo ijs tantummodo reseruatur. Rursus Sanctus Ambrosius lib. de Isaac, & anima cap. 4. eosdem saltus sic explicat: *Apud Patrem erat, in Virginem venit; & ex Virgine in præsepe transiliuit; in præsepi erat, & fulgebat è cœlo: descendit in Iordanem; ascendit in Crucem; descendit in tumulum; surrexit de tumulo; & sedet ad Patris dexteram.*

128. Sed cur tantopere erga humilitatem Redemptor noster fuerit affectus, reddit rationem Nazianzenus loquens de sancto lauacro; *Hac Deo exprobras, quia linteo præcingitur, pedesque discipulorum lauat? Optimam viam sublimitatis humilitatem esse demonstrat; quia propter animam humi curuatam humiliatur, vt erigeret, quod ob peccatum deorsum vergebat. Nilus amnis est, qui vnus omnium nullas expirat auras*, vt ait Plinius lib. 5. cap. 9. Fluuium hunc è terrestri Paradiso ortum ducere, & Genes. 2. Gehonis nomine appellari docent Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus. Similiter Redemptor noster de se ait Ecclesiastici 24. *Ego quasi fluuij dioryx exiui de Paradiso.* Nil mirum igitur esse debet, quod diuinus hic fluuius omnem superbiæ auram à se, suisque procul amandet.

Ioan. c. 13. Christus, vt nos erigeret, se ad ima depressit.

Nilus è terrestri Paradiso egrediens, non sicut amnes reliqui, ventū expirat.

129. Vmbra ex aduerso illuminati corporis figuram exprimens properante ad occasum sole maximè crescit, iuxta illud: *Et sol crescentes decedens duplicat vmbras.* Sed quò in longiorem figuram vmbra protenditur, eò breuiorem durationem habet, subitò euanescens sole occidente; ita vt illius augumentum proximi interitus prænuncium sit. Quare iuxta Domini sententiam ad peccatoris depressionem elationi proximam significandam pronounciauit Ecclesiast. 8. *Quasi vmbra transeant, qui non timent faciem Domini.* Idem sub alia similitudine Dauid expressit Psalmo 36. *Inimici Domini mox, vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Quare Gregorius ep. 5. ait. *Fumus ascendendo deficit, & se dilatando euanescit; sic fit cum peccatoris vitam præsens felicitas comitatur; qui vnde ostenditur, vt altus sit, inde agitur, vt non sit. Hinc rursum scriptum est: Deus meus pone illos, vt rotam. Rota ex posterioribus attollitur, & in anterioribus cadit: posteriora nobis sunt bona*

Superbis similes vmbræ mox euanescenti, cum crescit. Virg. Ecl. 2.

Superbi fumo, & rotæ similes.

Psal. 82.

A *præsentis mundi, quæ relinquimus; anteriora vero sunt æterna, ad quæ vocamur, Paulo testante, Quæ retro oblitus ad ea, quæ sunt priora me extendens. Peccator verò, cum in præsenti vita proficit, vt rota ponitur; quia in anterioribus corruens ex posterioribus eleuatur: nam cum in hac vita gloriam percipit, quam relinquit; ab illa cadit, quæ post hanc venit.* Eamdem rotæ mysticam interpretationem tradit S. Augustinus in Psal. 82. Bene ergo Dominus ait: *Qui se exaltat, humiliabitur.* Ad Philip. c. 3.

130. Caïni peccatum superbia fuit. Nam, vt dicitur Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* Hinc, cum Caïn sibi fratrem B præponi nollet, ei superbiæ stimulis agitato Dominus dixit: *Si malè egeris, statim in foribus peccatum aderit*: hoc est, si superbiæ stimulis consenties; statim superbiæ peccatum intumescens, ita sensus, qui sunt animæ fores, occupabit, vt nullum salutare remedium in animam ingrediatur. Obstruit enim superbiæ spiritus aures, ne salutaria monita audiantur: Obstruit oculos, ne aliorum meritum videant: Obstruit os, ne contra prauas Diaboli suggestiones auxilium à Deo poscat: spiritualem obstruit gustum, ne Dei mandata dulciora super mel, & fauum illi sapiant. Quoniam verissimè Dominus ait: *Qui se exaltauerit, humiliabitur*; Cain superbiæ spiritu elatus; C inde ita depressus fuit, vt se omnibus in odio esse cognosceret; omnesque tamquam validiores timeret dicens: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.*

Superbia tumens animæ aditum ad salutaria obstruit.

131. Humani generis Redemptor iuxta Sancti Hieronymi sententiam sub floris symbolo promissus fuerat Isaïæ 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Flos iste cœlestis in colle-ne, an in valle nasci voluit? Angelos ob naturæ præstantiam significant colles: homines verò ob naturæ humilitatem per valles significantur. Porro sicut vallibus, ita & collibus diuinus iste flos summis votis expetendus erat; quare Genes. 49. *Desiderium collium æternorum* dicitur. At Ioan. 15. cum Dominus D dixerit, *Pater meus agricola est*; ad cœlestem hunc agricolam inter colles, & valles, hoc est inter Angelos, & homines litem dirimere spectabat: quare cum hominibus æternus Pater causam adiudicasset; Diuinam suam prolem veluti cœlestis pomarij florem in valle, hoc est in humana natura nasci voluit; vt humiles esse exaltandos ostenderet. Ideo Cantic. 2. cœlestis sponsus ait: *Ego flos campi, & lilium conuallium; id est decus generis humani*, ait Rupertus, *& honor parentum humilium, Patrum spiritu pauperum, scilicet Abraha, Isaac, & Iacob, Dauid quoque & cæterorum; qui etsi meritis montes, E mente conualles fuerunt; & si diuites censu, pauperes spiritu extiterunt. Addit*, inquit Bernardus, *se lilium esse conuallium, id est humilium coronam.*

Christus cœlestis campi flos in humanum vallibus potius, quàm in Angelorum collibus nasci voluit.

Christus flos conuallium, & campi flos dicitur ad humilitatem insinuandam. Idem seq. n.

Bernardus in Cantica serm. 47.

132. Rursus non intra pomarij septa, in præcelsis arborum ramis florere se Dominus ait; sed campi florem se esse testatur. *Ego flos campi*: vt quàm facilè ab omnibus acquiri possit significaret. Ad legendos arborem flores elatione, vel ascensu opus est: contra verò, qui agri flores humi germinantes carpere cupit, pronum se demittat necesse est. Agri igitur flos Dominus dicitur, quod ab humilibus tantummodo legi se sinat.

133. Quod si Dominus animæ suæ sponsæ, non vt florem, sed veluti suauissimum fructum

Sponsa, hoc est anima, non assurgens, sed humi sedens cælestis arboris fructus carpit.

præbere se velit; quonam pacto fiet, vt ad tam præcelsæ arboris fructum humiles in imis iacentes pertingere queant? Citato loco sponsa post cælestem sponsum conuallium lilio comparatum subdit: *Sub vmbra illius, quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Mirum sanè est, quòd humi sedens tam sublimis arboris fructus carpere sponsa possit, sed hoc sponsæ testimonium inter corporeos, & diuinæ arboris fructus discrimen significat; ad illos enim carpendos corporis elatione opus est; at vt cælestia poma legantur, ipsa arbor, hoc est diuinæ liberalitas ramos demittit, vt humilibus in imo loco sedentibus, & quiescentibus suorum fructuum largiatur vbertatem. Quare de Magdalena ad pedes Domini humiliter sedente ait August. *Quantò humilius Magdalena sedebat, tantò amplius capiebat.*

Lucæ 10. August. serm. 7. de verbis Domini.

134. Zachariæ 9. futurus Redemptor sub frumenti typo præsignificatus est; ex eo proculdubio, quòd sub panis specie suum fidelibus corpus daturus erat in cibum: *Saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi sui:* & subditur: *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius; nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* At frumentum hoc vbinam largissimè germinabit? Dauid Psalm. 64. respondet: *Valles abundabunt frumento.* Cum hoc autem loco ad humilitatis commendationem illud Psalm. 103. adnectit. S. Gregor. *Qui emittit fontes in conuallibus:* A montibus, inquit; *aqua dilabitur, quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in conuallibus surgunt: quia mentes humilium verbum prædicationis accipiunt. Iam videmus, iam conualles frumento abundare conspicimus; quia illorum ora pabulo veritatis impleta sunt, qui mites, ac simplices huic mundo despicabiles esse videbantur.* S. Augustinus serm. 27. de verbis Domini ait: *Confluit aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis.* Similiter diuinarum gratiarum vbertas ad humilium corda delabitur, aridas relinquens superbientium mentes.

Valles abundantes frumento, & fontes in conuallibus emissi, humilitatem insinuant.

135. S. Bernardus serm. de S. Benedicto ait: *Vbi sunt decursus aquarum? Profectò in vallibus, quia inter medium montium pertransibunt aquæ. Quis enim non videat etiam torrentes montium alta declinare, & medium ad humilitatis semper diuertere vallis. Sic profectò, sic Deus semper superbis resistit, humilibus dat gratiam. In monte sibi sedem constituit serpens antiquus; propterea vallem magis elige ad ambulandum; vallem elige ad plantandum. Neque enim vel in serendis arboribus montana solemus eligere? quòd frequenter arida sunt, & petrosa. In vallibus pinguedo est; ibi proficiunt plantæ; ibi plena spica; ibi centesimus oritur fructus; iuxta illud, valles abundabunt frumento. Audis, quia vbique vallis laudatur; vbique humilitas prædicatur. Ibi plantare, vbi decursus aquarum; quia ibi copia gratiæ spiritualis. Stemus in hac, charissimi; & plantati stemus; vt non arescamus, vt non moueamus quocumque flatu. Nulla tentatio vobis preualebit, si non in magnis, & mirabilibus super vos ambuletis; sed permaneatis radicibus firmis in humilitate radicati.*

Montana arida, valles fœcundæ vberrimos humilitatis fructus indicant.

Ep. 1. Petri c. 5. Isayæ 14. 13.

136. Cum Saul in monte Gelboe vnà cum suo exercitu occiderit, vt dicitur 1. Reg. 31. *Ceciderunt interfecti in monte Gelboe; irrueruntque Philistiim in Saul:* è contrario cum Dauid in valle Terebinthi Philistæum strauerit, & interemerit: primo Reg. c. 21. *Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem percussisti in valle Terebinthi:* ambo Euangelicam Domini sententiam mysticè comprobant. Saül quidem superbiæ typus, altior vniuerso

Saül in monte victus; Dauid in valle gigantem vincens humiliari superbos, exaltari humiles indicant.

1. Reg. 16.

10. *Visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Interdum tamen visitatio est peccatorum punitio, vt Isaiæ 10. *Quid facietis in die visitationis, & calamitatis.* In hac etiam Dei visitatione, sicut superbi iusto supplicio humiliabuntur; ita humiles, quique diuinæ legi, se subiiciunt, exaltabuntur. Denique, *vt vos exaltet in die visitationis*, ex Græco textu legitur, *vt vos exaltet in tempore opportuno.* Nouit enim Deus opportunum tempus, quando humiles sunt exaltandi. Hoc opportunum tempus patienter est expectandum; nec interim mirari quis debet, si humilem ob ipsius profectum, maiusque meritum, deprimi sinat Deus.

Humilium exaltatio expectanda est in tempore opportuno.

140. Ab Augustino tract. 15. in Ioan. rudis aliquis, & Dei vbique præsentiæ ignarus inducitur, qui dicitur: *O si inuenirem montem aliquem altum, & solitarium; credo enim, quia in alto est Deus; magis me exaudiet ex alto.* Huic imperitiæ respondet Augustinus: Vt ad Deum ascendamus, & ab eo exaudiamur, ascendendum quidem esse, sed vnde verus ad Deum ascensus sit. Ascensus autem ad Deum reperitur non in excelsis terræ culminibus, non in altis superbiæ montibus; sed in humilitatis valle, per quam humilis pœnitentiæ lacrymæ decurrant. Ideo enim de viro iusto dicitur Psalm. 83. 6. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum.*

Ascensus ad Deum est ex humili pœnitentiæ valle.

141. Nabuchodonosori regi per somnium ingens prodigium visum est, quod his verbis Danielis 2. explicatur: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Quanam via exiguus lapis in excelsum montem excreuit? decidendo scilicet ad ima è sublimi culmine, vbi prius erat. Lapis ille mysticam statuam diruens iuxta Augustinum tractatus 9. in Ioan. Chrystum Dominum præfigurabat. *Lapis*, inquit, *de monte precisus, ipse est lapis, quem reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput anguli. De quo monte præciditur; nisi de regno Iudæorum, vnde Dominus noster Iesus Christus secundum carnem natus?* Christus Dominus ergo de populo, & Ecclesia Iudaïca, quæ inter gentes, quasi mons eminebat, ad nouæ legis humilitatem se demisit; suoque exemplo nos docuit Christianæ humilitatis demissionem nobis esse amplectendam; vt in æternæ gloriæ montem eleuemur; non enim alius, quàm qui se humiliauerit, exaltabitur. Porrò quanam sui parte Babylonica illa sublimis statua superbiam præfigurans à lapide ictum accepit? Pedibus, ait Daniel: *Percussit statuam in pedibus eius.* Pedes tantùm ictui fuerunt obnoxij. Ne ruamus igitur, dicamus cum Dauide. *Non veniat mihi pes superbiæ*; cur à superbiæ potius pedibus, quàm à capite sibi cauebat Dauid? Respondet ibidem Ambrosius; *Quia superbus caput non habet*; caput enim sapientiæ sedes est: at insipientiæ ita superborum proprietas est; vt non solum superbiam ipsam, sed vel superbiæ vmbram insipientia consequi videatur. Quare notat Chrysostomus; cum Paulus Apostolus ad Corinthiorum profectum seipsum commendaret, id nonnisi in insipientia se facere dixisse: *Quod loquor, non loquor secundum Deum; sed quasi in insipientia.*

Lapis è monte descendens, & Nabuchodonosoris statuam diruens, Christi humilitatem & exaltationem præfigurauit.

Epist. 1. Petri cap. 2.

Superbus quia insipiens caput non habere dicitur.

Psalm. 35.

Superbia tam insipiens est, vt apparens tantum superbiæ vmbra insipientia dicatur.

2. ad Cor. cap. 11. 17.

142. Hanc Dominicam sententiam: *Qui se exaltat humiliabitur; & qui se humiliat exaltabitur*, dum in Euangelio legeretur, risu exceptam fuisse à clerico quodam, qui militari fastu tumidus Missæ sacrificio adstabat, refert Petrus Damiani,

A cuius irrisionis paulò post in conflictu hostilibus vulneribus confossus superbus irrisor pœnas denas dedit: vt comprobaretur Salomonis testimonium Prouerbiorum 3. *Dominus deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam*; seu ex Hebræo, & Septuaginta: *Dominus irridebit irrisores, & humilibus dabit gratiam.* Quam sententiam Euangelicæ consonam aliter etiam explicauit Salomon Prouerbiorum 29. vers. 33. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria*, vbi ex Chaldæo Paraphraste legitur: *Qui submissus est spiritu, diuidet gloriam.* Quæritur, hîc ab Interpretibus, quomodo dicatur humilis gloriam diuidere? Respondent aliqui primò humi-

Superbi irridentis Euangelicam sententiam pœna.

Damianus epist. 25. vel 10.

Humilis gloriam diuidere dicitur triplici-ter.

B lem tantam gloriam consecuturum, vt ex vberi redundantia eam aliis etiam impertiri possit. Respondetur secundò humilem, gloriam qualemcumque consecurus fuerit, eam sibi integram numquam sumere? sed aliis atque aliis distribuere, suæque gloriæ socios semper adsciscere. Hoc enim inter superbum, & humilem discrimen intercedit; quòd humilis gloriæ consortes admittit; immo gloriam à se diuidendo eam integram Deo tribuit: Cum vicissim Deus suæ gloriæ humilem participem faciat. Cum enim Deus Iudaïco populo diuinis beneficiis ingratissimo clementer eius crimina condonasset: cumque tantæ clementiæ gloriam suæ solùm misericordiæ tribuere posset; eam miserendi gloriam

C cum Mosis humilitate participare voluit: *Dixit, vt disperderet eos; si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius*, Psalm. 105. vers. 23. *Confractio nimia cordis humilitas est*; *quæ sola coram omnipotente Deo, & Domino vniuersæ fortitudinis principe res fortis est, & valida: ita vt illa laborante, quasi brachium suum ad pervtiendum Deus extendere non valeat*; ait Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 26. è contrario superbus à gloria, quam consequitur, socios prorsus excludit; vt propterea Dauid dixisse videatur: *Non veniat mihi pes superbiæ*: Superbiæ enim pes

Psalm. 35.

D hoc habet proprium, vt veluti calcitronis equi pes alios procul expellat. Tertiò denique dicitur humilis diuidere gloriam; eo quod veram, & solidam à falsa, & inani gloria discernendo, hanc abijciat, illam viribus omnibus amplectatur. Iuxta hunc sensum dicitur Ieremiæ 15. *Si separaueris pretiosum à vili quasi os meum eris.* Os Redemptoris Domini nostri *butyrum, & mel comedit, vt sciret reprobare malum*, id est mundanam honorificentiam, *& eligere bonum*, id est crucis, & opprobriorum humilitatem. *Malum ergo*, inquit hoc loco Bernardus, *est voluptas corporis; sic & laus, & honor: bonum verò est afflictio, contemptus, & opprobria; quia hæc elegit, illa reprobauit puer sapiens, verbum infans. Aut enim Christus fallitur, aut mundus errat; sed diuinam sapientiam falli est impossibile; errat ergo mundus.* Bene

Superbiæ pes viridus, quod insequentem depressionem fuga euadere nequeat.

Isaiæ. 7. 15.

Serm. 3. de Natiuit.

E igitur humilis Redemptorem imitatus diuidere gloriam dicitur. Sed quoniam è contrario, vt ibidem Salomon ait, *superbum sequitur humilitas*, id est humiliatio, & depressio; propterea aiebat Dauid: *Non veniat mihi pes superbiæ*; eo quod huiusmodi pes terrenarum rerum pondere pressus subsequentem humiliationem fuga euadere nequeat. *Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia*, dicitur Prouerbiorum 11. Superbiæ pes semper miserrimè fugere cogitur, cum insequentem contumeliam, & depressionem semper à tergo habeat. *Superbum sequitur humilitas*, & depressio. Est enim iustum moriuum Deo, & hominibus superbos humilian-

di intolerabilis superborum elatio.

Superbum depressio non solùm sequitur, sed comitatur: Idem num. 47.

143. Allata Salomonis sententia adeo vera est, vt non solùm humiliatio superbum sequatur, sed etiam humiliatio, & depressio ipsam superbiam, & elationem comitetur. Ideo Psalm. 72. 18. De superbis Deo dicitur: *Deiecisti eos, dum allevarentur*, seu, *dum extollerentur*, vt legit Augustinus: qui ibi bene notat: *Non dixit, Deiecisti eos, quia elati sunt: non quasi posteaquàm elati sunt, deiecisti eos: sed in eo ipso, quòd elati sunt, deiecti sunt. Sic enim efferri, iam cadere est.* Frequenter *honoribus ascendere, est moribus descendere* iuxta Gregorium. Nam, vt communi prouerbio dicitur, *Honores mutant mores*; praua scilicet mutatione. Expertus est hoc Dauid, qui ex pastore in regij solij honorem elatus, in adulterium, & homicidium decidit: & inde ita depressus, vt persequente eum eius filio Absalone, è Regia pedes exire coactus in iniquum Semei inciderit; qui eum conuiciis, & lapidibus turpissimè impetiit. Ideo Deo Dauid flebiliter dixit Psalm. 101. 11. *Eleuans allisisti me.* Cum elati superbi frequenter idem experiantur, vtinam Dauidem imitentur; cuius allisio in cordis contritionem transiit; & Deo dicere potuit: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Et quoniam de superbis Iob 24. ait: *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent; & humiliabuntur, sicut omnia, & auferentur; & sicut summitates spicarum conterentur:* cum ita peccator humiliabitur vt veluti præcelsæ spicæ conteratur; tunc ad pœnitentiam excitetur; & S. Martyrem Ignatium imitando dicat: *Frumentum Christi sum; ærumnarum ictibus molar, vt panis mundus inueniar.* Præterea peccator superbia elatus Iob etiam verba vsurpans Deo humiliter dicat: *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè.* Superbi eleuationem super inanis gloriæ ventum permittit Deus; elisionem verò positiuè vult. Nam qualis sit ista elisio ex Hebræo textu clarius explicatur: ibi enim pro *elisisti* legitur: *Liquefieri*, seu *defluere me fecisti*, scilicet in pœnitentiæ lacrymas, quibus superbiæ labes, & culpa abluatur simul, & puniatur. Sic *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere*, per superbiæ fumum lacrymas contritionis elicit.

Honoribus ascendere est moribus descendere.

Gregor. lib. epist. 115. & in 1. Reg. cap. 5.

2. Reg. cap. 15. & 16.

Psalm. 118.

Iob 30. 22.

Superbus cum pœnitens humiliatur, Deus per superbiæ fumum lacrymas contritionis elicit.

2. ad Cor. 4. 6.

Matth. 26. 33.

Superbia Petrum Apostolum periurum fecit.

144. Petrus Apostolus Domino dixit: *Si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Ex hac nimia sui confidentia, & quòd superbè se aliis prætulerit Petrus, in turpem formidinem è vili ancilla illatam, & in periurium incidit. Ideo, cum ex superbia se turpi culpa humiliatum videret, *fleuit amarè.* Bene ergo Augustinus ait 14. de Ciuitate cap. 13. *Audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, vnde sibi displiceant; qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit; quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit & sacer Psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine. Id est, vt tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerant quærendo suum.*

Psalm. 82.

Superbia fumans antequam in incendia erumpat, pœnitentiæ lacrymis extinguatur.

145. Vt ad pœnitentiæ lacrymas confugiamus, non expectanda est superbiæ ruina; sed sub primis superbiæ stimulis eam comprimentes, ruinam præuenire debemus. Cum primùm fumantem domum videmus, imminens incendium præuenientes, in domum quantò largiùs poterimus, aquam effundimus. Similiter cum primùm superbiæ fumus è corde insurgere incipit, statim largis cor lacrymis inundemus, humanæ naturæ miseriam cognoscentes, & deflentes. Nabuchodonosoris exemplum sequi non debemus; qui

*longa inhabitantium desidia, stillicidiis primùm paruissimis penetrantibus corrupta sensim fuerint munimenta tectorum*, &c.

Superborum, & humilium vestes aliæ in hac vita, aliæ in altera,

148. Post supra citata Prouerb. 16. verba, subdit Salomon: *Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis.* Superbi per fas, & nefas adeo ditantur; vt ex diuitiarum abundantia suis assectis diuidere, & impertiri spolia possint. Contra vero mites, hoc est mansueti, & humiles ea premuntur penuria; vt vix, quibus nuditatem tegant, necessaria spolia habeant. Id quidem in hac mortali vita frequenter accidit; in altera verò superbi pro opulentis vestibus operimenta alia longè diuersa habe- A bunt. Hinc superbo apud Isaiam 14. 11. dicitur: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* E contrario humilem Deus *beatificabit in gloria, & circumcinget eum zona gloriæ; & induet eum stolam gloriæ; & coronabit eum in vasis virtutis*, Eccli 4.5.9.

Vide Basilium hom. 22. de humilitate. Augustinus tomo 4. serm. de humilitate, & superbia, Bernardum serm. secundo, tertio, & decimò octauo, inter paruos: Eumdem tractatu de duodecim gradibus humilitatis, & superbiæ. De humilitate & superbia prætetea dicetur Feria 5. maioris hebdomadæ.

# FERIA QVARTA POST DOMINICAM secundam Quadragesimæ.

## Ascendens Iesus Ierosolymam assumpsit duodecim Discipulos, &c. Matth. 20.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

Deus cœli instar gratiarum imbres demittit: homo velut terra inanis gloriæ fumum exhalat.

1.  EDEMPTORIS de proxima futura passione commemoratio, & discipulorum intempestiua ambitio bipartita diuisione hoc Euangelium partiuntur, vt apud Isaiam prolatum oraculum comprobetur. *Non cogitationes meæ cogitationes vestræ; neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus.* Nam cum Christus Dominus pro humani generis redemptione opprobria, flagella, cruciatus, & mortem propediem subire meditaretur; *Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte; & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum*: è contrario homines ad honorum culmina consequenda, cogitationes intendebant: *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo*: Quare cùm Redemptor noster largissima sanguinis effusione gratiarum imbres veluti mysticum cœlum in terram demittere cogitabat; tunc humanum cor, veluti terra inanes gloriæ vapores, ac fumos exhalabat. Rectè igitur ad discrimen hoc significandum apud Isaiam ibidem Dominus adiecit: *Sicut exaltantur cœli a terra; sic exaltata sunt viæ meæ à viis vestris.*

Cap. 55.

*Ascendens Iesus Ierosolymam assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam.*

Christus quàm vehementi desiderio ad mortem ierit: idem num. 3.

2. TAm vehementi desiderio Ierosolymam versus ad mortem subeundam Dominus ascendebat, vt animi alacritas, & gradiendi celeritas sequentibus discipulis admirationem non modicam excitaret. Marci 10. *Erant in via ascendentes Ierosolymam, & præcedebat eos* B *Iesus, & stupebant.* Rursus in itinere illo cum imminenti morti Dominus obuius iret, alacritas tanta fuit, vt ex ipso vultus aspectu perueniendi Ierosolymam desiderium appareret; ipsisque exteris innotesceret: Luc. 9. *Non receperunt eum Samaritani, quia facies eius erat euntis in Ierusalem.* Denique ingens passionis, mortisque desiderium Dominus indicauit dicens: *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Particula enim *Ecce*, non solùm tempus iam proximum, sed etiam erga rem diu expectatam, & vehementi desiderio expetitam affectum significauit. Iuxta quam etiam acceptionem particulam *Ecce*, vsurparunt Dauidis C serui 1. Reg. 24. *Dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum vt facias ei, sicut placuerit in oculis tuis.* Similiter cum *Desideratus cunctis Gentibus* prædiceretur, Ierem. 23. dicitur: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & suscitabo Dauid germen iustum; & regnabit rex, & sapiens erit; & faciet iudicium, & iustitiam in terra.* Porro iuxta Hugonem Cardin. Domini mors à Iudæis illata maris nomine significatur Psalm. 68 *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*: Ecclesiastici verò cap. 24. rapidissimo fluuio se Domi- D nus comparat, vbi iuxta Carthusianum legitur: *Ego quasi fluuius Dorix exiui de paradiso: Et fluuius meus appropinquauit ad mare: Dorix*: inquit Carthusianus secundùm Glossam, *fluuius est, qui ab eodem monte cum Euphrate defluit, & rapidissimo, atque celerrimo currit motu.* Huic igitur rapidissimo fluuio ad mare decurrenti comparare se Dominus voluit; vt celeritatem exprimeret, qua ad mortem maris nomine significatam ibat.

Ecce particula, rei expetitæ desiderium indicans.

Aggæi 2.

Cap. 24. 42.

Passio Christi maris nomine significatur: Christus rapido fluuio ad mare decurrenti comparatur.

3. Hugo Card. in illa verba Genes. 21. de Isaac, *Creuit puer, & ablactatus est*; docet Isaac tertio anno ablactatum præfigurasse Christum, qui tertia die

Isaac tertio anno ablactatus, Christum tertia die resurgentem præfigurauit.

dic

die resurgens separatus est ab vbere matris, id est A
à pœnalitate. Iuxtà igitur hanc interpretationem Christo Domino cruciatus veluti vbera suauissimum lac effundentia fuerunt. Hinc si quis nosse velit quanta alacritate Redemptor noster ad cruciatus pro humano genere subeundos accesserit;
Chryſ. hom. 24 in Matth. mente recogitet, quod Chrysostomus ante oculos ponit: *Nonne vides, inquit, quanta promptitudi-*
Deut. 33. *ne paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt.* Quare quod de Zabulon, &
Christo cruciatus velut vbera lac exhibētia fuēre. Issachar dictum est historicè; mysticè de Christo dici potest: *Inundationem maris quasi lac suget:* maris scilicet amarissimæ passionis.

4. Ad sagittæ scopum statuendum procera arbor
In Georgicis. eligebatur iuxtà illud, *Velocis iaculi certamina ponit in vlmo.* B Quod si veluti ad scopum in Caluariæ
Christus ad crucem veluti velox sagitta ad scopum. mōte Crucis arborem æternus Pater erexit; Christus Dominus fuit, qui ad Crucis scopum veluti sagitta celerrimo impetu euolauit; iuxtà illud Isaiæ 49. *Posuit me sicut sagittam electam.* Quæ verba de
Chrysost. tom. 5. Hom. contra hæreticos. Redemptore esse intelligēda Chrysostomus, Cyrillus, Hieronymus, Procopius asserunt.

5. Ad velocitatem summam explicandam dicitur
Georg. 3. illud, *Vix summa vestigia ponat arena.* At Christus Dominus redemptionis mysteria operaturus velocitatem tantam adhibuit, vt præ celeritate ne-
Cap. 41. que pedibus vestigia signasse visus sit: Quare de eo iuxtà SS. Hieron. Cyrillum, & Theodoretū Isaias vaticinatus est, *Semita in pedibus eius non apparebit.* C

*Filius hominis.*

6. De seipso in tertia persona loquitur Dominus sacræ Scripturę morem seruās; in qua plures de seipsis, quasi de aliis loqui reperi-
Tom. 9. tract. 61. mus. August. tract. 61. in Ioan. ait: *Erat eorum hæc consuetudo, qui sacras litteras nobis ministrauerunt, vt*
Scriptura sacra aliquos de seipsis tamquam de aliis loqui refert. *quando ab aliquo eorum diuina narrabatur historia, cùm ad seipsum veniret, tamquam de alio loqueretur; & sic se insereret ordini narrationis suæ, tamquam rerum gestarum scriptor, non tamquam sui ipsius prædicator. Nam & hoc sanctus Matthæus fecit, qui cum in textu*
Matth. 9. *narrationis suæ venisset ad seipsum: Vidit in telonio sedentem quemdam publicanum nomine Matthæum,* D *& ait illi, sequere me. Non ait, vidit me, & dixit mihi.*
Exod. 6. & alibi. *Hoc fecit, & B. Moyses; ita de seipso tamquam de alio cuncta narrauit; & ait: Dixit Dominus ad Moysen.*
2. ad Cor. 12. Pergit Augustinus idem in Apostolo Paulo, & in
Ioan. 13. Euāgelista Ioanne exemplificare: & tandem concludit: *Quid deperit veritati, quādo & res ipsa dicitur, & modo quodam dicendi iactantia deuitatur.* Similiter Gregorius cum in præfatione moralium asseruisset ab ipso Beato Iob sua gesta fuisse narrata, ait: *Nec mouere debet, quod in eodem libro dicitur: Dixit Iob, vel hæc, atque illa pertulit Iob. Moris enim Scriptu-*
Num. 12. *ræ sacræ est, vt ipsi, qui scribunt, sic de se in illa, quasi de aliis loquantur. Hinc est enim, quòd Moyses ait: Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui mora-* E
Ioan. 19. *bantur in terra. Hinc Ioannes dicit: Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus. Hinc Lucas ait, quod ambu-*
Luc. 24. *larent duo ex discipulis in via Cleophas, & alius. Quem profectò alium dum tam studiosè tacuit, vt quidam dicunt, quid nisi seipsum fuisse monstrauit? Scriptores igitur sacri eloquij, qui impulsu sancti Spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium, quasi de alijs proferunt Spiritus ergo sanctus per Moysen loquutus est de Moyse. Spiritus sanctus per Ioannem loquutus est de Ioanne.* Iuxtà allatam regulam quidam affert Domini verba Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Sed hic locus ad allatam regulam spectare non videtur. Nam cum Dominus ibi loquens nondum se, quinam esset, dixit,

Scribis Dominus hîc prædicit. Scribæ ex Hebræo idiomate litterati, sapientisque nomen respondet. Quare quod Isaias ait: *Vbi est litteratus? vbi legis verba ponderans?* Paulus citans eumdem locum ait: *Vbi sapiens? vbi Scriba?* Scribæ igitur Hebraïci populi Doctores erant, ad quos spectabat vel scripto, vel voce sacras litteras ad populum erudiendum, & in Mosaïca lege dirigendum interpretari. Traditus est igitur Dominus sacerdotum Principibus, & Scribis, vt ab his tamquam Mosaïcæ legis transgressor; ab illis tamquam diuini honoris affectator iudicaretur, & condemnaretur.

1. ad Cor. cap. 1. vers. 20.

Epiphan. Hæresi 16.

*Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.*

10. Crebro de sua passione suis discipulis locutus est Dominus, vt hîc aduertit Sanctus Hieronymus. Qua frequenti futurorum cruciatuum, & subeundæ mortis mentione confirmat verum fuisse testimonium, quod sub persona Christi iuxtà Isidori de passione cap. 29. & Cyrillum Alexandrinum epist. ad Theopomp. protulit Dauid Psalm. 35. *In flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Fuerunt ab instanti conceptionis vsque ad vltimum vitæ finem Redemptoris animo præsentes semper futuri cruciatus, & mors: atque hinc soluitur quæstio à Chrysostomo proposita, cur scilicet Sanctus Euangelista Matthæus suum Euangelium, librum Generationis Iesu Christi inscribere voluit? cùm in eo non solùm de generatione, sed etiam de totius vitæ laboribus, & præsertim de passione Domini agatur. Respondet Chrysostomus Matthæum in Euangelij inscriptione Moysis exemplum esse secutum: *Moyses,* inquit Chrysostomus, *librum cœli appellauit, ac terræ, cum certè non de cælo solùm, terraque loqueretur, sed de cunctis, quæ inter ipsa continentur.* Similiter ad rem nostram respondetur Euangelium, librum Christi Generationis fuisse appellatum; cum in ipsa Domini Generatione veluti indiuisa futura passio contineretur. Hanc enim Dominus ante mentis oculos semper habuit; eiusque dolores vel in ipso materno vtero cogitatione voluit præsentire. Quare *Dolor meus,* inquit, *in conspectu meo semper.*

Christus suæ passionis cruciatus semper ante mentis oculos habuit.

De Passione cap. 29.

Epist. ad Theopompum.

Homil. 1. in Matth.

Euangelium cur librum generationis Iesu Christi, & non passionis apud sanctum Matthæum inscribatur.

11. *Generationem eius quis enarrabit*: De Redemptore Isaias ait. Si iuxtà Basilium lib. 1. contra Eunomium; Iustinum contra Tryphonem, & Chrysostomum lib. 1. de incomprehensibili Dei natura, sermo sit de diuina Christi generatione, iure Isaias eam ineffabilem esse affirmat. Si verò iuxtà Athanasium lib. de Incarnatione Verbi, & Tertullianum contra Iudæos cap. 13. sermo sit de humana Domini generatione, in ea explicanda quænam Isaïæ menti difficultas offertur? Difficultas inter cætera sita est, quòd in tali generatione mortis passio admisceatur: cumque vitæ exordium explicatur, tunc simul atrocis interitus finis obiicitur. Prophetæ verba hoc manifestè insinuant: *Generationem eius quis enarrabat? quia abscissus est de terra viuentium*, id est crucifixus iuxta Iudæorum verba Ierem. 11. *Eradamus eum de terra viuentium.*

Cap. 53.

Christi humanam generationem ex quo capite difficile sit explicare.

12. Quæritur à sacris Doctoribus quinam locus primus fuerit, in quo Deũ claro intuitu homo intueri, atque adeo beatitudinem consequi potuit? Fuit huiusmodi locus B. Virginis vterus; nam in eo cõceptus Christus verus homo Deum, vt in se est, primò beatifica visione cognouit. quod si beatitudinis locus Paradisus appellatur, hinc meritò Damascenus B. Virginem animatum Paradisum potuit appellare. Sed si è contrario quæratur quinam locus fuerit, in quo primũ Deus in se omninò beatus, pro humano tamen genere humanam subire miseriam voluit? Fuit similiter huiusmodi locus Virginis Deiparæ vterus; in eo enim Deus humanâ carne assumptâ humanas ærumnas subire dignatus est: ibique claro mentis intuitu, cum futura veluti præsentia animo obijcerẽtur, primùm in flagella, in spinas, in opprobria, in crucẽ incurrit. Fuit igitur maternus vterus primus Christo Domino Paradisus; fuit eidem primus Caluariæ locus; cũ iam inde futuræ mortis dolorem in mentis conspectu haberet, eumque intimo corde præsentiret. Quare cum ex abundantia cordis os loquatur, nil mirum esse debet, si è Redẽptoris corde iamdudum crucis doloribus assueto, frequens futura passionis mentio foras erumperet. *Filius hominis tradetur ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum.* Lucas 9. de Mose, & Elia loquentibus cum Domino in monte Thabor ait: *Dicebant excessum eius, quem cõpleturus erat in Ierusalem.* hoc est passionem iuxta Cyrillum. Dicitũr autem Dominus passionem completurus, non primò subiturus in Ierusalem: tum quia eam semper ante mentis oculos habebat; tum quia antequam passionem in Caluario monte subiret, quotidie à peccatoribus eorum praua opera cernens cruciabatur.

B. Virgo primus Beatitudinis locus; primus etiam Christo Domino locus passionis.

Orat. 2. de dormit. one B. Virginis.

Matth. 12.

13. Samson iuxtà S. Patres, Christi Domini figura fuit; cũ à Philistæis hostibus ad eũ illudẽdum eductus est: nam vt Iud. 16. dicitur, *Philisthijm lætantes per conuiuia, sumptis iam epulis præceperunt, vt vocaretur Samson, & ante eos luderet:* ex alia lectione legitur: *Vocate Samsonem, vt ridere nos faciat: qui eductus de carcere ludebat ante eos* Ludebat, in sensu passiuo ab interpretibus explicatur, id est risus materiã præbebat, & illudebatur: *suo enim cæco incessu & incerto progressu Philisteis risum, & iocum exhibebat*, vt ait Dionysius. Quod confirmat Iosephus Hebræus: *Accitus est,* inquit, *Samson, vt misero inter cõpotandum illuderent;* Similiter S. Ambr. *Cum esset celebre conuiuium, Palæstinorũ conuentui producitur de carcere Samson ac statuitur in populi conspectu: erant tria millia fermè hominum virilis, ac muliebris sexus; & grauibus in eum insultabant conuitijs, circumagebant ludibriis.* Porrò, vt expressior Redemptoris Samson figura foret, ex editione Romana, & Græco textu legitur: *Alapis cædebant eũ, seu virgis percutiebant.* Addit Salianus, *credibile esse cæco Samsoni posita fuisse offendicula, vt eius prolapsio effuso cachinno exciperetur: percussum præterea, iussumque diuinare, quis eum percussisset:* Similiter Domino factũ est à perfidis militibus Lucæ 22. *Illudebant ei cædentes, & velauerunt eum, & percutiebant faciem eius; & interrogabant eum dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit?* Post illusionem ad columnas adductus est Samson, *fecerunt eum stare inter duas columnas.* In hoc tamen dissimilis Samson Domino fuit, quòd ad columnas adductus, iis concussis Philistæos hostes tẽpli ruina peremit. Crucem Samson ad hostiũ perniciem figurauit: ex Saliano supra citato, cum apprehendens ambas columnas, columnã dexteram læua, columnã verò sinistrã dextera tenẽs, eas ad tẽpli ruinam cõcussit.

Ambros. tom. 9. epist. 70. ad Vigil.

Tom. 3. anno 2899.

Vers. 55.

14. Columnæ alligatus acerbissima flagella Christus Dñs subiit: huic tãtæ Redẽptoris in genus humanum charitati benè respõdit Monica nobilis apud Iapones matrona. Hæc ob Christianã religionem colũnæ arctissimis catenis deuinctа quatriduũ sine cibo, sine potu vincula constãtissimè pertulit. Interim constãs Dñi imitatrix opprobriis saturata est, & pane lacrymarũ; quæ quidem nõ ex ipsius, sed è filiorum oculis defluebãt: vt hæc modo alio, quam

In annuis litteris societatis anni 1625.

Monicæ sanctissimæ fœminæ columnæ alligatæ eximia constantia.

Monica Augustini mater, filios lacrymarum haberet. Adstabant enim matri filij duo, decennis alter, alter triennis; ipsi quoque quatriduana esurie pressi flentes cibum flagitabant: *petebant parvuli panem, & non erat, qui frangeret eis.* Mira fuit mulieris constantia: mira diuina benignitas, quæ matrem, geminamque tenellam prolem supra naturæ vires post quatriduanum ieiunium, aliasque ærumnas admirantibus Ethnicis seruauit incolumes.

Iere. Thren. 4.

15. Sed, vt ad Domini flagella reuertamur, cum Psalm. 90. iuxta Chrysostomum de Christi corpore dicatur: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Quæritur quomodo hic flagellis se tradendum Christus Dominus asserat? Difficultas soluitur, si duo inter se valde diuersa distinguantur: aliud enim est Christum appropinquare flagellis; & aliud est flagella appropinquare Christo. Christus quidem ad flagella accessit: quare Isaïas 53. ait: *Oblatus est*, ex Hebræo, *Accessit, quia ipse voluit. Non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit*, ait hic Hieronymus. Et Bernardus: *Oblatus est, non quia meruit; non quia Iudæus præualuit: sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine, quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate.* In eumdem sensum Psal. 114. eò quòd tribulationem Dominus & dolorem volens, subierit, ait: *Tribulationem, & dolorem inueni.* Contra verò flagella Christo non appropinquauerunt, nisi vt dictum est, ex ipsius accessu. Quare Chrysostomus hic bene aduotauit: *Ascendimus Ierosolymam, ait Redemptor; ac si dicat: Videte, quia voluntariè vado ad mortem. Cum ergo videritis me in cruce pendentem, ne existimetis hominem esse tantum: nam & si posse mori hominis est; velle tamen mori hominis non est.*

Hom. 5. ex varijs in Matth. & homil. in Ps. 14.

Christus ad flagella accessit, non ad Christum flagella.

Serm. 5. de Purific. S. Bernardus.

16. Sinarum Ethnici, cum suis à Dijs, quæ petierint, non consequuntur; ad extorquenda quæ petunt, impiè, & dementer eorum Idola flagellant. Christus Dominus Deus noster vltro flagellis subijt, vt eius passione reserato cœli aditu quicquid in nomine eius petierimus, facilè impetremus.

Ethnici apud Sinas ad extorquenda beneficia, idola flagellant.

17. Lunam, cum in Eclipsi rubebat, putabant Indi vsque ad sanguinis effusionem à sole verberari: & ideo eius cruciatus vbertim lacrymis prosequebantur. Nos non materialem lunam, sed diuinum iustitiæ Solem ipsiusque lunæ conditorem, cùm à vilissima turba pro nostra redemptione flagellatum nouerimus; quibus lacrymis eius effusum acerbissimis flagellis sanguinem compensare debemus?

Delrius in 4. tom. Hippolit. tum sub finem actus 2. Lunam in eclipsi rubentem à Sole flagellari putantes Indi lacrymabant.

18. In Salomonis templi structura inter catenulas palmæ videbantur insculptæ. Secundo Paralip. cap. 3. *Sculpsit in ea palmas, & quasi catenulas se inuicem complectentes.* Mira quidem videri debet hæc palmarum, & catenarum connexio: catenæ quidem seruitutis indicia sunt; palmæ verò victoriæ, & libertatis insignia. Cur igitur cum catena palma, cum seruitute libertas adnectitur? Catenæ Domini vincula, & flagella; palmæ verò crucem significabant. Cant. 7. Christus Dominus Ecclesiæ sponsus ait: *Ascendam in palmam.* Vbi per palmam Christi crucem intelligunt Tertullianus lib. 3. contra Marcionem: Cassiodorus, Philo Carpathius, Rupertus, Anselmus, & Gregorius. *Ascendisti Domine palmam, quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum*, ait S. Cyprianus tractatu de passione. Dicitur autem crux palma, eò quòd illius transuersale lignum, in quo Christi manus sunt affixæ, fuit ex palma. De quo Gretserius lib. 1. de cruce, cap. 5. Lipsius l. 3. de cruce cap. 13. Delrius lect. prima de passione. Palma igitur Domini crucem, qua mundum, mundique principem Diabolum vicit, præsignabat: *Domuit orbem non ferro, sed ligno*, de Redemptore dixit Augustinus. Porro in Salomonis templo insculptæ palmæ ita Domini crucem præfigurabant, vt Dominicæ resurrectionis mysterium etiam indicarent. Phœnix ex Tertulliano lib. 13. de resurrectione, resurrectionis symbolum est: teste autem Lactantio in palmæ arbore nidum, ac rogum Phœnix constituit; palma verò vna cum Phœnice emoritur, & renascitur teste Plinio. Quare Christi personam Iob præfigurans, benè prænunciare potuit: *Sicut palma*, vel ex Hebræo, *Sicut Phœnix multiplicabo dies.* Quod igitur hic Domini verba prænunciant: *Tradent eum gentibus ad flagellandum, & crucifigendum, & die tertia resurget*; multò antea templi sculptura præfigurabat, palmas, & catenulas adnectendo. Denique vt veritissimam Mosis sententiam Deuter. 32. de idololatris cognoscamus: *Non est Deus noster, vt dij eorum*: Mexicanis dijs Indi quotannis homines supra viginti millia sacrificabant. Deus noster, noster peculiari modo factus, assumpta humana carne, non cæsos homines in sacrificium sibi offerri, sed seipsum in hominum salutem in crucis ara sacrificare voluit: *Non est Deus noster, vt dij eorum.*

Salomonis in templo catenulæ, & palmæ adnectabantur.

Palmæ in Salomonis templo insculptæ, Domini resurrectionem præfigurabant.

A

Augustin. in Psal. 14.

Lactantius Carm. de Phœnice. Plinius l. 13. c. 4.

B

C. 29. v. 18.

VViaimvita Caroli V. cap. 77.

C

19. Per enumeratas pœnas, flagellorum, & crucis, & per illusionis opprobria ad resurrectionem, immortalemque vitam aditum reserari Dominus significat. Quod quidem benè se nosse S. Leuita Laurentius ostendit, cum in flammarum cruciatibus positus clamabat: *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui.* Quænam erant Domini ianuæ, quas S. Martyr ingrediebatur? vtique pœnarum ianuæ erant; per has enim suam ad gloriam ingressus est Dominus, testante ipso: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Pœnarum, opprobriorumque tolerantiam *cœli portam* Ioannes Abbas apud Ruffinum appellabat. Ex quo fit, vt concludat S. Bonauentura: *Si oportuit pati Christum ad introeundum in gloriam suam; quantò magis oportet, & nos pati vt intremus in alienam?* Similiter Beda: *Si Moyses, & omnes Prophetæ Christum locuti sunt per angustiam passionis in gloriam suam intraturum; qua ratione se gloriantur esse Christianos, qui non ad gloriam, quam cum Christo habere cupiunt, per passiones tribulationum desiderant attingere?* Flammeus gladius ante Paradisum collocatus, inde primos humani generis parentes arcebat: contra verò cruciatuum flammæ in cœlestem Paradisum sanctos Martyres Christi sectatores reuocarunt, testantibus ipsis: *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Luc. 24.

D

L. 3 n. 84.

Ps. 65.

E

20. De Redemptore suam post resurrectionem dicitur Lucæ vlt. *Obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis: & cum manducasset coram eis.* Hinc Durandus in 3. distinct. 22. quæst. 6. ad secundam, asserit in Christo comedente in corpore glorioso factam esse digestionem, & conuersionem cibi per veram nutritionem. Hanc Durandi sententiam Suarius 3. p. tom 2. quæst. 54. art. 4. improbat, quia addita esset aliqua pars Christi corpori glorioso. Sed quid referebat, ne aliquid sanguinis Christi corpore glorioso adderetur? Noluit profectò Christus rediuiuo suo corpori, & tam in statu glorioso constituto, partem aliquam superaddi, quæ antea passioni subiecta non fuerit: noluit ex mellis nutritione acquisitum sanguinem, quique antea passionis felli non fuerat admistus: vt suos doceret fideles per ærumnas

rum passionem ad resurrectionem, & gloriam adIcum patefieri.

21. Sap. 5. dicitur: *Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & abstulerunt labores eorum.* Cum tyranni SS. Martyres ad fodienda, & secanda metalla, similesque ærumnas damnarunt; martyrum labores multiplicasse potiùs, quàm abstulisse videbantur. Benè tamen labores abstulisse dicuntur: nam longos labores, qui alioquin ad cœlestem gloriam acquirendam exantlandi erant, breues reddiderunt; viamque compendiariam, vt citò ad cœlestem felicitatem peruenirent, reserarunt.

22. Christus Dominus Psalm. 29. 12. æterno Patri dixit: *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me letitia; vt cantet tibi gloria mea.* Vbi benè August. ser. 56. de tempore, à Domino passibile suum corpus, saccum appellari; eoque in sacco nostræ redemptioni, pretium inclusum fuisse docet; & subdit: *In passione conscissus est saccus: conscidit saccum lancea persecutor; & fudit pretium nostrum Redemptor. Conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætitia; idest conscidisti mortalitatem meam, & accinxisti me immortalitate, & incorruptione.*

23. Denique in hoc Euangelio ex allatis Domini verbis, quanti suos cruciatus, & opprobria Redemptor noster æstimarit, cognoscere licet: horum ipse prænuncius esse voluit; suam verò gloriam alijs prædicandam reliquit. Mirùm profectò est, quod Genes. 22. legitur: geminum enim præceptum ibi accepit Abraham, alterum sacrificandi filium Isaac; alterum paulò post, eumdem seruandi: cum hoc tamen discrimine; præceptum sacrificandi filium immediatè à Deo accepit; seruandi verò filium, accepit ab Angelo: *Dixit ad Abraham Deus: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, atque offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi.* Paulò post: *Ecce Angelus Domini de cœlo clamauit dicens: Abraham, Abraham, ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam.* Discrimen hoc præcipiendi prouenit ex eo, quod mortificationes, quàm consolationes, pluris faciat Deus: Ex hoc enim fit, vt mortificationum ipse nuncius esse velit; consolationes verò ab alijs nunciari facilè sinat.

Abraham cur præceptum sacrificandi filiũ à Deo habuerit, seruandi verò præceptum ab Angelo.

*Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.*

24. MIrum est, quod post commemorata opprobria, quæ in sua passione Dominus passurus erat; humana ambitio, honorumque cupiditas, se manifestare non erubuerit. Quod quidem contigit etiam Lucæ 22. vbi cum Dominus prædixisset discipulis: *Filius hominis, secundùm quod definitum est de illo, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur:* subditur: *Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior?* Hoc ambitionis proprium est, vt Christi cruci, Christianæque humilitati se opponat: eaque dummodo inordinato dominandi affectui satisfaciat, nec loci, nec temporis circumstantias consideret; non temporis, cum affectandi honores tempus non esset, imminente Dei filij passione: nec similiter locus ad honoris prærogatiuam flagitandam erat, adstantibus alijs, qui huiusmodi petitione offendi possent: ex quo hîc dicitur: *Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.*

Ambitio Christianæ humilitati semper opponitur.

25. Porrò controuersum est apud interpretes, an mater honoris prærogatiuam illam ex seipsa à Domino petierit; an verò filij ad id petendum matrem impulerint? Filiorum fuisse suasionem negat Maldonatus secutus Hilarium can. in Matth. 20. & Ambrosium l. 5. de fide cap. 3. Oppositum sentiunt Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 64. Chrysostomus, Auctor Imperfecti, Theophylactus, Euthymius hîc, & Gregorius hom. in Euangel. 27. Hæc posterior sententia mihi amplectenda videtur duplici ratione. Primò, quia si filiorum suasio, & consensus abfuisset; ad illos Dominus veluti obiurgans sermonem non direxisset dicens; *Nescitis quid petatis.* Secundò, quia Marcus cap. 10. v. 35. expressè ait, filios Zebedæi idem, quod Mater à Christo petijsse; *Magister volumus, vt quodcumque petierimus facias nobis.* Respondet Maldonatus; *Filij Zebedæi dixisse dicuntur, quod per matrem suam, non per se dixerunt.* Sicut Matth. 8. Centurio ad Christum accessisse dicitur, & rogasse, vt seruum suum paralyticum sanaret; cum Lucas cap. 7. non ipsum Centurionem, sed per amicos suos accessisse, & rogasse dixerit. Sed contra est, quia sicut si Centurionis amici sine Centurionis consensu, & precibus accessissent, ipse Centurio accessisse non diceretur; ita neque accessisse, & rogasse dicerentur filij, si sine ipsorum consensu, & suasione mater accessisset.

Iacobum, & Ioannem fuisse matris honorificæ prærogatiuæ petitionem, aliqui negant sed refelluntur.

*Respondens autem Iesus dixit: Nescitis quid petatis.*

26. PRima ad Cor. 8. *Idolum nihil est*, ait Apostolus. Si Idola *Dij gentium dæmonia* sunt; dæmonia autem verè substantiæ sunt spirituales; cur Idolum nihil esse Apostolus asserit? Respondetur primò, Idolum nihil esse, eo quòd nihil diuinitatis, quæ ei tribuitur habeat. Secundò ad rem nostram ambitiosi cordis Idolum sunt honores, & gloria. Idolum hoc solidi aliquid, & permansuri boni habere ambitiosi putant; cum reuera planè inane, & futile sit; propterea huiusmodi Idolum, cui sua vota, suosque labores ambitiosi consecrant, nihil esse dicitur; Benè enim ex Hebræo vocabulo Elil, hoc est res vana, & inanis Idolum appellatur. Ex quo patet quàm verè ambitiosis honores affectantibus dicatur; *Nescitis quid petatis.*

Idolum cur nihil esse dicatur. Ps. 95.

27. Præterea quamuis Ioannem, & Iacobum id, quod petebant benè nosse supponamus, vt affirmat Auctor operis Imperfecti, eosque non mundanos honores flagitasse dicamus; adhuc tamen nescire dicuntur, quia veram viam illud acquirendi ignorabant; quandoquidem ad Christi regni fastigium non honores sectando, sed rejiciendo peruenitur. Patet hoc, nam tam bonus Angelus, quàm diabolus cœleste regnum adipisci exoptauit: cum discrimine tamen; diabolus enim honores sibi indebitos, suique solij elationem immeritam ambijt dicens; *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis.* At boni Angeli diuino imperio se subjiciendo, honores indebitos non affectando, solium supra aquilonem, hoc est supra summum cœli cardinem sunt adepti. Propterea Chrysostomus hominem honores non affectantem, Angelica anima esse præditum dicit; *Honoris*, inquit, *esse negligentem, laudem-*

Honores, & inanem gloriã non affectare Angelicæ animæ est.

Isa. 14. v. 13.

Ad Theatr. hom. 2.

Honorum affectatio ...

que non affectare multorum, maximo labore indiget: Magnæ Philosophiæ, & animæ cuiusdam Angelicæ, & quæ ipsum verticem cardinis cœlestis attigerit, certum argumentum. Magnam Philosophiam, meritò vocat Chrysostomus hoc intelligere; nimirum quo pacto ad sublimem terminum via humili ascendatur.

*Magna Philosophia Chrysostomo dicitur.*

28. Porrò sicut, qui ex ambitione honores non affectat, Angelica virtute præditus videtur: ita è contrario gloriæ cupidus, & ambitiosus, non solùm diaboli est imitator, sed quodammodo diabolicam malitiam excedit. Luciferi enim audacia eò prouecta est, vt Dei similitudinem affectauerit, dicens: *Ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo.* Sed post cognitam Dei Filij sub humana carne humilitatem, honorisque contemptum, qui ambitione ductus alijs se præferre contendit; is vtique Dei Filio, qui se hominibus subdidit, præfert. Bene ergo Bernardus ait: *Erubesce, superbe cinis: Deus se hominibus subdit; & tu dominari gestiens hominibus, Deo te preponis auctori? Vtinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo: Vade, inquit, post me, Satana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt. Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo; & verè non sapio ea, quæ Dei sunt.*

*Is. c. 14. Ambitionis humanæ malitia, cur Luciferi malitiam excedit? Serm. 3. sup. Missus est. Matth. 16. n. 23.*

29. Dicitur denique Iacobo, & Ioanni: *Nescitis quid petatis:* quia vnà cum Christo Domino vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram sociali dominatione regnare petebant; quod certè Dei regno repugnat. *Quid per sinistram, nisi vita præsens, quid verò per dexteram, nisi perpetua vita designatur,* ait Gregorius: ei autem, qui in hac mortali vita regnum ambitiosè affectat, in æterna vita cum Christo regnare non datur. Qui in hac vita otiosè sedet, in altera intra æterna incendia miserrimè iacebit.

*Sedere ad dexteram, & sinistram, hoc est in cœlo regnare, & antea in præsenti vita ambitiosè dominari repugnat. Hom. 21. in Euang.*

*Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*

30. EX Sancto Hieronymo, & communi Patrum interpretatione, calicis nomine hîc futura Domini passio significatur; sicut etiam Ioannis 18. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Porrò Psal. 68. iuxtà Augustinum, & alios Domini passio maris nomine exprimitur: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Si igitur in Domini passione cruciatuum multitudo tanta fuit, vt innumeris, & ingentibus fluctibus maris potuerit comparari; cur hîc vnius tantùm calicis nomine significatur? Soluit hanc difficultatem, quod Genes. 29. de Iacob legitur: *Seruiuit Iacob, pro Rachel septem annis; & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Amoris igitur magnitudo, quæ plures annos veluti paucos dies Iacob reddidit; eamdem Redemptori nostro maris vastitatem veluti exiguum calicem, & profundiora vulnera, veluti punctiunculas repræsentauit. Quare quod Ioannes in Euangelio de Domini lateris vulnere dixerat: *Videbunt in quem transfixerunt.* Apocalypsis primo de eodem ait: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Huius ratio est, quia Christus, quem Iacob laborans mysticè repræsentabat, *leuia, & breuia reputauit, quæ pro electis sustinuit,* vt ait Hugo Cardinalis.

*Calix passionē significat. Calicis, & maris nomine, cur simul Domini passio significatur. C. 19. Vulnifica Christi transfixio, cur punctio appellatur.*

*Dicunt ei: Possumus.*

31. QVæritur hic, an Ioannes, & Iacobus respondentes posse se calicem bibere, nomine calicis apertè mortem subeundam intellexerint? Negat Hugo Cardinalis dicens: *Credebant hoc dici sibi de calice materiali.* Affirmant Maldonatus, & Cornelius. Vtraque sententia non probatur. Primò enim quid materialis calix ad contegnandum cum Christo conferre poterat? Et quid tam arduum materialis calicis potus erat; vt ad id explorandum, dicere Dominum oportuerit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Iuxta alteram sententiam, si apertè calicis nomine passionem, & mortem discipuli intellexissent; vim non haberet, quod Chrysostomus notat: *Respice qualiter ipso interrogationis modo & hortatur, & allicit: Non enim dixit: Potestis-ne vestrum effundere sanguinem? Sed: Potestis bibere calicem?* Nam idem significasset dicens: *Potestis bibere calicem?* ac dicens: Potestis violentam mortem subire, vestrumque effundere sanguinem? Præterea cùm Dominus apertè suam passionem, & mortem prædixisset: *Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte.* Nihilominus, vt subdit S. Lucas cap. 18. *Ipsi nihil horum intellexerunt; & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Vbi Beda, cui subscribit S. Bonauentura, ait: *Discipuli sermonem Dominicæ passionis toties replicatum ideo intelligere non valent; quia quem maximè viuere desiderant, eius mortem audire non possunt: & quem non solùm hominem innocentem, sed & verum Deum esse sciunt, mori posse non putant. Et quoties dicit aliquid de sua passione, hoc allegoricè dictum putant.* Similiter Caietanus: *Ipsi nihil horum intellexerunt: Non quòd verba Iesu non intelligerent; sed quia sensum verborum existimabant, aut dubitabant esse, sicut sensus sermonis parabolici. Audiebant enim Iesum sæpè loqui sermone metaphorico: & quem credebant Messiam regnaturum in mundo, non poterant credere passurum talia, vt verba significabant secundùm sensum litteralem.* Quare Ioannes 6. 54. cùm Dominus dixisset: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam:* Propter hæc verba materiali sensu intellecta, *Multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant.* Secus verò fideles Apostoli cum Domini verba mysticum aliquem, & arcanum sensum significare benè crederent, à Domino non recesserunt. Ex dictis à fortiori sumitur argumentum. Si discipuli Domini passionem & mortem apertè illis significatam non intelligebant; quomodo propriam passionem, & mortem metaphoricè calicis nomine significatam eos apertè intellexisse censendum est? Dicendum ergo videtur sub calicis potu Iacobum, & Ioannem arduum aliquid, sibi tamen ignotum à Domino proponi; cui regnandi cupiditate moti fidenter responderunt: *Possumus.*

*Ait illis: Calicem quidem meum bibetis.*

32. QVamuis Ioannes in vltima senectute naturali morte vitam absoluerit; nihilominus tantùm abest, vt passionis calicem non biberit; vt etiam ei passionis calix in dolium excreuerit; cum ob Christi fidem sub Domitiano intra feruentis olei dolium est immersus; de quo Tertullianus lib. de præscript. cap. 36. & Hieron.

*Ioannes quomodo Domini calicem biberit.*

lib. 3. in Matth. cap. 20. Addit Caietanus Ioannem passionis etiam calicem bibisse, quando vnà cum alijs Apostolis à Iudæis est flagellatus, vt legitur in Act. Apost. cap. 5. 40. Quare quod in Vulgata legitur; *Calicem quidem meum bibetis*; Additur Mar. 10. & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini, in Arabico textu habetur; *Tinctura mea tingemini*. Flagellati Domini tinctura fuit nigrior in membris à verberum ictibus liuor; talem etiam tincturam flagellatus Ioannes subijt; idque iuxtà Domini prædictionem Matth. 10. 17. *In Synagogis flagellabunt vos.*

*Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est Patre meo.*

B

33. SVperfluit, *Vobis*, ait Caietanus; sed fallitur. Nam tantùm abest, vt vox illa superfluat, vt inde præcipuè genuinus sententiæ sensus pendeat. Ait enim Christus Dominus; *Non est meum dare vobis*; non ex defectu potestatis in dante; sed ex defectu meriti in recipiente. Cùm igitur talis defectus in vobis sit; eò quod supra alios prærogatiuam non merendo, sed ambiendo petatis; propterea *Non est meum dare vobis*. Similiter terrenus Rex sinceram iustitiam professus assereret non esse suum otiosis, sed prælianitbus militibus mercedem tribuere. Præterea Christus Dominus vel secundùm humanam naturam loquitur; vel vt Persona diuina. Secundùm humanam naturam benè ait; *Non est meum dare vobis*, qui in tempore factus sum homo; Sed quibus paratum est à Patre meo, qui ab æterno singulorum merita, eisque tribuenda præmia iam præuidit, & decreuit. Si verò vt Persona diuina loquatur, tunc Scripturæ regula est recolenda, tradita à Salmerone Prolegomeno 16. qua docemur particulam negatiuam *Non* vsurpari solere pro *Non solùm*; vt Oseæ 6. 6. & Matth. 9. 13. *Misericordiam volo, & non sacrificium*; hoc est non solùm sacrificium Marci 9. 36. *Quicumque me susceperit, non me suscipit*, scilicet non solùm; *sed eum, qui misit me.* Ioan. 12. 44. *Qui credit in me, non credit in me*, scilicet solùm; *sed in eum, qui misit me.* Similiter hìc à Domino dicitur; Prærogatiuam, quam petitis, *non est meum dare vobis*; hoc est, non est meum solùm dare vobis; sed vnà cum Patre meo illis dare debeo, quibus ab æterno parata est. Apud Patrem verò meum ad honorem consequendum, non sanguinis nexus, quo vobis propter assumptam humanam naturam iungor, sed merita æstimantur.

Caietanus repellitur.

Particula negatiua *Non* sumitur pro *Non solùm*.

34. Aliqui putant dixisse Dominum; *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*; quia potentia Patri tribuitur. Sed contra est, quia si in hac attributorum attributione sistamus; sicut potentia Patri, ita sapientia Filio tribuitur. At iusta honorum secundùm merita distributio, non minus ad potentiam, quàm ad sapientiam spectat; & cum diuina faciendi potentia sapientia coniungitur iuxtà Dauidis testimonium Psal. 103. 24. *Omnia in sapientia fecisti; impleta est terra possessione tua. Repleta est terra creatura tua*, legit Augustinus; hoc est iuxtà Apostolum 2. ad Cor. 5. *noua in Christo creatura*; nempe fidelium cœtu, præcipuè ad cœlestem gloriam electorum.

*Et audientes decem indignati sunt duobus fratribus.*

35. QVamuis hìc humanus defectus in Apostolis detegatur, cum debitæ humilitatis immemores indignarentur, quod Iacobus, & Ioannes socijs se præferri petierint; adhuc tamen in illis aliquid hic virtutis ostenditur, quod commendemus, & imitemur. Nam contra filios, non contra matrem eos indignatos esse legimus; ex quo colligimus, cùm Apostoli, quid petierint duo fratres, non audierint; sed tantùm ex Domini responsione eorum petitionem cognouerint; eos non vlterius processisse ad iudicandum matrem eius ambitiosæ petitionis fuisse complicem; cumque Dominus mulieris ambitionem non indicasset; neque ipsi de ea suspicari ausi sunt.

Apostoli alieni à malè suspicando.

*Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, sit vester seruus.*

37. SImiliter ad superbiam ab ijs, qui alijs præsunt, tollendam dicitur Eccli 32. *Rectorem te posuerunt; noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Hinc S. Hieronymus lib. 6. in cap. 18. Ezechielis ait: *Solent Principes Ecclesiarum opprimere plebem per superbiam; de quibus scriptum est Eccles. 32. Principem te constituerunt, ne eleueris: esto inter eos, quasi vnus ex ipsis. Et Saluator præcipit Matth. 20. Qui vult inter vos esse primus, sit omnium minimus.* S. Bernardus ep. 9. ad Episcopum Coloniensem ait: *Curemus in alto positi non altum sapere, sed timere, sed humilibus consentire. Principem, inquit, te constituerunt, esto in illis tamquam vnus ex illis. Et iterum: Quantò maiores, tantò humilia te in omnibus. Sapiens est, qui hoc consulit; quippe haud secus sentiens ab ipsa sapientia, quæ ait: Qui maior est vestrum, fiat sicut minor. Alioqui iudicium durum his, qui præsunt, timeat potestas.* S. Bernardinus tom 3. serm. de Rectoribus, eorum singulos sic monet: *Rectorem te posuerunt, non raptorem: Rectorem non destructorem: quasi ministrum, non tyrannum: quasi dispensatorem, non dissipatorem, vel vsurpatorem: vt tutorem, non deuoratorem.* Idem Fusius monet Hugo Cardinalis. *Rectorem te posuerunt, non dominatorem; Pastorem, non mercenarium; non carnificem sed tutorem; non tyrannum, sed dispensatorem; non dominum, sed ministrum. Te non tuas diuitias, non tuam nobilitatem, non tuam progeniem; sed te, id est tuam personam. Hodie tamen vno falso Episcopo episcopatur tota parentela. Vnde & nomen suum amittit tota progenies; & qui prius dicebatur filius fabri, vel Roberti, dicitur nepos Episcopi. Isaiæ 66. Numquid parturiet terra in die vna; aut parietur gens simul? Verba sunt Christi, vel Ecclesiæ admirantis de tot nepotulis vno partu natis.* Denique S. Gregor. 2. Par Pastor. cap. 6. cum docuisset Rectorem erga bene agentes subditos socium se exhibere debere, reddit rationem: *Quia omnes homines natura æquales genuit; sed variante meritorum ordine, alios alijs culpa postponit cuncti, qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis; nec præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse Petrus auctore Deo sanctæ Ecclesiæ principatum tenens à bene agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente,* Act. cap. 10.

C

Prælatus qualis in Ecclesia esse debeat; Idem n. 19.

Eccli 3. 20.

D

Sap. 6.

E

Nepotum multitudo, & dominatio Episcopum mali regiminis arguit.

*immoderatius venerari recusauit, seque ei similem recognouit dicens: Surge, ne feceris, & ipse ego homo sum. Paulus benè agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cum diceret: Non dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri. Quasi prælatum se fratribus esse nesciebat, cum diceret: Facti sumus sicut paruuli in medio vestrum. Et rursum: Nos autem serui vestri per Christum.* Quibus Apostoli verbis quantùm Euangelica perfectio Mosaïcæ legis perfectioni præcellat, patet. Cum Mosaïca lex vigeret, ad debitam humilitatem seruandam, Prælatis æqualitas cum subditis præcipiebatur. *Rectorem te posuerunt; noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis.* Sed in Euangelica lege Prælati non æquales, sed ex perfectiore humilitate inferiores se subditis exhibere debent. Quod Christus diligens humilitatis magister sæpius inculcasse reperitur. Primò hoc Matth. cap. 20. deinde Matth. cap. 23. *Qui maior est vestrum, erit minister vester.* Tandem prope passionem in vltima cœna Lucæ 22. 25. *Reges Gentium dominantur eorum; & qui potestatem habent inter eos, benefici vocantur: vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator.* Quare quæ diximus in præcedente feria in illa Matth. verba: *Qui maior est vestrum, erit minister vester,* huc etiam transferri possunt.

(1. ad Cor. 1. 1. ad Thessal. cap. 2. 2. ad Cor. 4.)

38. Insignes sancti in Ecclesia columnæ esse dicuntur. Ideo Apostolus Paulus ad Galat. cap. 2. ait: *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse.* Et Apocal. 3. dicitur: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Quod ergo columnis in materialibus ædificijs, idem sanctis viris, qui alios sanctitate, & doctrina superant, ex humilitate conuenit; scilicet vt infimum locum, tamquam spirituales bases, & columnæ reliquo ædificio suppositæ sortiantur. Hinc Gregorius 28. Mor. cap. 9. explicans verba Iob cap. 38. *Super quo bases illius solidatæ sunt?* ait: *Quid aliud huius terræ bases, quàm sanctæ Ecclesiæ Doctores accipiamus. In basibus quippe columna, in columnis autem totius fabricæ pondus erigitur.*

(Sublimiores magis humiliari debent.)

39. Iuxtà allata Domini verba benè Chrysostomus ait: *Quicumque desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem.* Augustinus in regula suos religiosos monuit: *Qui vobis præest, æstimet se non dominante cupiditate, sed charitate seruiente felicem.* Auctor operis Imperfecti in Matth. cap. 20. ait: *Principes Ecclesiæ sunt, vt seruiant minoribus suis; vt ministrent eis, sicut acceperant à Christo; & suas vilitates negligant, & aliorum procurent: vt si opus fuerit, neque mori recusent pro salute inferiorum suorum; sicut Apostolus: Ego, inquit, libentissimè impendam, & superimpendar pro animabus vestris.* Hieronymus epist. 3. *Rex nolentibus præest, Episcopus volentibus: ille terrore subijcit, hic seruituti donatur: Ille corpora custodit ad mortem; hic animas seruat ad vitam.* S. Leo epist. 84. cap. 1. *Licet nonnumquam accidant in sacerdotalibus reprehendenda personis; plus tamen in corrigendos agat beneuolentia, quàm seueritas; & hortatio, quàm commotio; charitas, quàm potestas. Sed ab his qui quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi, facilè ab hac lege disceditur; & dum dominari, quàm consulere subditis quærunt, placet honor, inflat superbia; & quod prouisum est ad concordiam, tendit ad noxam.*

(2. Ad Cor. 12. 15.)

40. Si verò quæratur, cur in veteri lege æqualitas cum subditis præcipiebatur; in Euangelica autem lege dicatur Prælatos exhibere se debere subditis non æquales, sed inferiores; huius criminis ratio desumitur ab Ecclesiastico cap. 3. 20. Vbi dicitur: *Quanto magnus es, humilia te omnibus; & coram Deo inuenies gratiam:* seu, vt legit S. Ambrosius: *Quantò maior es, tantò magis humilia te in omnibus.* Quia ergo Christianus comparatus Mosaïcæ legis fidelibus in maiori dignitatis culmine constitutus est, præcipuè ob Euangelicæ legis sacramenta, & vberiorem diuinæ gratiæ communicationem; ideo multò maius humilitatis specimen præbere debet. Quare Augustinus de S. Virgin. capite 31. benè docuit: *Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est; cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. Pondus, & pondus; mensura, & mensura; vtrumque abominabile apud Deum,* dicitur Prouerb. 20. 10. Ideo cauendum est, ne duplici mensura vtamur; ne scilicet in humilitatis descensu breuioris viæ mensuram, & terminum statuamus: contra vero in honorum ascensu mensura non modo producitur; sed cupiditas terminum omnem excludens adhibeatur ab humano corde honoribus inexplebili. Cur eadem mensura esse debeat sublimitatis, & humilitatis, optima est ratio ab Augustino allata: *Quia est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur.* Ideo idem Augustinus epist. 56. ad Dioscorum ait: *Nisi humilitas omnia quæcumque benè facimus, præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit; & proposita, quam intueamur; & apposita, cui adhæreamus; & imposita, qua reprimamur; iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia.* Similiter S. Isidorus de conflictu vitiorum, & virtutum ait: *Memento quia puluis es, quia cinis es; quia putredo, & vermis es: quia & si aliquid es, nisi tantò te humilies, quantò magnus es, perdes omninò quod es. Numquid tu altior, quàm primus Angelus? Numquid tu splendidior in terra, quàm Lucifer in cœlo, qui propter superbiam ex summo ad imum decidit?* Similiter S. Ephrem de vita spirituali numero 66. monet. *Quando videris te ad apicem virtutum euectum, tunc maxima tibi humilitate opus est, vt fundamentis saluis, & integris, quod superstructum est ædificium, inconcussum, immobileque consistat.* Alioquin erumpente ventoso superbiæ turbine spirituali ædificio accidet, quod Matthæi 7. 27. Dominus dixit: *Flauerunt venti, & irruerunt in domum, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* S. Simeon Stilita ita in præcelsæ columnæ culmen ascendit, vt ibi profundæ humilitatis fuerit exemplar: de eo enim testatur B. Theodoretus: *In tanta rerum gestarum magnitudine, & miraculorum multitudine, est tanta morum modestia, ac moderatione præditus, ac si sit dignitate postremus omnium hominum. Præter modestiam autem facilis ad eum patet aditus, & est affabilis, & suauis; & respondet vnicuique eorum, qui loquuntur, siue opifex sit, siue mendicus, siue rusticus.* B. Basilius hom. 12. de humilitate, plura, & præclara monita tradit ad humilitatem consequendam: & tandem concludit: *Prælatus es alijs; & homines te glorificant? Par esto subiectis, non tamquam dominans in Cleris, vt Apostolus ait; neque sæcularibus Principibus te conformes; qui namque primum esse accepit, omnium hominum seruum esse iubet Christus.*

(Euangelica perfectio præcipuè iuxta ...) (Ambros. l. de Noë cap. 4.) (Christianus cur præ Mosaicæ legis hominibus humilior esse debeat.) (Mensura eadem humilitatis, & exaltationis esse debet.) (Humilitas præcedere, comitari, & sequi bona opera debet.) (Simeonis Stilitæ eximia humilitas.) (Theod. in hist. Patrum c. 26.) (1. Petri c. 5.)

41. Dices: si Prælatus subditis se non solùm æqualem; sed inferiorem, & seruum exhibeat; quomodo eos iusto timore coercere poterit, ne delinquant; & si deliquerint, quomo-

(Prælati licèt humiles, ad iustum timorem à subditis ...)

Gregor. 1. par. pastor. c. 6. eos corriget? Nam benè Gregorius ait: *Necesse est, vt rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt; vt humana saltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant.* Respondetur ex eodem Gregorio ibidem: *Cum Dominus Noë, filiisque eius benediceret, dixit: Terror vester, ac tremor sit super cuncta animantia terræ. Quorum videlicet terror, ac tremor, quia esse super animantia terræ præcipitur, profectò esse super homines prohibetur. Sed rectores in eo, quòd metum sibi à peruersè viuentibus exigunt, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur: quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini subiacere substrati.* (Gen. 6.)

*Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.*

42. Similiter Ioan. 16. in vltima cœna Dominus dixit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Circa quæ verba plura dicentur Feria 5. maioris hebdomadæ. Sed cur hîc dicitur: *Filius hominis venit dare animam suam pro multis?* Cum Apost. 2. ad Corinth. 5. 15. dicat: *Pro omnibus mortuus est Christus:* & ad Rom. 8. de æterno Patre: *Qui proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Respondetur ex Glossa interlineari dixisse Dominum non pro omnibus, sed pro multis, hoc est pro Prædestinatis, pro quibus tantùm efficaciter, quamuis pro omnibus sufficienter Christi redemptio fuerit. Sed hæc interpretatio licèt in allatis Domini verbis locum aliquem habeat: non tamen eadem aptari potest Domini verbis in vltima cœna, cum Eucharistiæ sacramentum instituit; dixitque Matth. 26. 28. *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* & Marci 14. *Accepto calice gratias agens, dedit eis; & biberunt ex illo omnes; & ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.* Lucæ 22. 20. *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Ecclesia autem citata Euangelistarum verba in consecratione ita coniungit: *Hic est calix sanguinis mei, noui testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Vbi si dicendo, *Pro multis effundetur,* dicamus id intelligi debere efficaciter iuxtà allatam Glossæ interpretationem; tunc non verè dixisset Dominus, *Pro vobis effundetur,* nempe efficaciter. Nam inter eos, quibus tunc loquebatur, erat Iudas, pro quo efficaciter Christi sanguis non est effusus. Quare meliùs hîc aptari potest Sancti Augustini regula tradita 20. de ciuit. capite 23. Vbi Danielis verba illa capite 12. de mortuorum resurrectione ante vniuersale iudicium: *Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt; alij in vitam æternam, & alij in opprobrium;* Concordat Augustinus cum Domini verbis Ioan. 5. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: Qui verò malè egerunt, in resurrectionem iudicij:* ibi enim Augustinus ait: *Non diuersum putetur, quod cùm ibi positum sit, Omnes, qui sunt in monumentis, hîc non ait Propheta, Omnes, sed multi dormientium. Ponit enim aliquando Scriptura pro Omnibus Multos. Propterea Abrahæ dictum est: Patrem multarum gentium posui te. Cui tamen, & alio loco: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes Gentes.* Quia aliquando omnes possunt esse non multi: vt omnes filij Noë, non multi, sed tantùm tres fuere; ideo ex Augustini regula, multos pro omnibus dicere possumus, cum omnes multi sunt. (Gen. 17. Gen. 22.)

Scriptura pro omnibus multos ponit; cum omnes de quibus est sermo multi sunt.

Glossæ interpretatio refellitur.




FERIA

# FERIA QVINTA POST DOMINICAM secundam Quadragesimæ.

## Homo quidam erat diues, &c.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

Luc. 1. Psal. 33. Plenitudo triplex in Scriptura reperitur, nempe gratiæ, misericordiæ, & Beatitudinis.

1. X B. Virginis oraculo Deus esurientes implere bonis, & diuites inanes dimittere consuetum habet; cui consonat Dauidis sententia: *Diuites eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Deiparæ, & Dauidis testimonium præsens Euangelica historia comprobat. Esuriens enim in hac mortali vita *Lazarus cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, quas nemo illi dabat*; postmodum bonis repletur, cum de eo dicatur: *Factum est, vt moreretur mendicus Lazarus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* E contrario diues indutus purpura, & bysso, epulatus quotidie splendidè, inanis ad inferos dimittitur. Præterea in sacris litteris diuinæ gratiæ, Dei misericordiæ, & cœlesti gloriæ plenitudo tribuitur. De diuina enim gratia dicitur ab Apostolo: *Gratia eius in me vacua non fuit*; ergo plena fuerit, necesse est: de diuina misericordia legitur Psalm. 118. *Misericordia Domini plena est terra*: de cœlesti beatitudine habetur Psalm. 64. *Replebimur in bonis domus tuæ.* Propterea ad inferos damnatus tripliciter dimittitur inanis; cùm à diuina gratia; à remissionis misericordia, & à cœlesti beatitudine perpetuò excludatur. Triplicem hanc inanitatem præsens Euangelium indicat. Cùm enim diuina gratia animæ vita sit; ab hac tamquàm spiritualiter mortuum excludi damnatum significatur; cùm dicitur: *Sepultus est in inferno.* Secundò exclusio à diuina misericordia significatur, cum epulo Abrahamum obsecrans, *Pater Abraham miserere mei*, nihil consequitur: *Dixit illi* Abraham: *Recordare, quia recepisti bona in vita sua*, &c. Tertiò ab æterna beatitudine damnatus excluditur per æterni supplicij miseriam, infernique carcerem. *Crucior in hac flamma.* Quare cum triplex hominis è cœlo exulis status sit, scilicet hominis iusti; peccatoris, & damnati. Iustus viator caret quidem cœlesti beatitudine; Diuina tamen gratia, Deique misericordia non caret: peccator & à cœlesti beatitudine, & à diuina sanctificante gratia excluditur; non tamen à diuina misericordia; cum de peccatore Psalm. 88. dicatur: *Misericordiam meam non dispergam ab eo.* Damnatus tamen ab omnibus his, scilicet à Diuina gratia, à remissionis misericordia, & à cœlesti beatitudine excluditur. Propterea ex Euangelio habemus Epulonem sepeliri in inferno; misericordiam non consequi; in Gehennæ flamma cruciari.

1. ad Cor. 15.

Plenitudinis triplicis damnatus expers, inanis ad inferos demittitur.

*Homo quidam erat diues.*

2. AD obstinatum Pharaonem, eiusque populum puniendum decem immissæ plagæ in Exodo numerantur, scilicet aqua in sanguinem cap. 7. ranæ cap. sciniphes, seu culices cap. 8. muscarum genus omne cap. 8. pestis cap. 9. vlcera cap. 9. grando, & fulmina cap. 9. locustæ cap. 10. densissimæ tenebræ cap. 10. denique primogenitorum strages cap. 11. decima hæc plaga vltima fuit; nam de ea cap. 11. Deus Mosi dixit: *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, & Ægyptum, & dimittet vos.* Quæritur ergo cur inter Ægyptiorum plagas non numerentur etiam vasa aurea, & argentea Ægyptijs ablata: vt citato cap. 11. dicitur? Respondetur inter plagas non numerari auri argentique iacturam; quia diuitiarum priuatio, Deo iudice, plaga non est; cum diuitiæ iniquis diuitibus magis noceant, quàm prosint: vt diues epulo est expertus.

3. Formidanda valdè est Spiritus sancti sententia Eccli cap. 11. 10. *Fili, ne in multis sint actus tui*: seu ex Tigurina lectione: *Fili, ne labores multa colligere: si diues fueris, non eris innocens à delicto.* Quod certè de diuitibus, qualis epulo fuit, immoderato luxu diuitijs vtentibus; neque ex ijs quidquam in pauperes erogantibus verissimum esse satis est manifestum. Cùm Iob multiplici calamitate pressus dixerit cap. 3. 25. *Timor, quem timebam, euenit mihi; & quod verebar, accidit:* Quæritur à quo formidolosè timere potuerit Iob? Non à Deo; nam *erat vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Non ab hominibus; nam teste Cæsario Nazianzeni fratre dialogo 3. *Iob præerat solus cum imperio regioni Husitarum, hoc est Idumæorum, & Arabum: erat insuper præter ingentes opes, septem filijs bene munitus*, vt scriptura testatur. Adde eum nemini fuisse iniurium, sed erga omnes indigentes beneficum; ita vt verè dicere potuerit, cap. 29. 15. *Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum.* Respondetur ab ipsis suis diuitijs Iob timuisse; satis enim eas fallaces esse nouerat; & quàm fragilis, & variabilis esset humana felicitas eum non latebat. Quòd si diuitiæ, quas S. Iob non sibi solùm, sed etiam in pauperum subsidium possidebat, ei timorem incutiebant; qualis timor à diuitijs vel iniustè, vel auarè possessis incuti diuitibus debet. De Absalomi capillis, quibus è quercu suspensus periit, dicitur 2. Reg. 14. 26. *Quando tondebat capillum, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis.* Absalomus enim ad suam comam, vt pretiosam

Iob iusto suæ diuitiæ timorem incutiebant.

aliisque ambibilem iactanter ostentandam, eam tonsam ad fœminarum capillaturam augendam, & ornandam, ducentis siclis, hoc est centum auri vncijs vendebat. Cum ergo Absaloni eadem coma & aurum, & per suspendium necem attulerit; hinc bene significatur diuitiis diuitem sæpe in spiritualem, vel etiam corporalem mortem incurrere. Ideo ab Augustino serm. 28. de verbis Apostoli aurum periculosa res possidentium, & in Domini perniciem fulgere verè dicitur.

4. Dei liberalitas, & elargitio dupliciter in sacris litteris explicatur. Psalm. 8. de homine dicitur: *Omnia subiecisti sub pedibus eius:* at Ioannis 13. de Christo dicitur: *Omnia dedit ei Pater in manus.* Cur ea, quæ Deus elargitur, alibi pedibus subjici; alibi verò in manus dari dicuntur? Scilicet, cum Psalm. 8. Omnia hominis pedibus subjici dicuntur, de terrenis bonis sermo est; vt sequentia verba explicant: *Oues, & boues vniuersas; insuper & pecora campi; volucres cœli, & pisces maris.* At Ioannis 13. quando dicitur de Christo: *Omnia dedit ei Pater in manus;* præcipuè de spiritualibus, ac cœlestibus bonis est sermo; cum Christi regnum, vt ipse testatur,

Ioan. 18. v. 36. non sit de hoc mundo. Rursùs spiritualia bona amplectenda sunt; & propterea in manus dari à Deo dicuntur: terrena verò bona despicienda sunt, & conculcanda; & propterea pedibus subjici dicuntur. Quod quidem comprobat,

c. 4. quòd in actis Apostolorum legitur: *Afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Hinc Hieronymus epist. 28. ait: *Laudanda res, & Apostolorum temporum virtutibus coæquanda; quando venditis possessionibus suis credentes afferebant pecunias, atque fundebant ante pedes Apostolorum; ostendentes auaritiam esse calcandam.* Eamdem Hieronymi sententiam elegantissimè expressit Arator citatus à Beda.

*Rutili quia pompa metalli*
*Ponitur ante pedes, sacris non tradita dextris;*
*Destitui debere probant, quod tangere vitant;*
*Calcandumque docent, quod subdunt gressibus, aurum.*

Pauperes Domini pedes sunt: his pedibus diuitiæ sunt subjiciendæ.

Pauperes Domini pedes esse dicuntur: Augustinus tract. 50. in Ioan. *Si habes superflua, da pauperibus, & Domini pedes tersisti.* Huiusmodi pedibus diuitiæ subjiciendæ sunt, ijs eleemosynam elargiendo: quod quia exequi noluit auarus epulo, ad inferos à suis diuitijs pertractus est.

Manus ex auaritiæ frigore contractæ, Christi cruoris calore laxandæ. Hieronymus ep. 8. c. 7.

5. Porro ad auaritiæ frigore contractas manus laxandas in egenorum auxilium, Christi cruoris calor adhibendus est: *Quando*, inquit Hieronymus, *Domini nostri adhuc calebat, cruor, & feruebat recens in credentibus fides; vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas.* E contrario extremis hisce temporibus, de quibus prænunciatum est Matthæi 24.

Lib. 1. hist. noui Orbis. *Refrigescet charitas*, testatur Benzonius Indos quosdam ad exprobrandam Christianis inexplebilem auri cupiditatem, accepta auri massa dixisse: *Ecce Deus tuus, Christiane.* Incredibilem autem pudorem Christianis inferre debet, quod

Exod. 32. de ijs non minus, quàm de Hebræis dicatur: *Peccauit populus iste peccatum maximum; Fecerunt sibi Deos aureos:* quandoquidem auri cupiditas, &

Ad Eph. 5. Auaritiæ, & Idololatriæ nexus. auaritia ex Apostolo, *Idolorum seruitus est.* Porro quod inter idololatriam, & auaritiam similitudo maxima sit, & cognatio, apertè habetur ex Is. 2. *Repleta est terra*, hoc est homo terrenus, *argento, & auro, & non est finis thesaurorum eius; & repleta*

A *est terra Idolis.* Mirum autem esse non debet, si ab auri cupiditate in idololatriam humanum cor delabatur; nam auaritia Diaboli filia est; patris autem cultus ad filiam pertinet: propterea Malachias 2. ait: *Iudas habuit filiam Dei alieni, id est auaritiam filiam diaboli*, vt Hugo Cardinalis interpretatur.

Auaritia vt diaboli filia, in eius idololatriam propendet.

In Mal. c. 2.

6. Moses Ex. 8. cùm à Pharaone rogaretur, vt pro eo Deum oraret, & ranarum plagam auerteret: *Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo*; statim eximia fiducia respondit: *Iuxta verbum tuum faciam, & recedent ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo.* Denuò

Moses pro obstinato Pharaone fidenter orauit: pro Israelitis aurei idoli cultoribus veniam impetrare dubitat.

B Moses à Pharaone rogatus, vt muscarum pestem in eum ob recidiuam obstinationem illatam auferret, magna fiducia respondit: *Egressus à te, rogabo Deum, vt recedat musca à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius cras.* Iterùm reuersus ad obstinationem impius Pharao, territus tamen tonitruum fragore, & ingentis grandinis procella Mosem rogauit: *Rogate Dominum, vt desinant tonitrua Dei, & grando.* Cui Moses non amissa fiducia respondit: *Extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit.* Denique obstinatus iterùm Pharao, territus tamen voracium locustarum plaga Mosi dixit: *Peccaui in Dominum Deum vestrum, &*

C *in vos: rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam.* Moses hac etiam vice pro Pharaone efficaciter orare non dubitauit. Nihilominus idem Moses, qui pro impio, & obstinato Pharaone toties tanta fiducia orauerat, quodque orauerat impetrarat, oraturus pro Israelitis, qui auri idolum venerati fuerant, non fiduciam, sed timorem, iustamque dubitationem, an ijs veniam impetraturus esset, ostendit: Exodi 32. *Locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum; ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro.* Tantum scelus est auri cultus, siue per idololatriam, siue per auaritiam idololatriæ planè consimilem. Ex hoc scelere diues epulo in

D mendicum Lazarum immisericors *sepultus est in inferno.*

7. Pro diuitibus auaris, ne cum idololatris numerentur, refertur, & refellitur apologia à Chrysostomo citato loco ad Ephesios his verbis: *Sunt qui hyperbolen esse dicant, quod auarum dictum sit idolorum esse cultorem. Non est hyperbolicè dictum, sed verè. Deficit à Deo auarus quemadmodum simulacrorum cultor: Christi enim sententia est: Non potestis Deo seruire, & Mammonæ: qui mammonæ seruiunt, seipsos extra Dei seruitutem eiecerunt; qui verò dominium ipsius abnegant, & inanimato seruiunt auro; clarum est eiusmodi Idolorum esse cultores. Sed nullum, inquis, feci simulacrum; neque constitui aram; neque immolaui oue; neque vinum libando obtuli; sed Ecclesiam ingressus*

Auaritia Idololatria dicitur ob septem rationes hic, & sequentibus.

Matth. 6.

E *sum; manusque ad vnigenitum Dei filium extendi: quomodo igitur Idola, inquis, adoro?* Ideo.

8. Prima ratio, cur auarus Idololatra dici possit, à Chrysostomo explicatur his verbis: *Non mactas auaritiæ oues? mactas verò homines, & animas rationales; illos quidam fame; istas autem maledictis. Maledicta est auaritiæ ara: Nam si ad simulacrorum accesseris aram, videbis eam caprinum, & bouinum olentem sanguinem; ad istam vero auaritiæ aram si veneris, humanum sanguinem videbis misere, & crudeliter exhalantem. Hic videbis quosdam, qui seipsos in præcipitia coniecerunt; alios verò, qui laqueum applicuerunt; nonnullos, qui ensem per ipsum guttur transegerunt: vides bestias*

*crudeles, & inhumanas. Vis etiam istis sauiores videre? Ostendam tibi iam non humana corpora ibi, sed hominum animas mactari. Nam & animæ mactari possunt mactatione, quæ conueniat animæ, qualis scilicet animæ mors est: anima enim, quæ peccat morietur. Auaritiæ ara non saturatur humano sanguine, nisi ipsum etiam animam immolaueris; nisi vtriusque, & immolantis, & immolati animas recipiat. Necesse est enim hic, vt qui immolat alium, prius immoletur ipse; atque ita immolet, vt mortuus immolet interea viuentem. Quando enim maledicit, quando conuiciatur, quando indignatur, numquid istæ animæ plagæ immedicabiles non sunt? Vides quomodo non hyperbolicè dictum sit, quod Paulus auarum Idolorum esse cultorem dicit?* A B

9. Secunda ratio ab eodem talis affertur: *Vis cognoscere quomodo auaritia sit Idolorum cultus; immo peior etiam cultu Idolorum. Idolorum cultores creaturas Dei adorant; tu verò tuam ipsius creaturam adoras: auaritiam enim Deus non creauit; sed insatiabilis illa immoderatio tua illam adinuenit.*

10. Tertia ratio idem probans à Chrysostomo sic explicatur: *Sicut Idololatræ venerantur Idola, nec ea præ reuerentia tangere audent; ita auarus pecunias quasi Idolum veneratur; nec eas audet contingere; sed inani tantùm earum aspectu delectatur.* C

11. Quarta ratio ex Prouerb. 23. desumitur, vbi iuxtà Hugonem, & Dionysium Dei ad hominem verba sunt illa: *Præbe mihi, fili, cor tuum.* Proprium Dei est cor humanum expetere. Cum autem similiter humanum cor auaritia sibi vendicet iuxtà illud Matth. 6. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Hinc est, vt pecuniæ possessio veluti Idolum Dei æmulum auaro cordi proponatur. Quare Dauid Psalm. 118. ait: *Inclina cor meum in testimonia tua*, idest in mandata tua; *& non in auaritiam.* Quibus verbis solam auaritiam vniuersis Dei mandatis videmus opponi; hæc enim circa diuitias versatur: *Diuitiæ autem de vitijs nomen acceperunt*, vt ait Ambrosius: & vitia Dei mandatis opponuntur. Quòd si, vt humanum cor Deo puriùs offeratur; abstinentia, & ieiunijs caro purgatur: non dissimiliter ieiunia frequentiùs tolerant auari, vt auaritiæ Idolum venerentur. D

12. Quinta ratio desumitur ex prima Petri epistola capite 1. vbi de Deo loquens, ait: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Dei enim visio talis est, vt semper vlterius Deum videndi desiderium excitet. Auarus autem cum Deum oblitus inexplebilo desiderium circa pecuniam habet, *Nec satiantur oculi eius diuitijs*, iuxtà Ecclesiasten 4. tunc pecuniam veluti Deum sibi statuere videtur. E

13. Sexta ratione auarus idololatra dici potest; quia sæpissimè in sacris litteris monemur, vt nostram fiduciam, ac fortitudinem in Deo collocemus. Psalm. 17. *Diligam te Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum*: Psalm. 117. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus.* Prouerb. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Prouer. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* E contrario auarus omnem fiduciam, atque omne robur in auro reponit; iuxtà illud Iob 31. *Si putaui aurum robur meum; & obrizo dixi, fiducia mea.* Quare Apostolus monet: *Diuites ne sperent in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* 1. ad Tim. 6.

14. Septimò auaritia idololatria dicitur, quia directè Dei cultum destruit; cùm veræ fidei opponatur: Sicut enim fides supernaturalium do-

illius purpuræ nimius ignis; eiusdem bysso niualis aqua respondit; iuxtà illud Iob 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium: & vsque ad inferos peccatum illius.*

*Et epulabatur quotidie splendidè.*

Gulæ vt satisfiat quot labores perferuntur. Idem a. 18.

17. OB crapulam, ventrisque ingluuiem in epulonum domibus, & inde ad exteros, quod strepitus excitentur egregiè ad gulam damnandam ante mentis oculos ponit Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio cap. 8. *Obsonator est, qui antequam luceat, fores pulsat alienas, & tamquam bellum aliquod immineat, excitat dormientes. Tercursum vides, anhelantem aduertis, interrogas quæ causa perturbationis sit? Poscit, inquit, dominus meus, vbi vinum melius veneat; quærit vbi durior vulua curetur, vbi iecur mollius, vbi phasianus pinguior, vbi piscis recentior? Cursitat per diuersa; & cum inuenerit, summo cursu properat: inquietat dominum somnolentum; auctionatur pretia. Si pretium moueris piscis, nusquam meliorem asserit inueniri; summo deesse. Heri, inquit, tempestas, hodie procella; vix istum potui latentem deprehendere. Multi concursant in macello: si tu reddideris, alter plus dabit; & quid exhibebis in prandio? Istius vini ille natalis est; hæc ex illo lacu lecta ostrea; talis fit de singulis iactatio. Curritur ad coquinam, fit ingens strepitus, fit tumultus. Tota exagitatur familia; maledicunt omnes, quòd nulla his requies detur. Tandem aliquando da requiem coquo. Instar statuæ pincerna dextera summo gelu riget. Ille in frigida exercet manus; illi marmora lauant, mundant pauimenta vino madida, & spinis cooperta piscium; & quanti, dum ambulant vulnerantur? In ipso conuiuio clamor epulantium, gemitus vapulantium. Si quis fortè displicuit amicis, illi rident, tu indignaris. Sileat aliquando domus à multis perturbationibus huc, atque illuc discurrentium; à sono immoderatorum animalium. Vacet fumo, & seminstulatorum nidore, non coquina, sed carnificina: putes prælium geri, non prandium curari; ita sanguine omnia natant. Malè dominicæ seruitur gulæ; quæ semper expetit, numquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre? Hodie suscipit, & cras exigit. Attende diuitem, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè; cuius ad ianuas mendicus ille Lazarus iacebat plenus vlceribus, cupiens saturari ex his, quæ de mensa cadebant diuitis. Paulò post cùm esset mortuus, cœpit rogare positus in inferno, vt extremum digiti sui pauper ille in aquam intingeret, & refrigeraret linguam eius, quæ ardebat incendio. Vbi illa copia? Vbi illæ ebrietates: Sitit, qui inebriabatur; abundat, qui mendicabat.*

Ep. Iacobi c. 5. Epulones auari quas miserias incassant.

18. B. Fulgentius epist. 7. cum de epulone diuite locutus esset, subdidit: *Tales B. Iacobus increpare non cessat, dicens: Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum, & argentum vestrum aruginauit; & ærugo eorum in testimonium vobis erit; & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Epulati estis super terram, & luxurijs enutristis corda vestra.* Similiter contra epulones antea Dominus dixerat Lucæ 6. 20. *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.*

Ep. 22. ad Eustoch. Epulones sibi carcerem construunt.

19. Danielis 14. quæri potest, cur ad Danielem reficiendum rustici messorum cibi à Deo missi sunt? *Potuit*, inquit Hieronymus, *Danieli de regijs ferculis opulentior mensa transmitti; sed Habacuc ei messorum prandium portat, arbitror rusticanum.* Vt proposito quæsito respondeatur, recordandum est in memoriam, quòd Crates Philosophus, siue Pythagoras aiebat; scilicet hominem saginando corpori deditum aduersus semetipsum carcerem munire: E contrario, qui sobrietati, atque abstinentiæ studet, pro viribus se terreno carcere liberare. Ad hoc confirmandum Daniel sobriè pastus è leonum carcere liberatur: Contra verò diues epulo epulatus quotidie splendidè in carcerem illum detruditur, de quo Isaï. ait, *Vinctis eius non aperuit carcerem*, idest infernum. *Vinctis suis non aperuit carcerem*, legit Vatablus, & sermo est de Lucifero. Verissimè S. Basilius ser. de abdicat. rerum, gulosum hominem ex gulæ vitio *ferarum habitaculum* fieri docet. Nam in eo reperitur luporum voracitas, tigrium in pauperes crudelitas, canum rabies, & obscœnitas, accipitrum rapacitas, ranarum loquacitas, glirium somnolentia; & si quod aliud in efferatis belluis, rationisque expertibus animalibus est vitium.

Maximus ser. 17.

Isai. c. 14. 17.

Gulosi epulones ferarum habitacula fiunt.

20. Habacuc primò dicitur Deo à Propheta: *Facies homines*, id est fieri permittes, *quasi pisces maris, & quasi reptile.* Cum inter animantia maximè clamosum, & loquax animal sit homo; cumque pisces voce careant, sintque omninò muti; quæritur cur piscibus homines comparentur? Decem inter pisces, & homines Cornelius affert similitudines. Sed ad rem nostram addi potest; quòd sicut pisces proximum capiti ventrem habent; similiter carnales homines permittet Deus ita caput prope ventrem habere, vt mente, cogitatione, & studio semper circa ventris ingluuiem versentur. Præterea sicut pisces ex gulæ incitamento simul escam, hamum, & interitum deglutiunt; ita gulosi homines, cuiusmodi erat Epulo, vnà cum splendidis conuiuijs hamum, quo ad æternum interitum pertrahuntur, deglutiunt. *In esca hamus latet, & cibus deducit in foueam*; ait Ambrosius: in quam foueam? in eam scilicet, in qua sepultus dicitur Epulo; qui sepultus dicitur in inferno. Confirmatur hæc piscis, & hominis similitudo; cùm enim dixisset Propheta: *Facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile*; postea de piscatore subdit: *Totum in hamo subleuauit; traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum.* Porrò hamum, rete, & sagenam simul ponit Propheta; quia vt ait Sanctus Hieronymus, *Piscator mittit hamum, & rete, & sagenam; vt quod hamus non potuit, rete comprehendat; quod euaserat rete, sagenis latioribus circumdetur.* Hamus ergo, rete, & sagena varias diaboli, prauasque suggestiones ad expiscandos homines significant. Præterea cur non solùm piscibus, sed etiam reptili homo comparatur; cum tamen vt ait Isychius, *per terram repere non sit hominum; quibus concessum est, vt recti incedant, cœlumque suspiciant?* Nihilominus homines gulæ dediti, reptilibus benè comparantur: gulosi enim de se fatentur, Psalm. 43. ex Hieronymi lectione: *Adhæsit in terra venter noster*: immo ex vulgata lectione: *Conglutinatus est in terra venter noster: Iure dixerit quispiam eorum, qui gulæ seruiunt, ventrem esse terræ agglutinatum*; ait Chrysostomus. Similiter Ambrosius: *Qui sunt, qui in vtero suo ambulant? nisi qui ventri, & gulæ viuunt; quorum Deus venter est; & gloria in pudendis eorum; qui terrena sapiunt; & cibo onerati ad terram curuantur.*

Diabolus ad homines pisces capiendos hamo, & rete vtitur. Gulosi cur piscibus similes.

Gulosi cur reptilibus similes.

Ambros. de Elia, & ieiunio c. 8.

S. Isychius in Leuit. 19.

Ambrosius De parad. c. 15.

21. Egregiè diuites epulones Seneca sic alloquitur: *Ad vos transeo, quorum profunda, & insatiabilis gula hinc maria scrutatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium varijs generibus cum magno labore persequitur. Nullis animalibus, nisi ex*

Lib. 1. ep. 89.

*fastidio* , *pax est. Quantulum enim ex istis epulis* , A
*quæ per tot comparatis manus* , *fesso voluptatibus ore libatis? Quantulum ex fera periculosè capta* , *dominus crudus* , *& nauseans gustat? Quantulum ex tot Conchylijs* , *tam longè aduectis per istum stomachum inexplebilem labitur? Infelices etiam* , *quod non intelligitis vos maiorem famem habere* , *quàm ventrem.*

Ser. vlt.

Bethsaidæ cæcus cur homines sicut arbores viderit.

22. Marci 8 Bethsaidæ cæcus cum à Domino inciperet illuminari, dixit: *Video homines velut arbores. Quare homines* , inquit Chrysologus , *sicut arbores* , *non vt columnæ* , *aut aliud quid videbantur?* Respondetur , ad rem nostram Bethsaidam domum cibariorum interpretari; & iuxta nomen veluti voluptatibus deditam , & à pœnitentia alienam deplorari Matth. 11. *Væ tibi Bethsaida.* In hac igitur ciuitate cibis dedita homines B
veluti arbores videntur: sicut enim arbores radicem ex Philosopho pro ore habentes, *Radice ad tartara tendunt:* ita gulosi homines ore, & gula ad inferos pertrahuntur. Quare hîc benè de Epulone dicitur: *Sepultus est in inferno.*

Voluptaria vita peccatorem contra Deum, & homines, superbum, & iniquum reddit.

23. Dauid Psalm. 72. Peccatorum iniquitatem, & impietatem considerans , illam tantam esse comperit, vt eà vndique peccatores operiantur. *Tenuit eos superbia; operti sunt iniquitate* , *& impietate sua:* iniquitate peccando; impietate pauperum non miserendo. *Tenuit eos superbia* , vt neque Deo, neque hominibus parcant: *Posuerunt in cælum os suum* , *& lingua eorum transiuit in terra.* Hæc tanta eorum nequitia vnde prodeat si C
quæratur? Respondet regius vates: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum*; nimirum ex nimio luxu, & voluptaria vita adipem fouente. Gregorius in illud Iob: *Viscera eius plena sunt adipe*, ait: *Sicut ex abundanti cibo adeps; ita ex abundantia rerum superbia nascitur. Quæ impinguat mentem diuitiis* , *dum eleuatur animus superbientis: Superbia quippe cordis quasi pinguedo quædam est crassitudinis. Vnde quia plerique ex abundantia peccata perpetrant*, *per Prophetam dicitur: Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum.* Cum hoc etiam consonat illud Iob. 15. *Contra omnipotentem roboratus est; cucurrit aduersus eum erecto collo; & pingui ceruice armatus est.* D
Huius tantæ superbiæ rationem reddit Gregorius dicens: *Quia rebus temporalibus armatur contra præcepta veritatis; quasi de magnitudine carnis erigitur.* Quam etiam rationem prius attulerat Dauid Psalm. 16. *Adipem suum concluserunt; os eorum locutum est superbiam*; Superbiam præsertim, quia contumelijs procul à se pauperes repellunt.

Gregorius 15. Moral cap. 2. vel 33. Iob. cap. 21. 24.

22. Mor. cap. 21.

Gulosi diuites quomodo famem pati cogantur.

24. Superbis , auarisque diuitibus sibi nimio luxu indulgentibus , pauperibusque opem negantibus dicitur Amos 4. *Audite verbum hoc* , *vaccæ pingues* , *quæ calumniam facitis egenis* , *& confringitis pauperes. Loquitur ad Principes Israël* , *& optimates* , *qui deliciis* , *ac rapinis vacabant* , ait E
Hieronymus. Hi confringebant pauperes , eorum vitam ad vltimum exitium redigendo, omni subsidio denegato. *Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium* , *& indigentiam panum* , *dicit Dominus.* Possunt-ne diuites panum , hoc est ciborum indigentiam pati? sanè possunt; modum explicat Oseas cap. 4. de ijs dicens: *Comedent* , *& non saturabuntur.* Vbi Hieronymus ait: *Voluptas insatiabilis est* , *& quantò magis capitur* , *tantò plus vtentibus se famem creat*: ita vt ex hoc etiam ipsi dentes quodammodo stuporem habeant , eò quod cum tot deuorent, ventris ingluuiem satiare nequeant.

*Cupiens saturari de micis, & nemo illi dabat.*

Crapula, & luxus diuites immisericordes reddit; Idem infra.

28. QVod in Epulonis domo nulla in mendicum Lazarum commiseratio foret, ex luxu, & crapula proueniebat. Ideo Isaiæ 5. dicitur: *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris, & opus Domini non respicitis.* Vbi opus Domini proximus, nempe homo antonomasticè dicitur, iuxta illud Iob 14. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Similiter Ezech. 16. 49 dicitur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, & saturitas panis.* Vbi sicut alibi in Scriptura panis pro omni cibo ponitur. *Et abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius.* Et ex his subdit Propheta: *Manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Similiter Amos 6. cum contra diuites luxui deditos dixisset: *Væ, qui opulenti estis in Sion: qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti:* Subdit Propheta: *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti; & nihil patiebantur super contritione Ioseph:* hoc est dolore, & commiseratione non afficiebantur videntes calamitatem Ioseph; id est proximi, ac fratris sui. *Non dictum est: Nihil patiebantur super contritione fratris, sed positus est pro fratre Ioseph; vt quicumque frater proprio significaretur eius nomine, cuius ex fratribus fama præclara est,* ait Augustinus lib. 4. de doctrina Christiana cap. 7.

Panis pro omni cibo sumitur.

Deus cur inter homines diuitem, & pauperem esse vult. Idem infra.

29. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem,* dicitur Psalm. 40. ex Hebræo legitur: *Super macie, morboque attenuatum;* qualis mendicus Lazarus erat. Tam eximia est hæc circa pauperum commiserationem intelligentia, & sapientia; vt hominem beatum reddere possit. Hæc tamen cœlestis sapientia in hominibus propriæ voluptati deditis, non reperitur: *Non inuenitur in terra suauiter viuentium,* vt ait Iob 28. 13. *Abyssus dicit: Non est in me.* Quænam abyssus, quænam vorago? Epulonum ingluuies inexplebilis; quæ omnia sibi arripiens, nihil indigentibus elargitur. Ideo ex Epulonis domo, vbi suauiter, & in deliciis vita agebatur, procul aberat sapientia; & nemo erat, qui vel panis micas mendico Lazaro daret: *Non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Ibidem præmisit Iob: *Habet argentum venarum suarum principium, & auro locus est, in quo conflatur.* Posset ergo Deus patefactis argenti venis, & auri loco indigentibus subuenire. Sed si abditos auri, argentique thesauros Deus extraheret, vtrique nobilioribus thesauris homines priuaret; thesauro scilicet patientiæ, quo indigentes sibi æternam beatitudinem thesaurizant; & misericordiæ thesauro, quo eamdem beatitudinem thesaurizare sibi diuites possunt. De quo misericordiæ, eleemosynæque thesauro diuitibus Dominus dixit Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.*

Ægyptij sacerdotes cur bouem, quem vt Deum colebant, potum ex Nilo negabant.

30. De Ægyptiis sacerdotibus bouem sub Apis nomine, vt Deum colentibus, ait Plutarchus commentario de Iside, & Osiride: *Feruntur ex puteo peculiari Api potum præbere, atque à Nilo eum totum depellere: non quod liquorem eius profanum crocodili causa, vt quorumdam fert opinio, arbitrentur: Nihil enim æquè est apud Ægyptios, ac Nilus in honore, sed saginare videtur, atque obesos*

A *reddere Nili haustus. Nolunt autem eam,* nempe pinguedinem, *Api habitudinem esse.* Quòd si ipsorum Deum Ægyptij, vt beneficus eis foret, pinguem esse nolebant: Quid beneficij, quid commiserationis à pinguibus Epulonibus est expectandum? Hinc est, quod de Epulonis familiaribus erga Lazarum micas esurientem dicitur: *Nemo illi dabat.*

31. Contra huiusmodi erga proximum impietatem arguitur prima Ioannis cap. 3. *Quia habuerit substantiam huius mundi; & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Primo hoc loco ab Apostolo diuitiæ vocantur substantia; quia B *subesse debent, & substare; non dominari,* inquit Hugo. Secundò dicitur auarus, ne eleemosynam elargiatur, claudere non crumenam, sed viscera, eò quod propter intimam pecuniæ auiditatem illi viscera sint, vt crumena. In obsidione Ierosolymæ præ auaritia Iudæos ad asseruandum aurum illud intra viscera occuluisse testatur Hegesyppus.

Diuitiæ substantiæ dicuntur, quia substare, non dominari debent.

Auari viscera veluti pro crumena habent.

Iudæi intra viscera aurum deglutientes occultarunt.

32. Prouerb. 12. 10. dicitur: *Nouit iustus iumentorum suorum animas; viscera autem impiorum crudelia. Iustus miseretur animarum iumentorum suorum,* legit Chrysostomus, ita vt suam beneficentiam etiam ad animantia bruta extendat. *Viscera autem impiorum crudelia*; itaut nulla erga homines indigentes commiseratione eorum C viscera moueantur. Talis erga mendicum Lazarum præ auaritia diues Epulo fuit. *Viscera impiorum crudelia,* non solùm in proximos, sed etiam in seipsos: nam, vt Rabbi Leui ait, Dum crapulando seipsos intemperanter pascunt, vt diues Epulo pauit; crudeliter in seipsos sæuiunt; cùm ob nimiam crapulam, & ingluuiem in plures, grauesque morbos incidentes, sibi tandem ante tempus vitam præcidant. Sic eis & crapula vitam claudit, & auaritia crumenam.

Diuites ob crapulam, & auaritiam sibi, & proximis crudeles.

Chrysostomus hom. 19. in epist. ad Rom.

33. Ad idem confirmandum Seneca lib. de vita beata cap. 11. ait: *Nomentanum, & Apicium terrarum, ac maris bona conquirentes; & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem è lectis suis spectantes popinam suam;* D *aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes; mollibus, lenibusque fomentis totum lacessitus eorum corpus: & ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur. Hos esse in voluptatibus dices: nec tamen illis benè erit, quia non bono gaudent.* Non bono gaudent, non solùm honesto, sed nec vtili, & delectabili; cum ex nimia crapula in morbos varios, & tandem in præcelerem mortem incurrant; incurrant; ita vt citò suo luxui finem imponere cogantur: ideo vt benè Seneca ait in Epulonum domo *luxuriæ parentatur*; hoc est luxuriæ finis, funusque celebratur.

Epulonum in domibus luxuriæ parentatur, & conuiuij pompa funus est crapulæ.

34. Quæritur Exod. 32. cur Moyses incenso aureo vitulo aureum puluerem aquæ mixtum in E potum Israëlitis dederit: *Arripiens Moyses vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem; quem sparsit in aqua, & dedit ex eo potum filiis Israël.* Sua intra viscera aureum puluerem Israëlitæ receperunt, vt ipsorum Idolum sordidum excrementum fieri posse ostenderetur. *Vituli puluerem,* ait Rupertus, *quem adorauerant, in contemptum superstitionis, in potum accipiunt, vt contemnere discerent, quod in secessum proijci viderant.* Similiter auari epulones quotidie crapulando suas opes, quarum ne minimam partem pauperibus erogarunt, in secessum proiicere coguntur.

Aureum idolum in puluerem redactum cur Moses potandum dederit Hebræis.

Deipara oblatum ab Orientalibus Regibus thesaurum, pauperibus distribuit.

35. Sed ad eximium terrenarum opum contemptum, insignemque in pauperes liberalitatem suadendam Lucæ 2. dicitur B. Virgo adiisse templum, vt ibi iuxtà legem scriptam Leuitici 12. offerret *par turturum, aut duos pullos columbarum. Hostia*, inquit Beda; *hæc pauperum erat: præcepit quippe Dominus in lege, qui possent agnum pro filio, aut filia, simul & turturem, siue columbam offerrent: qui verò non sufficiebat ad offerendum agnum, duos turtures, vel duos columbæ pullos offerret: Ergo Dominus cum diues esset, pauper fieri dignatus est; vt nos sua paupertate diuitiarum suarum donaret esse participes.* Quæritur autem, quomodo fieri potuerit, vt Beata Virgo facultatem emendi agnum non habuerit: cùm iam Magi Christo adorato singuli obtulissent aurum, thus, & myrrham: ex quo quidem thesauro multò plus pretij, quàm ad emendum agnum poterat haberi? Cùm enim in sacra historia legatur, Magos suis apertis thesauris, munera obtulisse; credibile non est modicam auri copiam singulorum reseratis thesauris fuisse oblatam. Respondetur ex S. Bonauentura in medit. cap. 9. & ex Abulensi Matthæi 2. Beatam Virginem thesaurum à magis oblatum pauperibus erogasse, vt nos liberalitatem in pauperes, aurique contemptum doceret: *Non curat de talibus*, inquit Bonauentura, *amatrix paupertatis. Zelans igitur Domina pro paupertate, & intelligens filij voluntatem, tam intus docentis, quàm exterius signo ostendentis, quia vultum ab auro foriè auertebat; infra paucos dies pauperibus erogauit. Grauis enim sarcina ei erat tenere, seu deferre illud. Vnde se ita totaliter expediuit; quòd quando intrauit in templum non habuit, vnde emeret agnum, quem offerret; sed emit turtures, seù columbas.*

Quæst. 47.

Orationi, & ieiunio iungenda est eleemosyna.

36. Eodem 2. Lucæ capite, eximium etiam diuitiarum contemptum, & in pauperes liberalitatem in Anna prophetissa Phanuelis filia reperimus. Nam cùm de sanctâ hac muliere plura virtutum exercitia memorentur, nempe vidualis castimonia, ieiunia, obsecrationes, & perpetuus templi cultus: *Hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die:* Cur inter tot virtutis opera eleemosyna reticetur? Præcipuè cum eleemosyna, ieiunio, & orationi iungi soleat; iuxtà illud Tobiæ 12. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna magis, quàm thesauros auri recondere.* Respondetur cum Anna mortuo coniuge suas opes pauperibus, & templi cultui distribuisset, voluntariam paupertatem toto viduitatis tempore subiisse: propterea toto hoc tempore orationi quidem, & ieiunio vacasse, non autem eleemosynis dicitur. Quòd autem voluntaria paupertate vitam traduxerit patet ex verbis illis Exodi cap. 38. quæst. 4. *Fecit labrum aneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Vbi Tostatus sequens sententiam Abrahæ Abenazaræ ait: *Erant aliquæ mulieres honestæ, quæ relicta pompa sæculi, seipsas cum rebus suis Domino obtulerant; & istæ manebant ad ostium tabernaculi, vt magis vacarent cultui diuino orantes: Sicut dicitur de Anna filia Phanuel prophetissa, quæ steterat septem annis cum viro suo à virginitate sua: & postea vidua facta mansit vsque ad annum 84. in templo ieiuniis, & obsecrationibus seruiens; atque nunquam inde recedens die, ac nocte.* Quare piè credi potest in præmium voluntariæ paupertatis, & in pauperes liberalitatis, sanctam hanc mulierem electam fuisse, vt de Redemptoris aduentu loqueretur omnibus, qui expectabant.

Piæ mulieres in veteri lege paupertatem amplectentes templi cultui vacabant.

Anna Phanuelis filia in præmium voluntariæ paupertatis Redemptorem agnouit, aliisque nunciauit.

A *redempti*
Math.
peres Eu
& Euth
37. Ad
his verb
*prouenis*
*distribue*
*vt tu bo*
*tem pati*
*quem tu*
*seruas,*
*digentis*
B 38. Po
scriptur
Lazarus
dandam
satis, C
*ablactat*
*in die a*
conuiui
ciusque
fuerat c
enim pr
bo edec
quia illi
uiualib
ter qua
C conuiui
vitæ te
ideo pa
bent: n
ualis p
*Magnu*
*cundum*
*regenera*
*perfectio*

*Sed &*

D 39. (
ambigi
stomus
adeo l
bus p
Contr
lam fu
sem 1
*nibus t*
*morsum*
*cunt; v*
*deterga*
*homine*
Hinc c
E bantur
ipsius
quod
cane s
40. F
*cerem*
*animad*
*canis*
*cessit*
*vlulat*
*te: ex*
*desun*
*abiect*
*cini*

*Iunior exoriens senium cum deserit annus,*
*Seiani Titium barbara iussa necant.*
*Hinc auersa bifrons Ianus sua lumina torquet;*
*Tantaque sæuitiæ cernere monstra negat.*
*Vltima serui etiam tua fata, Sabine sequuntur;*
*Seianique nefas arguit ore canis:*
*Multa gemens, Domini custos non immemor adstat;*
*Extinctoque sibi dona tulisse ferunt.*
*Cum dehinc exciperent Tiberina fluenta cadauer;*
*Visus hero canis est supposuisse latus.*
*Has mirata vices, canis olim nomine Roma.*
*Seianum potius dixerit, anne canem?*

De canibus ait Ambrosius lib. 6. in Hexam cap. 4. *Quis tam tenax potest esse beneficy, & memor gratiæ? Quandoquidem pro Domino etiam in latrones insilire nouerunt; & extraneorum accessus prohibere nocturnos; & mori pro dominis, & commori cum dominis sint parati. Sæpè etiam necis illatæ euidentia canes ad redarguendos reos indicia prodiderunt, vt muto eorum testimonio, plerumque sit creditum.* Quod mirabili casu, qui Antiochiæ accidit, probat Ambrosius.

Canum potius, quàm hominum curæ aliqui student.

40. Sed vt ad canes Lazari vlcera lambentes redeamus, probabilius cū Chrysologo dicēdum est, eos nō fame ductos, sed Deo mouēte ad obsequiū, & medelam Lazari vlcera linxisse. Quid enim in Epulonis diuitis domo, vbi ferculorum ingens copia erat; famem passos esse canes diximus? Nam benè Ambrosius serm. 33. ait: *Sunt plerique,* (inter quos fortasse diues Epulo numerabatur) *qui de venatibus redeuntes, magis canum, quàm seruorum curam gerunt, & faciunt eos iuxtà se vel recumbere, vel dormire; quotidianum illis cibum sui præsentia ministrantes. Qui vtrum serui eorum fame moriantur ignorant: & quod est grauius, nisi diligenter his præparatum fuit, pro cane seruus afficitur. Vides enim in nonnullorum domibus nitidos, & crassos canes discurrere, homines autem pallentes, & titubantes incedere. Isti ergo miserebuntur aliquando pauperibus, qui minimè suis famulis, & domibus miserentur?*

*Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.*

Diuites terræ pondus sunt, pauperes Angelorum onus.

41. VT videatur quantùm paupertas patienter tolerata supra diuitias excellat; diuitiæ pondus esse dicuntur, quod prægrauat terram: Genes. 36. *Diuites erant valde; nec sustinebat eos terra.* Contra verò sancta paupertas ingentem meritorum cumulum congerendo, pondus est, quod non terram, sed Angelos prægrauare potest. Chrysostomus de mendico Lazaro loquens ait: *Plures Angeli veniunt, vt chorum lætitia faciant; gaudet vnusquisque Angelus tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægrauantur, vt ducant homines ad regna cælorum.*

*In sinum Abrahæ.*

Abrahæ sinus, vel à maris sinu, vel à sibi proximè conuiuantis metaphoricè dicitur.

42. QVidnam sinus Abrahæ significet, controuersum est apud interpretes. Theophylactus à finibus maris, id est ab apricis locis, in quæ se nauigantes solent recipere sinum Abrahæ dictum putat; quod in eum quietis locum sancti viri post huius vitæ fluctuationem fuerint recepti. Maldonatus à discumbentibus sum-
A ptam esse metaphoram docet; quorum hic erat ordo, vt cui proximus quisque esset, in eius recumberet sinu; ita vt propterea Ioannes in cœna vltima in Domini sinu recubuisse dicatur Ioannis 13. Quia ergo, quod in sinu est, coniunctissimum, & charissimum nobis est; & qui amat, tunc maximam capit voluptatem, cum in sinu eius, quem amat, recumbit: hinc factum est, vt sinus locus maximæ voluptatis, & personæ amatæ coniunctissimus vocaretur. Quare cùm dicitur Lazarus in sinu Abrahæ portatus; sensus est, Lazarum non solùm in loco requietis ab Angelis fuisse collocatum; sed in ipso sinu Abrahæ, id est in loco illi proximo: vt sicut Epulo inferiorem locum
B habebat in inferis, ita in Sanctorum Patrum limbo superiorem locum Abrahæ proximum Lazarus obtineret. Vtraque interpretatio probabilis videri potest: sed tertia facilior, & à metaphora remotior offertur. Pro cuius intelligentia supponendum est, per idem tempus, & Lazari, & Epulonis mortem euenisse; vt facti textus verba indicare videntur: præterea ipso alterius vitæ initio Lazari visionem Epuloni damnato repræsentatam fuisse. Hoc posito cùm dicitur Lazarus delatus in sinum Abrahæ, eumque in Abrahæ sinu ab Epulone visus refertur; idem est, ac dicere Lazarum ad Abrahæ amplexus fuisse delatum; eumdemque in Abrahæ complexu fuisse visum: repræsentatum est enim Epuloni ad maiorem
C ipsius cruciatum, quibus blanditiis, quibusque gaudiis Abraham pater filium Lazarum primò aduenientem exceperit; nempè vt charissimum filium tenerrimè, & blandissimè amplexando.

Abrahæ sinus Abrahæ amplexum probabilius significat.

41. Reliquum est, vt respondeatur Augustino lib. 4. de Anima cap. 16. ad Vincentium: *Quod Abrahæ sinum existimas esse corporeum, & per ipsum asseris totum corpus eius agnosci, vereor ne in in re tanta iocullariter, atque irridenter, non serio, grauiterque agere credaris. Neque enim vsque adeo desiperes, vt arbitrareris corporeum sinum vnius hominis ferre tot animas; immo, vt secundùm te lo-*
D *quar, ferre tot corpora bene meritorum, quot illuc Angeli, sicut Lazarum perferunt. Nisi opinaris fortasse illam vnam animam solam ad eumdem sinum peruenire meruisse. Si non iocaris, & errare pueriliter non vis, sinum Abrahæ intellige remotam sedem quietis, atque secretam, vbi est Abraham: & ideo Abrahæ dictam, non quod ipsius tantùm sit; sed quod ipse pater multarum gentium sit positus, quibus est ad imitandum fidei principatu propositus.* Difficultati huic ab Augustino propositæ, etiamsi secundùm corporeum sinum, & amplexum, id sit explicandum, respondetur vnius Abrahæ sinu, atque amplexu potuisse plurimos iustos excipi; non quidem simul, sed successiuè: ita vt tale blandimentum non perenniter, sed primò tantùm
E aduentantibus exhibitum significetur. Porrò ex allatis Augustini verbis impugnari videtur Maldonati sententia: sicut enim improbat Augustinus vnam Lazari animam ad Abrahæ sinum peruenire meruisse; ita improbaret etiam inter tot eximios iustos locum Abrahæ coniunctissimum Lazarum obtinuisse: hoc est enim iuxtà Maldonatum in sinum Abrahæ delatum fuisse. Verumtamen cum post mortem neque Abrahæ, neque Lazari anima in Limbo corpori vnita fuerit; ideo cum in Abrahæ sinum, seu amplexum delatus Lazarus dicitur, id per similitudinem cum sinu, & amplexu corporeo de animarum simul conuenientium amoris nexu, & iucunda familiarique coniunctione intelligi debet. Cum autem Lazarus

Iustorum magnum numerus, quomodo in Abrahæ sinu esse dicatur.

rus in Abrahæ sinu ab epulone visus dicitur; id non secundùm rem, sed secundùm repræsentationem tantùm est intelligendum; de quo etiam dicetur supra.

*Mortuus est autem dives.*

44. Diuitem hunc Epulonem naturali-ne morte, an violenta sublatum credimus? Potius violenta, & ex nimia crapula, variisque morbis inde prouenientibus, de quibus supra diximus. Ad quod confirmandum Eglon rex Moabitarum valido gladij ictu confixus, prius pinguedine suffocatus, quàm lethali vulnere peremptus dicitur. Vt hinc discamus crapulam, & pinguedinem ex ea prouenientem vitæ esse præ graui vulnere nocentiorem; adeoque iuxtà commune prouerbium plures occidere gulam, quàm gladium. Iudicum cap. 3. *Erat Eglon crassus nimis*, seu iuxtà Septuaginta, *pinguis, & obesus: Aod tulit sicam, infixitque eum in ventre eius tam validè, vt capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur:* hoc est suffocaretur: stringeretur enim ad faucium regem, non ad ferrum, vt censet Tostatus, refertur: cum ex adipe, quippe vnguinoso non stringi, sed potius facilè ferrum extrahi posset.

Moabitarum rex prius pinguedine est suffocatus, quàm gladij vulnere interemptus.

45. Porrò ex violenta, & præceleri diuitis Epulonis morte, quàm transitoriæ, & fugaces sint terrenæ diuitiæ satis ostenditur: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*, monet Dauid: vbi Basilius, & Ambrosius legunt: *Diuitiæ si fluant*, id est, Diuitiæ cum fluxæ sint, *nolite cor apponere: fluxa est*, inquit Basilius, *diuitiarum natura torrente citius præteruolabitur possidentes. Quemadmodum fluuius, qui ab alto fertur, appropinquat quidem adstantibus ripæ; simul verò ac contingit, statim recedit: sic etiam diuitiarum promptitudo, celerrimum, ac lubricum habet accessum; aliot ex aliis permutare solent. Hodie huius est ager, cras alterius; & paulò post aliùs. Aurum semper è manibus habentis diffluens, ad alterum transit; & ab illo ad alium. Magis possibile est, vt aquam manu comprehensam contineas, quàm vt diuitias durabiliter conserues.* Quia, cum manus curuatur, tunc ea potest aliquid aquæ contineri: ac diues, cum præ morbo, vel senio curuescit; tunc minus ab eo possunt diuitiæ possideri, tum quia paruum vitæ temporis superest; tum quia incipit ab hæredibus spoliari.

Psalm. 61.

Diuitiæ quàm fugaces sint.

*Et sepultus est in inferno.*

46. Lucę 8. spinarum nomine diuitias significari Dominus dixit. Redditque ibi rationem Greg. *Quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cum vsque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant.* Hæ spinæ auaros diuites, qualis epulo fuit, in inferni ignis supplicium trahunt; itaut benè de huiusmodi diuitibus dici possit: *Exarserunt sicut ignis in spinis.* Psalm. 117. *Si quis adorauerit bestiam, cruciabitur igne, & sulphure. & fumus tormentorum eius ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die, ac nocte qui adorauerunt bestiam.* Quæ verba, quamuis de iis, qui Antichristum adorauerint propriè intelligantur; adhuc tamen benè, & verè aptari crapulantibus possunt, qualis diues epulo fuit: Cum hi etiam voracem bestiam adorent, nempe ventrem, *quorum Deus venter est*; cui tamquam profani idololatræ quotidie tot animalia mactant; tot pateras libant seu potius exhauriunt. Quid autem lactè crapulans diues præ mendicis esurienti-

Epulonum in inferis cruciatus.

Apoc. 14.

ad Phil. 3. 19.

Diues crapulando largiorem vermibus mensam parat.

bus amplius habeat, benè docet Chrysostomus dicens: *Nihil illi plus erit, nisi largiorem vermi mensam apposuisse, & maiorem fuisse corruptionem.*

Chrys. hom. de ... (marginal note partly illegible)

47. In diuite Epulone patet, quàm vera sit Iob sententia cap. 21. 13. *Ducunt in bonis dies suos*, hoc est, in diuitiis, deliciis, & corporalibus voluptatibus, quę à mundanis bona existimantur: *& in puncto ad inferna descendunt.* Quare in puncto, rationem duplicem reddit Gregorius: Primò, *Omnis longitudo temporis vitæ præsentis punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur. Cum enim ad extremum quisque perducitur, de præterito iam nihil tenet, quia tempora cuncta delapsa sunt: in futuro nil habet, quia vnius horæ momenta non restant. Vita ergo, quæ sic angustari potuit, punctus fuit.* Secundò, *Potest in puncto hoc quoque intelligi, quòd sæpè hi, qui diu in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiuntur, vt nec flere ante mortem liceat, quæ peccauerunt.* His tertia ratio addi potest. Quo maior est mobilium grauitas, eò velocior est ad ima descensus. Obstinati ergo peccatores, toto corde terrenis voluptatibus dediti dicuntur in puncto ad inferna descēdere, ad significandam eorum scelerum grauitatem, quæ tanta est, vt peccatores in puncto, seu temporis momento, non quidem physico, sed morali, nempe breuissima, & imperceptibili tēporis mora ad inferos magno impetu præcipites trahat. *Grauabit eam iniquitas sua: & corruet, & non adyciet, vt resurgat*, de peccatrice anima dicitur Isaiæ 14. 20. Ad præcipitem ergo in inferna descensum cumulata diuitiarum congeries, peccatorumque onus Epulonem diuitem traxit. In mundi annalibus Salianus benè probat codem tempore Deum terram in montes eleuando, intra terræ viscera, vnà cum mineralibus reliquis, aurum, argentūque condidisse, simulq; ad damnatorum carcerem inferni statuisse voraginem. Vt hinc indicaretur, quanta inter infernum, & inter auri, argētique diuitias nexus foret. Quo nexu ad inferos diues Epulo tractus est. Teste Iosepho ad incendēdum Ierosolymitanum templum impius miles per templi fenestram, quæ aurea dicebatur, ignem immisit. Non dissimiliter diabolus per auream fenestram, hoc est per cor auri cupiditatibus, commodisque terrenis patens in homines æternum damnationis incendium, vt in diuite Epulone patet, immittit.

Vita præsens punctus est.

Peccatores in puncto, hoc est velocissimo, & præcipui ea ad inferos descendunt.

Salian. tom. 1. anno mundi 1. die 3.

Deus cum terram in montes eleuauit, intra terram, aurum, argentumque condidit, tunc etiam inferni voraginem ad damnatorum carcerem statuit.

Ioseph. de bello Iudaico lib. 7. cap. 10.

Ierosolymitanum templum immisso per auream fenestram igne conflagrauit.

48. Diuiti huic Dauidis vaticinium aptè cōuenit; *Relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Quæ verba explicans Paraphrastes ait: *In domo sepulturæ suæ habitabunt in æternum.* At si resurrectio è sepulchris prædestinatis, & reprobis communis erit: de tuba enim iudicij diem præcinente dicitur: *Per sepulchra regionum coget omnes ante thronum:* & in symbolo Athanasij dicitur: *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.* Denique Ioan. 5. 28. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Cur Dauid damnatos diuites suis in sepulchris in ęternum habitaturos esse asseruit? Scilicet, quia sepulchri nomine infernus significatur; cum verè infernus auarorum diuitum sit sepulchrum, quod patet in Epulone diuite, de quo hîc dicitur: *Sepultus est in inferno:* Inferni autem vincula, & cruciatus à damnatis etiam resurgentibus non separantur.

Psalm. 48.

Auarorum sepulchrum eorum domus in æternum fore dicitur.

49. Dicitur autem Epulo diues sepultus in inferno, id est in infimam inferni partem detrusus. *Sepultura inferni pœnarum profunditas est*, ait August. Quàm vasta, quantò profunda sit inferni vorago docet Lessius lib. 13. de diuinis perfectionibus c. 2. Ribera, & Cornelius in Apoc. cap. 14. n. 20. Rursu-

Sexaginta ... (marginal note partly illegible) inferos ...

1. parte Chron. lib. 1. cap. 10. §. Antoninus in Chron. 3. part. hist. tit. 24. cap. 2.

quàm vasta sit inferni vorago, coniice, quod cum eadem hora sexaginta animarũ millia ante diuini Iudicis tribunal sisterẽtur, præter tres Purgatorio addictas, reliquæ omnes damnatæ simul in inferni voraginem demissæ sũt; vt ex testimonio cuiusdam mulieris diuinitus ad vitam reuocatæ constat, & in Franciscana historia sub eius ordinis initia refertur. Cùm ergo in hanc tam vastam pœnarum voraginem, propè Iudam auaritiæ principem auarus Epulo erga mendicum Lazarum immisericors demergi deberet; vtique profundior illi locus statuendus erat. Rursus sepultus est in inferno; eo quòd ipse cùm viueret, viuos pauperes intra suas arcas sepelierit. *Quid est*, inquit Hector Lusitanus, *arcula auari, nisi sepulchrum, vbi sepelitur vita pauperum? Pauperes Christi fame pereunt, & nuditate; premuntur inopia, & ærumnarum angustijs; & tu pecuniam, qua illi poterant viuere in arcula recondis, Nonne intelligis te habere inclusam vitam pauperum? Cur sepelis vitam? immò cur sepelis teipsum? Gazophylacium tuum tumulus est tui ipsius? Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Geminum igitur sepulchrum habet auarus; alterum viuus, alterum mortuus: & à pecuniarum ad flammarum tumulum facillimũ habet transitum.

In Isaiam cap. 2.
Auari arca pauperum sepulchrum.
Auarus duplex sepulchrum habet; in hac vita pecuniarum, in altera flammarum.
Matth. 6.

Dom. 1. Quadrag.
Ieiunium cœlum reserat; gula infernum.
Apoc. 9.

50. *Paradisi portas aperuit nobis ieiunij tempus*, canit Ecclesia: è contrario luxus, & crapula clauis est, qua diuiti Epuloni inferni penetralia sunt reserata; cum de eo prius dicatur: *Epulabatur quotidie splendide*; deinde: *Sepultus est in inferno. Vidi stellam de cœlo cecidisse in terram; & data est ei clauis putei abyssi*, ait Ioannes. Iuxtà Bedam, & Rupertum stella hæc Diabolus est; cui stellæ apud Isaïam dicitur: *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? Data est ei clauis putei abyssi.* Clauis, quam primùm ad paradisum claudendum, & infernum reserandum Lucifer adhibuit, gula fuit; cum primis parentibus vetitum pomum gustandum obtulit; cumque Caino, vt deteriores Deo fructus offerret, meliores suæ gulæ reseruaret, persuasit. *Cain*, inquit Chrysostomus, *quæ Deo dare debebat, sibi ipsi detinens, quæ ipse debebat habere, illi obtulit.* Quæ Caini gula, cum auaritiæ affectu fuit coniunctã; vt in Caino auari Epulonis vitia inueniremus expressa. *Cain auaritia sua Deum fraudauit*, ait Chrysostomus. Porrò cum iuxta Hugonem Epulo moriens adhuc patrem superstitem habuerit, non omninò senem, sed potius in iuuenili, aut prima virili ætate mortuus esse putandum est. *Qui odit auaritiam, longi sunt dies eius.* Dicitur Prouerb. 28. 16. è contrario qui auaritiam amat, qualis Epulo fuit, breues sunt dies eius.

Cap. 14.
In Ep. ad Eph. 2.

51. *Sepultus est in inferno.* Ad inferni statum exprimendum affert antiquum Dystichon Hugo Cardinalis Psal. 48.

*Hic quæ vita? mori. Quæ spes? superesse dolori.*
*Quæ lex? Flere licet. Quæ causa? superbia dicet.*

Inferni cruciatus varij.

De damnatis Bernardus lib. de anima cap. 3. ait: *Cruciabuntur in Gehenna perpetua nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi: sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde vnquam liberandi. Vbi nec qui torquet aliquando fatigatur; nec qui torquetur, aliquando moritur. Sic ignis ibi consumit, vt semper reseruet; sic tormenta aguntur, vt semper renouentur. In carne cruciabuntur per ignem; in spiritu per conscientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis; mors animæ, & corporis; sine spe veniæ, & misericordiæ. Sic morientur, vt semper viuant; sic viuent, vt semper moriantur.* Huiusmodi inferni cruciatibus ante mentis oculos propositis à peccando efficaciter deterreri possumus: *Gehennam continuè timens, nunquam in Gehen-*

Inferni timor, inferni pœnas auertit.

A *næ ignem decidet*, ait Chrysostomus hom. 5. ad populum Antiochenum.

52. Psalm. 75 *Illuminare dicitur Dominus à montibus æternis*: at non solùm ab æternis cælorum montibus, sed à terrenis etiam montibus illuminare humanæ mentis oculos Deus voluit, ne in peccati morte obdormiant: *In testimonium ignis æterni, & exemplum iugis iudicij pœnam nutrientis, montes vruntur, & durant*, ait Tertullianus Apol. 48. vtinam igniferi montes, quos proximos habemus, Vesuuius, Vulcanus, Ætna, nos vt æternos vitemus ignes, illuminent.

Igniferi montes ad infernum ignem vitandum nos illuminant.

53. S. Antoninus 4. p. tit. 14 cap. 5. paragr. 3. colligit plura nomina, quæ damnatorum loco tribuuntur, vel à sacra Scriptura, vel ab Ethnicis
B auctoribus; quibus è nominibus quàm variæ, quàm horribiles sint reproborum pœnæ, benè colligit. Rabbi Iehosuas relatus à Galatino lib. 6. cap. 7. ex Hebraïca nomenclatura dixit: *Septem sunt nomina Gehennæ; Infernus, Perditio, Lacus corruptionis, Puteus tumultus, vel mugitus; Lutum fæcis, vmbra mortis, Terra contritionis, vel pauoris.* Inter tot nomina valdè expressiuum est, quod Epulo Inferno tribuit appellando *locum tormentorum*, ad multiplices pœnas significandas. De quibus dicetur infra.

Gehenna septem nominibus appellatur.

*Eleuans autem oculos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius.*
C

54. Psalm. 72. 4. de peccatoribus dicitur: *Non est respectus morti eorum*: vbi Ambrosius legit: *Non est reclinatio morti eorum.* Quæ verba tenacia indicant vincula, quibus reprobi in æterna damnationis morte vinciuntur. Ad quod ostendendum Ambrosius ait: *Vidimus illum diuitem, qui indutus purpura, & bysso, in hoc sæculo recumbebat, & epulabatur quotidie splendide quemadmodum in tormentis positus in inferno se reclinare non poterat; sed vix ad Abraham, non totum se, sed oculos erigebat, rogans, vt mitteret Lazarum.* Cùm ergo totus esset
D in cruciatibus vinctus, cur damnatus Epulo solos oculos liberos potuit eleuare? Respondet Chrysostomus: *Vt alterius lætitiam posset aspicere, & magis torqueretur. Sicut enim pauperi, dum viueret, grauiorem pœnam reddebat aliena bona prospicere; sic diuiti mortuo augebat exitium accubitus in Gehenna, & prospectus delectationis Lazari; ne solùm tormentorum natura; sed collatione honoris illius intolerabilius sentiret supplicium.*

Epulo cur in inferno vinctus, liberos oculos habuerit.
Ambros. lib. 4. de interpellat. cap. 3. & 4.

55. S. Bernardus explicans Psal. 90. verba de iusto: *Retributionem peccatorum videbis.* De extremo Iudicio ait: *Prius benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti deijciantur in caminum ignis æterni; quò videlicet acrius doleant, videntes quid amiserint: iusti quoque videbunt, & lætabuntur considerantes quid euaserint. Vnde iusti tam magnificè gratias agerent, nisi cum
E illa inexcogitabili fœlicitate, qua perfruuntur, ipsam quoque retributionem cernerent iniustorum, à quibus sola misericordia Redemptoris segregatos se esse fidelissimè, & deuotissimè recordarentur: Vnde verò impij tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summæ beatitudinis coram se vidissent alios introduci; & tũc demum in illos se fœtores, in illos horrores, in illos æterni incendij cruciatus, in illos denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos? Ibi erit fletus, & stridor dentium. Fletus ob ignem, qui non extinguitur: stridor ob vermem, qui non moritur: Fletus ex dolore; stridor dentium ex furore: fletum tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis inuidiæ, & obstinata malignitas extorquebit.*

Bern. in Psal. Qui habitat serm. 8.
Iudicij die cur electi prius vocabuntur ad gloriam, quàm maledicti ad inferos detrudantur.

Lib. 4. de ani cap. 19.

56. Augustinus hic dubitationem proponit. Si anima caret corpore, quid est, quod apud inferos diues ille cognoscit? Certè, inquit, nouerat Lazarum: non nouerat Abraham; vnde illi tanto tempore defuncti Abrahæ prouenit agnitio? Hæc dicens, si agnitionem hominis non putas prouenire sine corporis forma; vt noueris teipsum, credo quod assiduè speculum attendis; ne si fueris oblitus faciem tuam, non te possis agnoscere. Pergit ibi Augustinus pluribus propositæ quæstioni respondere. Breuiter dicendū est, vel hæc de repræsentatione Lazari & Abrahæ facta Epuloni, non secundùm realitatem, sed per parabolæ similitudinem dicta fuisse à Redemptore, vt putat Maldonatus. Vel si hæc non parabolicè narrata; sed historicè contigisse dicamus; dicendum consequenter est per imaginariam visionem contigisse, vt infra cum Augustino dicamus: Deus autem, qui imaginariam hanc visionem immisit; significare etiam Abrahæ notitiam potuit Epuloni.

Epulo vnde Abrahamum in Limbo cognouerit.

*Et ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.*

Gregor. hom. 40. in Euang. Chrysologus serm. oo.

57. Guttam aquæ petiit; qui micas panis negauit, ait Gregorius. Chrysologus ita Epulonem alloquitur: *Tu dum pauperi negas micas, stillam refrigerij perdidisti.* Et subdit: *Qui claudit manum pauperi, extremi stipem digiti sic deposcit: & sitit aquæ guttam, qui vini lacus, ne guttam daret, inclusit.* Iustè autem Epulonis clamor ab Abrahamo exauditus non est; eo quod Epulo in mendicum Lazarum immisericors fuerit: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis; ipse clamabit, & non exaudietur*, ait Sapiens.

Prou. cap. 21.

Lazarus in Limbo corpore carens, sub corporali specie est Epuloni repræsentatus.

58. *Vt intingat extremum digiti sui in aquam.* Lazarum in Sanctorum Patrum limbo corpus non habuisse, sed tantùm sub corporali specie Epuloni repræsentatum esse dicendum est. Alioquin necessariò, sed minus probabiliter dicere cogeremur, Lazarum iam mortuum in Limbi ingressu iterum vnito sibi corpore resurrexisse; in Limbi verò egressu antequam vnà cum Redemptore cœlum ascenderet, iterum mortuum esse: vnà enim cum corpore cœlum ingredi, vel sanctissimas animas, quales Apostolorum sunt, consecutas nondum esse comperimus. Præterquam quod à passibili statu ad impassibilem, & gloriosum immediatus transitus, morte non intermedia, non videtur probabiliter admittendus. Quod si inter eos Lazarus numeretur, de quibus dicitur Matth. 27. 52. *Monumenta aperta sunt; & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*: qui deinde cum Domino in cœlum ascenderunt, tunc sine dubio ante tale tempus Lazari anima à corpore seiuncta poni debet, alioquin non diceretur, apertis monumentis surrexisse. Præterea ex Apostolo 1. ad Cor. cap. 15. num. 10. *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine: primitiæ Christus; deinde ij, qui sunt Christi.* Ex quibus Apostoli verbis Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, Anselmus, & alij communiter deducunt Christum primum fuisse, qui nunquam moriturus, ad vitam immortalem & æternam resurrexit. Vnio ergo animæ cum corpore nunquam dissoluenda, ante Christi

Christus omnium primus ad vitam immortalem resurrexit.

A resurrectionē, sicut in defunctis sanctis omnibus, ita in Lazaro est neganda. Præterea corpoream tantùm apparentiam, non autem realitatem corporis fuisse in Lazaro docet Augustinus lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 10. dicens: *Qualis digitus Lazari, vbi tamen erant sine corporibus animæ?* Respondet: *Qualia sunt visa dormientium, siue in extasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudinem corporum.* Porrò quamuis iuxta Augustinum excludatur etiam ab Epulone in inferno corporis realitas; nihilominus; quia ratio supra allata de Lazaro, in Epulone non militat; cumque in Euangelio Epulo clamet: *Vt refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma*: ideo Epulonem non apparentes B cruciatus, sed reales, reali corpore post mortem reassumpto, passum esse dici potest. Quamquam Augustinus præter locum modo citatum lib. 4. de An. cap. 19. ait: *In Epulone vera erat molestia, qua cruciabatur in anima, non tamen verum corpus, cui quæreret alimenta.*

Epulo verum corpus in inferno reassumpsit.

59. *Vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam. Ignem ardentē extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*, dicitur Ecclesiastici 3. Cum prius igitur in Epulone eleemosyna auaritiæ peccatum non extinxisset; neque postea ei aqua cruciantem ignem extinxit: *Eleemosyna*, inquit, Tobias, *non patietur animam ire in tenebras*: quare si Epulo ex proximi charitate eleemosynam Lazaro dedisset, post mortalem vitam in tenebras exteriores C non demissus perpetuam ibi sitim perpessus non esset.

Cap. 4.

60. Sed cur linguam tantùm refrigerari sibi Epulo flagitat: quia scilicet in ea vehementius cruciabatur, eo quòd quotidie crapulando linguam immoderatè nimis oblectasset. Benè Basilius ait. *Condignum præmium redditur diuiti illi ignis, & infernalis pœna lingua arefacta: vice lyræ sonantis gemitus; vice potus desiderium stillæ; vice speculorum enormis caligo profunda; vice ambitus incessantis peruigil vermis.* Porrò de gulosis Epulonibus ad inferos damnatis intelligi potest illud Apoc. 16. *Commanducauerunt linguas suas*: linguæ scilicet, eò quod crapulando saporum varietate sint oblectatæ, in æterno Gehennæ ieiunio à damnatis assumi dicuntur in ci- D bum.

Epulo ob crapulam præcipuè linguam cruciatus fuit.

61. Idem confirmari potest ex verbis Greg. 9. Mor. cap. 39. *Bene*, inquit, *per prophetam dicitur: Descenderunt in infernum cum armis suis: cum armis ad infernum descendere, est cum ipsis quoque membris, quibus desideria voluptatis expleuerunt, æterni iudicij tormenta tolerare: vt tunc eos vndique dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi, vndique contra iustitiam iuste iudicantis pugnant.* In eandem sententiam Bernardus ait: *Si carnem sequeris, punieris in carne: si in carne delectaris, cruciaberis in carne: si curiosas vestes requiris: pro ornatu vestium subter te sternetur tinea; & operimentum tuum erunt vermes.*

Peccatores cur cum armis suis in infernum descendere dicantur.

Ezech. 32.

De anima cap. 1.

Isai. 14. 11.

62. Gregorius, quòd Epulonis lingua in con- E uiuijs loquacitatem exercuerit, in inferis vehementius torqueri asserit primò moralium cap. 5. *Pene semper Epulos loquacitas sequitur: cumque venter reficitur, lingua defrenatur. Vnde rectè diues apud inferos aquam appetere describitur: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Prius epulatus quotidie dicitur splendidè; & post aquam petere in lingua memoratur. Quia enim, vt diximus, inter epulas valde defluere loquacitas solet: ex pœna indicat culpam: cum eum, quem epulatum quotidie splendidè veritas dixerat, in*

Epulonis linguam ob loquacitatem 1. præcipue cruciari meruit.

*lingua plus ardere perhibebat. Hi, qui chordarum harmoniam temperant, tanta hanc arte dispensant, vt plerumque cum vna tangitur, longè alia, ac multis interiacentibus posita chorda quatiatur; cumque ista sonitum reddit, illa, quæ in eodem cantu temperata est, alijs impercussis tremit. Sic ergo in Scriptura sacra plerumque de virtutibus, sic de vitijs agitur; vt dum loquendo aliud insinuat, aliud tacendo innotescat. Nihil enim contra diuitem de loquacitate memoratur: sed dum pœna in lingua dicitur, quæ in conuiuio inter alios grauior fuerit pœna, monstratur.* Cap. 6. Idem hom. 40. in Euangelia ait: *Quid est, quòd innuitur, quia in tormentis positus diues linguam suam refrigerari postulet; nisi quòd is, qui conuiuando magis de loquacitate peccauerat, per retributionis iustitiam in lingua atrocius ardebat?*

Epulonis lingua in inferis cruciatur, quia diuinam legé ore, non opere profitebatur.

63. Eiusdem pœnæ ex eodem Gregorio ibidem alia insinuatur ratio supra etiam Feria 3. allata; quia scilicet *Verba legis in ore tenuit, quæ opere seruare contempsit: ibi ergo amplius ardebit, vbi se amplius ostendit scire, quod facere noluit.*

Epulonis lingua præcipuè in inferis cruciatur; quòd eleemosynam dari non præceperit: quòd maledictis pauperem expulerit.

64. Denique à Chrysologo, cur Epulonis lingua præcipuè torqueretur, ratio illa redditur; quia scilicet, pauperi eleemosynam dari præcipere noluerit; eumque maledictis expulerit. *Lingua, inquit, plus ardet, quæ misericordia vt fieret, iubere neglexit: in lingua maius sentit incendium, quæ maledixit pauperi, misericordiam contradixit.*

## *Quia crucior in hac flamma.*

Mulier cum olla nummis plena sepulta, aureo igne se torqueri triduo clamauit

65. Gregorius Turonensis de Gloria Mart. cap. 106. refert Episcopum ad auaritiæ detestationem coniecisse in sepulchrum fœminæ cuiusdam ollam pecunia plenam, quam ipsa intra terram abdiderat, pauperibusque assignatam subtraxerat: E sepulchro autem per triduum noctu auditum esse vlulatum clamantis, & lamentantis, se igne aureo torqueri. Simile supplicium experiebatur auarus Epulo, vt propterea clamauerit, *Crucior in hac flamma.* De auaro quodam huic Epuloni simili legitur, cum moriens suam intra sepulchrum crumenam condi voluisset; reserato deinde sepulchro, visos esse dæmones, ardentes nummos in mortui os injicere, & deinde extrahere, & postea iterum immittere vociferantes semper: aurum sitijsti, aurum bibe. Ex eo fortasse, quòd simili pœna cruciaretur auarus epulo clamabat: *Mitte Lazarum, vt refrigeret linguam meam.*

In speculo Exemplorum d. 9. 11. Auari sepulti in os ardentes nummos dæmones injiciunt,

Peccatores in hac & in altera vita cruciantur.

66. Deuter. 32. à Deo dicitur: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Reprobi,* inquit Rupertus, *de vindicta temporali ad æterna proficiscuntur tormenta: vna percussio est, quæ hic cœpta, illic finitur; vt correctionis vnum flagellum sit; quod temporaliter incipit, sed in æternis supplicijs consummetur; quatenus eis, qui omninò corrigi renuunt, iam præsentium flagellorum percussio, sequentium sit initium tormentorum.* Iuxtà Ruperti sententiam, diues Epulo in mortali vita varijs ex nimia crapula morbis affectus; tandem præ propera morte Inferni cruciatus subijt. Subditur à Propheta de Inferni igne: *Deuorabit terram,* id est terram peccatricem, nempe carnes damnatorum, explicat Rupertus. Iustè autem ab inferno igne peccatorum carnes deuorantur; qui ad carnem lautè nutriendam quotidiana conuiuia, sicut hîc Epulo, deuorarunt. Proinde ad gulam puniendam speciatim fame cruciabuntur: subditur enim: *Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo; dentes bestiarum immittam* A *in eos,* id est malignos spiritus, vt interpretatur Rupertus.

*Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

Infernorum cruciatus noscere Beatis gaudiū auget: Idem n. 78.

67. Inter voluptates plurimas, quibus in immortali vita Iusti perfruuntur, est cernere impiorum in inferis cruciatus. Hugo Cardinalis his verbis explicat illud Matth. 25. *Intra* B *in gaudium Domini tui: scilicet, vt ex omni parte sit gaudium: sursum visio Dei; deorsum visio inferni; intus gloria conscientiæ; exterius decor omnis creaturæ.* Porrò cum in hac Euangelica historia Lazarus dicitur esse in sinu Abrahæ, Theophylactus, vt supra diximus, à finibus maris, id est apricis locis, in quos se nauigantes solent recipere, sinum Abrahæ dici putat. Est autem

*Suaue mari magno turbantibus æquora ventis;* Lucret. l. 2.
*E terra magnum alterius spectare laborem.*

Quòd si beatorum animis, vel Infernus ipse voluptatis materiam subministrat; quantam creaturæ reliquæ, quantam cœlum ipsum iucunditatis materiam præbebit? Si ex Sapientiæ 5. *Pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos:* congruum sanè est, vt cum omnis creaturæ ad C peccatorum pœnam armetur; ad iustorum præmium creatura itidem vniuersa exhibeatur; gratumque pro sua facultate beatis mentibus spectaculum offerat.

Iustorum gaudia, & peccatorum supplicia qualia in altera vita erunt.

68. De iustorum, inter quos Lazarus, æterna vita; & in peccatores diuiti Epuloni similes ad æterna incendia damnandos Domini verba sunt Isaïæ 65. 13. *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis; & præ contritione spiri-* D *tus vlulabitis.* Hinc Hieronymus de S. Paula iam mortali vita functa ait: *Saturatur, quia esuriuit, & læta decantat: Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. O beata rerum commutatio! Fleuit, vt semper rideret: despexit lacus contritos, vt fontem Domini reperiret: vestita cilicio est, vt nunc albis vestimentis vteretur, & diceret: Scidisti saccum meum, & induisti me lætitia. Cinerem sicut panem manducabat, & potionem suam cum fletu miscebat dicens: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, vt in æternum pane Angelorum vesceretur, & caneret: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus; & eructauit cor meum* E *verbum bonum; dico ego opera mea regi. Vt Isaïæ, immo Domini per Isaïam in se cerneret verba compleri: Ecce qui seruiunt mihi, manducabunt, vos autem esurietis; Ecce qui seruiunt mihi, bibent; vos autem sitietis: Ecce qui seruiunt mihi, lætabuntur, vos autem clamabitis ob dolorem cordis, & propter contritionem spiritus vlulabitis.* Benè, *Vlulabitis,* dicitur: vlulare enim proprium luporum est, qui cum voracissima animalia sint, benè voracium Epulonum symbolum sunt.

In eius vita. Psal. 47. 9. Psal. 29. 12. Psal. 101. 10. Psal. 41. 4. Psal. 33. 9. Psal. 44. 1. Is. 65. 13.

Vlulare luporum instar damnati dicuntur, vt lupinæ voracitatis pœnas luant.



*Et in his omnibus inter nos, & vos Chaos magnum firmatum est, vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint; neque inde huc transmeare.*

Chaos magnũ non Dei præceptum, sed spatium ingẽs significat.

69. QVare, quod petebat Epulo refrigerium ei dari non posset, causa antea reddita erat, quia receperat bona in vita sua; quibus scilicet bonis per luxum, crapulam, & auaritiam malè vsus erat. Additur deinde alia causa, quia *In his omnibus*, hoc est super hæc omnia seu præter hæc omnia, magnum Chaos firmatum est inter electos iustos, & damnatos. Per Chaos, seu hiatum magnum intelligit Euthymius *firmissimum Dei præceptum, tamquam ad modum hiatus prohibens horum, & illorum commissionem.* Sed contra est, quia sistendo in vulgata lectione stabile, & sacrosanctum Dei decretum non benè videtur Chaos appellari: Chaos enim vastam, & confusam rerum congeriem significat. Chaos igitur hîc significat ingens illud spatium, quod inter limbum Electorum locum, & Inferni barathrum est.

70. Sed quare ab Abrahamo dicitur intercapedo illa inter Limbum, & Infernum esse talis, ac tanta, *Vt hi, qui volunt hinc transire, non possint; neque inde huc transmeare?* Verè enim damnati vellent ex Inferno sursum ad quietis locum transmeare; sed in electis non potest dici voluntatem esse ad Inferos transeundi. Respondet primò Caietanus: *Non significatur voluntas deliberata, sed voluntas naturalis affectus, velut ad miserendum. In Limbo enim quamuis confirmatam habuerint voluntatem in bono; non tamen adhuc erant beati: ac per hoc naturalis voluntas ad miserendum aliquibus damnatis, non videtur eos dedecere.* Confirmari potest Caietani responsio exemplo Christi Domini; qui quamuis certus de futura sua passione; & omninò æterni Patris decreto esset conformis, adhuc tamen de suæ passionis calice dixit Matth. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Quibus verbis non voluit contrarium voluntati Patris; sed tantùm exposuit naturale desiderium, seu inefficacem voluntatem, qua naturaliter mortem horrebat.

Absoluta locutio interdũ vt conditionata est intelligenda.

71. Respondet Secundò Maldonatus, cum dicitur: *Qui volunt hinc transire ad vos, quamuis absoluta videatur, conditionata tamen locutio est; ita vt idem sit: Qui volunt; ac etiam si vellent.* Similiter Amos 9. dicitur: *Si celauerint se ab oculis meis in profundo maris*; id est si celare se possent ab oculis Dei.

Quibus catenis damnati vinciantur.

72. Præter distantiam magnam inter Electorum locum, & damnatorum; sunt etiam vincula, quibus damnati in inferno barathro vincti, ne inde exeant, detinentur. De quibus vinculis Petrus Apostol. epist. 2. cap. 2. ait: *Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Vbi rudentes non ad detractos, sed ad cruciandos refertur: cum ex Græco textu pro rudentibus *catenis caliginis cruciandos* habeamus. Similiter de rebellibus Angelis B. Apostol. Iudas Thaddæus ait: *Vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Hinc S. Cyprianus de laudibus Martyrij, damnatorum cruciatus varios referens, catenarum etiam, quibus arctissimè vinciuntur, meminit dicens: *Sæuiens locus, cui Gehenna nomen est, magno plangentium murmure, & gemitu, & cruciatibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæua semper*

*& tamen ad aliquid ardebunt ; scilicet, vt iusti omnes, & in Deo videant gaudia, quæ percipiunt ; & in illis respiciant supplicia, quæ euaserunt : quatenus tantò magis in æternum gratiæ diuinæ debitores se esse cognoscunt, quantò in æternum mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt.* Consonat Gregorij dictis diuinum vaticinium de electis respectu damnatorum post iudicij diem iuxtà Augustinum, & Hieronymum Isaï. cap. vltimo : *Videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* De quo infra dicetur. Præterea de æterno damnatorum supplicio dictum est Feria 2. post Dominicam primam.

*Et ait : Rogo ergo te, pater, vt mittas eum in domum Patris mei : habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

74. PRæter quinque fratres, ab Epulone mortuo relictum esse superstitem patrem colligit Hugo, ex eo quòd dicat : *In domo patris mei.* Cur ergo non pro patre, sed tantùm pro fratribus rogat? Ex hoc patet improbabilis sententia Caietani asserentis Epulonis preces pro fratribus ex superbia prouenisse : *Ex hoc*, inquit, *affectu procedunt istæ preces. Videbat enim diues multos saluari, & propterea appetebat suos fratres euadere miseriam ; vt vel sic in suis fratribus exaltaretur.* Sed si tale motiuum in Epulone fuisset ; cur tantùm pro fratribus, & non pro patre rogauit? Si enim quoquo modo in alio exaltari optabat, in patre principalius, tamquam in sui principio, quàm in fratribus exaltari petiisset. Adde, quòd ipse Caietanus ait : *Superbus videns se deiectum in miseriam, omnes vellet esse miseros similes sibi, aut se miseriores.* Cum ergo prauis omnibus affectibus damnatus vrgeatur, & non magis superbia, quàm inuidia afficiatur ; cur Epulonem non potius fratribus ex inuidia salutem inuidisse, quàm ex superbia salutem exoptasse est dicendum? Benè enim Antoninus 4. p. tit. 14. cap. 5. ait : *Inuident miseri damnati gloriæ Beatorum in mundo : & tanta est peruersitas eorum, quod vellent omnes secum esse damnatos. Iste zelus inuidiæ finem non habet, permanens iugiter sine fine.*

Epulo damnatus non ex superbia suos fratres, non damnari exoptauit : Idem n. seq.

75. Præterea si Lazarus ad Epulonis fratres iuisset, *Vt testaretur illis, ne & ipsi venirent in locum tormentorum*, vbi eorum iam frater erat ; quod certè ad incutiendum iustum terrorem, erat manifestandum ; ex hoc Epulo omnino suæ famæ iacturam fecisset ; atque adeo ad petitionem illam ex superbia moueri nullatenus poterat. Ex quo insuper patet, quàm acerba sint inferni tormenta, cum ne illa aliquantulum crescerent, vt infra videbimus, Epulo suam famam apud superstites homines omninò nihili æstimaret.

76. Secundò, Chrysostomus, Ambrosius, & Theophylactus asserunt verè, & sincero affectu fratribus consulere voluisse ; cum ad id inclinaret naturalis amor, & sanguinis nexus, & natura eadem maneat in damnatis. Sed contra hanc sententiam sunt verba Augustini relata ab Antonino 4. par. tit. 14. cap. 5. *Væ illis, quibus præparatur dolor vermium, ardor flammarum, sitis sine extinctione, stridor dentium, lacrymæ oculorum, tenebræ exteriores sine luce, pœna interminabilis. Vbi non est vllus honor, sine agnitio proximi, sed continuus dolor, & gemitus. Vbi mors appetitur, & non dabitur. Vbi non est honor seruorum, & regis ; nec dominus*

Epulo damnatus non ex naturali consanguinitatis affectu fratrum saluti consulere voluit.

A *super seruum. Nec mater diligit filium, aut filiam ; nec filius honorat patrem. Vbi est omne malum, & omnis indignatio, & fetor, & amaritudo abundat.* Præterea etiam si contra hæc Augustini verba consanguinitatis motiuum Epulo habuisset ; multò magis pro patre adhuc superstite rogasset. Quare probabilius dicitur cum S. Gregorio à S. Bonauentura : *Carnalis erat talis petitio, quia hoc non faciebat propter vitandum supplicium alienum ; sed ne ex eorum aduentu augeretur suum.* Cum sibi conscius esset Epulo suis fratribus in scandalum, prauumque exemplum fuisse, eisque diuitias reliquisse, quibus abutentes facilè essent damnandi. Addit S. Bonauentura cum Hugone : *Erat*

Epulo fratrum saluti consulere voluit, ne ipsi supplicia augeretur.

B *hæc petitio non solùm carnalis respectu sui, verum etiam crudelis respectu proximi ; quia propter amorem suorum parentum carnalium volebat, quod Lazarus egrederetur sinum quietis, & iret in locum periculorum.* Sed contra est, quia iusti propriæ quieti proximorum salutem præferunt ; & ad eam procurandam libentissimè se transferunt. Præterea periculorum locus nullus iusto Lazaro fuisset ; quippe qui iam viator esse desierat. Quod si Epulo ignorabat ; saltem valde sanctus ab Epulone Lazarus æstimabatur ; & propterea modico temporis spatio, quo salutaria monita daturus erat, eum periclitaturum Epulo existimare non poterat.

Epulonis petitio fratribus consulens, contra Lazarum crudelis non fuit.

C 77. Porrò cum quæritur, cur fratribus Epulo, & non pro patre rogauerit? Responderi posset primò, quia senem diuturno temporis spatio in peccatis obdurato corrigendum esse desperabat. *Idem est emendare senem, qui sit pessimus ; & ægrum tum curare, cùm sit mortuus ; vel non longè diuersum*, Eleganter Poëta cecinit. Respondetur secundò Epulonem ex impia in patrem indignatione, & ex vindictæ affectu pro patre non rogasse ; eò quod ei pater nimia indulgentia damnationis causa fuisset. Similiter narratur, cum damnatus quidam ad suspendium ante mortem matrem osculari petiisset, in ipsius matris faciem rabido morsu insiliisse, eam accusans, quod nimis indulgendo ei suspendium præparasset.

Epulo cur fratrum, & non patris saluti consulere voluit.

Constantius Pulcharet in Dialogo. Peccator senex difficilè corrigitur.

D 78. Ad extremum infernus verò, proprioque nomine *tormentorum locus* dicitur ob multiplices damnatorum cruciatus, & pœnas ; inter quas primum locum obtinet pœna damni ; secundum pœna sensus. Pœna damni est æterna priuatio beatificæ Dei visionis ; ad quam priuationem consequitur odium, & auersio à Deo summo bono ; quo ob propriam culpam, exiguamque voluptatem se damnatus priuatum esse cognoscit. Vtramque pœnam damni, & sensus, de reprobis loquens complexus est Dauid Psalm. 57. *Supercecidit ignis* : & hæc est pœna sensus : *& non viderunt solem* ; solem scilicet diuinum ; solem iustitiæ ; & hæc est pœna damni. De damni pœna

Damnatorum pœna duplex ; damni, & sensus.

E ait S. Thomas opusculo 2. cap. 174. *Vltima hominis felicitas, quantum ad intellectum, consistit in plena Dei visione ; quantùm ad affectum in hoc, quòd voluntas hominis in prima bonitate sit immobiliter firmata. Erit igitur extrema miseria hominis in hoc, quod intellectus totaliter diuino lumine priuetur ; & affectus à Dei bonitate obstinatè auertatur. Et hæc est præcipua miseria damnatorum, quæ est pœna damni. Nulla pœna maior, quàm carentia diuinæ visionis*, ait S. Augustinus. *Hæc visio* (ait Photinus Philosophus Platonicus relatus ab eodem Augustino) *est tantæ pulchritudinis, tantoque amore dignissima, vt sine hac anima quibuslibet bonis præditum æstimet infelicissimum.* Chrysost. ait : *Potius eligerem mille gehennas, quàm priuari tali visione.*

Augustinus apud s. Antoninum p. 4. tit. 14. c. 5. parag. 10. August. 10. de Ciuit. c. 16.

79. Pœna ſenſus eſt multiplex. Primò cruciatio ab igne, quo non ſolùm corpora poſt reſurrectionem, ſed etiam animæ ſeparatæ torquentur. Modum autem, quo materialis ignis in ſpirituales animas agat, tradit S. Thomas ſupra citatus cap. 188. De qua ignis pœna in hoc Euangelio Epulo ait: *Crucior in hac flamma.* Quod ſi de Purgatorij ignis pœna cum Auguſtino allerit Antoninus 4. par. tit. 14. cap. 5. excellere omnem pœnam, quam vnquam aliquis expertus eſt in hac vita; quantò maior inferni ignis cruciatus erit? Circa hanc pœnam quæritur, an infernus ignis damnatorum corporum partes aliquas abſumat; an tantùm ijs integris combuſtionis dolorem infligat? Infernum ignem ex damnatis corporibus partes aliquas abſumere, eaſque iterum per Dei potentiam renaſci cenſet Lactantius lib. 7. cap. 21. dicens: *Idem diuinus ignis vna eadem vi, atque potentia, & cremabit impios, & recreabit: & quantum è corporibus abſumet, tantum reponet; ac ſibi ipſi æternum pabulum ſubminiſtrabit. Quod Poëtæ in vulture Tityi tranſtulerunt.* Oppoſitum ſentire videtur S. Thom. opuſc. 2. cap. 177. dicens: *Corpora damnatorum patientur ab igne, vel quocumque alio corporeo, non vt alterentur ad ſpeciem, vel qualitatem ignis; ſed vt ſentiant excellentias qualitatum eius. Sic igitur ſemper patiuntur illa corpora, non tamen corrumpuntur.* Similiter de inferno igne ait S. Auguſt. ſerm. 181. de temp. cap. 18. *Ignis hic, qui in præſenti eſt vita, abſumit cuncta, quæ recipit; ille verò, quos ſuſceperit, ſemper cruciat, & pœna ſua ſemper integros ſeruat.* Idem fuſiùs docet, & probat naturalium effectuum exemplis lib. 21. de ciuit. cap. 2. & ſeq. Sed contra opponi poteſt, quod de reprobis Pſalm. 20. 10. dicitur: *Pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui. Dominus in ira ſua conturbabit eos: præcipitabit eos,* legit Hieronymus; *& deuorabit eos ignis.* Et Iſaïæ 33. 14. ad terrendos peccatores dicitur: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Vbi ex eo quod infernus ignis vorare dicitur, illum ex damnatis corporibus pabulum aliquod ſuæ voracitatis habere dicendum eſt. Reſpondetur profundum aliquem terræ hiatum, qui à vorando vorago appellatur, dici corpus aliquod vorare, non quòd illud conſumat, ſed quod ita intra ſuam profunditatem recipiat, vt vltra non appareat. Sic infernus ignis dicitur damnatos vorare; eò quod ignea inferni vorago intra ſe damnatorum corpora ita, vt vltra non videantur, abſorbeat. Similiter Exodi 15. de ſubmerſis Ægyptijs, & intra profundi maris arenas conſepultis dicitur: *Operuit eos mare; ſubmerſi ſunt quaſi plumbum, in aquis vehementibus. Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra.* Inferna autem vorago veluti igneum mare eſt. Quare S. Anachoreta in vitis Patrum lib. 7. cap. 44. inferni pœnas meditando dixit: *Video ibi pares gemitus, & inceſſabiles lacrymas, quæ à nullo referri queunt. Aſpicio quoſdam ſtridentes dentibus, & ſalientes toto corpore, & trementes à capite vſque ad pedes. Video mare ignis bullientis immenſibile; & circumflentes, & mugientes; vt putent aliqui vſque ad cœlos attingere fluctus ignis; & in tremendo illo mari innumerabiles homines deiectos; & vna voce omnes clamantes, & vlulantes ſimul, quales nemo ſuper terram vlulatus, & voces numquam audierit.* Similiter S. Chryſoſtomus hom. 44. & 55. in Matth. & hom. de præmijs Sanctorum igneo fluuio & pelago infernum barathrum appellat de damnatis dicens: *In fluuium, atque pelagus intrudentur, pelagus impertran-*

Damnatorum pœna ab igne.

Purgatorij pœna omnes mortalis vitæ pœnas ſuperat.

Infernus ignis damnatorum corporum partes non abſumit.

Infernus ignis quomodo vorare dicatur.

*Tenebræ confusionis ex peccatis prouenientes multò acerbiores quàm exteriores inferni tenebræ.*

res tenebras, acerbioribus confusionis tenebris damnati torquentur: *Non sunt tales tenebræ noctis, quales illæ sunt, quæ de confusione veniunt peccatorum.* ait Chrysologus serm. 3. De inferni tenebris diximus etiam Feria 2. post cineres. De ijs disserit S. Thom. in 4. dist. 50. quæst. 1. art. 2. Quas tenebras, vt vitemus iuxtà Apostoli monitum ad Rom. 13. *Abijciamus opera tenebrarum*, nempe peccata. Sed si præ cruciatuum acerbitate in perpetuos gemitus, & clamores damnati erumpent; cur 1. Reg. 2. 15. dicitur: *Impij in tenebris conticescent?* Respondetur dici ibi impios conticescere, non quoad clamores, & gemitus; sed quoad opem implorandam; cum æternæ suæ damnationis satis conscij auxilium omne desperent; omnesque sibi infensos benè sciant.

*Damnati in inferni tenebris quomodo conticescere dicantur.*

*Damnatorum pœna à vermium morsu.*

81. Tertiò cruciabuntur damnatorum corpora mordacium vermium pœna. De qua pœna Isaïæ cap. 14. dicitur: *Detracta est ad inferos superbia tua; concidit cadauer tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Et cap. vltimo: *Videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me; vermis eorum non morietur; & ignis eorum non extinguetur.* Quod etiam à Domino repetitur Marci 9. 43. Damnatorum corpora, quamuis immortales animas vnitas habeant, adhuc cadauera dicuntur: primò ob intolerabilem, quem exhalabunt fœtorem. Secundò rationem reddit Gregorius 4. Dialog. cap. 45. *Quia duobus modis vita dicitur, duobus etiam mors debet intelligi. Aliud est beatè viuere, aliud est essentialiter. Anima & mortalis esse intelligitur, & immortalis; mortalis, quia benè viuere amittit; immortalis, quia essentialiter viuere numquam amittit, & natura sua vitam perdere non valet, nec cum perpetua fuerit morte damnata. Illic enim posita beatè esse perdit; & esse non perdit. Qua ex re cogitur, vt semper & mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiatur. Quatenus ei immortalis mors sit; & defectus indeficiens, & finis infinitus.* Tertiò cum Isaïæ 14. de Lucifero dæmonum principe dicitur: *Detracta est ad inferos superbia tua; concidit cadauer tuum: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* Quæritur cum diabolus sit tantùm spiritus, cur illi cadauer, atque adeo corpus tribuatur? Respondet S. Antoninus 4. par. tit. 14. cap. 5. *Cadauer Luciferi sunt omnes reprobi, in quibus vitijs fœtentibus, vt cadauer habitat per effectum malitiæ; qui tandem simul cum eo cadunt in infernum.*

*Damnatorum corpora quamuis animas vnitas habeant, cur cadauera dicuntur.*

*Reprobi sunt Luciferi cadauer.*

*Vermes cruciantes damnatorum animas, sunt conscientiæ morsus.*

82. Porrò vermes damnatos cruciantes, vel propriè, vel metaphoricè intelligi possunt. Cum cruciandæ sint animæ, eæ conscientiæ vermibus, hoc est conscientiæ remorsibus, & angoribus cruciabuntur; cum cogitabunt ob inanem gloriolam, ob transitorias opes, ob temporalem, vel etiam momentaneam voluptatem, æternum supplicium incurrisse, semper enim contra miserum reprobum conscientia oblatrabit, illi obiectans: Cur sordidis lasciuijs, corpus, animamque fœdasti? Cur pro vili, modica, fœdaque oblectatione æternam felicitatem, cœlum, Deumque prodegisti? Quàm facilè hos intolerabiles cruciatus vitasses, nisi dementer prauis cordis affectibus indulsisses. Hinc ingemiscens reprobus dicet: Actum est; in æternum perij; hîc semper inter infensos, immundosque spiritus æternis ignibus cruciabor. O me dementem! ô infelicem! ô creaturarum omnium miserrimum! Huiusmodi conscientiæ mordacibus vermibus cum lacerabuntur miseri reprobi, vt S. Ephrem ait: *Tunc amarissimè illacrymantes, eiulantesque dicent: O quo pacto in negligentia, atque torpore tempus nostrum transegimus! ô quomodo illusi sumus! ô quomodo diuinam Scripturam audientes, irridentesque nos ipsos irrisimus! Ibi Deus loquebatur nobis per Scripturas; & nos non attendebamus. Hîc nos iam clamamus, & ipse suam à nobis faciem auertit. Quid nobis proderant fines mundi? Vbinam, qui nos genuit pater? Vbi, quæ nos peperit mater? Vbi filij? Vbi amici? Vbi diuitiæ? Vbi substantiæ, atque possessiones? Vbi turba? Vbi conniuia? Vbi varij, & intempestiui cursus? Vbi reges, atque potentes? Quomodo à nullo eorum saluari modo possumus; neque nobis ipsi opem ferre? At penitus derelicti sumus, & à Deo, & à sanctis eius.* Hæc de conscientiæ vermibus.

*Ephrem tract. de abrenunt. & aliis inferni pœnis sub finem tom. 1.*

*Vermes corporei, aliaque venenata animalia damnatorum corpora cruciabunt.*

83. Si verò crucianda sunt corpora, erunt propriè veri, reales ac corporei vermes, aliaque venenata animalia, damnatorum carnem morsu, & veneno cruciantia. Nam Ecclesiastici cap. 7. 19. *Vindicta carnis impij ignis, & vermis*: & cap. 39. 35. *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt; bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios*, demissos scilicet in Gehennam iuxtà S. Antoninum 4. par. tit. 14. cap. 5. Iuxtà eumdem damnato etiam dicitur Habacuc cap. 2. *Numquid non repente consurgent, qui mordeant te, & suscitabuntur lacerantes te?* Quæ pœna præcipuè auaris destinatur, qualis Epulo fuit; subditur enim: *Væ, qui congregat auaritiam malam domui suæ*, negando scilicet subsidium indigentibus. Sicut igitur verò, & corporeo igneo damnatus cruciabitur, cum SS. Patrum, & Sacræ Scripturæ verba propriè, quantùm potest, esse intelligenda, doceant Scholastici in 4. dist. 44. & 49. & S. Thom. prima parte quæst. 64. art. 3. & 4. ita veris, proprijsque vermibus, noxiisque animalibus damnati caro torquebitur. De quibus vermibus fusè disserit Cornelius in vltimum Isaïæ caput, & Tostatus in Matth. 25. quæst. 553 Remanet tamen quæstio soluenda, an scilicet hi vermes mordendo, aliquid in suum pabulum è damnati corpore absumant; an verò tantùm morsu, & veneno torqueant, nihil ex eo absumendo?

*Vermes [illegible] præcipuè auaros cruciabunt.*

*Scripturæ verba propriè quantùm potest sunt intelligenda.*

*Vermes damnatorum corpora mordentes, ex ijs partem in cibum non absument.*

84. Respondendum videtur, sicut in inferno igne corporei vermes per Dei potentiam immortales seruantur, ita vt ab igne non absumantur; ita eosdem vermes per Dei potentiam sine alimenti indigentia conseruari. Sicut enim sine nouo alimento ipse infernus ignis diuinitus conseruatur; alioquin nouum semper à Deo alimentum esset creandum, vt in æternum ignis ille inextinguibilis seruaretur: ita sine alimento vermes perdurare dicendum est. Quare sicut supra diximus in Inferno ignem damnatorum corpora, torquere quidem, ea tamen non absumere; idem de vermibus est dicendum: scilicet, vt ex eorum morsibus dolor quidem sentiatur, non tamen partis alicuiús fiat auulsio. Quod indicari videtur Iudith cap. 16. 21. *Dabit ignem, & vermem in carnes eorum; vt vrantur, & sentiant in sempiternum* Vbi tantùm doloris sensatio asseritur, non carnis absumptio, seu voratio. *Luet, quæ fecit omnia; nec tamen consumetur*: dicitur Iob 20. 18. de damnato.

*Vermes & infernus ignis sine alimento à Deo conseruantur.*

*Dæmones ob discurrendi velocitatem, aues appellantur.*

85. Contra hoc tamen videtur esse, quod dicitur Deuter. 32. vbi postquam Deus dixit: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Subdit: *Deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.* Respondetur quoad litteram, ibi sermonem esse non de damnatis, sed de pœnis, quibus ob idololatriam afficiendi erant Hebræi: quod patet

ex

ex antecedentibus, vbi dicitur: *Ipsi prouocauerunt me in eo, qui non erat Deus; & irritauerunt in vanitatibus suis: in idolis suis*, legit Tertullianus, & Hieronymus. In Hebræos enim immissi sunt igniti serpentes, vt legitur num.21. Auium verò nomine, vel proprio significatu possunt intelligi voraces, & carniuoræ aues, quæ post varias clades in Hebræorum vel semiuiua corpora, vel cadauera insilierunt: vel ipsi hostes intelligi possunt; qui dracones appellantur 4. Esdræ cap.15. *Exient nationes draconum Arabum in curribus multis. Superualescent dracones natiuitatis suæ memores, & conuertent se conspirantes in virtute magna ad persequendos eos.* Denique auium nomine etiam dæmones intelligi possunt. Auis enim Hebræo vocabulo dicitur B resceph: Hebræi autem teste Hieronymo dicunt resceph etiam dæmonis esse nomen, quia ob velocitatem, & discursum auis, & volatile nuncupatur. Quare Habacuc cap.3. ver.4. pro resceph diabolus ponitur.

Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 31. Hieron. in Is. c. 41. & cp. 127.

Hieronymus in Habacuc c. 3.

86. Præterea contra allatam sententiam negantem damnatorum carnes absumi, vel ab igne, vel à vermibus, videntur esse Psal.48.15. *Sicut oues inferno positi sunt; mors depascet eos.* Vnde videtur inferri damnatorum corpora pabulum aliquod ministris æternæ mortis, nempe igni, & vermibus exhibere. Hinc Innocentius lib. 3. de contemptu mundi cap. 9. explicans citata Psalm. verba ait: *Ductum est hoc à similitudine iumentorum, quæ non* C *radicitus euellunt herbas, sed summitatem solummodo carpunt, vt iterum herbæ renascantur ad pastum. Sic & impij quasi de morte pasti, reuiuiscent ad mortem, vt æternaliter moriantur.* Ouidius apud eumdem Innocentium.

Damnatorum quæ sint pascua.

Mors quomodo peccatores depascat.

*Sic inconsumptum Titij, semperque renascens,*
*Sic perit, vt possit sæpè perire iecur.*

Sed in citato Psalmi loco, si sequamur lectionem Græcam, quam sequitur Augustinus, Ambrosius, & Athanasius, mortem potius infertur exhibere pabulum damnatis, non autem contra; legitur enim ex Græco *Mors pastor est eis.* Pascua autem damnatis à morte exhibita affert Athanasius, nempe ignem æternum, fletum, stridorem dentium & exteriores tenebras. Quæ pascua mysticè iuxtà D Richelium indicantur Ieremiæ cap.23.15. *Ecce ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle.* Si verò vulgatam lectionem sequamur, cùm de peccatoribus dicitur; *Mors depascet eos*, directus sermo est non tam de morte æterna, quàm de temporali. Nam, vt benè explicat Bellarminus: *Propheta, quoniam dixit homines factos esse per peccatum similes bestijs insipientibus, addit finem illorum fore, vt more ouium insipientium mactentur: vbi demonstratur tum multitudo, tum imbecillitas hominum, qui post mortem ad inferos detrahuntur; oues enim gregatim conjiciuntur in stabula, & sine vlla resistentia ducuntur ad macellum. Itaque minori labore Deus multitudinem impiorum, quamuis in mundo ditissimi, & potentissimi fuerint, detrudet in infernum ad mortem sempiternam; quàm* E *soleat pastor ouiculas simplices, & inermes vel trudere in stabulum, vel educere ad cœlum.* Huic interpretationi consonat S. Bernardinus, qui ait mortem depascere peccatores, quia detracto vellere mundialium diuitiarum, durè, pressèque detonsos, nudos sempiternis deputabit incendijs: ad detondendas autem, & veluti depascendas mundanas diuitias, & luxus, satis est temporalis mors, antequam æterna superaddatur. Addi potest etiam hîc Iacobi Iansonij interpretatio; qui cum dicitur: *Mors depascet eos*, mortem spiritualem intelligit ex mortali peccato sæpius sine correctione repetito: talis mors ita homines depascit, vt spiritualis vitæ, diuini ti-

Ser. 2. Non est regnum Dei esca, & potus.

*in quantum offensa Dei; sed quia inde cruciantur; & ideo infructuosa eorum pœnitentia.* Ex hac mentis offuscatione intelligi potest, quod ex Vitis Patrum S. Antoninus refert: *Cum B. Macarius per Eremum ambularet, inuenit caluariam hominis, quam virga sua tangens interrogauit, quis in vita præsenti fuisset? cui respondit, quòd fuerat sacerdos Gentilium; adijciens, quod quantum distat cœlum à terra, tantum habebat de igne super caput suum cum alijs paganis; & tantumdem ab infra sub eo esset ignis, in quo cruciabuntur mali Christiani, & qui Christum negauerant.* In quo damnatus iste gentilis sacerdos falsum quidem dixit; non tamen mentitus est. Falsum dixit cum non solùm intima damnatorum vorago, sed totus terræ ambitus minor sit, quam ambitus aëris, & ignis sphæræ vsque ad cœlum. Non tamen mentitus est, quia ex mentis offuscatione, & doloris acerbitate tam vastum inferni incendium ei videbatur.

Damnatorum pœna ex deformitate, & crudelitate dæmonum sub monstrosis imaginibus apparentium.

92. Nonò, dæmonum sub assumptis horribilium monstrorum corporibus deformitas, eorumque summa crudelitas damnatos maximè cruciabit. Quare S. Antoninus de dæmonibus intelligit, cum Sap. 11. dicitur posse Deum in peccatores *immittere multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignitum spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horridas ab oculis scintillas emittentes; quarum non solum læsura poterit illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere.* Tanta est dæmonum deformitas, vt teste S. Antonino, *interrogatus quidam, qui diabolum viderat, de forma, & aspectu eius, dixit: Nesciirem describere, & declarare qualitatem eius. Sed vnum dico: Si mihi daretur optio, vel eum aspicere per modicum in illa specie tam horribili; vel mittere me in fornacem ignis ardentis ante me positam; mallem ingredi fornacem ardentem* De dæmonum crudelitate ait S. Antoninus, *potest intelligi illud Iob 16. Collegit furorem suum, scilicet diabolus, in me: vt sit locutio ista cuiuslibet damnati: & comminans mihi infremuit contra me dentibus suis. Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. Aperuerunt super me ora sua, scilicet dæmones; & exprobrantes percusserunt maxillam meam; scilicet propter peccata gulæ, & malæ locutionis. Saturati sunt pœnis meis. Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.* Ieremiæ 6. dicitur: *Crudelis est, & non miserebitur*, scilicet diabolus. Vbi B. Hieronymus: *Crudelis diabolus est iustis; crudelior fuit, crudelissimus sibi ipsi.* Ieremiæ 16. 13. reprobis dicitur: *Seruistis dijs alienis*, id est dæmonibus, ait S. Antoninus, *alienis ab omni misericordia, qui non dabunt vobis requiem.*

Eligibilius est ignis fornacem ingredi, quam diaboli teterrimam speciem cernere.

Damnatorum pœna ex odio in Deum, in sanctos, & in omnes, insuper in seipsos.

93. Decimò: Damnatorum pœna est, non solùm in Deum, in sanctos, in omnes; sed etiam in seipsos odium; ita vt & corporalis vitæ, & ipsius animæ sibi finem cupiant. *Et quamuis*, vt S. Antoninus ait, *non esse simpliciter, non cadat in appetitum creaturæ; tamen quia minus malum habet rationem boni respectu maioris mali; quia melius est non esse, quàm malè esse*, ideo dicitur de damnatis Apoc. 9. *Desiderabunt homines mori*, id est deficere ab esse, *& fugiet mors ab eis. Multò melius est non subsistere, quàm malè subsistere*, ait S. Hieronymus, iuxtà Domini sententiam Matth. 16. 24. de Iuda reprobo. *Bonum erat ei, si natus non fuisset.* Ecclesiastici 30. 17. dicitur: *Melior est mors, quàm vita amara.* Gregorius Thaumaturgus in Ecclesiasten cap. 4. ait: *Inter iniustos, & impios, melius habent vita defuncti, quàm superstites: cùm hi peccata multiplicando maiores pœnas sibi cumulent: & vtriusque conditione*, scilicet vitæ, & mortis, *potius: eligeretur sors eius, qui futurus malus, nondum natus est, neque humanam attigit improbitatem.*

Hieron. in Matth. 16.

Damnatorum pœna ex fletu, & dentium stridore.

94. Remanent pœnæ aliæ, nempe fletus, & stridor dentium, de quibus diximus Feria 5. post cineres. Innocentius lib. 3. cap. 4. damnatorum pœnas nouem etiam numerat. Totidem cum Gregorio in Moralibus numerat Antoninus 4. par. tit. 14. cap. 5. *In Inferno est frigus insuperabile; ignis inextinguibilis, vermis immortalis; fœtor intolerabilis; tenebræ palpabiles; flagella cadentium; horrida visio dæmonum; confusio peccatorum; desperatio omnium bonorum.* Verè tamen vates dixit,

Damnatorum pœnæ nouem.

*Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,*
*Ferrea vox; omnes scelerum comprendere formas,*
*Omnia pœnarum percurrere nomina possim.* Æneid. 6.

Infernarum pœnarum ex S. Basilio consideratio.

95. Ex inferni pœnis, & formidabili diuini Iudicis sententia, quodnam pro æterna salute contra peccata antidotum eliciendum sit, egregiè docet Basilius in Psalm. 33. verba: *Venite filij, audite me; timorem Domini docebo vos. Timor salutaris vis enarrem qualis sit? Si quando te senseris ad vnum aliquod cieri, ac possilire peccatum, ad memoriam reuoca formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Christi iudicium; in quo præsidet Iudex in alto, & sublimi throno. Adstabit creatura omnis pretrepida, & intremiscent ad ipsius gloriosum, & illustrem aduentum. Eo singuli sistentur de his examinandi, quæ quisque gessit in viuit. Deinde eos, qui multa perperam in vita admiserunt, horrendi quidam, ac tristes circumstabunt Angeli, ignem paratum contuentes, ignem spirantes, vultum præferentes noctis similem pro mœrore, atque hominum odio. Subinde conspicient barathrum in imum patens, tenebras impenetrabiles quidem illas, ignemque obscurum, combustiuas vires habentem, luce tamen destitutum. Inde vermium innumerabile genus venenatum, ac carniuorum, esitans quidem semper, nec tamen se exatians, intolerabiles dolores morsibus infligens. Postremò omnium durissimam pœnam, probrum illud, & verecundiam sempiternam. Hæc tu time; & huiusmodi timore eruditus, quasi fræno quodam animam inhibe ad vitiosam concupiscentiam propendentem. Descendant in infernum viuentes*, dicitur Psalm. 54. 16. *Videlicet, ne descendant, morientes*, ait Bernardus: additque de sanctis, religiosisque viris: *Sicut assidue contemplando reuisere amant gaudia cœlestia, vt ardentius ea appetant, sic & dolores inferni, vt horreant, ac refugiant. Quæ sursùm sunt sapite, quæ sursùm sunt quærite; non quæ super terram*, monet Apostol. ad Coloss. 3. sursum animum eleuantes, ne terrenarum rerum affectu sapiamus, & quæramus quæ sunt super terram; sæpiùs inferni pœnas, quæ intra terram sunt, mente reuoluere debemus.

Bernard. de vita solitaria.

96. S. Cyrillus quamuis conscientia à peccatis purà confidentior esse posset; meditatus tamen diuini Iudicis seueritatem, & Gehennæ pœnas, dixit: *Metuo mortem, quoniam acerba mihi est. Metuo gehennam, quoniam æterna est. Metuo tartarum, quia nihil habet caloris.* Tartarum vocat Cyrillus infernæ voraginis locum, vbi glacialis aquæ, vehementissimique frigoris horror est, quò etiam à dæmonibus damnatos detrudi censent S. Thomas, Titelmanus, & alij, iuxtà id, quod Iob 24. 19. dicitur: *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.* Vnde etiam Hieronymus ait: *Duplicem esse Gehennam nimij ignis, & frigoris, in Iob plenissimè legimus.* Pergit Cyrillus: *Metuo vermem veneniferum, quoniam æternus est. Metuo Angelos indicio præficiendos, quoniam immisericordes sunt. Metuo, cum cogito illius diei terribile, & muneribus inexpugnabile consilium, tribunal horribile, iudicium incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementissimaque flam-*

Orat. de animæ exessu.

Hieron. in Matth. c. 10.

Gehenna duplex, altera ignis, altera vehementissimi frigoris.

cineris more in puluerem abeunt; soluſque reus ex ſuis factis abſoluentem, aut condemnantem ſuſtiret ſententiam. Tunc vbi huius mundi iactantia? Vbi inanis gloria? Vbi apparatus? Vbi reges? Vbi ornatus? Vbi pecunia? Vbi nobilitas? Vbi delectatio? Vbi corporis virilitas? Vbi falſa illa, & inutilis mulierum pulchritudo? Vbi tunc veſtium comptus? Vbi, qui cum tympanis, & cithara vinum potant: Vbi theatra: Vbi venationes? Acerbum eſt in igne eſſe, & clamare, neque ſubueniri. Inſuperabiles fauces ſunt, immenſus gurges; vbi incluſus quis, & deſertus euadere, aut fugere nequeat: inſuperabiles cuſtodiæ murus, immites cuſtodes, tenebricoſus carcer, tetri Æthiopes, infracta vincula, inconcuſſæ catenæ, diuerſæque flammæ illius miniſtri, graues illa, quæ ad ſupplicium adhibentur, ſcuticæ, firmi vngues, & inſatiati, duri nerui, turbida pix, atque torrens; fœtens ſulphur, igne ea illa cubicula: inextincta pyra; putidus, viueſuſque vermis, inexorabile conſilium, inuictus gratia Iudex; inexcuſabilis defenſio: notis compuncti magnatum vultus, exoleti optimates, mendici reges, imperiti ſapientes, fatui oratores, dementes diuites, non audita falſa ſcribentium aſſentationes: manifeſtæ malitioſorum verſutiæ; perſpicuæ fraudulentorum calliditates. Væ improbis: profani, ſcelerati, & impuri ſunt in conſpectu Dei. Væ contumacibus, contentioſis, & turbulentis. Væ periuris: Væ helluonibus, quorum Deus venter eſt. Qualem diuitem Epulonem fuiſſe Dominus aſſerit.

*Et ait illi: Habent Moyſen, & Prophetas; audiant illos.*

Moyſes pro lege Moſaica accipitur. 2. ad Cor. 3

97. Didymus de Spiritu ſancto, Hieronymo interprete, ait: *Crebro legiſſe me memini, Moyſem appellatum eſſe pro lege, vt in Apoſtolo; Vſque in hodiernum diem quando legitur Moyſes: & Abraham ad diuitem in ſupplicijs conſtitutum: Habent, inquit, Moyſen, & Prophetas. Et certe liquidò comprobatur ibi Moyſem non virum ſignificatum eſſe, ſed legem.* Similiter Hieronymus libro primo aduerſus Iouinianum: *Moyſen, inquit, & Dominus noſter, & Apoſtolus interpretantur legem. Ab Adam, inquit, vſque ad Moyſen regnauit peccatum.*

Ad Rom. 5

*At ille dixit: Non, pater Abraham: Sed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent: Ait autem illi: Si Moyſen, & Prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent.*

Ieiuniac 5. q. 4.

98. Circa hæc verba duplicem difficultatem proponit Caietanus. Primò, quia experientia teſtatur plures Ethnicos viſis miraculis ad fidem conuerſos eſſe, quamuis nec Moyſen, nec Prophetas audiſſent. Secundò, quia ratio ſuadet plus aliquem moueri à Moyſe, & Prophetis, adiuncta reſurrectione alicuius mortui; quàm mo-

... Pater autem Abrahamum loqui de fide formata, qua carebant fratres diuitis; quamuis alioquin fideles eſſent, non Ethnici; cum ipſe Epulo in Inferno patrem vocet Abrahamum.

99. Reſpondet 2. Abrahamum ſuis verbis ſignificaſſe ſtatutum pœnam eſſe fidelibus, paruipendentibus ſacras Scripturas: vt hinc intelligamus diuina diſpoſitione deſerendos eſſe eos, qui Moyſen, & Prophetas non audiunt; & ita obduratos relinqui; vt etiam, ſi viderent miracula, non propterea mouerentur ad veram erga Deum charitatem. Quam pœnam merito ſubeunt peccatores ex eo quod diuinam largitatem prouidentem nobis de Moyſe & Prophetis, hoc eſt de ſacra Scriptura, deſpiciunt; ita vt propterea non mereantur per miracula viſa conuerſionis gratiam conſequi. Nam tales ſe habent ad veram conuerſionem in Deum, tanquam illa non diuinæ gratiæ, ſed ſuis omnis tantùm ſit; & hinc aſſeuerant, ſi viderent mortuum reſurgere ſe taliter, & taliter eſſe operaturos. Quod autem ex mortui reſurrectione conuerſio non conſequatur: patet ex Ioan. c. 11. vbi ex Iudæis aliqui viſo Lazaro reſuſcitato, non proinde crediderunt. De Gentilibus autem eſt diuerſa ratio: hi enim ſacram Scripturam, quam non habent, cum non paruipenderint, ſunt miraculis adiuuandi. Quare de infidelium conuerſione S. Marcus cap. vltimo ait: *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Hæc ex Caietano. Cæterùm, qui Dei ſcientiam conditionatam negant; videant, ſi ſine tali ſcientia certò proferri potuerit, allata Abrahami ſententia, quam non ex ſe ſed vt reuelatiuam diuini iudicij protulit; vt ipſe Caietanus teſtatur.

Scriptura ... contemptores ... à miraculis conuertuntur.

Scientia conditionata ex his verbis habetur ... Caietano.

100. Denique ad confirmandam Abrahami de pertinacibus peccatoribus ſententiam: *Neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent*, ſcilicet per fidem, qua ad veram pœnitentiam adducantur, efficax teſtimonium habetur ex S. Gregorio lib. 4. Dialogor. cap. 36. vbi de Stephano illuſtri vita functo, & iterum vitæ reſtituto ait: *Dum ad Inferni loca, vidit multa, quæ prius audita non crediderat. Conſtat tamen, quia idem Stephanus poſtquam, & inferna loca vidit, & ad corpus rediit, perfectè vitam minime correxit. Qua de re colligitur, quia ipſa quoque inferni ſupplicia cum demonſtrantur, aliis hoc ad adiutorium, aliis vero ad teſtimonium fiat; vt iſti videant mala, quæ caueant: illi vero eo amplius puniantur; quoniam nec inferni ſupplicia viſa, & cognita vitare voluerunt.* Cæterum, niſi obſtent demerita, animique peruerſitas, inferna ſupplicia talia ſunt, vt non viſa, ſed tantùm depicta poſſint animam à terrenis voluptatibus, & peccatis, ad ſpiritualem ſalutem, diuinamque gratiam procurandam reuocare. Expertus eſt id S. Doſitheus, qui florente iuuenili ætate in delicijs enutritus, & in ſpiritualibus rebus planè rudis; viſa tamen depicta damnatorum, & infernalium cruciatuum hiſtoria; ſtatim ad Deum ita conuerſus eſt, vt ſub monaſtica vita

Stephanus vix nobilis, ſed ... poſt viſa inferni ... non correxit.

Inferni pœnæ ... depictæ ... perfectâ ... vitam amplexus eſt.

insigni præditus sanctitate breui tempore vitam absoluerit, vt in eius vita habetur.

101. Vltimo loco ad infelicem diuitis Epulonis exitum vitandum, memorabile est, quod scribit Hugo interpretans verba Apoc. 12. *Datæ sunt mulieri alæ duæ. Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco ex ore suo. Flumen,* inquit Hugo, *appellantur hic bona temporalia, quæ fluida sunt, & impermanentia. Hæc de ore serpentis, id est ex instigatione serpentis, & persuasione diaboli, Deo permittente, missa sunt in Ecclesiam Dei, quando à Constantino regnum Occidentale datum est Ecclesiæ. Et benè ex ore serpentis, à quo nisi venenum non exit. Vnde tunc audita fuit vox Angelorum dicentium: Hodie diffusum est venenum in Ecclesia. Per hoc ergo flumen, id est per abundantiam temporalium frangitur vna ala, idest contemptus mundi; & per consequens alia id est, S. Amor Dei. Propter hoc clamat Ecclesia Ps. 68. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Et sciote, quòd malè esset Ecclesiæ, nisi terra, id est diligentes terrena absorberent ea. Os num. gratanter eis aperiunt, & cum desiderio ea suscipiunt; & sic ea occupant, quòd Sanctis nihil relinquunt: vnde sic adiuuant eos, quia ipsi remanent in paupertate.*

Diuitiæ instar Draconis venenum.



# FERIA SEXTA POST DOMINICAM secundam Quadragesimæ.

## Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, &c.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

1. SVB vineæ parabola à patrefamilias plantatæ in agricolarum emolumentum, quantùm in omnibus diuinæ beneficentiæ humana ingratitudo aduersetur, ostenditur. Suam paterfamilias beneficentiam quadrupliciter ostendit. Primò in agricolarum vsum vineam plantat. Secundò, eam sępè circumdat. Tertiò, in ea torcular fodit. Quartò, in ea turrim ædificat. Quadruplici huic beneficio agricolarum ingratitudo similiter quadruplex respondet; seruos enim patrisfamilias vel verberant, vel occidunt, vel lapidant; vel tandem hæredem ipsum interimunt.

Ingratitudo humana ergo diuinam beneficentiam.

2. Porrò beneficia à Domino in vineam collata, eadem, quæ in hoc Euangelio ab Isaïa etiam enumerantur cap. 5. *Vinea facta est dilecto meo; sepiuit eam, & lapides elegit ex illa; & plantauit eam electam; & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea.* Sed apud Isaïam ingratitudinis culpa ipsi vineæ tribuitur. *Expectauit; vt faceret vuas, & fecit labruscas*: in Euangelio verò, ne à Domino fructus reciperentur, non vinea, quæ fœcunda supponitur, sed agricolæ culpantur. *Misit seruos, vt acciperent fructus; & agricolæ alium ceciderunt, alium occiderunt; alium vero lapidauerunt.* Quod quidem discrimen inter Iudaïcam, & Euangelicam vineam, Ecclesiasticis Euangelicæ vineæ præsidentibus pudorem, & timorem plurimum incutere debet. Quandoquidem nunc, non vineæ degenerantis vitio, sed eorum culpa, quibus vineæ cura demandatur, fructus Domino debiti denegantur. Præterea apud Isaïam ad vineæ fœcunditatem, ex ea sublatos fuisse lapides dicitur, *lapides elegit ex illa*: quæ quidem industria in Euangelica vinea non legitur: quia scilicet ipsi lapides, nempe peccatores lapideum cor habentes, qualis Matthæus publicanus erat, qualis Magdalena peccatrix, Christi Domini sanguine fœcundati dignos pœnitentiæ fructus erant daturi; & è vineæ, hoc est ab Ecclesiæ gremio segregandi non erant. Quod quidem iudicare voluit Ioannes dicens: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*; nempe ex peccatoribus sanctos, & electos facere; vt sint veri filij Abrahæ: iuxtà illud, inquit Hugo Cardin. ad Romanos 9. *Non filij carnis semen sunt Abrahæ, sed qui filij Dei sunt.* Matth. 3.

Vineæ Synagogam vel Euangelicam Ecclesiam significantis discrimen.

Vineæ ... lapides ... Euangelica vinea

### *Plantauit vineam.*

3. VInea hæc Ecclesiam significat, hoc est fidelium congregationem, in qua vera religio, verusque Dei cultus continetur. De hac vinea ait Bernardus serm. 30. in Cant. *In fide plantata, in charitate mittit radices; defossa sarculo disciplinæ, stercorata pœnitentium lacrymis, rigata prædicantium verbis; & sic sanè exuberans vino, in quo est lætitia, non luxuria; vino totius suauitatis, nullius libidinis.*

4. Reddit rationem Chrysostomus, cur Noë statim post diluuium vineam plantauerit: Gen. 9. *Cœpit Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.* Vbi Chrysostomus ait: *Considerate quomodo iustus ille tristitia deprimebatur, videns tam immensam solitudinem; cum ergo tantum inualuerat mœror, paruam quamdam consolationem excogitans terræ colendæ se dedidit, & vineam plantauit.* Porrò Noë in vinea post diluuium plantanda Redemptorem præfigurasse testatur Rupertus. Sed quæ solitudo Dei Filio erat apud æternum Patrem, inter Angelorum choros, vt ipse etiam tamquam Noe ad solitudinem solandam, vineam, hoc est Ecclesiam plantare excogitarit?

Noë ad solitudinis suæ ... vineam plantauit; Deus vero suam Ecclesiæ vineam plantauit, ... electorum numero ... consolaretur.

5. Respondetur Deum tanta hominem charitate dilexisse, vt illi cælum, quamuis Angelis

> Cælum Angelis frequentissimum desertum sine hominibus Deus vocat. Lucæ 15.

frequentissimum, veluti solitudo, ac desertum visum fuerit; eo quòd inde per peccatum homines arcerentur. Quare cum Dei filius ad hominem perditum quærendum sub pastoris parabola dicitur *dimisisse nonaginta nouem oues in deserto*. Deserti nomine cælum significauit. *Dimisit nonaginta nouem oues in deserto; quia illos summos Angelorum choros reliquit in cælo. Cur autem cælum desertum vocatur; nisi quod desertum dicitur derelictum? tunc autem cælum homo deseruit, cum peccauit*, ait Gregorius. *Nonaginta nouem relicti cælestis gloriæ multitudo est*, inquit Hilarius. Hinc exclamat Ambrosius: *Diues pastor, cuius omnes nos centesima portio sumus, habet Angelorum, habet Archangelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit*: scilicet vt hominem perditum inueniret. Confirmant, quæ diximus Domini verba apud Isaiam cap. 52. *Nunquid mihi est hic, quoniam ablatus est populus meus gratis? Quasi dicat*, inquit Hugo Cardinalis, *ex quo genus humanum exulat in mundo, & premitur à diabolo, quid mihi est hic, id est in cælo; quia non reputo me aliquid habere in cælo, habendo Angelicos spiritus, qui sunt quasi nonaginta nouem oues in deserto; nisi etiam habeam ouem errabundam in exilio.*

> Gregorius hom. 34. in Lucam. Ambrosius lib. 7. in Luc. cap. 15.

6. Denique ex Augustino Dei filij verba sunt illa ex Psalm. 140. *Singulariter sum ego donec transeam*: vbi ex eodem Augustino, & Hieronymo legitur: *Singulari*, hoc est *solitarius sum ego, donec transeam*. Quibus verbis Dei filius, quamuis Angelorum choris circumdatus, adhuc solitarium se esse significat, donec transeat; hoc est, donec suscepta humana carne mortem subeat; suaque morte redemptos homines cælo inferat.

> Solitarium se sine homine Deus Angelis circundatus putat.

*Sepem circumdedit ei.*

7. Ex S. Bernardo Ep. 141. sub nomine sepis, torcularis, & turris tria religionis vota videntur intelligi; quandoquidem *Religiosæ familiæ tamquam vineæ Deus sepem circumdedit votiuæ continentiæ; torcular districtissima disciplina fodit in ea; & ædificauit sanctæ paupertatis turrim ad cælos vsque pertingentem*. Meritò autem turrim, religiosam paupertatem vocat Bernardus: cum ea aduersus auri, argentique machinas, quæ ipsam irrito ictu arietare conantur, in sublime excitetur: & vt Danaes turri, ad quam deprædandam aureus imber impluit, omninò dissimilis cognoscatur.

> Vineæ sepes castitatem, torcular obedientiæ obseruantiam, turris paupertatem significat.

8. Isaiæ 58. de Deo dicitur: *Vocaberis ædificator sepium*: ex Hugone Card. iuxta Hebræum idioma *Deus in Ecclesia vocabitur, id est erit ædificator sepium*. E sacris autem litteris sex sepium genera Hugo enumerat, quibus Ecclesiæ vineam Dominus munit. Primò sepes dici possunt præcepta regulariter viuendi. Vnde Eccli. 36. dicitur: *Vbi non est sepes, diripietur possessio*. Cui consonat Theophylactus dicens: *Sepes lex est non sinens fideles gentibus misceri*. Secundò sepis nomine, intelligitur custodia Angelorum; vnde Isaiæ 5. dicitur; *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei; & sepiuit eam; nempe custodia Angelorum*, vt subdit Glossa, & explicat Hieronymus hic. Tertiò sepes est flagellum Dei, & disciplina, quam Dominus adhibet, vt intercludat aditum ad peccatum; vnde Oseæ 2. dicitur: *sepiam vias tuas spinis*. Quartò sepes est arcta custodia sensuum; de qua sepe dicitur Ecclesiastæ 10. *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber*. Quintò sepes est memoria Dominicæ passionis, & mortis; vnde Ecclesiastici 28. dicitur; *sepi aures tuas spinis*, vbi ait Hugo: *Ad litteram*

> Sepium sex genera.

Danielis secundo legitur: *Abscissus est lapis de monte, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Lapis hic non statuæ caput ex auro optimo; non pectus, & brachia de argento, non ventrem, & femora ex ære; non tibias ex ferro; sed infirmiores pedes ex terra partim conflatos percussit. Hunc lapidem satanæ suggestio è superbiæ monte in infirmiorem partem irruens imitatur. Ad hanc partem dignoscendam circuire diabolus dicitur. Quare ne Satanæ circumeunti aditus in animam pateat, singuli homines, sed præcipuè iusti Angelica custodia veluti munitissima sepe ambiuntur. Quod quidem Psalm. 33. vers. 8 indicare voluit Dauid: *Immittet*, scilicet se, *Angelus Domini in circuitu timentium eum*: vbi ex Hebræo legitur: *In modum coronæ cinget Angelus Domini timentes eum.* Porrò cum Diabolus ad animas deprædandas circuire dicatur *tamquam leo rugiens*; ad custodes Angelos spectat tartarei huius leonis, ne deuoret, ora concludere: quod quidem sub figura expertus est Daniel è corporalium leonum morsibus ab Angelo liberatus: *Deus meus misit Angelum, & conclusit ora leonum; & non nocuerunt mihi*, vt ipse testatur.

Diabolo circumeunti Angelica custodia homines ambiens, opponitur.

Dan. 6. vers. 22.

13. Zachariæ 9. dicitur: *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes, & reuertentes: & non transibit super eos vltra exactor.* Quod S. Hieronymus sic interpretatur: *Circumdabo domum meam Angelorum præsidio. Nec transibit super populum meum vltra exactor, de quo dicit Isaias 14. Quomodo cessauit exactor, requieuit tributum!* Hoc Isaiæ loco exactoris nomine malus Angelus est intelligendus, iuxtà S. Athanasium dicentem: *Postquam tu, Domine, ab illo extorsisti chirographum, quod erat contra nos, idque affixisti cruci; Omnes Satanæ insultant dicentes: Quomodo cohibitus est exactor?* Quare Satan exactoris nomine significetur, reddit rationem S. Cyrillus in illud Isaiæ 9. *Sceptrum exactoris eius superasti: Imperium, inquit, dæmonis superasti, qui quotidie, quasi durus exactor imponit, & exigit à suis peccatoribus iniquissima, & grauissima peccatorum tributa, ad quæ eos incitat, & pene compellit.*

Diabolus velut durus exactor peccatorum tributa exigit.

De Passione, & Cruce.

Lib. 2. ad Coloss. 14.

14. *Visus est mons plenus equorum, & curruum, ignearum in circuitu Elisei* 4. Reg. 6. *Hi sunt exercitus Angelorum custodientium Elisæum*, ait Hugo Cardinalis. Rursus paulò post eodem lib. 4. cap. 19. ad tutandum Ezechiam, & Ierosolymam vniuersam contra ingentem exercitum Sennacherib regis Assyriorum vnicus tantùm Angelus mittitur. Quæritur vnde tantum discrimen prouenniat? Cur scilicet ad vnius Elisæi custodiam ingens Angelorum multitudo immittatur; ad Ezechiæ verò tutelam, qui pius rex fuit, & ad Ierosolymæ vniuersæ custodiam, quam Sennacherib oppugnaturus aduenerat; vnicus tantùm Angelus destinetur? Ratio discriminis est, quia Angelorum multitudo primo loco missa Elisæum tantùm custodire, Assyriorum verò sanguinem effundere non debebat; cum legatur hostibus Eliseum pepercisse, eosque incolumes dimisisse. *Dixit rex Israël ad Eliseum: Numquid percutiam eos, pater mi? At ille ait: Non percuties; sed pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant, & vadant ad dominum suum.* Contra verò Angelus in Sennacherib missus, trucidare debebat centum octoginta quinque millia Assyriorum. Deus autem, quamuis tam vnico Angelo Eliseum custodire, quàm exercitum Assyriorum sternere potuerit, nihilominus quia *Miserationes eius super omnia opera eius*: ideo quando erga ser-

Angeli plures mittuntur ad Elisæum custodiendum, vnus verò Angelus ad trucidandum exercitum Assyriorum.

Ezechiæ elogium habetur Eccli 48.

Psalm. 144.

A uos suos beneficentiam exercere, quando peccatorum misereri, ijsque parcere statuit; ad huiusmodi munus magnum Angelorum numerum destinat. E contrario cum diu lacessitus diuinæ vltioni hostium interitu satisfacere decernit, tunc veluti ad opus sibi planè iniucundum vnicum tantùm Angelum mittit.

15. Cum Psalm. 28 dicitur: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*; Angelorum cœtus filij Dei vocantur iuxtà Paraphrasten; iuxtà Arnobium. Angeli autem inuitantur, vt Deo offerant filios arietum, hoc est agnos ab hœdis contradistinctos, quibus significantur electi. Subditur ibidem deinde ad eosdem Angelos: *Adorate Dominum in atrio sancto eius*: ex Hebræo legitur: *Adorate Dominum in adyto sancto eius.* Quodnam est hoc atrium, vel quodnam est hoc adytum, seu secretior templi locus, in quo Angeli ad Deum adorandum inuitantur? Templum Dei iustorum corda sunt, quibus dicitur: *Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Deus; quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos.* Eadem, quæ ad inambulandum atria sunt, adyta sunt ad inhabitandum. In hoc templo consistentes Angeli ad Deum adorandum, Deoque benedicendum, eiusque laudes emodulandas inuitantur. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius*, ait Dauid. *Constat*, inquit Origenes, *multas esse virtutes intra nos, quibus vel animarum nostrarum, vel corporum cura permissa est. Quod autem sint, non solùm circa nos multæ diuinæ virtutes, sed etiam intra nos, indicat Propheta, cum dicit in Psal. Benedic anima mea Dominum; & omnia interiora mea nomen sanctum eius.* Huic Origenis sententiæ consonat, quod de ipso Origene legitur: *Illius pater Leonidas Sanctus Christi Martyr, cum in paruulo filio pijssimam indolem, & magnæ virtutis semina prospiceret, consueuerit dormientis pectus nudatum exosculari, illudque venerari, veluti templum, in quo Spiritus sanctus, adeoque Angelici spiritus inhabitarent.*

Angeli filios Dei nominare vocantur.

1. ad Cor cap. 6. Leuit. cap. 26.

Psalm 102.

Origenes in Iosue hom. 20.

Angeli intra iustorum corda velut in sacro templo Deum laudant, & benedicunt.

In vita Origenis.

D 16. Cum sub mortem Dominus sanctissimam matrem Ioanni commendasset: *Ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, vt ait sacer textus. *Quid est in sua*, inquit Ambrosius; *cùm reliquerit patrem, & Christum secutus sit? Aut quomodo in sua; cum ipsi Apostoli dixerint: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana, & secularia non habebat?* Hinc Ambrosij quæsito ad rem nostram respondetur, cùm Psalm. 102. iuxta Origenem Angeli interiora animæ vocentur: *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sancto eius*; cumque Ioannes exteriora bona non haberet, in sua interiora, nempe in Angelorum custodiam Dei matrem accepit: & quidem vbi decentius, quàm intra animam cælesti gratia adornatam, inter Angelicos cœtus Angelorum regina excipi debebat? Quare benè subdit Ambrosius: *Neque enim mater Domini Iesu, nisi ad possessionem gratiæ demigraret, vbi Christus habebat habitaculum.* Quod si intra Ioannem Christus habitaculum habebat, ibidem Angelos inhabitasse dicendum est. *Vbicumque enim fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*, à Domino dictum est. Quo in loco aquilarum nomine Angelos, corporis nomine Christum Dominum significari docet Chrysostomus Homilia 77.

Ioan. 19.

Ioannes B. Virginem in sua accepit, hoc est in custodiam interiorum, vbi Angeli residebant.

Ambrosius in exhortatione ad Virgines.

Matth 19.

Angeli Animæ interiora nominantur.

Matth. 24.

17. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum*, dicitur Matthæi 18. Cur, vt cœlum ingrediamur, veluti paruuli effici debemus? Scilicet, vt tamquam paruuli beatos An-

Custodes Angelos vere paruuli ... habent.

*gelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem preparaui; obserua eum & audi vocem eius, quia non dimitto, cum peccaueris.* Acriter enim à Deo puniuntur, qui erga diuinam beneficentiam ingrati Angelorum custodiam non magni faciunt, eorumque interna monita aspernantur. Ideo Sophon. cap. 1. vbi de obstinatis peccatoribus Deus ait: *Visitabo super viros defixos in fœtibus suis:* Septuaginta legunt, vt notat Hugo Cardinalis. *Visitabo super viros contemnentes custodias suas.*

18. Oppositum peccatoribus accidet; hi enim pœnitentiam non agentes à sanctis Angelis in æterna supplicia eiicientur. Nam, vt testatur Gregorius: *Qui in cunctis delinquimus, in cunctis ferimur.* Cùm peccatores erga sanctorum Angelorum beneficentiam ingratis animis frequentissimè deliquerint, per sanctos etiam Angelos puniri debent. Hieronymus de bonis Angelis verba faciens citans illud Psalmi 103. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Duplex*, inquit, *Angelorum officium est; aliorum, qui iustis præmia tribuunt; aliorum, qui singulis præsunt cruciatibus:* detrudendo scilicet reprobas animas ad infernum ignem, vt explicat Maldonatus. Et quidem æterno igne peccatores puniri debent, speciatim, eò quod vitiorum fœtido fumo à se sanctos Angelos procul expulerint. *Sicut fumus apes, & fœtor columbas fugat: sic miserabile, & putidum peccatum repellit vitæ nostræ custodem Angelum*, ait sanctus Basilius. Sanctus Ambrosius explicans illa verba ad Rom. 8. *Vanitati creatura subiecta est non volens: Scimus*, inquit, *quod omnis creatura ingemiscit. An ipsos Angelos, qui in istius mundi laboribus diuersa sustinent ministeria, non ingemiscere credimus, cum adhibentur pœnarum, & excidiorum ministri? qui habentes vitam beatam, mallent vtique eam in illo superiori tranquillitatis suæ statu currere, quam nostrorum peccatorum pœnis vltricibus interpolari.*

In Euang. hom. 35.

In Dan. cap. 7

Angeli sancti iustis præmia tribuunt; [illegible] cruciatuum ministri sunt.

Maldonatus in Luc. cap. 16.

Basilius apud Maxim. [illegible] de pecc. Ambrosius lib. 5. epist. 21.

Peccatores inferno æterno puniuntur, quòd fœtido peccatorum fumo sanctos Angelos procul expulerunt.

19. Sed, vt quanto obsequio sanctos Angelos prosequi debeamus, constet; recolenda est quæstio, quam Theodoretus Genesis initio proponit: cur in mundi opificio Moyses creationis Angelorum non meminerit. Ne scilicet cognita Angelorum præstantia, ac dignitate, homines erga Angelos idololatriam committerent. *Huiusce rei gratia Deus vniuersitatis conditor neminem veterum*
E *allocutus est per Angelum, vsque ad tempora integerrimi Abrahæ*, ait Theodoretus. Primis igitur illis hominibus ignoti Angeli fuerunt, ne scilicet indebito obsequio, tamquam Dij haberentur: nobis cum beati Spiritus & fidei lumine, & beneficiorum frequentia noti sint; si iis debitum honorem non præstemus, nullum sanè reperiet tanta iniquitas excusationis locum.

Angelorum creationis in mundi opificio cur Moyses non meminerit.

20. Genes. 2. ad vltimam terrestris Paradisi perfectionem exprimendam, post perennem pellucidi fluuij irrigationem, *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum*; post propositum Adam custodem Angelorum; quæ ad humanum cor custodiendum datur: ita vt vel ex hoc titulo cor humanum
B Paradisus dici possit cum B. Marco eremita in opusc. de Paradiso, vbi ait: *Cùm Scripturam audieris enarrantem quæ pertinent ad Paradisum; omnibus affectionibus semotis ad cor tuum conuerte animam, & reperies ibi paradisum.*

Paradisi terrestris ad præstantiam indicandam ei Adam custos à Deo positus [illegible].

Paradisus est cor iusti.

21. Iob cap. 10. Deum alloquens ait: *Vitam, & misericordiam tribuisti mihi.* Quænam est ista tam perennis Dei misericordia humanæ vitæ indiuidua comes? subdit Iob ex Hebræo: *Prouidentia tua custodiuit spiritum meum:* rursus quænam est ista Dei prouidentia, qua primus hominis spiritus, totiusque humanæ vitæ cursus custoditur? Certè Angelorum custodia est: dicitur enim significanter Ecclesiæ testimonio *Deus ineffabili prouidentia sanctos Angelos suos ad nostram custodiam*
C *mittere.* Meritò igitur exclamat Hieronymus: *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Vbi addit S. Bonauentura. *Quod ex Hieronymi sensu ad custodiam hominis Angelus dicatur deputari ab ortu natiuitatis, intelligendum esse non solum de natiuitate ex vtero; sed etiam in vtero: ex tunc enim Angelica custodia circa eum, qui nasciturus est deputatur; quia illa custodia principalius respicit spiritum, quàm corpus.* Benè igitur de Angelorum custodia dixit Iob: *Vitam, & misericordiam tribuisti mihi.*

Misericordia hominis vna cum vita à Deo tributa, Angelorum est custodia.

Hieronymus cap. 18. in Matth. Bonauentura lib. 2. dist. [illegible]

Angelorum custodia non solum in natiuitate ex vtero, sed in vtero homini datur.

*Et fodit in ea torcular.*

22. SI Matthæus dixisset: *Fodit lacum*, vt Marci 12. dicitur, nulla esset difficultas: sed *fodit torcular*, dixit: & in Græco ληνὸν habetur, ληνὸς verò non significat vas illud torculari subiectum, in quo vuarum liquor è prælo defluens excipitur; hoc enim ὑπολήνιον dicitur, quasi sub prælo: sed significat torcular calcatorium, in quo calcantur vuæ; vnde in [illegible], seu vas inferius defluunt. Huiusmodi autem torcular cum subterraneum esse neque soleat, neque debeat; sed sublime, atque editum vt inde deorsum liquor defluat, ideo cum verbo *Fodit*, non benè iungi videtur. Præterea Isaiæ 63. etiam torcular ληνὸς Græcè appellatur; ibique cum à
E cum à Christo Domino dicitur, *Torcular calcaui solus*, torcularis nomine crucem significari sacri interpretes asserunt. *Torcular calcaui solus*, ait Hugo Cardinalis: *Quasi dicat, ideo rubeus sum, quòd in torculari crucis pressus sum, & calcatus.* Ibi enim, *Calcaui*, ex phrasi Hebræa, idem est, ac *calcari permisi*: sicut ad Rom. 11. *Conclusit Deus omnia in incredulitatem*; id est concludi permisit iuxtà Theodoretum, Ambrosium, & Anselmum ibidem. Similiter Petrus Damiani serm. de inuentione Crucis ait: *Ex torculari crucis largissima benedictionis vnda profluxit, quæ maledictionis antiqua virus omne detersit: inde nimirum*

Torcular non [illegible] [illegible] quo mustum defluit, sed superius prælum, vbi vuæ premuntur significat.

Torcular crucis symbolum.

*stillicidia charismatum prorumpunt; quæ ariditatem humanarum mentium salubriter irrigant; omniumque virtutum felici fruge fœcundant.* Hoc posito, vt inter typum, remque significatam, nempe inter crucem, & torcular similitudo benè respondeat; per torcular potius ligneum prælum, quàm subiectum prælo lacum significari dicendum est. Quod præterea confirmatur ex titulo plurium psalmorum, nempe 8. 80. & 83. qui pro torcularibus inscribuntur: vbi siue torcularis nomine significetur ligneum musicum instrumentum torcularis, hoc est præli similitudinem referens, ad cuius sonum emodulandi erant illi psalmi, vt censent Lyranus, Eugubinus, & Burgensis: siue significetur Domini crux, vt placet Hugoni, qui propterea Psalmum 80. feria 6. cantari asserit; ex his semper patet torcular potius superius prælum, quàm inferiorem lacum significare. Hinc autem oritur indicata supra difficultas; scilicet quod torcular fodi non benè dicatur, sicut neque benè diceretur fodi prælum. Quare Isaiæ quinto non dicitur *Fodit torcular*, sed *torcular extruxit*. Cui difficultati, vt fiat satis,

Torcular instrumentum musicum.

23. Respondetur ex Hebræa lingua, fodere sæpe idem esse, ac emere: quare Deut. 2. vbi dicitur: *Aquam emptam emetis, & bibetis*; ex Hebræa lectione habetur: *Aquas fodietis ab eis argento*: & ex Chaldæo: *Aquam emetis ab eis argento*. Ne verò qui existimet eo Deut. loco, fodere aquas idem esse, ac empto solo fodere puteum: dicitur paulò ante: *Neque dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium.* Similiter Oseas cap. 3. de muliere in vxorem ducta ait: *Fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.* Vbi cum, *fodi*, idem sit, ac *emi*; pro *fodi*, *emi*, vertit Isidorus. Et S. Ambrosius cum 70. legit: *Mercede eam mihi comparaui.* Cuius emptionis ratio habetur ex S. Isidoro l. 5. etym. cap. 24. dicente: *Antiquus nuptiarum ritus erat, quo se maritus, & vxor inuicem emebant.* Quare Gen. 34. ad vxoris emptionem Sichem Sichimorum princeps patrem, fratresque Liæ sic alloquitur: *Quæcumque statueritis, dabo; augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc vxorem.* His explicatis cum dicitur: *Fodit in ea torcular*, idem est, ac emit in ea torcular, seu prælum ad vinum ex vuis exprimendum. Si quis verò miretur, cur fodere pro emere vsurpetur, cum inter vtriusque verbi proprios significatus conuenientia non appareat?

Fodere in scripturis sæpe idem emere significat.

Ep. 15.

24. Respondeo primò quærendo, cur apud Latinos *Ius* tam diuersa significet, vt vel ad iustitiæ statuta, vel ad esculenta referatur; eademque vox ad forum, focumque pertineat? Similiter quæ conuenientia est inter montis apicem, & ligneum instrumentum, quo boues iunguntur; vt eodem vocabulo, nempe iugo, exprimantur? Porrò mirum esse non debet, si Latinus interpres dicens fodit, non emit, Hebraïcam phrasim retinuerit; id enim in plurimis aliis locis sacræ scripturæ frequentissimè contigit. Gen. 49. *Simeon, & Leui vasa iniquitatis* dicuntur; vbi in Latina versione duplex Hebraïsmus retinetur: cum enim vertere debuisset, *Simeoni, & Leui instrumenta iniqua*, vertit vasa iniquitatis: quia vas apud Hebræos quodlibet instrumentum significat; & rursus Hebræi pro epitheto substantiuum in primo obliquo casu adhibere solent: & hinc non vasa iniqua interpres vertit, sed *vasa iniquitatis*. Similiter Psal. 7. sagittæ *vasa mortis* dicuntur; cùm latinè dici debuissent *Instrumenta mortifera*. &

Hebraïcam phrasim sæpè [illegible] interpres seruat.

Vas Hebraïcè [illegible] significat

A Actorum 9. Paulus Apostolus dicitur *Vas electionis*, id est instrumentum electum. Præterea notabile Hebraïsmi exemplum est Ier. lament. cap. 3. *Non defecerunt miserationes eius; noui diluculo; multa est fides tua.* Vbi, nouæ, legendum latinè esset; cum ibi Dei miserationes semper nouas, & nouas esse, & nunquam deficere significetur; sed Latinus interpres, quod est in Hebræo genus retinere maluit. Denique cur Hebraïsmum in hoc Euangelij de torculari loco noster interpres retinere voluerit, peculiaris ratio reddi potest; scilicet quòd dicendo, *Fodit torcular*, vocabulum illud, *Fodere*, tam emere, quàm effodere significat, atque adeo ad vniuersum torcularis complementum referri potest; scilicet ad prælum, prout
B emere significat; & ad inferiorem subterraneum lacum, prout eadem voce effodere, & excauare significat.

25. Respondetur secundò verbis Hieronymi lib. 1. apologiæ aduersus Ruffinum dicentis: *Nisi prolixum esset, &c. videres quanta sylua sit apud Hebræos ambiguorum nominum, atque verborum, quæ res diuersæ interpretationi materiam præbuit.* Hoc autem notat Hieronymus, cum Ruffinus miraretur eamdem Psalmi 2. particulam quadrupliciter vel à Hieronymo, vel ab aliis interpretibus verti: nempe vel *Apprehendite disciplinam*, vel *Adorate filium*; vel *Adorate purè*; vel denique *Osculamini triticum.* Respondetur tertio apud Hebræos fodere pro emere non incongruè vsurpari: quia fodere, seu effodere, est extrahere; quod autem
C emitur à possessione venditoris ad emptoris possessionem extrahitur. Quid autem in hac parabola torcular significet, mox dicetur.

Hebraïca nomina ambigua sunt, ita vt eadem sententia quadrupliciter versatur.

Fodere cur emere significat.

*Et ædificauit turrim.*

26. Ex communiori sententia sicut torcular altare, vnde victimarum sanguis defluebat; ita turris Ierosolymitanum templum significat. Sed in Euangelica lege, & Ecclesia torcularis nomine, vel Dominicæ passionis, præsertim in Missæ sacrificio, meditatio; vel propriorum criminum
D consideratio significari potest. Ex hac enim piæ, ac salutares pœnitentiæ lacrymæ exprimuntur: tales autem lacrymæ veluti suauissimi vini potum Deo exhibent; Deus enim, vt Chrysologus serm. 93. ait: *Sitit lacrymas peccatorum.* Pœnitentis insuper, dolentisque cordis lacrymæ vinum sunt, quod non solùm lætificat cor hominis, sed etiam Angelorum: & ideo *lacrymas Angelorum delicias* vocauit Bernardus.

Torcular altare, vnde victimarum sanguis defluebat, significat.

Turris in vinea Ierosolymitanum templum significat.

Torcular Dominicæ passionis meditationem, vel propriorum criminum considerationem significat.

Lacrymas peccatorum Deus sitit.

Lacrymæ pœnitentis Angelorum deliciæ.

Bern. serm. 68. in Cantic.

27. Secundò turris nomine in Ecclesia diuini nominis inuocatio, cælestisque opis imploratio significatur: & ideo fidelis anima postquam Deum obsecrans ait: *Exaudi, Deus, deprecationem meam,*
E *intende orationi meæ*; subdit: *Factus est spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Quia vineæ extra vrbis mœnia, hominumque frequentiam sunt, earum custodes turri indigent, vt ex ea, tamquam ex edita specula prædones, vel bestias vineam inuadentes vndequaque circumspiciant, & procul arceant. Ideo Prouerb. 18. 10. dicitur: *Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit iustus, & exaltabitur*; hoc est, in huiusmodi turri tamquam prouidus speculator sublimis erit. De Iudæorum vinea, nempe de Synagoga dicitur Psalm. 79. 14. *Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam*: id est diabolus, iuxtà Hilarium, & Chrysostomum, qui ob superbiam, & summam crudelitatem singularis ferus dicitur. Ne in Iudaïcæ vineæ calamitatem incurramus,

Turris diuini nominis inuocationem, diuinæque opis implorationem significat. Psal. 60.

Hilar. in Psal. 67. Chrysost. homil. [illegible] ad Eph.

Diabolus ob superbiam, & feritatem singularis ferus dicitur.

Psalm. 60. incurramus, nobis Deus *est turris fortitudinis à facie inimici.* Vbi Augustinus ait, *Diabolo per tot loca, & tempora, & occasiones insidiante aduersus me, Christus est mihi turris fortitudinis, quò cum fugero, non solùm vitabo tela inimici; sed etiam in illum, quem voluero, securus ipse tela iaculabor. Caue ne feriaris à diabolo: fuge ad turrim; numquam te ad illam turrim diabolica iacula sectura sunt. Vbi stabis munitus, & fixus: ante te est turris; recordare Christum, & intra in turrim. Tu potius in diabolum iaculare tela, quibus feriatur*, & sic de eo victoriam reportes: *Turris fortissima nomen Domini; ad ipsam currit iustus, & exaltabitur.* Victor profectò, & triumphans exaltabitur.

Turris munitissima est Christus contra diaboli insidias.

28. Tertio, B. Virgo, eiusque erga fideles tutela turris nomine in Ecclesia significatur. Ideo Deipara *Turris Dauidica* dicitur. Nam, vt ait Hailgrinus Cardinalis Sabinensis, *B. Virgo est sicut turris Dauid, hoc est à Christo vero Dauide fabricata, vt peccatoribus esset refugium, & munimen. Propugnacula huius turris sunt virtutes, gratiæ, & prærogatiuæ, quibus peccatores protegit, & inimicum expugnat.* Hinc B. Virgo de seipsa ait Cantic. 8. vers. 10. *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Vbi Guilielmus sic Deiparam loquentem inducit. *Ex quo sensi me in vtero habere de Spiritu sancto, proculdubio tanta excellentia, tanta potentia, tantaque clementia facta sum; vt omnibus ad me confugientibus non tantum murus sim ad muniendum; sed & mater ad nutriendum; & talis mater, cuius vbera sunt, sicut turris; id est cuius materna pietas non tantum paruulos nutriet; sed etiam dum adhuc in nutrimentis sunt, & minus apti ad prælium; hostibus inaccessibiles faciat, cum creuerint fiducialiter processuros in campum; non tantùm carnem, & sanguinem, sed & spiritualia nequitiæ in cælestibus prouocaturos ad prælium.*

Turris est B. Virgo ad homines protegendos, ınferniumque hostem expugnandum.

In Cant. cap. 4.

*Et locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.*

29. Agricolæ non solùm sunt sacerdotes, populique pastores, & rectores, ad quos spectat mysticam Dei vineam spiritualiter excolere; sed etiam fideles omnes, qui vineæ partem sibi traditam excolere debent, nempe propriam animam, eam in diuinæ legis mandatis exercendo: è singularum enim partium culturâ fit, vt vinea tota excolatur. Deus huius vineæ Dominus quamuis vbique præsens sit; & ideo Cantic. 8. dicat: *Vinea mea coram me est:* dicitur tamen *peregrè profectus*; quia veluti absens, & tamquam agricolarum defectus, ingratumque animum non videns, eos non statim punisse dicatur. Porrò quamuis propriam animam spiritualiter excolere vnicuique mandatum sit; præcipuè tamen ab Ecclesiasticis propriæ animæ, & proximorum cultura à Deo exigitur. Patet hoc Luc. 16. vbi parabola de prauo villico narratur, cui dictum est: *Redde rationem villicationis tuæ.* Cum enim plures parabolas Dominus turbis proponere consueuisset, testante Matth. 13. *Congregatæ sunt ad eum turbæ multæ; & locutus est eis multa in parabolis:* nihilominus allatam villici parabolam tantum discipulis suis dixisse Dominum Lucas scribit: *Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum; & ait illi: Redde rationem villicationis tuæ.* scilicet vt Domini discipuli, & postea Ecclesiasti-

fructus Iudæi reddere debebant. Tertiò dicente iterum eodem Ioanne: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*: dicente etiam Dei filio: *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum*: tandem post Domini Passionem dicente Petro: *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra*; tunc etiam salutaris pœnitentiæ fructus exigebantur.

Luc. 3. Matth. 4. 17. Act. 3. 19.

33. Si verò præter directum sensum de Iudæis, parabolæ etiam significatum quibuscumque fidelibus aptare velimus; Cum Deus per interna excitantis gratiæ auxilia ad benè operandum homines aduocat, tunc tempus est bonorum operum fructus reddendi; cùm de iusto Psalm. 1. dicatur: *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Deus enim humanæ imbecillitati se accommodans, bona opera non simul, vel statim à nobis exigit; sed in tempore suo, ea enim iuxtà temporis, locique circumstantias exerceri vult. Hieronymus explicans Ecclesiastæ verba cap. 3. 5. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus*, ait: *Quia non potest humanus animus semper in sublime tendi, & de diuinis, & altioribus cogitare, nec iugiter esse in contemplatione rerum cælestium; sed interdum necessitatibus corporis indulgere: propterea tempus est amplexandi sapientiam, & eam strictius continendi; & tempus relaxandi mentem ab intuitu, complexuque sapientiæ; vt curæ corporis, & his quibus vita nostra absque peccato indiget, seruiamus.* Similiter Hugo Cardinalis. *Tempus amplexandi est tempus contemplationis, vbi sponsa, nempe anima, osculis, & amplexibus sponsi cælestis iucundatur. Tempus longe fieri ab amplexibus est, quando proximorum necessitas, & salutaris vtilitas exire ad actiuam vitam requirit. Vnde sponsus aliquando vocat sponsam ad campum actionis, aliquando quiescere iubet in lecto contemplationis. Ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velis. Deinde: Surge, propera, amica mea, iam hyems transiit, imber abiit, & recessit: Flores apparuerunt in terra nostra: vineæ florentes dederunt odorem suum.*

Cantic. 2.

34. Dicitur præterea in parabola, *Cùm tempus fructuum appropinquasset*, vt significetur Dominum non esse præproperum exactorem; sed necessarium tempus ad bona opera inchoanda, prosequenda, & perficienda expectare. Hinc Tertullianus, afferens illud Ecclesiastæ: *Omnia tempus habent*, ait: *Nihil sine ætate est; omnia tempus expectant. Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoueri. Granum est primo, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula emittitur. Deinde rami, & frondes inualescunt, & totum arboris nomen expanditur. Inde germinis tumor, & flos de germine soluitur, & de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiu, & informis, paulatim ætatem suam dirigens, eruditur in mansuetudinem saporis. Sic & iustitia*, nempe sanctitas, quæ in bonis actibus ex vno in alium progrediendo perficitur. Ideo Apostol. ad Rom. 5. ait: *Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem: spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Porrò si vineæ nomine Israëliticum populum intelligamus iuxta Isaiæ 5. *Vinea Domini exercituum domus Israel est*: Tunc diuerso tempore valde dissimiles fructus vineam hanc protulisse legimus. Nam cum in sterili deserto Israëlis populus peregrinaretur, Israëlitica vinea vuas, dulciaque poma protulit, testante Domino Oseæ 9. *Quasi vuas in deserto inueni Israël; quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum.* Contra verò postquam in promissionis terra lacte, & melle manante eamdem vineam Deus collocauit, tunc ea diuinæ beneficentiæ ingrata syluestres labruscas protulit. *Expectauit Dominus, vt faceret vuas, & fecit labruscas*, vt dicitur Isaiæ 5. *& fecit spinas*, vt Septuaginta legunt. Quod si horum tam dissimilium fructuum ratio quæratur, illa profectò est; quia in sterili deserto Israëlitæ cum bonos fructus educerent, alieni à luxu, & crapula erant. Contra verò in fertilissima promissionis terra malè erga Dominum fructificantes, luxui, conuiuiis, crapulæque se dediderunt: subdit enim ibidem Isaias: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris.* Tantùm luxus nocet, tantum temperantia, & frugalitas iuuat.

Eccles. cap. 3. Tertul. lib. de Virginib. velandis cap. 1.

*Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt alium verò Lapidauerunt. Iterùm misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.*

35. QVod hîc sub parabola Dominus ait, sequenti cap. 23 apertè dixit: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

*Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.*

36. AB æterno nouerat Deus non fore, vt obstinati Iudæi Christum Dominum vererentur: quia tamen sub parabola hominis patrisfamilias loquitur; ideo humano more, quod fieri debebat, quasi existimans ait: *Verebuntur filium meum.* In Syriaco textu legitur: *Erubescent propter filium meum.* Sed si perfidi Iudæi veniente ad eos Domino, verecundia non erubuerunt; nec proprias iniquitates agnoscendo, se ei obsequentes exhibuerunt: in scelerum tamen pœnam proprio rubere sanguine coacti sunt. S. Vincentius serm. in die Parasceues asserit Iudæorum filios, cum nascuntur, habere manum dexteram plenam sanguine capiti innixam, in pœnam imprecationis illius, qua Matth. 27. Domini mortem postulantes dixerunt, *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Hinc etiam aliqui apud Hugonem Cardinalem asserunt Iudæos vsque in hodiernum diem cruentis morbis esse obnoxios. Iudæi cruentis morbis obnoxij sunt. Hugo in Psal. 77. vers 66.

*Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres; venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.*

Dicere aliquid intra se, diuersimodè significat.

37. DE Pharisæo secum tacitè cogitante dicitur Lucæ cap. 7. *Ait intra se*: Quare si similiter agricolæ *intra se*, hoc est secretò in cordibus suis dixerunt; quomodo mutuò se exhortabantur: *Venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius?* Respondetur agricolas *intra se*, hoc est inter se simul colloquendo illud dixisse: quare id clarius Marci 12. dicitur. B *Coloni dixerunt ad inuicem: Hic est hæres, venite occidamus eum.*

Iudæi cognouerunt Christum esse verum Messiam, & Dei filium ex S. Hieronymo

Psalm. 2. 8.

38. S. Hieronymus in cap. 21. S. Matth. citatus à sancto Thoma 3. p. quæst. 47. art. 5. explicans allata verba ait: *Manifestè Dominus probat ex verbis Iudæorum, Principes non per ignorantiam, sed per inuidiam, Dei filium crucifixisse: intellexerunt enim eum esse illum, cui Pater per Prophetam dicit: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: ergo videtur, quod cognouerint eum esse Christum, vel filium Dei.* Similiter hom. 43. Imperfectus in Matth. ait: *Ex superbia nascitur, ne quis velit ante se meliorem habere; sicut Iudæi Christum: non enim nescientes filium Dei esse occiderunt; sed habere eum talem non sustinentes:* C *sicut & prophetat de illis Salomon: Venite, circumueniamus iustum; quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris.* Contra tamen est, quod Petrus Apostolus dixit Act. 3. 17. *Nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri.* Similiter Paulus Act. 13. 27. *Qui habitabant Ierusalem, & principes eius hunc*, nempe Christum, *ignorantes & voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt*: hoc est condemnarunt eum: *& impleuerunt quæcumque scripta sunt*, vt ait Syrus. Et ipse Dominus Apostolis dixit Ioan. 16. *Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obse-* D *quium se præstare Deo: & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.*

Sapient. cap. 2.

Iudæorum principes cognouerunt Christum esse verum Messiam, non autem Dei filium ex S. Thoma. August. t. 3. lib. Q. noui testamenti Q. &c.

Ep. 1 ad Cor. cap. 2. 8.

39 Respondet S. Thom. supra citatus: *Apud Iudæos quidam erant maiores, & quidam minores. Maiores, qui eorum principes dicebantur (vt dicitur in lib. quæst. veteris, & noui testamenti.) sicut & dæmones cognouerunt eum esse Christum promissum in lege, omnia signa videntes in eo, quæ dixerant futura prophetæ. Mysterium autem diuinitatis eius ignorabant; & ideo Apostolus dixit: Quod si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sciendum tamen, quòd eorum ignorantia non eos excusabat à crimine; quia erat quodammodo ignorantia affectata: videbant enim euidentia signa diuinitatis ipsius; sed odio, & inuidia Christi, ea* E *peruertebant, & verbis eius, quibus se Dei filium fatebatur, credere noluerunt. Vnde ipse de eis ait Ioan. 15. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Minores verò, id est populares, qui mysteria Scripturæ non nouerant, non plenè cognouerunt ipsum esse Christum, nec filium Dei: licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et si aliquando dubitauerant, an ipse esset Christus propter signorum multitudinem, & efficaciam doctrinæ, vt habetur Ioan. 7. tamen postea decepti fuerunt à suis Prin-*

*Particula, sicut, non denotat ibi similitudinem in* A *causa facti, scilicet in ignorantia, sed in facto tantùm. Non est sensus: Scio, quòd per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri per ignorantiam fecerunt. Sed est sensus: scio, quòd per ignorantiam imitati estis Principum vestrorum factum.* Quare Beda in illud Lucæ 23. 34. *Non enim sciunt, quid faciunt*, ait: *Notandum, quòd non pro eis rogat, qui quem filium Dei intellexerunt*, hoc est intelligere potuerunt; *crucifigere, quàm confiteri noluerunt.*

43. Denique agricolæ dicentes: *Habebimus hereditatem eius*; significant Scribas, & Pharisæos qui cupiditate dominandi in Synagoga, & sub religionis specie acquirendi pia fidelium munera, Domini mortem machinati sunt. B

*Et apprehensum eum, eiecerunt extra vineam, & occiderunt.*

Concilistio Matthæi, & Marci de nece hæredis intra, vel extra vineam.

44. MArci 12. dicitur: *Et apprehendentes eum, occiderunt, & eiecerunt extra vineam.* Quare ne à Matthæo dissonet Marcus, dicendum est, agricolas ad eiiciendum extra vineam hæredem, eumque à vineæ possessione exturbandum, simul in eum impetum fecisse, simulque etiam ei lethalia vulnera inflixisse. Quare quamuis extra vineam occisus expirauerit iuxtà Matthæum; adhuc tamen iuxtà Marcum in ipsa C eiectione ob lethales plagas occisus dici potuit. Sic 1. Reg. cap. 17. 50. *Preualuit Dauid aduersum Philisthæum in funda, & lapide; percussumque Philisthæum interfecit. Et tulit gladium eius, & interfecit eum, praciditque caput eius.* Vbi bis dicitur Philisthæus à Dauide interfectus; prius lapide in intima fronte infixo, quo lethali vulnere viuere non poterat; ideóque inde interfectus dicitur; deinde gladio, quo illius necem accelerando absoluit. Iuxtà allatam Euangelistarum consonantiam suo parabola significatui benè respondet. Nam Dominus in vrbe Ierosolyma sæuissimè flagellatus, acutissimisque spinis in intimo capite confixus, huiusmodi lethalibus plagis ibi occisus dici potuit; quamuis deinde extra Ierosolymam in cruce passibilem vitam absoluerit. D

*Cum ergo venerit Dominus vineæ quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet; & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.*

Concilistio Matthæi, & Lucæ circa sententiam in malos vineæ colonos prolatam.

45. HVic Christi Domini interrogationi *Quid faciet agricolis?* Lucas cap. 20. E ipsum Dominum respondisse ait: *Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis:* quo audito, dixerunt illi: *Absit.* Matthæus verò ait Iudæos ipsos respondisse: *Malos malè perdet*, &c. Soluunt aliqui difficultatem dicentes prius Iudæos dixisse, *Malos malè perdet*, &c. deinde ipsum Dominum confirmasse. Sed adhuc remanet soluenda difficultas: si enim Iudæi audita Domini sententia dixerunt: *Absit*; ergo eamdem cum Domino sententiam de malis agricolis non protulerunt. Respondet Augustinus. *Quosdam respondisse, quod Matthæus commemorat; quosdam verò quod Lucas.* Respondet Chrysostomus, Iudæos corde dixisse, quod Matthæus dicit; ore

August. lib. de consensu Euangelist.

quod dicit Lucas. Probabilius dicendum videtur, prius Iudæos dixisse de agricolis: *Malos malè perdet.* Deinde confirmante Domino eorum de agricolis sententiam, cumex eius gestu, & loquendi modo intellexissent Dominum de ipsis sub parabola illa loqui, dixisse: *Absit.*

*Dicit illis Iesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

46. EXistimant plures auctores infra citandi, per hæc verba indicari id, quod in Salomonis templo ædificando accidit. Dicitur enim 3. Reg. cap. 6. *Domus cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est, & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur.* Hinc benè colligit Abulensis ad templi ædificium lapides extra templum in ipsis lapidicinis sectos politos, & ad debitam figuram fuisse redactos. Hoc posito Petrus Comestor Scholasticæ historiæ auctor scribit, cùm ædificaretur templum lapidem notabilem fuisse, quem sæpius oblatum fabri murarij reprobarunt; quia interdum interdum longior videbatur, interdum breuior: altiùs tamen excitato pariete eumdem reprobatum lapidem aptissimum apparuisse, vt vnum cum alio parietem coniungeret; idque omnibus admirationi fuisse. Existimant, quod Commestor refert, fabulosum Burgensis, Salmeron, & alij. Nihilominus id verè accidisse censet Episcopus Cantapratensis, & Abulensis supra citatus: eiusdemque Salomonici templi lapidis meminerunt Lyranus, Aiguranus, Valentia, & Treueus in Psalm. 117. Quidquid sit de huius prius reprobati, deinde electi lapidis veritate, bene afferri posset pro Christi Domini figura; cum Christus Dominus antea ab incredulis Iudæis reprobatus, deinde in summo Ecclesiæ apice constitutus, vtrumque parietem, scilicet Gentiles, & Iudæos, vel nunc credentes vel in mundi fine credituros, simul coniungere debeat. Hinc S. Augustinus serm. 6. de Epiphan. ait: *Iam hic infans natus, atque annunciatus ostenditur lapis ille angularis. iam in ipso primordio natiuitatis apparuit. Duos ex diuerso parietes in se copulare iam cœpit, pastores à Iudæa, Magos ab Oriente perducens: vt duos conderet in se vnum hominem nouum, faciens pacem, pacem his, qui longè; & pacem his, qui propè.* Similiter S. Fulgentius serm. de Epiphan. de Gentilibus, & Iudæis ait: *Isti sunt duo parietes, qui ex aduerso venerunt; & in lapidem, qui factus est in caput anguli. in vnitate fidei conuenerunt. Vnus paries venit ex Iudæis, alter ex Gentibus. Longè à se diuersi erant, quando diuersa credebant. Positus est in medio lapis angularis, qui ad se vtrumque parietem duceret, & vtrumque vno nomine nuncuparet, essentque vnum communione vocabuli, qui fierent vnum in vna gratia sacramenti. Per Christum enim, qui est pax nostra faciens vtraque vnum, Iudæi, & Gentiles facti sunt vnum, quibus fidei vnitas vnum indidit nominis Christiani vocabulum. Horum duorum parietum vnus adductus est, quando pastoribus Iudæis Christum natum Angelus annunciauit: alter paries adductus est, quando Gentilibus Magis nouum sidus apparuit. Illi fuerunt primitiæ Iudæorum, isti facti sunt primitiæ Gentium.*

Abulensis in Matth. cap. 21. quæst. 193. Comestor 4. Reg.

Lapis angularis Salomonis templo prius reprobatus, deinde in sublimi loco collocatus.

Cantapratensis 1. hypoty. cap. 1.

Christus vt lapis angularis Gentiles, fideles que Iudæos in vna Ecclesia copulauit.

47. Præterea iuxta Valentiam angularis lapis duo coniungens, Christus dicitur; eo quòd in eo cum humana diuina natura fuerit vnita: iuxta alios, quia Christus simul Angelorum, & hominum caput est: vel quia militantis Ecclesiæ, & triumphantis simul est caput. Iuxta Hugonem *Homo dicitur angulus: nam sicut in angulo duæ concurrunt lineæ; sic in homine duæ naturæ, corporalis, & spiritualis concurrunt. Huius anguli caput est Christus, sicut dicitur* 1. *ad Cor.* 11. *Caput omnis viri Christus, id est virtuosi hominis. Diabolus autem caput est reproborum. Ipse est rex super omnes filios Superbiæ,* dicitur Iob 41.

Hugo in Ps. 117. Christus lapis angularis, quia in eo Diuinitas, & Humanitas vnitur: vel quia Angelorum, hominumque caput est, vel quia militantis, & triumphantis Ecclesiæ est caput.

48. Iuxta eumdem Hugonem, *hunc lapidem,* nempe Christum, *non tantum reprobauerunt Iudæi, sed adhuc reprobant ædificantes ad litteram; scilicet facientes palatia, & terrena congregantes; quibus dicitur Isaiæ cap. 5. Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Hi reprobant Christum pauperem, qui non in palatio, sed in diuersorio habitauit; & in præsepio, non in lecto eburneo reclinatus fuit. Hi facto suo dicunt Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus,* sicut dicitur Iob 21.

Ædificantes iuxta materialem sensum accepti reprobant Christum lapidem angularem.

49. De Christo, vt primario lapide in Ecclesiæ ædificio septies in sacris litteris reperitur testimonium. Primò in Psalm. 117. 22. vnde allata Euangelij verba desumuntur. Secundò Isaiæ 28. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum; qui crediderit, non festinet.* Idem Christus Dominus primus, & imus; supremus, & infimus lapis dicitur: supremus in anguli capite ob dignitatem; infimus in fundamento ob firmitatem. *Spiritualis ædificij Christus est principium, & finis,* ait Nyssenus, tract. de perfecti Christiani forma. *Qui crediderit, non festinet.* Verba hæc antiquis Israëlitis dicta sunt ante Redemptoris aduentum, iuxtà monitum illud Habacuc 2. *Si moram fecerit, expecta eum; quia veniens veniet, & non tardabit.* Tertiò in hoc Euangelio. 4. à S. Petro Act. 4. 11. *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus; qui factus est in caput anguli: & non est in aliquo alio salus.* 5. ab eodem Apostolo Petro epist. 1. cap. 2. 6. *Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes; hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt verbo;* id est his, qui increduli ad Euangelij verbum offenduntur, & scandalizantur. 6. ab Apostolo Paulo ad Rom. 9. 33. *Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis, qui credet in eum non confundetur.* Hinc Augustinus ait: *Christus in vita fuit lapis offensionis, in quem sua incredulitate impegerunt Iudæi: post resurrectionem verò fuit eisdem petra scandali; quando vt grauis petra cecidit super Iudæos, eosque per Titum, & Vespasianum contriuit.* 7. ad Ephes. 2. 20. Pijs fidelibus dicitur: *Non estis hospites, & aduenæ; sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei; superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino; in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*

Christus primus, & imus, simul lapis angularis, & fundamentalis.

August. in Psal. 45.

50. In pluribus Scripturæ locis Christus sub lapidis nomine figuratur: eorum plura Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 6. colligit. Primò Genes. 28. 11. *Iacob tulit de lapidibus, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, &*

Lapis Patriarchæ Iacob capiti suppositus Christi symbolum.

*runt, qui eiusdem Redemptoris nostri facta, & miracula viderunt. Oleum vero de firma petra suxerunt, quia effusione sancti Spiritus post resurrectionem eius vngi meruerunt. De hoc oleo per Prophetam dicitur; Computrescet iugum à facie olei. Sub iugo quippe tenebamur dæmoniacæ dominationis; sed vncti sumus oleo Spiritus sancti. Et quia nos gratia libertatis vnxit, dominationis dæmoniacæ iugum putruit, Paulo attestante, qui ait: Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* 2. ad Cor. 3.

Lapis à Iosue sub quercu positus Christi symbolum.

56. Septimò, iuxtà Cyprianum, & Augustinum; Christum etiam præfigurauit lapis ille, de quo dicitur Iosuë 24.26. *Tulit lapidem pregrandem; posuitque eum subter quercum: & dixit ad omnem populum: en lapis iste erit vobis in testimonium, quòd audierit omnia verba Domini, quæ locutus est vobis; ne fortè postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro.* Vbi non sine mysterio dicitur lapis verba Domini audisse: Nam diuinum Verbum cum Dei, & Israëlitici populi fœdus bene audisset, postea sub humana carne Iudæorum infidelitatem arguere debebat; quod fœdus cum Deo initum fregissent, diuinæque legis mandata non seruassent. Sed cur lapis ille à Iosuë sub quercu positus dicitur? Respondet Augustinus: *Christus non fuisset in cruce exaltatus, nisi humilitate subiectus.*

Augustinus supra.

Lapis, super quem arca posita est, Christi symbolum.

58. Octauò, dicitur 1. Reg. 15. *Leuitæ deposuerunt arcam Dei, & posuerunt super lapidem grandem.* Vbi de Christo ait Cyprianus: *Hic est lapis magnus, super quem posita est arca testamenti; quando ab allophylis remissam, & redditam in plaustro boues reportauerunt.* Arca diuinæ legis tabulas continebat; ideo arca diuinam legem continens in Christo, tamquam in stabili lapide reposita dicitur. In alijs diuina lex ob humanam inconstantiam nutare videtur; in Christo autem stabiliter conquiescit. Ideo *legem tuam in medio cordis mei*, æterno Patri Redemptor noster verissimè dixit.

Psal 39. 9.

Lapis erectus post victoriam de Philistæis reportatam, Christi symbolum.

58. Nona, ex 1. Reg. 7.12. post victoriam ab Israëlitis de Philistæis reportatam, celebris est lapis à Samuele erectus; cui Hebræo vocabulo Abenezer est nomen impositum, hoc est lapis adiutorij; seu iuxtà Cyprianum, lapis auxiliator. Et quamuis lapis ille nihil auxilij ad victoriam præliantibus Israëlitis contulerit; benè tamen tam speciosum nomen obtinuit, eò quod Christi Domini figura fuerit; qui ad debellandos tenebrarum principes efficax nobis est adiutorium. *Lapis ille, qui scriptus est in Regnorum libro Abenezer, lapis ille Christus est. Abenezer autem interpretatur lapis adiutorij.* ait Hieronymus. Similiter de Christo Domino Cyprianus ait: *Hic est lapis, quem cum alienigenas Israel vicisset, statuit Samuel, & appellauit nomen eius Abenezer, id est Auxiliator.*

Hieronym. in Psalm. 135.

Lapis, quo prostratus est Goliath Christi symbolum.

59. Decimò de Golia gigante prostrato, & perempto dicitur 1. Reg 17. 49. *Tulit Dauid vnum lapidem, & funda iecit. & circumducens percussit Philistæum in fronte, & infixus est lapis in fronte eius, & cecidit in faciem suam super terram.* Vbi Augustinus ait: *Sicut Dauidis baculus crucis typum habuit; ita etiam lapis ille, de quo percussus est Goliath, Christum Dominum figurabat. Ipse est enim lapis viuus, de quo scriptum est: lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Similiter de Redemptore Cyprianus ait: *Hic est lapis, quo Dauid frontem Goliæ percussit, & cecidit, significans diabolum, & seruos eius in se prosterni:* Quare enim nos diabolus prauis suggestionibus impetit, illi Christi Domini sanctitatis exempla obijciamus; hinc enim immundus spiritus, percussa eius fronte, hoc est reiecta impudentia, statim concidet.

August. in ser. 197. de tempore.

Supra.

Petra, in qua equi currere nequeunt, Christi symbolum. In Christo stabilitas effrenis passionibus non sinuntur.

60. Vndecimò Dauid de Deo dixit Psalm. 39. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos. Quis est lacus miseriæ? Profunditas iniquitatis ex carnalibus concupiscentijs. Posuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Petra autem erat Christus. Simus super petram, & dirigantur gressus nostri. Sic in Christo ambulat, qui in diabolo errabat*, ait Augustinus. Similiter Hieronymus: *Statuit supra petram pedes meos, hoc est super Christum: pedes meos, sensus meos. Christus in se, qui est stabilis petra, confirmauit me, ne ab huius seculi nutarem impulsibus. In hac petra non iniquitatis, sed mundis pedibus ambulatur*, ait Cassiodorus. Si quis in Christo, veluti in stabili petra pedes, hoc est animæ affectus statuat, mundus erit à vitiorum sordibus; præcipuè liber à prauis superbiæ, & lasciuiæ passionibus erit. *Numquid currere queunt in petris equi?* dicitur Amos 6.12. *Numquid current in petra equi?* legitur ex Hebræo. Equi cum non diuisam, sed continuam vngulam habeant, supra petram gressus mouere nequeunt. Hieronymus autem per equos superbiæ, & libidinis effrænes passiones significari docet. *Gratias igitur Domino Iesu vnigenito Dei filio, redemptori nostro, qui nobis peccata omnia remissurus descendit è cælo; vt nos de lacu, ac limo istius mundi, & cænulenta quadam palude terrarum, de corpore quoque mortis huius eriperet; atque in carne sua statueret animi nostri interiora vestigia; vt confirmati in Dei verbo, & per crucem Domini corporis passionibus absoluti, ambulemus iam non in opprobrio dedecoris, sed in remissione peccati*, ait Ambrosius. Iustus ergo dum prauorum affectuum stimulis, dum dæmonum insidijs vndique impetitur, dum ne in peccatum corruat, timet; fiducialiter cum Dauide dicat. *In petra exaltauit me; & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos. Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me*: hoc est in Christo redemptore; ob cuius merita è dæmonum insidijs illæsus eripiar. Hinc de Christo, vt mystica petra Bernardus ait: *Quid non boni in Petra? In petra exaltatus securus, in petra firmiter sto; Securus ab hoste, fortis à casu: & hoc, quoniam exaltatus à terra: anceps est enim, & caducum terrenum omne.* Verissimè namque dicitur Numer. 24. 21. *Robustum est habitaculum tuum; sed si in petra posueris nidum tuum.* Hoc ei, qui in sublimi dignitatis, & magistratus culmine insidet, dicitur. Pauperibus verò, & humili loco collocatis dicatur: *Lepusculus, plebs inualida, collocat in petra cubile suum.* Vbi Cassianus ait: *Re vera quid Christiano inualidius? Quid monacho infirmius; cui non solùm nulla iniuriarum vindicta suppeditat; sed ne leuis quidem, tacitaque commotio saltem intrinsecus pullulare conceditur?* Nihilominus si sub mystica Christi petra se muniat hominum dæmonumque insidias omnes despiciet; & in memoriam sæpius reuocabit Dauidis exemplum; de quo diuina ope à plurimorum hostium insidijs erepto dicitur 2. Reg. 22. *Locutus est Dauid Domino verba carminis huius in die, qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul, & ait: Dominus petra mea, & robur meum, & saluator meus.* Ideò benè Chrysost. ait: *Maxima securitas, & inexpugnabilis murus est gratia Dei. Videamus quomodo Dauid de loco in locum transiens, & quasi erratiuus vagans, manu superna munitus fuerit. Saul autem cum esset in medijs ciuitatibus, & tantum secum duceret exercitum, & satellites habens, & armigeros quotidie timebat, & tremebat inimicorum insidias* (vt patet 1. Reg. 18. 12 & 29.)

Psal 26. 6. Psal 60. 3.

Bernard in Cant. ser. 61.

3. Prou 26.

Cassian collat. 10. c. 10.

Chrysost hom. 43 in Genesim.

*Et ille, qui solus erat non indigebat humano præsidio: hic vero coronatus, & purpura indutus, illius auxilio indigebat: & regi opus erat pastoris opera; & diademate redimito priuati adiumentum.*

Petra refugium herinaciis, Christus ... qui refugium peccatorum est.

61. Duodecimò. Christus Dominus etiam petræ nomine significatur. Psalm. 103. 19. cùm dicitur: *Herodij domus dux est eorum; montes excelsi ceruis; petra refugium herinacijs*, seu iuxtà August. *Petra refugium hericijs, & leporibus*. Vbi August. ait: *Lepus minutum animal, & infirmum, hericius etiam spinosum: illud animal timidum; illud animal spinis coopertum. Spinæ autem quid significant, nisi peccatores? Qui peccat quotidie, etiam si non magna peccat, minutissimis spinis coopertus est. In eo, quod timet lepus est; in eo, quòd minutissimis peccatis operitur, hericius est. Quid ergo lepus, & hericius pereunt? Non. Sic enim montes altissimi dati sunt ceruis, vt petra refugium hericijs, & leporibus. Quia factus est Dominus refugium pauperis. Ponas petram in terra, refugium est hericijs, & leporibus: ponas illam in mari; domus est fulicæ*, seu *herodij. Vbique petra refugium nostrum; siue in montibus excelsa sit; siue in mari tundatur fluctibus, non frangatur, siue in terra solidetur; ad illam cerui, ad illam fulica, ad illam lepus, & hericius. Tundant pectora lepores, & hericij confiteantur peccata sua: licèt cooperti sint minutis, quotidianisque peccatis, non eis tamen deest petra, quæ illos docuit dicere: Dimitte nobis debita nostra.* Ad Philippenses 3. ait Apostolus: *Videte canes, videte malos operarios*: eos scilicet, qui vos, veramque fidem, bonosque mores infestantur, cauete. Pios fideles ait Arnobius esse veluti hermacios, hericios, & lepores, qui fugiendo pessimos illos canes, eorumque morsus deuitando, inueniunt sibi in petra, nempe in Christo refugium. Porrò iuxtà Hugonem, Prælati, qui Christi Domini stabilem firmitatem non imitantes; sed incorrigibilis vitæ obstinatione, veluti duram petram se exhibent, sunt etiam, sed peruerso modo refugium herinacijs. hoc est peccatoribus: hi enim suos prauos mores, & auaritiam defendunt, dicentes, peiores ipsis esse Ecclesiæ Prælatos; nec minus diuitiarum ipsius se vndique communire.

Psal. 30.

Matth. 6.

Prælati mali refugium peccatorum sunt, cum hi sua peccata prælatorum exemplo defendunt.

62. Decimotertiò dicitur Psalm. 136. *Filia Babylonis misera, beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram.* Vbi Augustinus ait: *Qui sunt paruuli Babyloniæ? Nascentes malæ cupiditates. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat aduersum te mala consuetudo: Cum paruula est cupiditas, nequaquam prauæ consuetudinis robur accipiat; cum paruula est, elide illam. Sed times, ne elisa non moriatur? ad petram elide. Petra autem erat Christus. Nolite libenter colloqui cum cupiditatibus vestris. Hostis maior est; occidatur ad petram. Breuis hostis est, elidatur ad petram. Et maiores ad petram occidite, & minores ad petram elidite. Petra vincat. In petra ædificamini; si non vultis tolli aut à fluuio, aut à ventis, aut à pluuia.* Similiter Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap. vlt. *Peccatricem animam miseratus Dauid ait: Filia Babylonis misera. Misera vtique, quia Babylonis filia est, quæ Dei filia esse desiuit. Cui tamen medicum inuitat dicens; Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram: hoc est, qui infirmas, & lubricas cogitationes elidat ad Christum; qui omnes irrationabiles motus sui reuerentia, & disceptatione comminuat.* Idem docet Hieronymus epist. 22. ad Eustochium: & Dorotheus doctrina 11. Sed vt beatus aliquis sit, non satis est prauas cogitationes, & affectus ad Christum, veluti ad petram allidere: nisi etiam postea pias alias cogitationes, & affectiones cum Christo eas per gratiam viuificante coniungat. Ideo Ambros. lib. de Salomone cap. 5. ait: *Beatus, qui tenet, & allidit, infantes suos ad petram. Quod vtique in religiosis parricidium erat, si petra ista figuram Christi corporis non haberet. Nemo enim beatus in funere est, qui infantes suos allidit ad petram: sed ideo beatus est, quod illos coniungit ad petram.*

Petra ad quam allidendi sunt Babylonis paruuli Christum significat.

1. ad Cor. 10.

63. Decimoquartò. Ambrosius in verba Prouerb. 30. 19. explicat quid significet *via colubri supra petram*, & ait: *Dixi, quod labent membris, nitidus, & volubilis coluber tractibus suis vestigium aliquod in petra, quia res est dura, non faciat. Nunc videamus quid sit iste serpens, aut quæ petra, in qua serpentis vestigium non apparet. Hanc petram Dominum nostrum esse ambigere non debemus.* Quod pluribus allatis Scripturæ testimonijs probat Ambrosius; subdit deinde: *Serpens ex ipso nomine, quod sit diabolus apparet, sicut callidior omnium bestiarum, quæ sunt super terram, id est diabolus; qui ideo serpens dicitur, quòd occultè serpat, & quòd sensus hominis teneniter labendo pertentat; quos si conuicerit, medullis se hominum atque ossibus implicat, & immergit. Quia in corpore hominis, quod omnipotens Christus Deus induerat, nulla malitia sua potuit imprimere vestigia, quamuis illud ausus fuerit sæpè tentare; sicut ipse Dominus in Euangelio ait: Ecce venit princeps mundi, & nihil in me inuenit; & alibi: Nihil proficiet inimicus in eo; & filius iniquitatis non nocebit ei. Hæc est ergo petra, id est Caro Christi, nulla inimici iniquitate respersa; in qua serpentis; id est peccati alicuius vestigium non apparet.* Hinc nos, ne venenatis diaboli vestigijs imprimamur, quamuis natura terrenum simus, ex gratia tamen esse puluerem dediscamus; & Christum Dominum imitantes ex gratia firmam nos petram exhibeamus. Nam, vt ait Ambrosius: *Æstatis tempore, cum terra soluitur in puluerem, de latibulo suo egressus serpens, impressione corporis sui in terra corrupta potest designare semitam. Sed cum ad petram peruenerit, non facit in lapide, quod fecit in puluere. Sic serpens diabolus, in ipsis natalibus mundi inuenit corruptibilem terram, Adam, & Euam libenter audientem, quæ eis locutus est. Fecit in auribus semitam; fecit & in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem; fecit & in manibus, quibus contrectata sunt poma. Tunc serpens potuit in primitiuum hominem, quasi in puluerem vestigium facere.* In Genesi legimus quidem primis parentibus pomi scientiæ boni, & mali vetitam esse comestionem; accessum tamen ad eam arborem vetitum esse nusquam legimus. Cur ergo Ambrosius asseruit *interdictum fuisse iter ad arborem*? Scilicet, vt hinc discamus occasionem quamlibet transgrediendi diuinum mandatum esse vitandam; atque adeò primos parentes, ne diuinam legem frangerent, non solùm ab esu, sed etiam ab accessu ad vetitum pomum abstinere debuisse. Similiter Exodi 12. 15. ad pascha celebrandum Hebræis præcipitur: *Septem diebus azyma comedetis; in die primo non erit fermentum in domibus vestris.* Quamuis seruari potuerat fermentum sine illius vsu ad panem postea conficiendum; nihilominus ad transgressionis occasionem præcidendam, fermenti eiectio ibi præcipitur. Similiter quamuis Nazaræi Deo consecrati, & austerioris vitæ tenorem profitentes, ab ebrietate, & vini potus voluptate abstinere deberent; nihilominus, ne vmquam in talis legis transgressionem incurrerent, eis præcipitur Numer. 6. *A vino, & omni, quod inebriare potest abstinebunt. Quidquid ex vinea esse potest, ab vua passa vsque ad acinum non comedent.* Ex Hebræo, & Chaldæo legitur: *Ab acinis, siue granulis vsque ad corticem, seu folliculum non comedent.* Quàm longè ab ebrietate, & vini potus voluptate aberat non solùm vuæ acinus, sed multò magis emunctus sine succo

Ambros. l. de Salomone c. 5.

Petra, in qua coluber vestigia imprimere nequit, Christi corpus ...

Ioan. 14. Psal. 88.

Ambros. tom. de Salom. c. ... in Genes. ... in addito ... editione nouissima.

Adamo, & Euæ non solum esus, sed etiam accessus ad arborem scientiæ boni, & mali vetitus est.

O. casio etiam remota pe... ... est vitanda

folliculus, & interius acini granulum! Nihilominus hæc omnia vetita erant, ne ex vuæ granulo, seu folliculo ad integrum acinum, ex acino ad racemum, ex racemo ad botrum, & botro ad expressum inde succum Nazaræi deuenirent, neue ex vua passa ad non passam comedendam traherentur. Similiter cum Hebræis Sabbato cibos parare vetitum esset; ad præcidendam id transgrediendi occasionem dicitur Ex. 39. *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbati.* Legantur interpretes in illud Ecclesiastici. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Legatur Ambros. de fuga seculi cap. 4. August. serm. 150. de tempore: Hieronymus contra Vigilantium Gregor. 4. dial. cap. 11.

Petræ foramina Christi vulnera; idem n. 65.

64. Decimoquintò Christus etiam Cantic. 2. 14. sub petræ nomine figuratur, cum sponsæ dicitur: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Vbi Gregorius ait: *Per foramina petræ vulnera manuum, & pedum Christi in Cruce pendentis libenter intellexerim; cauernam verò maceriæ vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ esse dicitur; quia cum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur; dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo conualescat, inuenit.* Similiter Rupertus afferens illud Zacch. cap. 12. & Ioan. 19. *Videbunt in quem transfixerunt.* Subdit: *Claui enim Christi, & lancea sunt animæ meæ vulnera: in illis habito, & gemo sicut columba in foraminibus petræ propter fixuram clauorum, in cauerna maceriæ propter vulnus lateris. Christus enim est petra, & maceria; existens enim mortalis, & passibilis erat maceria; vbi autem resurrexerit à mortuis, est petra solidissima.* Ex arcanis fanorum antris, seu penetralibus fallacia sua oracula Ethnici audiebant: Fidelibus verò Christi vulnera oracula infallibilia ediderunt. Ideo Bernardus in Cantica

Ioan. 20.

ser. 61. ait: *Petra Christus. Bona foramina, quæ fidem astruunt resurrectionis, & Christi diuinitatem. Dominus meus, inquit, & Deus meus. Vnde hoc reportatum*

Ps. 83. 4.

*oraculum, nisi ex foraminibus petræ. In his passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos:* fidelis scilicet anima, vbi suos affectus reponat. *In his se columba tutatur, & circumuolitantem intrepida intuetur accipitrem,* nempe diabolum insidiantem: *Vir sapiens ædificat domum suam supra petram, quòd ibi nec ventorum formidet iniurias, nec*

Matth. 7. 24.

*inundationum.* Qui enim in Christo, tamquam in firma petra spirituale suum construit ædificium, dæmonum prauos suggerentium impetus, eorumque inundans flagellum, turbinemque non timet. Ideo *fundamenta æterna supra petram,* Ecclesiastici 26. 24. verissimè esse dicuntur. Ideo Ieremiæ 48. monemur. *Relinquite ciuitates, & habitate in petra. Relinquite ciuitates,* id est *mundanam conuersationem,* ait Hugo; & *habitate in petra, id est in Christo.* Ideo Isaïæ 2. 11. mysticè monetur peccator: *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* Hoc est iuxtà Hugonem: *Confuge ad Christum, & abscondere in fossa humo, id est in carne Christi, in cruce fossa.* Nam Exod. 33. certa Redemptoris promissio habetur: *Ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea.* Dicitur autem Christi caro humus, quia humanum corpus assumere dignatus est primùm ex humo formatum: dicitur eadem caro fossa, quia ipse Dominus testatur Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos.*

Ad Philipp. 3. Psal. 106. Aquila & columba in Pe...

65. Pergit Bernardus: *Conuersatio nostra in cœlis est, & nec cadere, nec deiici formidamus. In cœlis petra, in illa firmitas, atque securitas est. Petra refugium*

A *herinaciis. Et re vera, vbi tuta, firmaque infirmis securitas, & requies, nisi in vulneribus Saluatoris? Tanto illi securior habito, quanto ille potentior est ad saluandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado, fundatus enim sum supra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia; sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte saluetur? Ego fidenter, quod ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini; quoniam misericordia affluunt; nec desunt foramina, per quæ effluant. Foderunt manus meas, & pedes, latusque lancea forauerunt, & per has rimas licet mihi mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Per foramina corporis patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.*

...tra foraminibus ... auté sublimis & simplex in Christi vulneribus.

Isaiæ 53. Ps. 21.

Lucæ 1. v. 78.

B *Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quàm in vulneribus tuis eluxisset, quod tu, Domine, suauis, & mitis, & multæ misericordiæ.* Similiter B. Petrus Damiani ait hom. 51. de S. Matthæo. *Quinque sunt Domini corporis vulnera; & per quinque corporis sensus, quasi per fenestras totidem mors in hominem fuerat pestilenter ingressa. Vnde per Prophetam dicitur: Mors intrauit per fenestras. Illa ergo quinque vulnera, quinque partiti sensus nostri facta sunt medicina: De quibus profectò vulneribus mutato nomine sponsus dicit in Canticis: Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Petra est Christus: Foramina ergo petræ sunt vulnera Redemptoris. In his itaque foraminibus quæque fidelis anima commoratur; quia totam suæ salutis summam in Saluato-*

Ier. 9.

Cap. 2.

C *ris sui passione constituit; & in ea spem suam collocans, de gloria sempiterna fida securitate confidit.* Sed vt fidelis anima in Christi vulneribus, tamquam in mysticæ petræ foraminibus dignè commorari possit; velut candida, simplex, & innocua columba esse debet; simul etiam velut sublimis aquila, quæ terræ ima despiciens, in diuini solis radios immota oculos figat. Nam, vt Iob 39. 22. dicitur: *Aquila in arduis ponit nidum suum, & in petris manet, & in præruptis scilicibus commoratur: pulli eius lambunt sanguinem.* Prærupti scilices sunt Domini vulnera, vnde diuinus ignis elicitur. Qui velut sublimem aquilam se exhibet; pulli eius, hoc est

Prærupti scilices vulnera Christi vnde Diuinus ignis elicitur.

D eius cogitationes, & affectus pia, dulcique meditatione à Christi vulneribus suauissimum sanguinem lambere debent; & inde ardentissimæ charitatis ignem elicere.

66. Antequam pro humano genere Redemptor noster vulnera subiret, iure dicere potuit sanctus Iob 6. 12. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea.* Sed postquam tamquam in petræ foraminibus, in Domini vulneribus commorari fidelibus datum est, inde lapidum fortitudinem contraxerunt. Hinc benè Bernardus ait: *Sic Martyr tripudians, & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro non modo fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si*

Serm. 61. in Cantica.

Martyrum fortitudo è Christi vulneribus.

E *in suis esset visceribus, scrutans ea profectò ferrum sentiret; dolorem non ferret; succumberet, & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum, si in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum, si exul à corpore, dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur: nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex petra Martyris fortitudo; inde planè potens ad bibendum calicem Domini: & calix hic inebrians quàm præclarus est? Præclarus, inquam, atque iucundus, non minus Imperatori spectanti, quàm militi triumphanti. Gaudium etenim Domini fortitudo nostra.*

Ps. 22.

67. De-

67. Deci[illegible]ò sub lapidis nomine Christus significatur [illegible] 51. *Attendite ad petram, vnde excisi estis; & ad cauernam laci, à qua præcisi estis.* Vbi iuxtà Septuaginta legitur: *Inspicite in solidam petram, quam excidistis, & in foueam laci, quam fodistis.* Et sensus est iuxtà Procopium: *Aspicite, ò Iudæi, in Christum, quem clauis transfixistis in manibus, & pedibus, & lancea in latere cordis. Persecutoribus dicitur,* ait Hieronymus, *vt aspiciant in robustissimam petram, quam exciderunt, & in foueam laci, quam foderunt, id est Dominum saluatorem; de quo Apostolus loquitur: Petra autem erat Christus. Huius latus lancea perfoderunt, de quo exiuit sanguis, & aqua; & huius foderunt manus, & pedes, dicente ipso Domino Saluatore: Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumerauerunt omnia ossa mea.* Allatis ex Isaia vocibus obtemperaturi erant Iudæi, iuxtà Zachariæ vaticinium 12. 10. *Aspicient ad me, quem confixerunt.*

1. ad Cor. 10.

Ioan. 19.
Psal. 21.

68. Decimoseptimò. Lapis Redemptoris figuram prætulit iuxtà Cyprianum, & alios; cum de statua ex varijs metallis conflata & varia regna significante dicitur Dan. 2. *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum. Lapis autem, qui percusserat statuam; factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Hinc August. tom. 6. concione ad Catechumenos, ad perstringendam duram Iudæorum frontem, mysticum ex Daniele lapidem educit dicens: *Ex lege alij, atque alij Christi testes introducuntur, vt frontes durissimæ inimicorum conterantur. Veniat Daniel sanctus, iuuenis quidem ætate, senior verò scientia; conuincat omnes falsos testes, sicut conuicit seniores impudicos. Dic sancte Daniel, dic de Christo quod nosti. Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit vnctio. Agnoscite venisse sanctum Sanctorum. Ipse est lapis ille abscissus de monte sine manibus concidentium, id est Christus natus de Virgine sine manibus complectentium, qui tantum creuit, vt mons magnus fieret, & impleret vniuersam faciem terræ. De quo monte dixit Propheta: Venite ascendamus ad montem Domini.* Idem t. 9. tr. 9. in Ioan. *Lapis de monte præciditur. Ipse est lapis, quem reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput anguli. De quo monte præciditur, nisi de regno Iudæorum, vnde Dominus noster Iesus Christus secundum carnem natus est? Et præciditur sine manibus, sine opera humana, quia sine amplexu maritali de Virgine exortus est. Mons ille, vnde præcisus est, non impleuerat vniuersam faciem terræ: non enim tenuerat regnum Iudæorum omnes gentes. At verò regnum Christi omnes gentes, & vniuersum orbem terrarum cernimus occupare.*

Cyprian. supra.

Lapis statuæ ex varijs metallis conflatæ percutiens Christi symbolum.

Dan. c. 13.

Dan. c. 9. 24

Isaiæ 2.

69. Decimo octauo. Iuxtà Cyprianum, & alios de Christo Domino sub lapidis nomine dicitur Zachariæ 3. *Super lapidem vnum septem oculi sunt: Ecce ego cælabo sculpturam eius; ait Dominus exercituum.* Gregor. 29. Moral. 16. de Christo ait: *Huic lapidi septem oculos habere, est simul omnem virtutem Spiritus septiformis gratiæ in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius virtutes, alius genera linguarum, alius interpretationes sermonum iuxtà distributionem Spiritus sancti accipit: ad habenda verò cuncta eiusdem Spiritus munera nemo pertingit. At verò Conditor noster infirma nostra suscipiens, quia per Diuinitatis suæ potentiam simul se habere omnes Spiritus sancti virtutes edocuit, micantes procul dubio Pleiades iunxit;* hoc est septem oculos, stellarum instar Pleiadum radiantes. Similiter Hieronymus: *Super hunc lapidem septem oculi sunt, de quibus loquitur Esaias cap. 11. Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum spiritus Dei, spiritus sapientiæ, & intelligentiæ, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis; & implebit eum spiritus timoris Dei. Ecce ego cælabo sculpturam eius: & est sensus Istum lapidem clauis crucis, & lancea militis faciã vulnerari.*

Lapis super quem septem oculi, Christi symbolum.

1. ad Cor. c. 12.

70. Caluinus per summam impudentiam mendacissimus, allata verba: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes; hic factus est in caput anguli,* sibi tribuenda esse asserit; eo quòd à Romana Ecclesia immeritò reprobatus, Caluinianæ Ecclesiæ fuerit à Deo caput constitutum. Debuerat arrogans iactator, non ex impudentia lapidem in caput anguli, sed ex pœnitentia se lapidem offensionis, & petrã scandali nominare. Sed de hæretico, & petræ nomine benè Hieronymus distinguit in illa Abdiæ verba: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum. Quis hæreticorum non in superbiam extollitur? Habitantem in scissuris petrarum. Petra quamquam frequenter in persona Domini, vel soliditate ponatur; tamen in contrariam partem frequenter accipitur. Auferam cor lapideum, & dabo vobis cor carneum: maximè hîc; vbi non dixit habitantem super petram; sed in scissuris petræ; vt hæreseon à petra Christo, & ab Ecclesia significet scissiones.*

Caluinus, non Lapis in caput anguli, vt arroganter iactabat, sed lapis offensionis.

Ezech. c. 11. 19.

*Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*

71. HÆc sententia congruit cum illa Matth. 8. *Dico vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient; & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Vide ibi dicta Feria 5. post cineres.

*Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.*

72. CHristus per lapidem significatus, super peccatores cadet, *cum veniet illis desuper in iudicio cum pœna perditionis,* ait August. Vniuersali autem iudicij die tanto impetu ab hoc lapide reprobi sunt conterendi, vt montium ruinis obrui multò libentius voluerint. Id prophetice Apoc. 6. præuidetur. *Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium, & dicunt montibus, & petris: Cadite super nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni.* Similiter Lucæ 23. *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus operite nos. Ad litteram vellent, si fieri posset, quod montes, & colles caderent super eos; vt non viderent Christum iratum, iuxtà illud Malachiæ 3. Quis poterit cogitare diem aduentus eius; & quis stabit ad videndum eum? Mysticè verò incipient dicere montibus, id est maioribus sanctis: Cadite super nos, id est vestris precibus nos defendite: & collibus, id est minoribus sanctis, operite nos, scilicet orationibus, ne videat nos Iudex iratus,* ait Hugo Card. In hunc sensum affert citatus auctor illud Iob. 24. *Non habentes velamen* (scilicet ad tegendam ex pudore confusionem) *amplexantur lapides,* id est sanctos. Sunt autem Sancti electi lapides in supernæ Ierosolymæ structuram. *Ipsi tamquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis,* ait Petrus Apostolus.

In quæst. Euang. l. 1. c. 30.

Reproborum ingens confusio coram cælesti Iudice.

Ep. 1. c. 2.

*Et cum audissent Principes sacerdotum, & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt, quòd de ipsis diceret.*

73. ID cognouerunt, non ex coniectura, sed apertè; eo quòd post parabolas Dominus subdidit: *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Præterea sibi minaces parabolas à Domino dictas ex propria peccatorum conscientia sacerdotum Principes, & Pharisæi benè nosse poterant. Sicut enim iustus, quamuis cum Apostolo *nihil sibi conscius;* cum S. Iob tamen *verebatur omnia opera sua:* ita è contrario

Peccator propria conscientia accusatur.

1. ad Cor. 4.

Iob c. 9. 28.

Ll

iniquus multiplicis culpæ conscius quamuis sibi blandiatur, suaque crimina excusare studeat, & in ijs cœcutire videatur; nihilominus suam accusantem conscientiam audire sæpe interius cogitur. Ideo Apost. cap. 2. ad Rom. 15. de malè, vel benè viuentibus ait: *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum; & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.*

A *Et quærentes eum tenere timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.*

74. Tostatus in Matth. 5. q. 92. multiplicem prophetę acceptionem affert Hîc tamen prophetæ nomine, vir sanctitate insignis. Deoque carus significatur; quòd plerumque tales prophetæ esse soleant. Eadem prophetę acceptio reperitur Gen. 20. 7. cum Deus Regi Abimelech de Abrahamo dixit: *Redde viro suo vxorem, quia propheta est.*

Prophetæ nomen multipliciter accipitur: præcipue pro viro insigniter sancto sumitur.

# SABBATVM POST DOMNICAM secundam Quadragesimæ.

## Homo quidam habuit duos filios, &c. Lucæ 15.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

1. MALA, quæ peccator à Deo recedendo subit; bona, quæ pœnitens ad Deum accedendo consequitur, sub Prodigi filij parabola proponuntur. Mala, in quæ peccator à Deo discedens incurrit, quatuor in hac parabola enumerantur. Primò facultatum amissio: *Dissipauit substãtiam suam.* 2. incontinentiæ, & lasciuiæ fœditas, *Viuendo luxuriosè.* 3. egestas, & fames. *Facta est fames valida in religione illa, & ipse cœpit egere.* 4. porcorum gregem pascendi cura, *Misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* E contrariò bona, quæ pœnitens ad Deum rediens adipiscitur, quatuor pariter sunt. Primò pulcherrima stola ad eum operiendum affertur. *Proferte stolam primam, & induite illum.* 2. gemmato annulo manus eius ornantur: *Date annulum in manum eius.* 3. calceamentis nudi pedes muniuntur: *Date calceamenta in pedes eius.* 4. Saginatus vitulus ad epulandum occiditur; *Adducite vitulum saginatum.* Porrò peccatoris malis, pœnitentis bona omni ex parte respondent Stola munda, qua induitur, fœdatę ex lasciuia vitę opponitur: Lutulento porcorum seruitio, gẽmarum opponitur in annulo nitor: pro dissipatis opibus prodigus pœnitẽs calceatus paternam domum ingreditur; idque ad possessionem indicandam iuxtà Psal. 59. ex Hieron. *Calmeamento meo super Idumæam incedam, idest Idumeam possidebo.* Denique pro egestate, ac fame resipiscentis filio saginatus vitulus ad epulandum apponitur.

Mala quatuor, in quæ peccator incurrit.

Bona quatuor, quæ pœnitens consequitur.

Calceamentis calcare, vel incedere possessione significat.
Vers. 10.

#### *Habuit duos filios.*

2. AN Prodigus filius natu minor Gentilem populum, filius verò natu maior populum Iudaïcum in hac parabola significare benè possint, inter Doctores dissensio est. Negat Tertull. cui Maldonatus subscribit: affirmant Hieron. ep. ad Damasum de hac parabola; Aug. l. 2. q. Euang. c. 33. Beda hîc; Bernardus ser. de affectionibus animæ; Chrysol. ser. 5. Pro negatiua sententia argumentum duplex est. Primum Tertulliani dicentis: *Quomodo Iudaicus populus Deo dicere potuit: Ecce quot annis tibi seruio, & præceptum tuum numquam præterini?* Respondet August. *hoc non de omni mandato esse dictum; sed de vno maximè necessario, quod nullum alium Deum, præter vnum creatorem omnium colere visus est: neque iste filius in omnibus Israëlitis, sed in his intelligitur personam habere, qui numquam ab vno Deo ad simulacra conuersi sunt. Quamquam enim terrena desideraret; ab*

Prodigus filius Gentilem populum, eius frater natu maior populũ Iudaïcum significat.
Tertull. lib de Pudicitia.

A *vno tamen Deo iste desiderabat bona; quamuis communia cum pecoribus; vnde, & in Psalmo dicitur: Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Ps. 72.

3. Secundum argumentum affertur in Maldonato dicente: *Gentilis populus antequam Christianus fieret, filius Dei non erat; nec ab eo discedere poterat, cum quo non fuerat.* Sed responderi potest. Gentiles ad fidem vocãdos, & in ea ita profecturos, vt cœlestem hæreditatem essent consecuturi, benè vocari potuisse Dei filios, non quidem ex fide, quam nõdum habebant, sed ex Dei prędestinatione, per quam ad æternam hæreditatem iam erãt electi. De his enim

Gentiles etiam Dei filij vocari possunt.

B dicitur Ioan. 11. *Iesus moriturus erat pro gente* sua scilicet Iudaïca: *& non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi,* nempe Ethnicos infideles, *congregaret in vnum.* De quo dicetur Fer. 6. post. Dom. passionis. Præterea si Gen. 6. vbi dicitur: *Videntes filij Dei filias hominum* præuaricatores Angeli filij Dei vocantur, vt placet Iustino Apol. 1. Clem. 3. stromatũ; Tertull. lib. de habitu mulierum, Lactantio l. 2. c. 15. multò magis Gentiles, quos æternus pater ad cœlestem hęreditatem elegerat, Dei filij vocari potuerunt; & licèt ea sententia intelligens ibi per filios Dei Angelos præuaricatores aliundè improbetur;

C non tamen inde impugnatur, quod Angelis quamuis pręuaricatoribus secundùm naturam filiorum Dei nomen tribuatur. Porrò, & si Gentilis populus nondum ad Deum per fidem accesserat; adhuc tamen discedere à Deo dici poterat; quãdo à naturæ auctoris adoratione contra naturæ lumen ad Idola deflectebat. Præterea ad filij nomen tribuendũ, videtur sufficere creatio; nam Act. 17. 29. Apostolus cum Gentiles Athenienses ad salutem hortaretur, dixit: *Genus ergo cum simus Dei;* hoc est, progenies, soboles, & filij, vt ibi interpretes explicant.

D *Dixit adolescentior ex illis patri: Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contigit: & diuisit illis substantiam.*

4. INter varias sententias aptior videtur sententia Augustini lib. 9. q. Euang. q. 33. Hieronymi epist. 146. & Bedæ, qui in hac parabola substantiæ nomine liberi arbitrij vsum intelligunt. Minus autem apta Ambrosij, & Euthymij sententia videtur, qui substantiæ nomine diuinam gratiam, virtutes, probos mores, & supernaturalia charismata, seu dona à Deo fidelibus data significari asserũt. Ratio cur prior sentẽtia magis probetur, est quia sicut prodigus filius diuitias à patre datas ad satisfaciẽdum

Substantiæ portio non supernaturalia dona, sed liberi arbitrij vsum significat.

lasciuiæ, & crapulæ transtulit, similiter peccator ex liberi arbitrij vsu operatur ex prouenientes ad suæ satisfaciendum concupiscentiæ adhibet. Dona vero supernaturalia a peccatore amittuntur quidem; sed in concupiscentiæ satisfactionis pretium non adhibentur.

5. Prodigi filij perditio à desiderio, & possessione pecuniæ initium habuit; hinc enim in lasciuiæ sordes incidit, viuendo luxuriosè. *Sæpe perdit luxuria, quod congregauit auaritia*, ait Augustinus. *Ecce quid facit cupiditas ad centum p...*, inquit Chrysologus, *centum filium tulit e gremio patris; eiecit de domo; exuit patria; spoliauit fama; exuit castitate. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, ait Apostolus. Si quæratur quinam iste diaboli laqueus sit? Explicat Ecclesiastes 7. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est*. Venatorum nomine dæmones significantur iuxtà Psal. 90. *Ipse liberauit me de laqueo venantium*. Rationem indagat Dionysius, cur morte amarior mulier dicatur. Respondet ex Ierem. 2. *Malum, & amarum est te reliquisse Dominum Deum tuum*. Hanc amaritudinem mala mulier instillat. Quare cum de morte dicatur: *Siccine separat amara mors*: cumque multò amarius sit à Deo animam separari, quam à corpore, hinc est, vt mala mulier animam a Deo separans, morte amarior dicatur. Ad quod etiam significandum luxuriosa vita Prodigum filium à patre seiunxit; & procul abstraxit in regionem longinquam; ibique vniuersam eius substantiam dissipauit.

Serm. 10. de tempore. Serm. Verba sunt ad Timoth. c. 6. Carthus. in Eccles. c. 7. art. 8. Mulier mala cur morte amarior. 1. Reg. 15.

*Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus in regionem longinquam.*

6. *Quid est aliud peccare, nisi à Deo fugere?* inquit Gregor. ep. 27. Sed cum Deus vbique sit, cur peccator in regione longinqua procul à Deo versari dicitur? Primo à diuino conspectu dicitur distare peccator, eo quòd propter peccata diuina dilectione priuetur. *Ante oculos haberi, non nisi qui diliguntur, dici solent*, ait August. lib. 2. quæst. Euang. q. 33. Procul igitur à diuinis oculis peccator esse dicitur, cum diuina dilectione indignum se reddat: Sicut è contrario iusti intra Dei oculos, & pupillam esse dicuntur, vt Zach. 2. indicatur: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*. & Ecclesiastici 10. *Qui timent Dominum, erunt in oculis illius*. Quare quod ante per ipsum Zachariam Ierosolymæ, hoc est iustorum cœtui promiserat Dominus, exhibet: *Ego ero ei murus ignis in circuitu*: oculi autem Domini tamquam flamma ignis sæpius, in Apoc. esse dicuntur cap. 1. cap. 2. cap. 19. Nil mirum igitur sit, si intra cœlestes diuinorum oculorum orbes viri iusti ardentissimæ charitatis incendio flagrent. 2. à Deo distare peccator dicitur, quia per distantiam obliuio ab ipsa distantia prouenire solita significatur. *Quod abijt longe, non locorum intercapedinem, sed declinationem mentis expressit, quem enim obliuio Dei cepenit, hic verè peregrinari à Deo dicitur*, ait hic Chrysostomus. Peregrinatur autem procul à Deo peccator infernum versus, cum ibi Dei obliuio esse dicatur. Psal. 87. vbi ex Paraphraste de Gehennæ tenebris sermo est, dicitur, *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?* Deum autem in inferis obliuiscuntur damnati saltem affectu; nollent enim illius meminisse, ne damni pœnam sentirent. Porro De obliuio in inferis speciatim residens, inde forte eorum-

Peccator quomodo à Deo distare dicitur. Iusti in Dei oculis esse dicuntur. Obliuionis terra cur Infernus dicatur.

pens velut pestis in peccatorum cor diffunditur; ex quo fit, vt dicat *insipiens in corde suo, non est Deus*. Psalm. 13.

*Et ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.*

7. Similiter Salomon instar Prodigi filij luxuriosè viuendo, suam dissipauit substantiam, nempe fidem: *fides enim sperandarum substantia rerum* ab Apostolo dicitur. De Salomone autem dicitur 3. Reg. 11. *Cum iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos: colebat Salomon Astarthen Deam Sidoniorum, & Moloc Idolum Ammonitarum*. In quod quidem malum, sicut prodigus filius, incidit Salomon post largissimam opum possessionem: de eo enim scribitur 3. Reg. 10. præter diuitias plurimas, argenti copiam, quasi lapidum possedisse.

8. Ad significandum diuitiarum cum lasciuia nexum Apoc. 17. Mulier maxime diues, gemmis, & auro adoperta describitur. *Mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis habens poculum aureum in manu sua*. Quæ autem mulier hæc sit, subditur: *Mater fornicationum, & abominationum terræ*: de eadem ait Ioannes: *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas*. Cur super aquas multas fornicationum mater sedere dicatur, rationem reddit Ecclesiastes supra citatus; quia scilicet *sagena cor eius*: nempe, vt lasciuos animos passionum gurgite fluctuantes expiscari possit. Porrò, quia huiusmodi sagenas, & retia castitas victrix euadit; lilium castitatem significans in Ierosolymitani templi vestibulo supra geminas columnas extra retiacula ibi sculpta constitutum videbatur. 3. Reg. cap. 7. *Salomon finxit columnas æreas, & plena retiacula in capitello vno, & septena retiacula in capitello altero. Capitella, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilij fabricata erant*.

9. Porro sagena (quæ retis genus latissimum est) in mare missa *ex omni genere piscium congregare* dicitur Matth. 13. Ideo malæ mulieris cor ab Ecclesiaste sagenæ comparatur; eo quòd ab ea omne genus hominum attrahatur; ita vt, qui antea valdè iusti erant, & cœlestibus rebus dediti interdum etiam capiantur. Quod significans Augustinus ait: *Vidi cedros Libani cecidisse, de quorum ruina non magis sperabatur, quam de casu Hieronymi, & Ambrosij*. Similiter Chrysostomus ait: *Diabolus per mulierem... non ... cœlo deposuit*, id est homines sanctos, qui ad cœlum pergebant. Tertullianus docens cum Apostolo, *Mulieris faciem esse velandam ait: Debet adumbrari facies tam periculosa, quæ vsque ad cœlum scandala iaculata est*. Putat enim Tertullianus vnà cum Clemente Alexandrino desertores Angelos in lasciuiua peccatum incidisse. Quod communiter non probatur. Porrò cum sagenæ lasciua mulier comparetur; huiusmodi sagenæ impudicus excæco captus amore suum cor sacrificat: *Immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo* dicitur Habacuc cap. 1.

10. Ad incautos pisces decipiendos ligneum piscis simulacrum benè depictum vitreis oculis, collucens à piscatoribus in mare proijci solet; vt eo illecti pisces facilè retibus capiantur. Similiter Dæmones, vt in eorum retiacula homines caderent, mulieres exornarunt, easque varios fucos, artemque conficiendi stibium reddens lucidos oculos docuerunt

Diuitiæ & luxus simul nectuntur. Idem num. 8. Ad Hebr. c. 11. Mulier lasciua cur super aquas sedere dicatur. Mulieres lasciuæ cur sagenæ similes sint. Lilia cur super retiacula à Salomon sculpta fuerint. Homil. ... in Matth. lib. de velandis virginibus, c. ad Corint. 11. Dæmones mulieribus pigmenta, ornamentaque ... ... manifestarunt.

*Depinxit oculos suos stibio*, de Iezabele dicitur 4. Reg. 9. 30. Tertullianus libro de habitu mulierum: *Angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt, feminis contulerunt lumina lapillorum, quibus monilia variantur; & circulos ex auro, quibus brachia arctantur; & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur; & illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur. Hæc qualia sint ex Doctorum suorum qualitate, & conditione pronunciari potest; nihil ad integritatem peccatores; nihil ad castitatem adamatores; nihil ad timorem Dei desertores spiritus, aut monstrare potuerunt, aut præstare.*

c. 7. Sed vt vniuersum malæ mulieris elogium, quod affert Ecclesiastes absoluatur, cum dixisset: *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius*; subjicit: *Vincula sunt manus illius.* Qualia huiusmodi vincula sint Samsom didicit experimento; qui septem neruiceis funibus ligatus, vincula rupit, *quomodo si rumpat quis filum de stupa tortum putamine, cum odorem ignis acceperit*, vt dicitur Iud. 16. Idem tamen fortissimus vir Dalilæ pessimæ mulieris illecebrosa vincula effringere nequijt. Sed ab ea vinctus detonsis Nazaræi crinibus fortitudine spoliatus est, *cum recessisset ab eo Dominus*. vt Scriptura testatur. Quare Isidorus ait: *Si mulieri, id est, carni nostræ blandienti libidine consentimus; gratia spiritus sancti, quæ Nazarei crine signatur, spoliamur.* Porro Samson fortitudine spoliatus, & orbatus oculis, ab hostibus ad molendinum damnatus est: *Samson*, ait Gregor. *postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est; quia nimirum maligni spiritus, postquam tentationum stimulis intus aciem contemplationis effodiunt, foras in circuitum laborum mittunt.* Porrò quòd carnales homines laboriosæ viæ, seu vitæ circuitu defatigentur, ipsimet testantur: cum enim Sap. 2. dixissent: *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*: Sap. 5. fatentur: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis; & ambulauimus vias difficiles.*

*Lasciuæ mulieris vincula pluribus contortis neruiceis funibus tenaciora.*

7. Mor. c. 13.

11. *Dissipauit substantiam suam.* Per substantiam, lasciuè viuendo dissipatam, Dei amissam similitudinem significari insinuat Ambrosius dicens: *Ille* (nempe prodigus filius) *viuendo luxuriosè, consumpsit omnia naturæ ornamenta; vnde tu, qui accepisti imaginem Dei, qui habes similitudinem eius, noli eam irrationabili fœditate consumere.* Apoc 14. de Virginibus dicitur: *Agnus stabat supra montem Sion; & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* Vbi Hugo Card. Ideo virgines nomen Dei scriptum in frontibus suis habere asserit; quia Dij à Deo eorum patre dicuntur, iuxtà Psal. 81. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* Virgines igitur tamquam Dei filij paternam imaginem per puritatem exprimentes Dij nominantur. Porro sicut simulacrum ligno incisum, admoto igne, imaginem, quam referebat, in carbonem mutat; ita admoto concupiscentiæ, & lasciuiæ igne homines viuum Dei simulacrum antea referentes, carbonibus assimilantur. Hoc indicare voluit Ierem. dicens: *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores: denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Quid Nazaræorum nomine* ait Gregorius; *nisi abstinentium, & continentium vita signatur? sed mens repente peccato subrepente fuscatur: vnde rectè subiungitur: Denigrata est super carbones facies eorum.*

*Virgines in frontibus Dei nomen inscriptum habent, quia Dij à Deo eorum patre nominantur.*

*Ier. Thr. c. 4. 7. Lasciuiæ ignis in homine Dei imaginem nigrat, & delet. 31. Mor. c. 17.*

12. De Dei filio dicitur Sap. 7. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Diuinus igitur filius æterni Patris imaginem veluti speculum referre dicitur. Similiter homo, qui non natura, sed adoptione Dei filius est, cœlestis Patris imaginem veluti speculum refert: at, vt speculum imaginem referat, obiecto omninò præsens esse debet: Quòd si ab obiecto recedat, imaginem nullatenus retinebit. Prodigus autem filius, & quilibet peccator incontinenter viuens, à Deo recedit in regionem longinquam, ac propterea Dei imaginem prorsus amittit. Quare Augustinus ait: *Quisquis ita vult esse similis Deo, vt fortitudinem suam ad illum custodiat, non ab illo recedat; ei cohærendo, vt custodiat similitudinem, & imaginem, ad quam factus est.*

*Peccator à Deo recedens, veluti speculum ab obiecto distans, Dei imaginem amittit.*

*De verbis Domini ser. 34.*

*Et abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius; & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos: & cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.*

13. Qvamuis siliquæ generali vocabulo vaginulas, seu folliculos, & integumenta, quibus legumina includuntur, significent; nihilominus hîc siliquarum nomine tantùm illæ significari videntur, quibus peculiariter vaginularum nomen Itali tribuunt, & iuxtà Plinij Italum translatorem carrubæ dicuntur; easque Plinius l. 15. cap. 14. prædulces esse ait, & ipsarum corticem mandi. Ratio id asserendi, quam benè affert Maldonatus, est, quia probabile non videtur validæ famis tempore porcis datas fuisse plenas leguminibus vaginas, quarum potius grana sibi, suæque familiæ dominus reseruasset. Sed cur huiusmodi siliquis saturari prodigus filius cupiisse, easque nemo dedisse dicitur? poterat enim gregis custos siliquas porcis datas sibi etiam facilè in cibum assumere. Respondet Maldonatus nequiisse adolescentem tot siliquas porcis detrahere, vt ventrem expleret, cum eas porci auiditate nimia statim assumerent. Sed adhuc difficultas remanet, cur bestias baculo earum custos repellere à siliquarum pabulo non potuerit? Ideò dicendum videtur non nisi hero præsente siliquas porcis esse datas, & depastas, ne ijs scilicet subriperentur. Quam diligentiam præsertim penuriæ tempore non immeritò adhibitam fuisse probat, quod Pierius lib. 2. ex Plutarcho de solertia animalium refert: Cum à quodam domi elephas educaretur; is cui elephanti cura demandata erat, accepta hordei mensura, dimidiam sibi diebus singulis subripiebat: tandem cùm hero præsente Elephas hordei mensuram pro boscide diuisisset, eamque dimidiatam in cibum assumpsisset, custodis fraus detecta est.

*Siliquis porcis datis quomodo prodigus Filius porcorum custos se explere nequiuerit.*

14. *Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Id de peccatore mysticè interpretatur Theophylactus: *Cupit miserabilis saturari peccato, & nemo ei dat eo saturari; assueto enim malo nemo dat satietatem: non enim manet voluptas; sed famescit, & perit, fitque iterum vacuus ille miserabilis: dæmones autem solliciti sunt, ne vmquam quiescamus, & malitia saturi simus.* Similiter quomodo peccatores peccatis expleri non sinat diabolus ex hac etiam parabola colligit Chrysologus dicens: *Quòd mercenarios suos mittat ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ contenta non est hominis criminosos fieri; nisi eos vitiorum duces, criminum faciat & magistros: cum eos tales fecerit. non sinit eos ex ipso porcorum cibo, pastuque saturari, & esurientes vitia plus delinquant, luxuriosos satietas capere non potest; voluptas nescit expleri.*

*Peccator peccandi satietatem non consequitur, idem num. 13 & 17.*

15. Iob. 15. de peccatore dicitur: *Bibit quasi aquam iniquitatem.* Quid purius aqua? ita vt per eam etiam diuina gratia significetur: Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Cur igitur à S. Iob, iniquitas aquæ comparatur? Quia scilicet sicut hydropicus aqua nunquam sitim expellit; ita neque peccatis, & illicitis voluptatibus peccandi ingluuiem peccator exsaturat: *Hydropicus*, inquit Beda, *ab aquoso humore vocabulum trahens mystice comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggrauat.* Peccatoris etiam hydropem explicare voluit Dauid Psalm. 108. cùm enim hydrops morbus fit ab interiori in corpore aqua proueniens, hinc de peccato Dauid dixit: *Intrauit sicut aqua in interiora eius.*

*Iniquitas hydropi similis.*

*In Luc. 14.*

*11. Moral. cap. 6.* 16. *In sacris litteris*, ait Gregorius, *solet sanguinis nomine significari peccatum, vnde is, qui à peccato liberari desiderat per pœnitentiam, clamat: Libera me de sanguinibus.* Porrò cur sanguini, peccati significatio tribuatur, plures afferri possunt rationes. Primò, quia carnalis concupiscentiæ vis in sanguine maximè residet; id insinuat Gregorius in Psalm. 50. *Libera me de sanguinibus, desiderijs videlicet carnalibus, quæ militant aduersus animam; caro enim, & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Secundò ait Augustinus: *Quomodo dicitur lingua locutio, quæ fit per linguam; sic dicitur & sanguis iniquitas, quæ fit per sanguinem.* Tertiò, quia apud Iudæos sanguinis comestio vetita fuit: Genes. 9. *Carnem cum sanguine non comedetis.* Ideo peccati materia pro peccato ipso sumitur. Quartò, quia sicuti sanguis corporaliter, ita peccatum spiritualiter fœdè commaculant, ad quod exprimendum Isaiæ 64. dicitur: *Facti sumus immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ.* Quintò, quia peccatores crudeles, & sanguinarij esse solent, peccata sanguinum nomine significantur: Psalm. 13. de peccatoribus dicitur: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Quare cum Dauidi Saulis, filiorumque eius cædes tribueretur, a Semei exprobratum est: *Egredere, egredere vir sanguinum, reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul.*

*Psalm. 50.*

*Peccato cur sanguinis nomen tribuatur? Idem Num. 35.*

*1. Petri 2.*

*1. Cor. 15.*

*Augustinus in Psalm. 50.*

*2. Reg. 16.*

17. Sed ad rem nostram, vt significetur, neque diabolum suadendo, neque peccatorem peccando expleri, peccatum sanguinis nomine est dictum: quandoquidem tam diabolus, quàm humana concupiscentia veluti sanguisugæ sunt peccata veluti sanguinem semper appetentes. Quare Prouerb. 30 dicitur: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, affer, affer.* Vbi Beda: *Sanguisuga diabolus est, qui siti peccandi, ac peccata suadendi semper accenditur: huic duæ sunt filiæ, duæ scilicet speciales humani generis illecebræ, luxuria videlicet, & philargyria*, id est auaritiæ Sanguisugas duas propriæ voluntatis filias ait esse Bernardus: *Propria voluntatis*, inquit, *sanguisugæ sunt insatiabiles filiæ clamantes, affer, affer: siquidem nec animus vanitate, nec corpus voluptate satiatur.* Porro ex hac inexplebili siti peccandi peccatis peccata cumulantur: ad quod exprimendum, vsurpans ad peccata significanda sanguinis nomen dixit Oseas cap. 4. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt; & sanguis sanguinem tetigit. Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, vt ante Dei oculos, adiunctis iniquitatibus anima cruentetur*, ait Gregor. in Ezech. hom. 11.

*Peccator, & diabolus velut sanguisugæ sunt, peccata semper velut sanguinem sitientes.*

*Serm. in Euang. dixit Simon Petrus.*

18. Rursus quomodo ex peccato peccatum proueniat, egregiè explicat S. Gregorius supra citatus. Quærit ibi, cur Deus peccatoribus

*Peccatum est pœna peccati, vel causa peccati, vel vtrumque.*

A riora peccata perpetranda offendiculum ponat iuxta Ezechielis verba: *Si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem; ponam offendiculum coram eo?* Respondet: *Districta sunt Omnipotentis Dei iudicia; & qui peccatorem diu expectat, vt redeat; non redeunti, atque contemnenti, ponit adhuc vbi grauius impingat. Peccatum quippe, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, & causa peccati; aut peccatum est, & pœna peccati; aut peccatum simul, & causa, & pœna peccati.* Circa idem legendus est idem Gregor. 3 Mor. c. 6. in illud Iob. *Concidit me vulnere super vulnus*, & 25 Mor. cap. 9.

*Ezech. 3. 20.*

*Iob cap. 16, 15.*

19. Præterea cùm diabolus peccatores ad peccandum allicit, & adiuuat, veluti fœneratorem

B se gerit; ex quo fit, vt peccatores ad vsuram soluendam, in alia peccata perpetranda diabolo suggerente propendeant, & ex vno peccato peccatum aliud veluti vsuratio contractu diabolus à peccatoribus exigat. Quare cùm per futurum Messiam animas à peccatis liberandas Psalm. 71. Dauid prædiceret, peccata vsuras appellauit: *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.* Quem locum explicans S. Ambrosius de Tobia cap. 4. cum docuisset fœneratori diabolum comparari, subdit, *Debita peccata dicuntur; debitores criminosi appellantur*: Et cap. 9. ait: *Quis peccati est fœnerator, nisi diabolus? à quo Eua mutuata peccatum obnoxiæ successionis vsuris, defœneratur omne genus humanum. Denique quasi malus fœnerator chirographum*

*Diabolus est velut fœnerator à peccatore aliarum culparum vsuram exigens.*

C *tenuit, quod postea Dominus suo cruore deleuit.* Et paulò post explicans Euang. verba: *Cum vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo; ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori; & exactor mittat te in carcerem*: exactoris nomine diabolum intelligit dicens: *Quis iste sit exactor, agnosce, qui etiam nouissimum quadrantem exigit; & idem se creditorem vocat, atque in hoc etiam nomine fraudem facit. Creditor pretexitur quasi fidelis; & quasi incredulus, ad quem fidelis oppignorat.*

*Lucæ 12.*

D *In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.*

20. Ex fame prodigo filio ad resipiscentiam aditus patefactus est: *Fames*, inquit Chrysologus, *reuocat, quem saturitas exulerat, fames illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem: & si tantum præstitit vel inuita fames, probate quid voluntarium possit conferre ieiunium.* Porrò vnde diabolus tentandi, inde Dominus reuocandi ad se hominem occasionem sumit: ex fame tentandi occasionem sumpsit diabolus Matth. 4. *Postea esuriit, & accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, &c.* Ex fame hîc

*Serm. 1.*

*Diaboli nocendi artes in ipsum diabolum à Deo retorquentur.*

E resipiscens prodigus filius reuocatur ad Patrem. Eædem diaboli nocendi artes in ipsum tentatorem retorquentur. Ideo *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum*, dicitur Psalm. 63. Quæ verba de malis Angelis S. Ephrem interpretatur tom. 2. parænesi 30. Dicuntur autem mali Angeli in sacris litteris Græca voce dæmonia, hoc est paruuli dæmones ad contemptum.

21. Præterea coruus ob nigredinem, & voracitatem diaboli symbolum est; peccatores autem eò quòd diabolum patrem habeant, eiusque mores imitentur, coruorum pulli dicuntur. S. Hieronymus in Iob. 38. *Possumus*, inquit, *ita sentire, vt coruum, id est diabolum, & omnes socios eius quondam patres habuerimus; cum erroribus eorum*

*Coruus diabolus, coruus pulli peccatores.*

*assimilaremur, & vitijs; & inde etiam pullorum nomine dicebamur.* Porro coruorum pulli, vrgente fame clamoribus Deum inuocare dicuntur, iuxta Psalm. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Similiter peccatores velut coruorum pulli, prodigum etiam filium imitantes, fame, & corporalium rerum indigentia ad cælestis Patris opem confugere coguntur. Et in hoc quidem admiranda diuina misericordia est. Quis enim præter Deum adeò benignè peccatores exciperet, eosque & corporali, & spirituali cibo reficeret? quod quidem ex S. Hieronymo B. Iob admirans insinuat: *Quis preparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibos.* Odit *prolem suam coruus, & natam non educat*, ait Chrysost. Similiter Diabolus propter odium in genus humanum ipsos peccatores famem, aliasque ærumnas subeuntes non adiuuat: quod quidem prodigus filius diabolum luxuriosa vita sectatus expertus est; ex quo illius querimonia auditur: *Ego autem hic fame pereo.*

Corui pullo, Diaboli, peccatores.

Hom. de Elia Propta.

*Surgam, & ibo ad patrem meum.*

22. Cùm dicat, *Surgam*, corruisse se indicat, vt benè notant S. Patres Hieronymus, Augustinus, Chrysologus, Theophylactus. Surgam igitur dixit, quia luxuriosè viuēdo in foueam deciderat. *Fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena*, dicitur Prouer. 23. Quare Beda de peccatore cum mala muliere commercium habente ait: *Quasi ianuam iam Gehennalis pulsat abyssi, cui [illegible] mergitur, si pedem cautus non retrahat, si non membra reliqua à vicinia cohibet foueæ [illegible] in quam nullus omnino, nisi filius iræ [illegible]* Dicitur præterea citato prouer loco: Mala mulier *puteus angustus*: vbi ex Hebræo legitur: *Antrum angustum.* Quòd si in antris, & speluncis feræ belluæ fouentur; audi quid de mala muliere dicit Chrysostomus: *Existimo nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone sæuius? sed nihil ad hanc. In serpentibus quid dracone atrocius: sed ne hic quidem cum mala muliere conferri potest. Testatur sermonem hunc sapientissimus Salomon dicens: Cohabitare leoni, & draconi melius est, quàm cum mala muliere. Non est caput super caput serpentis, & non est malitia super malitiam mulieris. Et ne putes hoc in ironia Prophetam dixisse, ex ipsis rebus disce manifestius. Danielem in lacu leones veneriti sunt: iustum verò Naboth Iezabel interfecit: Cetus Ionam in ventre custodiunt: Dalila autem Samsonem circumuentum illecebris, raso capite acfermatum alienigenis tradidit. Dracones, & aspides & cerastæ Ioannem Baptistam in deserto viuentem sibi ita seruate [illegible]. Herodias verò eidem caput abscidit [illegible] in pretium saltationis accepit. Eliam corui in monte pauerunt; & [illegible] mortis reddent.* Verba, quæ Salomoni supra tribuit Chrysostomus Salomonis non sunt, sed Ecclesiastici, nempe Iesu filij Syrach.

Hieronymus Epist. ad Damasum. Aug. lib. 1. q. [illegible] cap. [illegible] Mala mulier Gehennæ ianua. Beda in Prou. cap. 20.

Mala mulier [illegible] Chrys. Hom. [illegible] in Matth.

Eccl. 25.

3 Reg. 21. Ionæ 2. Iudicum 16.

Math. 14.

3 Reg. 17.

3 Reg. 19.

23 Porrò per ministerium pascendi porcos à prodigo filio exhibitum [illegible] significari vitam carnis cupiditatibus, & sordibus deditam docet Chrysostomus. [illegible] carnalis pestis cum in [illegible] ita fuga vita est: [illegible] porcos, hoc est immunditiæ [illegible] ac fuga cogitasse [illegible] ibo ad patrem meum. Psalm.

[illegible] non co[illegible]

17 gloriatur Dauid artem prælhandi Deo magistro didicisse: *Deus, qui præcinxit me virtute; qui docet manus meas ad prælium; & posuisti vt arcum æreum brachia mea*: ibidem tamen ait: *Perfecit pedes meos tamquam ceruorum.* Nulla laus, immò ignominia est imbellium ceruorum fugacitatem in prælijs imitari: si enim ceruorum more in prælijs fugiendum est, frustra manus docentur ad prælium, frustra brachia ærea tribuuntur. Sed in spirituali militia cum carnalis tentatio cor aggreditur, ille optimè militarem artem callet, qui ineunte conflictu fugam arripit. Aduersus leones, & vrsos brachia ærea Dauidi profuerunt, ipso testante Reg. primo *Illi*, nempe leo, & vrsus, *consurgebant aduersum me; & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos.* Sed aduersus Bethsabeæ conspectum, aduersus incontinentiam pedes ceruorum, Dauidem habuisse præstabat. Ad Ephesios 6. iuxtà Hieronymi interpretationem, vitia, & tentationes, quas libido suggerit, carnem, & sanguinem vocat Apostolus: docet autem contra huiusmodi aduersarios non esse colluctandum: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem*: idque ideo, quia huiusmodi hostes potius fuga vincuntur: subdit autem Apostolus colluctandum esse aduersus principes, & potestates, *aduersus mundi rectores tenebrarum harum*, nempe aduersus dæmones. Ex quo constat hinc obiecto lasciuæ mulieris aspectu, hinc dæmonum obiecta præsentia, cum dæmonibus potius confligendum esse; à mala verò muliere fugiendum.

Cap. 17.

*Et dicam: Pater peccaui in cælum, & coram te.*

24. SI procul à patre in regionem longinquam abiens prauam vitam egerat, cur coram patre se peccasse cognoscit: primò quia vidente patre longinquum iter inijt, quò certè discessu paternum pectus magno doloris sensu sauciauit. Secundo cum dicitur coram patre, non tam loci, quàm temporis præsentia, seu coëxistentia significatur: ita vt sensus sit, se à patre procul seiunctum, prauèque viuendo viuente patre, paternæ vitæ tranquillitatem vehementer turbasse. Tertio quamuis prodigus filius in regione longinqua procul à patre peccasset; non ignorabat tamen ex patris affectu se velut præsentem semper paternæ mentis oculis fuisse obuersatum. Quarto cùm prodigus filius in regione longinqua peccans coram patre se peccasse fatetur, id de peccatore respectu cælestis patris intelligi debere censet Chrysostomus. *Dicens coram te, ostendit hunc patrem Deum debere intelligi; Deus enim solus conspectator est omnium, a quo nec in corde meditata peccata abscondi possunt.* Similiter Chrysologus: *Peregre profectus est ipse, & in regionem longinquam fugit: sed accusatores suos, sed testes suos diuini Patris oculos non effugit.* Quod Dauid clarius aperit: *quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremo maris; etenim illuc deducet me manus tua, & tenebit me dextera tua. Videt iste per totum mundum nuda Dei oculis delicta consistere: non cælum, non terram, non maria, non abyssum, non ipsam noctem Deo velare posse peccata.* Similiter Chrysostomus: *Noli dicere, in tenebris sum; parietibus claudor; quis me videt? Qui enim omnia nostra corda effinxit, ipse omnia nouit. Ne dicas, nemo me videt; est namque, qui ad animam vsque, & spiritum, & iuncturas, & medullas penetrat.*

Prodigus filius in regione longinqua cur coram Patre se peccasse dixerit.

Serm. 2.

Psalm. 138.

Chrysostomus ad Cor. Hom. 1.

1. Reg. 2. 1. ad Cor. 1.

Deum vt non præsentem, nec omnia cognoscentem habere, eidem maximè ad vindictam prouocat.

25. Psalm. 93. Deus dicitur: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum.* Eo modo quo dicitur *Deus scientiarum*, id est scientissimus *Pater misericordiarum*, id est misericordissimus; ita dicitur Deus vltionum, id est maximè vltor. At aduersus quod peccati genus se Deus maximum vltorem ostendit? subdit propheta: Peccatores, post plurima peccata ibi enumerata, dixerunt, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Hoc est, quod Deum ad vehementissimam vindictam commouet. *Peccatores*, inquit Gregorius, *in actionibus suis verentur homines, quos corporaliter vident; & Deum sibi præsentem non existimant esse, quem non vident.*

Mor. 19. cap. 9.

Caini maius peccatum ideo diuina respon[sio] quàm fraterna cædes. Gen. 4.

26. Caïn pessimus fratricida ex maligni liuoris stimulis fratrem occidit; Deoque sciscitanti: *Vbi est Abel frater tuus?* respondit, *nescio; num custos fratris mei sum?* Maius quidem peccatum fuit responsio Deo data, quàm fratris cædes: eo quòd huiusmodi responsione Deum latere peccata existimare videbatur. Fratrem occidendo Caïn, ei corporalem vitam ademit: Deo autem malè respondens, Deum diuinitate omnia præsciente priuare conatus est. *Malum est occidere fratrem; multo peius sic audacter, & irreuerenter respondere omnia scienti Deo, quasi possit frustrari eum: propter hoc & ipse maledictionem portauit*, ait Irenæus. Caïni igitur culpæ congrua pœna respondit; cum enim diuinis oculis peccatum occultare tentasset; è diuino conspectu eiectus est: *Ecce eijcis me à facie terræ, & à facie tua abscondar. In peccati occultatione non se Domino, sed Dominum abscondit sibi: agit quippe ne omnia videntem videat; non autem ne ipse videatur*; de peccatore ait Gregorius.

Lib. 1. cap. 16.

Gen. cap. 4.

Peccator non se Deo, sed sibi Deũ occultat. 2. Mor. c. 9.

*Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.*

Seruus est, qui spiritu timoris Deo seruit: filius, qui amoris spiritu Deo obsequitur.

27. CVm tam mercenarij, quàm boni filij Deo seruientes iustos significent; quæritur cur iuxtà hanc parabolam iustorum aliqui in domo Dei mercenarij; aliqui verò filij nominentur? Respondetur ex amoris, & timoris motiuo filios, & mercenarios distingui. Quare Malachiæ primo. *Si pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum.* Vbi Hieronymus ait: *Consideremus quod filius, & seruus in Scripturis sanctis voluntate fiat, non necessitate naturæ qui enim spiritum adoptionis acceperit, in filium Dei vertitur: qui autem spiritum seruitutis in timorem Dei, seruus efficitur. Vult itaque primùm Deus, vt filij eius simus & bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus, vt saltem seruos nos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem recedamus.* Similiter Ambrosius ser. 43. *Si seruus es, redde Domino timoris obsequium; si filius, exhibe patri pietatis affectum.* Itidem Chrysologus ser. 2. *Christus pater suorum voluit esse seruorum; qui magis amari voluit, quàm timeri.* Porro ad significandum mercedis largitatem, quam sibi seruientibus cælestis pater-familias tribuit, in hac parabola dicitur: *Quanti*, id est quot *mercenarij in domo patris mei abundant panibus!* Similiter Psalm. 33. de timentibus Deum dicitur: *Non est inopia timentibus eum.* Panis autem in Scriptura, quemlibet cibum largè, lauteque subministratum significare potest, vt 2. Reg. 9. Vbi Ionathæ filio Dauid dixit: *Tu comedes panem in mensa mea semper: & subditur: De mensa regis iugiter vescebatur.*

Panis quemlibet cibum etiam lautè ministratum significare potest.

28. Porrò cum Deo seruientes Deo amanter obsequantur, & placeant; æterna supplicia euadant, & cælestem gloriam consequantur; hinc vt in cælestis Patris domo tres ordines distinguantur: ex quibus alij filij, alij serui, alij mercenarij nominantur. Filij cælestis patris amore, & obsequio; serui timore supplicij; mercenarij æternæ mercedis consecutione ad Deo seruiendum mouentur. Quare Nazianzenus ait: *Cum eorum, qui salutem consequuntur tripartitus ordo sit; seruorum videlicet, mercenariorum, & filiorum; ita te compara, vt si seruus sis, plagas extimescas: si mercenarius, id vnum spectes, vt mercedem accipias: Sin autem ijs sublimiorem locum teneas, atque in filiorum ordine censearis Deum, vt patrem verere; bonorum operum studio incumbe; quia bonum est patri morem gerere; etiam si inde nihil quæstus ad te rediturum sit: hoc ipsum merces est patri placere, atque seruire.*

Filij amore, mercenarij ob æternæ mercedis consecutionem, serui æterni supplicij timore Deo seruiunt.

Orat. 4. in S. Baptismam.

*Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius.*

29. QVare filium pater, non patrem filius vidisse dicitur? primò, quia filius ob culparum conscientiam, iustamque verecundiam demissis oculis gradiebatur. Secundò vt significetur peccatoris oculos ob peccata cæcitate laborare. *Non sunt tales tenebræ noctis, quales illæ sunt, quæ de confusione veniunt peccatorum. Audi prophetam dicentem: Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre. Et alibi: Iniquitates meæ grauatæ sunt super me; & post: & lumen oculorum meorum non est mecum. Nox sepelit externum lumen; peccata sensum, animum membra confundunt*, ait Chrysologus.

Pater cur prodigum filium, & non prodigus filius patrem prius vidisse dicatur. idem numero 10.

Psalm. 39.

Psalm. 37.

Serm. 5.

30 Præterea filium pater vidisse dicitur, vt mysticè significetur gratiæ præuenientis beneficium; à qua nisi illustraretur, & excitaretur peccator, in Deum mentis oculos per pœnitentiam eleuare non posset. Chrysologus: *Nisi cælestis pater redeuntis filij radiasset in vultu, & totam confusionis caliginem respectus sui lumine sustulisset, nunquam diuini vultus vidisset iste filius claritatem.*

Ser. 1.

*Et misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius.*

31. IVxtà Hugonis Card. interpretationem Apostolus docet, quibus vestibus pœnitens peccator indui debeat: cùm enim Colossenses esset hortatus, *vt expoliarent veterem hominem*, hoc est hominem peccatorem, subdit, *Induite vos sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ.* Huiusmodi autem vestibus, antequam stola alia proferretur, prodigum filium benignus pater operuit: quandoquidem misericordia motus statim filium amplexibus contexit, ne eius nuditas à seruis videretur: *Clausit amplexu*, inquit Chrysologus, *ne nudaret pater filij crimina: à seruis ante vestiri voluit, quàm videri; vt soli patri nota esset nuditas; quia pater solus videre filij non poterat nuditatem.* Egregiè igitur Euangelicus iste pater-familias exécutus est, quod Isaiæ 58. præcipitur: *Cum videris nudum, operi eum; & carnem tuam ne despexeris.*

Viscera misericordiæ indumenta fuerunt, quibus prodigum filium pater primò induit.

Cap. 3.

Serm. 3.

*Et osculatus est eum.*

32. ANte omnia filios, vultũq; osculari voluit pater; quia inde pœnitentię significatio, peccatorũque confessio, & verbis, & verecundia, & lacrymis prodierat; quod patris cor mirificè exhilarauit. Similiter Marc. 16. dicitur: *Surgẽs Iesus mane prima Sabathi apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. Resurrectionis suæ gloria,*

Pœnitentes præcipuè Deum exhilarant.

Dominus primò Magdalenæ oculos exhilarare voluit, vt pœnitentiæ lacrymis, quas largissimè fuderat, præmium. *Rectè*, inquit Beda, *hæc mulier, quæ lætitiam Dominicæ resurrectionis prima nunciauit, à septem dæmonibus curata esse memoratur; ne quisquam dignè pœnitens de admissis in venia desperaret: & vbi abundauit peccatum, superabundasse & gratia monstraretur.* Porro eodem Marci loco ab Angelo mulieribus dicitur: *Ite dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis.* Quærens Hieronymus, cur speciatim de Petro mentio fiat, rationem reddit, quia scilicet *peccata præterita non nocent, quando non placent.* Displicuisse autem Petro, quod Dominum negasset amaro fletu testatus erat, dicente Euangelista de Petro: *Egressus foras, fleuit amare.* Quare vt pœnitentiæ lacrymæ compensarentur speciatim Petri oculi ad rediuiuum Dominum videndum inuitantur.

Ad Rom. cap. 5. 20.

Matth cap. 26.

*Dixitque ei filius: Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.*

Quæst. Euang. lib. 2. q. 33.

Deus vberum cur Deus dicatur.

Gen. 17. vers. 1.

Genes. 49. vers. 25.

33. CVr quod antea dicere statuerat; nempe: *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis*, omisit? Huius causam patris osculo tribuit Augustinus: *Cùm panem non haberet, mercenarius esse cupiebat; quod post osculum patris generosissimè iam dedignabatur.* Augustini responsio confirmatur ex Cantic. primò; vbi fidelis anima diuinum amorem efflagitans ait: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* Deo vbera tribuuntur; pluries enim in sacris litteris Hebræo vocabulo dicitur Deus Shaddai, hoc est Deus Mammæus, seu Deus vberum; eò quod matris instar veluti vbera habeat, vt inde gratiarum lacte iustorum corda reficiat. Quare Isaïæ 66. cùm dixisset Dominus: *Ad vbera portabimini*; subdit, *Quomodo si cui mater blandiatur, ita & ego consolabor vos.* Porrò cùm sponsa dicat: *Meliora sunt vbera tua vino*, plures ab interpretibus causæ afferuntur, cur vino vbera præferantur, sed ad rem nostram ratio est, quia vinum & filiis, & mercenariis commune est, maternum verò lac tantùm filiis tribuitur. Propterea pœnitens peccator tamquam prodigus filius, cùm per osculum, & amplexus cœlestis Patris vberibus admouetur, se filium esse cognoscit, & mercenarij titulum dedignatur. Similis etiam ratiocinatio fuit sponsæ Cant. 8. putauit enim accepto osculo omnem seruilis conditionis humiliatem relinqui: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te. & iam me nemo despiciat*, id est seruiliter affligat, ait Hugo; cum scilicet ex osculo apparuerit me esse sororem, reginam, & sponsam.

*Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum.*

Primum significat eximium.

34. STola prima, vel eximiam, & pretiosam vestem significat; vel vestem eam, quam prodigus adolescens, cum à paterna domo discederet, reliquerat. Priori interpretationi fauet, quòd primum interdum aliquid eximium significet: vt Iob 15. 7. *Numquid tu primus homo natus es?* Quibus verbis non iam primum parentem iudicare volunt, quàm eximium virum; cum Adam

A non natus, sed creatus sit. Porrò talaris vestis stolæ nomine dicta, quamuis nobilium quorumcumque vestis esse legatur: & ideo Esther cap. 6. 10. Assuerus rex Amano, vt Mardochæum ad honorificentiam stola indueret, imperauit. *Dixit ei rex: Festina, & sumpta stola, & equo fac, vt loquutus es Mardochæo*, nihilo minus non solùm apud Latinos, sed etiam apud Hebræos, stola sacerdotum erat indumentum, Machab. 2. cap. 3. 15. *Sacerdotes ante altare cum stolis sacerdotalibus iactauerunt se.* Hoc posito prodigus filius, non solùm vt ingenuus, & nobilis adolescens stola induendus erat, sed etiam, quod resipiscens per ante-actæ vitæ pœnitentiam, veluti sacerdotis

Stola talaris vestis nobilium.

Stola talaris vestis sacerdotum.

B munere fungeretur, gratissimumque Deo offerret sacrificium, nempe cor pœnitentiæ dolore concisum: vt Dauid pœnitens Psalm. 50. testatur. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Huiusmodi ergo sacrificium à prodigo filio Deo offerebatur, primò quia peccauerat iniquè cogitando de discessu à patre: secundò superbè petendo paternas facultates: Tertiò viuendo luxuriosè. Quare Innocentius tertius explicans citatum Psalmi locum ait: *Ideo spiritum, & cor debere esse contribulatum, contritum, & humiliatum, quia contribulatione punitur operatio lasciua; contritione cogitatio iniqua, humiliatione oris locutio superba.* Contriti cordis sacrificium Deo etiam obtulit Magdalena

C pœnitens, atque adeo noua sacerdos inaugurata. Ideo Paulinus epist. 4. ait: *Magdalena pœnitens ipsos Christi pedes sacrarium, & altare constituit; in quibus libauit fletu, litauit vnguento, sacrificauit affectu spiritus contribulati.*

Pœnitens contriti cordis sacrificio sacerdotis munere fungitur.

35. Prætetea stola hæc prima animi innocentiam, corporisque immortalitatem significat; quam primus parens peccando, adeoque eius progenies vniuersa perdiderat: homines enim, Adamo non peccante, pro stola immortale corpus innocentia contexissent. *Stola hæc prima est dignitas, quam perdidit Adam*, ait Augustinus, Chrysologus, *Cælestis pater dedit stolam primam; illam, quam Adam perdidit gloriam sempiternam.* Fauent Augustini, & Chrysologi interpretationi, Ecclesiæ verba sacerdotis ore prolata: *Redde*

Stola primam hominum innocentiæ, amissamque immortalitatem significat.

Lib. 2. quæst. Euang. 33.

D *mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in præuaricatione primi parentis.* Porro vnde stolam hanc primam, iterum homo acquirere debeat præsens parabola insinuat; cum pœnitenti filio post patris osculum statim stola prima profertur. Æterni patris ex Bernardo diuinus eius filius est. Diuinum hoc osculum ad reddendam homini, vnà cum innocentia pristinam immortalitatem, ab æterno patre humano generi datum est. Quod sponsa, hoc est Ecclesia flagitabat, dicens: *Osculetur me osculo oris sui.*

Cant. 1.

Cant. 1.

36. Moysem post mortem ad vitam reuocatum asserit Hieronymus in Amos cap. 9. *Ascendit Dominus cum Henoch in cœlum*, (hoc est in sublimem

Osculo homo Deum morti tradidit: Deus osculo hominem ad vitam reuocauit.

E mem aerem ad remotum aliquem locum, vel ad terrestrem paradisum) *ascendit cum Elia, ascendit cum Moyse; cuius sepultura locus, quia in cœlum ascenderat, in terra non potuit inueniri, testante Scriptura: Non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* At quo pacto post mortem Moyses vitam iterum est adeptus? Ex Dei osculo: nam Deuter. vltimo vbi habetur: *Mortuus est Moyses iubente Domino*, ex Hebræo legitur: *Mortuus est Moyses in osculo Domini* Per vitale illud osculum è morte statim ad iucundiorem vitam transiit. Hinc diuini amoris vim erga homines libeat admirari. Osculo Deum homo

Idem docet Catharinus in Genesim cap. 5. Ambros. lib. de Cain, & Abel cap. 2. Hieronymus tamen oppositum, & probabilius docet in cap. 17. Matthæi, vt Dom. 1 Quadrag. dictum est.

morti

Deut. vlt. — Luc. 22. vers. 48. — Matth. 27. 34. — Marci 15. 2.

morti dedit: *Iuda, osculo filium hominis tradis?* A è contrario Deus, homini osculo vitam est elargitus. Cœlestis sponsi, hoc est Incarnati Verbi labia myrrham primam distillare dicuntur: Cant. 5. *Labia eius lilia distillantia myrrham primam.* Cum in myrrha duplex qualitas sit: altera est amarities; altera vis corpora à corruptione præseruans: primam Redemptor noster sibi retinuit; cùm myrrharum vinum, amarissimumque mortis calicem gustare voluit: vim alteram in nobis adhibere dignatus est; cùm humanam naturam pacis osculo amplexatus, ei perpetuæ mortis corruptionem euadendi vim communicauit; *mortemque nostram moriendo destruxit*, vt Ecclesia B testatur.

*Et date annulum in manum eius.*

Fides operibus coniungenda.

37. PEr annulum fides figuratur: *Annulus est sincera fidei signaculum*, ait hîc Ambrosius. Annulus autem fidem significans in manu datur, vt significetur fidem cum operibus esse iungendam. *Date annulum in manu eius, id est in operatione, vt per opera fides clarescat, & per fidem opera confirmentur*, ait Beda. Thomas Apostolus ad collabentem fidem reparandam cum in Domini vulnera, veluti in fidei annulum digitum inseruisset, dicente ei Domino: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*; vt cum fide C opera sociaret, laboriosissimas peregrinationes subiit, Euangelica luce remotissimos populos illustrando; nempe Parthos, Medos, Persas, Hyrcanos, Bactrianos, & Indos. Dei manus post mundi exordium nunquam ab operatione cessarunt, semperque operando continua humano generi beneficia conferunt. Hinc Ioannis quintò Dominus dixit: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Porrò sancti viri in Dei manu commorari dicuntur iuxtà Deuter. 33. *Sancti in manu illius sunt.* Scilicet, vt diuinarum manuum magisterio, & exemplo nunquam otiari; D numquam à meritoria operatione desistere discant, ad id maximè fidei vrgente lumine.

Ioan. 20.

Iusti in Dei manibus commorantes, inde nunquam otiari discunt.

38. Fidei cognitio lucernæ lucenti in caliginoso loco comparatur 2. Petri cap. 1. sed ex Psalmo 118. lucerna hæc pedibus præuia apponitur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Scilicet, vt per fidem illuminari non otiosi quiescamus; sed celeriter ad meritoriè operandum virtutis viam incamus. Lunam Planetarum velocissimam in pedibus signatam nobiles Romani gesserunt: inter rationes alias, vt ad virtutis opera celeres esse recordarentur. Celeritatem, quam Gentilium gressibus signata luna suggerebat, Christianis pedibus fidei lumen in huius vitæ nocte irradians subministrare debet: ita vt de reuelata Dei lege E per fidem benè dixerit Dauid: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Rursus quam feruidè segerere debeant ad operandum Dei ministri Psalm. 103. explicatur: *Qui facis ministros tuos ignem vrentem*, ignem vehementem, impetuosum, Aquila legit. Adeo igni inimica quies est, vt etiam sub lunari sphæra in connaturali loco collocatus non quiescat; sed perpetuò cœlestes orbes imitatus circumagatur.

Otiosè nunquam quiescendum.

Sigon. de Romana Repub.

Ministri Dei qui similes nunquam quiescentes.

*Et calceamenta in pedes eius.*

39. DIscalceatum esse seruitutem significat: Isaïæ 20. *Sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Ægypti nudam & discalceatam.* E contrario calceamenta in pedibus habere significat libertatem: quare Israëlitis liberandis à captiuitate Ægyptiorum dicitur: *Calceamenta habebitis in pedibus.* Prodigo igitur filio resipiscenti calceamenta dantur; vt è seruitute diaboli in libertatem filiorum Dei eum transire significetur. *Rursus calceamenta dantur, vt calceatus anterioris vitæ rediret ad cursum*, ait Chrysologus. *Pedes, id est cursus ornatur; vt ad æterna gaudia properemus*, ait Beda. Similiter animæ, quæ ad Deum reuocatur, dicitur Ezech. 16. *Calceaui te ianthino, seu hyacinthino*, nempe ceruleo colore, vt per cœlestem calceamenti colorem ad cœlestem patriam tendere recordaretur. *Calceari hyacintho est præparari, vt ad cœlestia festinare valeamus*, ait Gregorius.

Discalceatum esse seruitutem, calceatum esse libertatem significat.

Exod. 12.

Serm. 5.

Iustus vt ad Cœlum festinet, hyacinthino colore calceari dicitur.

Moral. 10. cap. 10.

40. Præterea hyacintho calceari iustus dicitur, vt diabolum insidiatorem terrere possit. *Omnes Britanni se glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem; atque hoc horridiore sunt in pugna aspectu*, ait Cæsar. Quoniam verò diabolus serpentis vel figuram, vel mores imitatus, pedibus insidiatur iuxta illud Genes. 3. *Tu insidiaberis calcaneo eius*; hinc est, vt ad tartareum serpentem terrendum hyacinthina, hoc est cœlestem colorem referentia iustorum calceamenta mysticè esse dicantur: *Calceamenta dantur, vt super serpentes, & scorpiones securus incedat*, ait Beda.

Iustus hyacintho calceari dicitur, vt tartareum serpentem incessu terreat.

Lib. 5. de Bell. Gallic.

Beda in Luc. 15.

*Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.*

41. VItulus saginatus est ipse Dominus; *sed secundum carnem satiatus opprobriis: vt occidant eum iubet; hoc est, vt mortem eius insinuent; tunc enim cuique occiditur, cum credit occisum*, ait Augustinus. Euangelicæ igitur parabolæ mysterium, & Augustini sententia est peccatoris pœnitentis esuriem frequenti crucifixi Domini meditatione esse reficiendam. Adam primus noster parens in terrestri paradiso, vna excepta arbore, omnium arborum fructibus vesci poterat. Nos contra, mentis meditatione, quæ veluti spiritualis comestio est, vna excepta sanctissimæ Crucis arbore, reliquarum fructus arborum, quos mundus offerre potest, reijciamus. Domini enim crux vitalis est illa arbor, de qua Apoc. 22. dicitur: *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ per menses singulos reddens fructum suum.* Vbi Augustinus ait: *Crux intelligitur, quæ per totum mundum, non solum omnibus mensibus, sed etiam omnibus diebus, in his, qui baptizantur, exhibet fructum Deo.* Similiter Ticonius hom. 18. *Nullum est lignum, quod omni tempore fructificet, nisi Crux Christi.* Genes. 2. dicitur: *Produxit Dominus Deus lignum vitæ in medio paradisi*: quæ quidem arbor suis fructibus vires comedenti mirificè reficiebat, & à morbis immunem reddebat. Et hinc Domini crucem præfigurabat, de qua canit Ecclesia: *Hæc est arbor dignissima in paradisi medio situata*; quæ spirituales vires roborat, & à vitiorum morbis animam præseruat.

Augustinus lib. 2. quæst. Euangelicarum qu. 33.

Meditatio Dominicæ passionis pœnitentis peccatoris esuriem reficere debet.

Crux tamquam lignum vitæ animæ vires roborat, & à spiritualibus morbis liberat.

42. Ex diuinæ iustitiæ tribunali contra peccatorem decretum illud prodit: *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit; tantum date illi tormentum,*

Apoc. 18. 7.

*& luctum:* Contra verò ex diuinæ misericordiæ beneficentia, ærumnis antea afflictus Dauid dixit:

Psalm. 93.19.

*Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Dolorum multitudini consolationum multitudo respondet.

Genes. 41.42. de Iosepho è carcere educto dicitur: *Tulit Pharao annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius; vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit; fecitque eum sedere super currum suum:* Vbi Rupertus ait: *Pro compedibus, in quibus humiliauerunt pedes eius, torquem auream suscepit: pro pallio, quo in manu adulteræ relicto, nudus effugit, stola byssina, Deo iudice, indutus est: pro seruili nomine regium gestat annulum: & pro carceris humilitate super altum sedet imperij currum.* Similiter ex paterna benignitate prodigi filij manus, quæ immundum gregem ad pascua duxerat, annulo exornatur: idem pro attritis, sordidisque vestibus nobili stola induitur: eidem pro longo itinere nudis pedibus peracto calceamenta dantur: pro esurie, quam passus erat, ei saginatus vitulus occiditur, lautumque conuiuium apparatur; cui additur symphonia ad aures oblectandas, quas antea immundorum animalium grunnitus miserrimè audire egestas coëgit. Tantam hanc rerum mutationem pœnitentia vera promeruit.

*Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.*

Voluptaria vita, vim mortis habens.

43. CVm reuera prodigus filius mortuus non fuerit, adeoque non reuixerit; quæritur an allata verba per hyperbolen tantùm sint intelligenda? Respondeo in huiusmodi verbis potiùs conditionatum dicendi modum, quam hyperbolicum esse intelligendum. Conditionatus autem modus indicatur ex eo, quòd de filio pater non dixerit: mortuus est, & periit; sed mortuus erat, & perierat: & sensus est: si in illo tam ærumnoso egestatis, & miseriæ statu perstitisset; sine dubio perijsset, mortuusque fuisset. Sicut autem de Archisynagogi filia iā mortua Dominus dixit Matth. 9. 24. *Non est mortua puella:* ita hîc è contrario, quia prodigus filius mortuus dicitur. Ibi enim puella, quia breui ad vitam reditura erat, dicitur non mortua: hic è contrario, quia prodigus filius in illo miseriæ statu breui mortem subiturus erat, dicitur mortuus. Præterea lib. 1. Mach. cap. 12. dicitur: *Socij Ionathæ cum cognouissent, quia comprehensus est Ionathas, & perijt:* Nec tamen aliquis Ionathæ mortem nunciauerat; nec reuera perierat: dicitur enim cap. sequenti: *Mouit Tryphon à Ptolemaida cum exercitu multo, & Ionathas cum eo in custodia.* Quia vero Ionathas sub acerbissimi hostis potestate erat, licet non mortuus, pro mortuo habebatur. Similiter imprudens prodigus filius in regione longinqua, procul à patris auxilio, quamuis non mortuus, pro mortuo haberi poterat. Denique quòd prodigus adolescens se voluptatibus, crapulæ, & lasciuiæ dedisset, ex hoc solùm benè mortuus dici potuit: sicut Apostolus de vidua voluptuosam vitam per-

Crapulantis corpus cadauer.

agente ait 1. ad Tim. 5. *Quæ in delicijs est, viuens mortua est.* Nam vt benè Theodoretus ait: *Immodicæ deliciæ rationem obruunt, & efficiunt, vt in corpore tamquam in aliquo sepulchro iaceat.* Ideo de crapulante iuuene Sophocles pronunciauit. *Non arbitror hunc viuere, sed cadauer iudico:* cadauer, scilicet citò vermibus in cibum fore. S. Bernardus serm. 48 in Cant. *Vita in in deliciis agens, & mors est, & vmbra mortis: quantùm enim vmbra propè est corpori, tantùm pro*

A *certo vita illa inferno appropinquat.* Cur talis vita mors sit dicenda, reddit rationem Sanctus Augustinus tractatus 47. in Ioannem: *Vita carnis tuæ anima est: vita animæ tuæ Deus est. Quomodo moritur caro amissa anima, quæ vita est eius; sic moritur anima amisso Deo, qui vita est eius.* Sed fusius Chrysostomus explicans citata Apostoli verba, ait: *Mortuus est quisque viuens, cùm in deliciis degit. Quonam modo? Ventri solummodo viuit, sensibus cæteris mortuus: neque enim aspicit, quæ aspicienda sunt; neque audit, quæ necessariò audire conuenit; neque ea loquitur, quæ decet loqui; nihilque in se viuere, præter solam ventris ingluuiem indicat. Cæterùm quemadmodum mortuus quispiam in lectulo iacens complosis palpebris, clausisque luminibus, nullum omninò sensum habet: ita hic, immò* B *longe deterius, quàm ille, affectus est. Ille enim bona æquè, atque mala eadem ratione non sentit: hic autem malorum tantùm non amittit sensum, sed nihil boni penitus sentit. Nihil illum ex his, quæ in futura vita seruantur, mouet; sed ad omnia perstat immobilis, atque ita mortuus est. Semper in tenebris instar mortuorum degit. Nam cum per omne tempus partim prandiis occupatus, ac cœnis partim ebrius durat, nonne in tenebris est, nonne mortuus est? Ne tum quidem, cum vigilare videtur, nisi dormitare conuincitur. Videas illum serò, mane, meridie semper cœnas, commessationesque versare; noctesque totas, & auroræ plurimam partem profundo sopore detineri. Hunc-ne inter viuos statuere,* C *ac numerare quispiam audeat? At mortui, inquies, in putredinem, tabemque vertuntur, ingensque ab eis sanies defluit. Id profectò in eo, qui deliciis soluitur, fieri videas: quippe rheuma, pituita, purgamenta narium, ructus; ac vomitus ex eo profluunt. Defluit vndique corpus, & imbecillius fit. At comedit, & bibit. Non est id humanæ vitæ augmentum; quippe muta animalia hoc ipso funguntur munere. Maiore nos in dies fœtore implemus, cum deliciis magis instamus.* Ex dictis patet prodigum adolescentem, quandocumque consideretur, vel in voluptatis, ac lasciuiæ, vel in egestatis, & miseriæ statu, semper mortuum dici potuisse.

D

*Et cœperunt epulari. Erat autem filius senior in agro; & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum; & vocauit vnum de seruis, & interrogauit, quid hæc essent? Isque dixit illi? Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire.*

44. SEnioris filij indignationem ex inuidia in fratrem à patre tam amanter exceptum *Hieronymus hic, & epist. 146.

E prouenisse communiter asserunt, Sancti Patres, Hieronymus, Ambrosius, & Augustinus lib. 2. q. Euang. q. 33. Ad inuidiam autem excitandam aditus factus est, cum symphonia, musicusque concentus in tympano, & choro, in chordis & organo in eius aures insonuit. Franciscus Phœbus Nauarræ Rex, cum ad sonandum musicam fistulam ori admouisset, inde lethale venenum attraxit. Non dissimiliter hic musica tibia per sonum in huius iuuenis aures inuidiæ venenum instillauit. Hinc, quàm effera, quàm rabida bellua inuidia sit, indicatur. Teste Pierio: *Sunt, qui musis auersum ingenium, omnemque musicæ lepiditatem odio prose-*

Petr. Marth. in hist. Ludouici XI.
Psalm. 140.
Tigris musico concentu in insanum furorem erumpit.

Pierius Valerian. lib. 2.

*quemem per Tigrim, & tympanum pingant. Aiunt enim eum ita tympani sonum exhorrescere; vt eo audito mirabiliter insaniat, eoque furoris prouehatur, vt semetipsam dentibus impetat, visceraque ipsa sua fœde dilaceret, atque discerpat.* Similiter seniori filio in fratris reditu musica audita est symphonia; & hinc ille, veluti Tigris, discerpi sibi cor ex inuidia sensit. Sed Iob. 5. 2. cum dicatur: *Paruulum occidit inuidia*, cur inuidus hic frater senior appellatur? Respondet Ambrosius: *Senior dicitur, eo quod cito aliquis per inuidiam consenescat.* Consenescens autem, eo quod inuidia disrumpatur, decrepitus senex inuidus dici potest.

Inuidia [illegible] reddit.

45. Audita è seniore filio symphonia; & ei interroganti, quid hoc esset? bene seruus respondere poterat, lætitiam illam prouenire ex reducis fratris aduentu: cur expressè referre voluit: *Frater tuus venit, & occidit illi pater tuus vitulum saginatum?* Hic est sæpè seruorum mos, & in aulicis non infrequens, quædam referre, quæ indignationis, discordiæque sint semina. Oppositum tamen in sanctissimi regis Dauidis aula, & benè moderata familia contigit. Nam 2. Reg. 13. legimus ab Absalone, ob ei illatam iniuriam, Amnonem fratrem occisum in conuiuio fuisse. Quo patrato facinore, *Fama peruenit ad Dauid dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem vnus.* Hoc audito *rex scidit vestimenta sua, & cecidit super terram.* Tunc ad Dauidem regem solandum Ionadab aulicus, regisque consanguineus ei dixit: *Ne æstimet Dominus meus rex, quod omnes pueri regis occisi sint: Amnon solus mortuus est. Quoniam in ore Absalom erat positus:* de eo scilicet turbidè conquerendo. Qui turbidus Absalonis sermo etsi duos annos durauerat; nemo tamen fuit in Dauidis aula, qui vel vnum illius verbum referret. Talis enim erat sanctæ illius familiæ mos, vt vnusquisque sibi vacaret; nec quidquam, quod abalienatos, discordesque animos reddere posset, referret. Quòd si quis quærat vnde tam laudabilis mos in Dauidis regia seruabatur? respondeo, ex insigni, egregioque Dauidis regimine, & in præuaricatores zelo; quandoquidem optimus, iustusque rex de seipso iuxtà Chaldæum textum testatur Psalm. 100. *Loquentem triplici lingua in proximum suum, hunc persequebar.* Qui enim discordias serit, triplici lingua dicitur loqui; cum sibi ipsi, & duobus illis, inter quos discordias serit, pessimè noceat. Præterea quia discordiæ virus diffundens veneniferum serpentem imitatur; de eo bene dici potest: *Linguis micat ore trisulcis.*

Serui veluti dominorum honori, [illegible] discordias serunt.

Dauidis aula, & familia à discordiis [illegible] alienis.

Discordias serens cur triplici lingua loqui dicatur.

Æneid. 2.

*Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum.*

46. Poterat pater inuido filio respondere, sicut in parabola Matth. 20. 15. *Non licet mihi, quod volo facere?* Hoc est iuxta Græcum, & Arabicum textum: *An non licet de bonis meis, quod volo facere?* Et sic iniquum filium relinquere foris poterat; donec extra paternam domum suo damno iniquæ querelæ, inuidiæque prauum affectum exequeretur. Sed acerbo omisso responso cœpit rogare eum; cœpit, inquam, cum longiore sermone eum rogauerit. Hæc autem in inuidum filium patris benignitas Domini erga Iudaicum populum clementiam significat: qui teste Apostolo per Isaiam ad Israel dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Expandit manus suas Dominus, Iudæis innumera beneficia largiendo; & post aduentum in carne beneficia plura addendo: expandit manus suas Iudæos ad salutem vocando,

Ad Rom. 10. 21.

Isaiæ 65.

& deprecando: suas denique sanctissimas manus manus expandit in cruce, vt eius sanguine redempti, se à diaboli potestate eriperent.

*At ille respondens dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi; & nunquam mandatum tuum præteriui; & nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.*

47. Contra iniustè indignatum filium, ipsius verbis hic argui potest: Tot annis, quibus patri seruiens, eius mandatis obtemperasti, vel quæ mandauit, iusta fuerunt, vel iniusta. Si iniusta; malè, quod ea non præterieris te iactas; & cum ea præcipiebantur, tunc potius, quam nunc conqueri iustè debueras. Rursus si semper patris mandata iusta fuerunt; cùm tot annos semper eum iustum expertus sis; nunc etiam ab eo nihil iniustum fieri censere debes. Quare cum perpetuum plurimis annis erga patrem obsequium seruaueris, & nunc iniustè conquerens ab eo recedas; videris totius præteritæ obedientiæ meritum iniqua erga patrem querela amittere: & sic vno actu acquisitum plurimo labore meritum prodigis: Cumque adolescentior frater prodigum vitæ statum pœnitens corrigit; tu contra in eum incurrere incipis. Præterea cum viuens pater adolescenti filio suas facultates impertiendi obligationem nullam haberet; cum eas dissipaturo filio impertiit, tunc potius conqueri debueras. Quod si tunc conquestus non es, id ind[e] certe fine fratre solum in paterna domo relinqui, liberæ dominationis spe, ex immodica tibi ambitione placuisse. Hæc quoad parabolæ corticem: si verò ad interiorem significatum transeamus, & per seniorem filium Hebraicum populum intelligamus, manifestum illius mendacium redarguit Dauid Psalm. 13. dicens: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt; non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum:* Et Salomon Ecclesiastæ 7. 21. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quare bene Hieronymus ait: *Nil mirum si patri mentitur, qui fratri inuidet.*

Inuidus vt iniustè querens, conuincitur.

Prodigus filius cum facultatem patrem, quam negare pater poterat, obtinuit; cur tunc inuidus frater maior conquestus non est.

*At ille dixit: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.*

48. Pater hic cœlestis Patris typum referens verè dicere potuit: *Omnia mea tua sunt.* Quod benè probat Apostolus ad Rom. 8. 32. *Qui proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Si enim nobis Christus Dominus datus est, *quia omnia dedit eis Pater in manus*, consequenter omnia nobis dantur. Quòd si peccatores resipiscentes cœlestia dona participant, non proinde illa aliis imminuuntur. Nam diuinæ Sapientiæ, nempe Dei filij, qui *Dei virtus, & sapientia est, infinitus est thesaurus*; & ideo communicari potest sine inuidia, vt Sap. 7. Salomon asserit; & sine alicuius detrimento. Propterea contra inuidum filium benè in parabola pater subdit; *Epulari, & gaudere oportebat; quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.*

Ioan. 13.

1. ad Cor. cap. 1. 24.

Sap. 1. 7. [illegible]

# DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

## Erat Ieſus ejiciens Dæmonium, &c. Lucæ cap. 11.

### *Euangelij nexus, & ordo.*

1. POst geminam victoriam, alteram ab inuiſibili hoſte dæmone, alteram a viſibilibus hoſtibus Scribis, & Phariſæis reportatam, Chriſto Domino victori triumphales laudes decantantur. Primò mutæ linguæ ligamine dæmon dimicans ſuperatur: *Cum eiecißet dæmonium, locutus eſt mutus.* Secundò blaſphemæ linguæ licentia pugnantes Phariſæi, & Scribæ deuicti ſunt: *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia*, cum illi dicerent, Dominus eorum calumniam, vt manifeſtè falſam conuincens, ait: *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur. ſi Satanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum ipſius?* Tertiò, extollens vocem mulier de turba dixit: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.* Scilicet, vt debitus triumphali victoriæ plauſus, & acclamatio perſolueretur.

Dæmon facilius, quam peruerſus homo ſuperatur.

2. Vbi notandum, cùm in hac Euangelica hiſtoria Phariſaica, & dæmonis perfidia in medium afferantur: diabolum iam ab humana quodammodo ſuperari. Dæmonem enim Redemptoris verba foras eijciunt, humanam verò perfidiam à Phariſæorum animis non expelliunt: ita vt Dominus aduerſus huiuſmodi blaſphemos exclamaret Matthæi 12. *Progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali?* Porrò, vt humana peruerſitas dignoſcatur, difficilius cum homine, quam cum dæmone eſſe certamen inſinuatur Dauidis exemplo. Hic prius cum dæmone dimicauit, cùm illum ab obſeſſo Saule expulit, deinde cum Philiſthæo gigante pugnam iniit: Ad dæmonem vincendum tenuis citharæ pulſus fuit ſatis, ſed ad proſternendum Goliath blaſphemum in Deum: ſicut in Chriſtum Dei filium blaſphemi Phariſæi erant, violentus lapidis ictus eſt adhibitus. Denique prius fuit cum dæmone, quam cum gigante certamen: vt aduerſus dæmonem ipſe, [illegible] blaſphemantem hominem aſſuetus pugnator [illegible] *[illegible]* ſeruum, cum [illegible] dimicabat: ad [illegible] cum blaſphemo [illegible] pugnam Dauid [illegible] voluebat.

Reg. 1. cap. 16. & 17.

*Et illud erat mutum.*

3. ID eſt *faciens mutum à confeßione fidei, & peccati*, ait Hugo Cardinalis. Vt ſignificet commiſſæ iniquitatis proprium eſſe os claudere, iuxta Pſalm. 106. *Omnis iniquitas oppilabit os ſuum*, ſcilicet, ne Dei imploretur auxilium, ne peccata confeſſione aperiantur. Legitur Zach. 5. *Ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ; & dixit: hæc eſt impietas. & proiecit eam in medio amphoræ & miſit maſſam plumbeam in os eius.* Vbi Helias Cretenſis plumbeæ maſſæ nomine peccati pondus intelligit, quo poſt commiſſam culpam peccatoris os oppilatur. Ad maſſam hanc plumbeam liquefaciendam, vt os ad confeſſionem reſeretur, ſancti Spiritus ignem Dominus admouet. Propterea poſt loquelam muto redditam ait: *Si ego in Spiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei*, Matth. 12.

In Nazianz. orat. 11.

4. Mercator quidam Pariſiis accuſatus tamquam multiplicis latrocinii reus, ſibi ſponte linguam abſcidit, vt ad crimina fatenda mutus redderetur. Excuſabilis quidem reus iſte fuit, cùm eius confeſſio eſſet ad mortem: at peccator, cuius in pœnitentiæ ſacramento confeſſio eſt ad ſalutem, [illegible], vt os ſibi linguæ & voluntariè mutum reddere debeat, vt potius illi ad peccata aperienda, ſalutemque animæ per gratiam aſſequendam centum ora cum totidem linguis ſint exoptanda.

Petrus Marcus in bibl. [illegible] XI. [illegible]

5. Cum Deus in ſacrificium ſibi offerri tum ex terreſtribus, tum ex volatilibus animalibus præcepiſſet; Cumque ex terreſtribus boum, ouium & caprarum; ex volatilibus verò columbarum, & turturum ſpeciem admitteret vt habetur Leuit. cap. 3. & 15. quæritur, cur ex aquatilibus ſacrificium nullum offerri voluerit. Augetur difficultas primò, quod Deus tamquam vniuerſorum Dominus per ſacrificia [illegible] agnoſcendus atque [illegible] vi[illegible]ebatur [illegible]. Secundò [illegible] Deo [illegible], quæ Deus ipſe hu[illegible], iuxta Paralip. lib. 29. [illegible] ſed [illegible], & [illegible], ſed [illegible] I. 8 pro [illegible] a [illegible]tibus [illegible]

Respondet Tostatus, *Quia Dominus* [illegible] *in animalibus* [illegible] *& quia pisces rarò adhuc poterant* [illegible] *ad Dominum, ideo non decebat de illis* [illegible]. Sed humana industria [illegible] propter [illegible] adinuenit ad viuos pisces asseruandos, eosque quocumque vellet transferendo, poterat etiam propter Dei cultum eosdem viuos adinuenire, & inde viuos extractos pisces, statim Domino sacrificare.

6 Respondetur igitur piscem mutum animal esse, eaque de causa peccatorem ad suas detegendas culpas mutum significare: ad quod inter [illegible] in Hebraice [illegible] *quasi pisces* [illegible], v. [illegible] peccator verbo impœnitentiæ [illegible], vtcumque mutus à Dei [illegible]. [illegible] ita verba Gen. 1. *Producant aquæ reptile* [illegible] *& volatile*. Per volatilia [illegible] per reptilia in aquis, hoc est per pisces, peccatores intelligit. Quæ quidem [illegible] volucribus, & piscibus [illegible] cum ex [illegible] aquis, & volucres, & pisces veluti gemellam prolem Deus [illegible] pisces tamen perpetuo submittunt, volucres vero [illegible] ex quibus vel corpus in [illegible] Deum inuocare [illegible] iuxta Psal. 14 [illegible] *pullis corvorum inuocantibus eum*.

7 Ad mutæ linguæ [illegible] ligamen; vt peccator sua crimina confiteri possit, prius oculi in pœnitentiæ lacrymas [illegible] Hinc Isaias 35. ait: *Aperta erit lingua mutorum, quia scissæ sunt in deserto aquæ*. Quæ cum mutæ linguæ loquela, & erumpentibus è deserto aquis connexio esse potest. Per scissas in deserto aquas pœnitentiæ lacrymas è contrito corde manantes intelligit Hugo Card. Porro reprobis etiam ad peccata confitenda muta lingua solui potest, sed linguam ad aperienda peccata, & oculos ad lacrymas simul soluere, hoc electorum proprium est. Gregor. 8. mor. cap. 9. *Sæpe reprobi peccata confitentur, sed deflere contemnunt.* [illegible] *autem culpas* [illegible] *vocibus confessionis aperiunt,* [illegible] *flentibus* [illegible] [illegible] *mala* [illegible] *sed flere* [illegible] *quasi* [illegible] *vulnus* [illegible] *sed torpenti mente medicamentum vulneri non apponit.* Est igitur iuxta Gregorium pœnitentiæ fletus veluti præstantissimus liquor ad peccatorum vulnera liniend a, & lauanda.

8 Humilem peccatorum confessionem hominibus concedere ad [illegible] peccata magnum diuinæ misericordiæ beneficium est: quia diabolus homines volutare [illegible] illos à peccatorum confessione retrahat; [illegible] quod tantum bonum, cuius ipse incapax est, hominibus inuideat. Quæritur Genes. 3. cur de diuini præcepti transgressione interrogatus fuerit Adam, & Eua, diabolus verò ipsius transgressionis auctor non fuerit interrogatus. Quia scilicet diuina bonitas eos de culpa interrogauit, quibus interrogatio prodesse poterat. Adam igitur, & Eua peccati confessione peccatum delere poterant, diabolus verò non poterat: propterea illi interrogantur, [illegible] nihil [illegible] Quare Gregorius de primis parentibus [illegible] *ferrant, vt peccatum, quod* [illegible] *commiserant confitendo delerent* [illegible] *quoniam erat reuocandus ad veniam, non est de culpa requisitus.*

9 Præterea tanta humilis confessionis efficacitas est, vt ipsa peccata (quod summam [illegible] in [illegible] præstantiora [illegible] ceu [illegible]

possit; quatenus scilicet confessionis [illegible] B. Iob affirmat se non, quatenus occultandis peccatis mutum fuisse. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui* [illegible] *meum*. Vbi Sanctus Gregorius de Beato Iob ait: [illegible] *cuilibet magnus in virtutibus* [illegible] *certe sublimis apparet etiam in peccatis* [illegible] *in eo* [illegible] *miretur* [illegible] *minus admiror* [illegible] *peccatorum, quam tot sublimia gesta virtutum* [illegible] *candiam plerumque* [illegible] *commissa peccata prodere* [illegible] *malum* [illegible] *tamen* [illegible] Ad [illegible] confessionis exemplar affert Chrysostomus tom. 5. homil. de cruce, & latrone, eiusdem boni latronis verba Lucæ 23. 41. *Nos quidem iuste digna* [illegible] *factis recipimus*. Vide, ait Chrysostomus, [illegible] *Ille namque, ait, tu* [illegible] *Nemo* [illegible] *sed ipse* [illegible] *sua peccata publicat. Non est* [illegible] *nisi* [illegible] *peccati* [illegible] *In* [illegible] *confessio* [illegible] *& paradisum* [illegible] *tam* [illegible] *nim in paradisum* [illegible]

1 Ad difficultatem sincerè [illegible] propria peccata, significandam, Marc. 7. vbi legimus ad Dominum, vt curaretur, mutum fuisse adductum, ex Græco legitur non mutum, sed ægrè loquentem, vel semimutum adductum fuisse. Quo imorbi genere peccator, qui peccata non integrè confiteatur, sed aliqua ex parte vel minuat, vel reticeat, significatur. Porro integrè neque minuendi, neque augendi [illegible] specimen, primo Reg. capite 14 habetur: vbi Ionathas [illegible] mandatum, [illegible] transgressus, & interrogatus à Rege patre, *Indica mihi quid feceris?* ait: *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis.* Hæc repetitio *Gustans gustaui*, iuxta Gregorium ex phrasi Hebræa augendi vim habet, sicut illa Psalmo 39. *Expectans expectaui Dominum.* Fatetur igitur Ionathas se vehementi gulæ affectu fuisse [illegible] quam [illegible] culpam, quia [illegible] retinere potuisset. Hinc Gregorius ait: [illegible] *dum peccata confitentur, ea quidem* [illegible] *minuunt, dum* [illegible] *ex toto animo* [illegible] *E contrario* [illegible] *quando* [illegible] *de* [illegible] *parua,* [illegible] *magna* [illegible] [illegible] *complens* [illegible] *contra nos* [illegible] *in confessione* [illegible] *confessione* [illegible] *dicit* [illegible] *in summitate virgæ*. Bona [illegible] sed quoad [illegible] contradiscendo [illegible] verbo explicationem [illegible] paululum [illegible] Hebræa verbi replicatio semper [illegible] augere [illegible] tamen, vt [illegible] sit [illegible]

Mm iij

dum, magis imminuat; si verò sit adaugendum, augeat. Benè hoc in loco id aduertit Hugo Card. dicens: *Hic præter solitum morem geminatio notat diminutionem; cum sæpius notet augmentum, vel expressionem, vt ibi, benedicens benedicam.* Humilis, ac sinceræ peccatorum confessionis specimen Dauid dedit Psalm. 40. 5. dicens: *Ego dixi: Domine, miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi.* Vbi iuxta Augustinum ait: *In factis meis, in peccatis meis non accuso fortunam, non dico: Hoc mihi fecit fatum. Non dico: Adulterum me fecit Venus; & Latronem Mars, & auarum me fecit Saturnus. Sed ego dixi: Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccaui tibi.*

Lib. 5 contra Marcionem, hom. 41.

11. Rursus ad confessionis integritatem docendam Augustinus de vera, ac falsa pœnitentia cap. 9. supponens vnà cum Tertulliano, & Chrysostomo, mutum hunc Euangelicum surditate etiam laborasse, ait: *Sunt plures, quos pœnitet peccasse, sed non omninò; reseruantes sibi quædam, in quibus delectentur: non animaduertentes Dominum simul surdum, & mutum à dæmonio liberasse: per hoc docens nos numquam, nisi de omnibus sanari.*

12. Porrò, vt spiritualis surditatis causa cognoscatur, notandum est Nilum fluuium in sacris litteris Gehonem dici. Genes. 2. *Gehon ipse, est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ.* Fluuius hic, siue ex Ambrosio terræ hiatus, hoc est barathrum, siue ex Philone cornupeta interpretetur, diaboli typus esse potest; qui tamquam Nilus, seu Gehon è Paradiso erumpens descendit in Æthiopiam, hoc est in Infernum, malorum Angelorum habitaculum: per Æthiopes enim ob nigredinem in sacris litteris immundi spiritus significantur iuxtà illud Amos 9. *Numquid non, vt filij Æthiopum, vos estis mihi filij Israel?* quasi diceret: *Vos ex patre diabolo estis.* Et Psalm. 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Diabolo autem dictum est Genes. 3. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Nilus*, inquit Romanus orator, *vbi ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret.* Similiter diabolus prauarum suggestionum strepitu tamquam Gehon eos, qui cum eo versantur, surdos reddit, ne Deum vocantem audiant. Ad quod indicandum Apoc. 12. Draco de ore suo in terræ hiatum præcipitem fluuium emittere dicitur.

Ambrosius de Paradiso cap. 4. Philo lib. 1. Alleg.

Ioan. 8 v. 44

Nilus diaboli typus ingenti strepitu surdi[illegible] inducit. Per Æthiopam nomine immundi spiritus significantur.

13. Ad dæmonium ergo ejiciendum, à spirituali surditate curari peccator debet, ita vt Dei vox in eius aures peruadat. Iosuë 6. inter Israëlitas, & Ierichuntinos ingens murus intercedebat; qui quidem murus quamuis latus, ac benè firmus, corruit, cum statuto tempore Israelitica vox, & sacerdotalis tubæ sonus in Ierichuntinas aures irrupit. Peccator adjiciendo peccatum super peccatum inter se, & Deum ingentem murum excitat, iuxta illud Isaiæ 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum.* Vt murus hic iniquitatum corruat, peccatoris auribus diuina vox in prædicatione, & in pœnitentiæ sacramento sacerdotis ore prolata excipienda est: Iosuë 6. *Postquam in aures multitudinis vox, sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: Sicut tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt; ita & nunc oportet, vt ciuitas mundi, id est superbia cum suis turribus, auaritia scilicet, inuidia, atque luxuria, simul cum populis, id est omnibus concupiscentijs malis, assidua sacerdotum prædicatione destruatur, atque dispereat*, ait Augustinus serm. 16. de tempore; ibique subdit: *Sicut tunc tubarum clangor destructis cæmentorum muris ad populi interiora peruenit; ita nunc prædicatio sacerdotum, destructis prauis cogitationibus ad animæ nuda pertransit.*

Peccatoribus in cordis auribus diuinæ voci aditus sermo [illegible] pandatur.

14. Præterea dæmoniacum hunc non solùm mutum, adeoque surdum; sed etiam cæcum fuisse ex Matth. 12. constat: *Oblatus est dæmonium habens cæcus, & mutus.* Corporalis hæc cæcitas spiritualem cæcitatem, quam in animam obscurando rationis lumen immundus spiritus inducit, significat. Latrones, vt tutò furari possint, extincto lumine latrocinia aggrediuntur: ita diabolus, vt supernaturalia nobis bona auferat, rationis lumen extinguit. Similitudo est Chrysostomi, *Quemadmodum latrones, & parietum perfossores, cùm pretiosum aliquid rapere volunt, extincto lumine id aggrediuntur. Sic in peccatoribus corrupta ratio. Etenim in nobis rationis lumen semper est ardens, quod si spiritus iniquitatis vehementiori impetu aggressus extinxeris, statim animam obscurauis, expugnauitque; & quicquid in ea conditum est, compilat.*

Hom. 11. ad Corinthios.

*Cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus.*

15. DE Christo Dominò dicitur: *Portas æreas, & vectes ferreos confregisse*; reuocando scilicet ex praua vita peccatores. Psal. 106. *Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, suscepit eos de via iniquitatis eorum.* Hos ferreos vectes Haymo diabolicas suggestiones interpretatur: diabolicæ autem suggestiones veluti ferrei vectes sunt, quibus & auris, & os peccatoris obseratur, auris, ne Dei voces vocantis ad pœnitentiam audiat; os, ne peccata confiteatur: atque adeo, vt surdus, & mutus perpetuò reddatur. Propterea diabolum *serpentem vectem*, seu, vt Symmachus legit, *serpentem concludentem* vocat Isaïas cap. 27. Hic serpens ejiciendus erat Christi Domini verbo: *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem*, ait Isaïas. Gladius hic Dei verbum est, teste Apostolo dicente: *Aduersus mundi rectores tenebrarum harum*, hoc est aduersus dæmones, *assumite gladium spiritus, quod est verbum Dei*: & rursus: *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Præterea Isaiæ 45. dicitur: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro; cuius apprehendi dexteram, vt subjiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur; portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Vbi per Cyrum, Christum Dominum; per seras ferreas comminutas, & valuas æreas apertas hominum præcordia prius à diabolo obsessa Tertullianus intelligit.

Diabolus serpens vectis dicitur, quod peccatoris aures, & os claudat.

Ad Eph. 6.

Ad Hebræos 4.

Lib. contra Iudæos.

16. *Locutus est mutus.* Loquela, vt ait Hugo Card. data est homini ad accusandum seipsum: quoniam verò ne quis suas detegat culpas, verecundia obstare solet; ideo dicitur Ecclesiastici 4. *Non confundaris confiteri peccata tua; & ne subjicias te omni homini pro peccato.* Quod iuxtà phrasim Hebræam idem est, ac dicere: *Non confundaris confiteri peccata tua, vt non subjicias te omni homini pro peccato*: ponitur enim particula coniunctiua *Et* pro particula causali *Vt*. Ad verecundiam igitur superandam motiuum, quare homini nostra confitendo peccata nos subjicere debeamus, est, ne hominibus omnibus subjiciamur. Quamuis enim, qui sua in hac vita occulta peccata confitendo non detegit, homini se non subjiciat in altera tamen vita, vniuersalis

Particula coniunctiua Et ponitur pro particula causali Vt.

Verecundia, peccatorum confessionem impediens, quomodo superanda.

iudicij die hominibus omnibus subjicitur: ita A vt ab omnibus peccatori voluntariè muto pudor, & erubescentia injiciatur; cum scilicet coram hominibus omnibus peccata per confessionem non deleta sint ad summam ignominiam detegenda.

*Et admiratæ sunt turbæ.*

Messias è Dauidis stirpe promissus.

17. *E T stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est filius David?* dicitur Matth. 12. Eiecto Domini imperio dæmone, benè hinc colligere videntur turbæ Dominum Dauidis esse filium, hoc est è Dauidis stirpe prognatum. Idque non solùm, quia Dauid etiam ejiciendi à Saule dæmonem potestatem habuit, vt supra dictum est: sed quia ex imperio in dæmones, aliisque miris Domini miraculis benè conjici videbatur eum esse Messiam, & Christum Israëlitico populo à Deo promissum. Notum enim erat apud Hebræos Messiam è Dauidis stirpe nasciturum. Quare Matth. 22. 41. cum *Congregatis Pharisæis, interrogauit eos Iesus dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: David.* Hæc autem de Messia è Dauidis stirpe notitia, inter cætera sacræ Scripturæ testimonia, habebatur ex Psalm. 131. 11. *Iurauit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam:* idque iuxta promissionem factam 2. Reg. 7. *Suscitabo semen tuum post te; & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum:* & Psalmo 88. vers. 96. *Semel iuraui in sancto meo, si David mentiar; semen eius in æternum manebit; & thronus eius sicut Sol in conspectu meo; & sicut luna perfecta in æternum; & testis in cœlo fidelis.* Quæ certè promissio de Salomone, eiusque stirpe non verificatur, sed de Christo Domino. Quare S. Petrus Act. 2. 29. probare volens Iudæis Christum resurrexisse dixit: *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David. Propheta cum esset, & sciret, quia iure iurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius; prouidens locutus est Psalm. 15. 10. de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. His auditis, compuncti sunt corde.*

*Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.*

Plinius l. 10. c. 28. Beelzebub Gentilibus Idolum contra muscas.

18. *S Icut ad arcendam muscarum pestem, vt Plinius testatur, Elæi Græciæ populi Myagrum Deum inuocabant; ita in Palæstina Accaronitæ ad muscas similiter ejiciendas Beelzebub Idolum inuocabant. Cùm igitur Scribæ, & Pharisæi Dominum calumniari vellent, cuius imperio immundus spiritus fuerat eiectus, dixerunt; *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia;* quasi ad ejiciendum muscarum, hoc est immundorum spirituum molestiam, ipsum muscarum Idolum impiè Dominus inuocaret. Hæc Pharisæorum calumnia, & blasphemia damnatur Matth. 12. *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemia non remittetur:* hoc est blasphemia in Spiritum Sanctum prolata. Erat autem hæc Pharisæorum calumnia in Christum, blasphemia in Spiritum sanctum, iuxta Athanasium hom. in hæc verba, & alios; eò quod manifestam diuinitatis, sancti spiritus virtutem in ejiciendo immundo spiritu, dæmoni tribuerent. Quæ blasphemia non remittenda dicitur; non quòd illius remissio numquam continget; sed quia cum excusationem nullam, neque fragilitatis, neque ignorantiæ habeat, quantum est ex se remissionis motiuum omne excludit.

19. Porrò, vt cognoscatur cuius quisque nationis sit, notandum est, qua lingua loquatur. Præscitorum lingua blasphemia est: Apoc. 16. *Blasphemauerunt nomen Dei; neque egerunt pœnitentiam.* Ideo qui in Deum, Deique sanctos tartarea lingua blasphemias vibrant, se è præscitorum natione esse significant. Illud Prouerb. 20. *Postea implebitur os eius calculo,* de blasphemo homine Beda interpretatur; hi enim in blasphemiæ B punitionem in inferis ignito calculo os plenum habebunt. Blasphemia præscitorum loquela. Blasphemorũ peculiaris in inferis pœna.

*Et alij tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.*

20. *V El calumniandi studio, vel incredulitatis vitio signum de cœlo à Christo quærebant; idque valde iniquè. Nam omnia Christi miracula, signa de cœlo erant; hoc est, non nisi cœlesti, diuinaque virtute facta. Omissis alijs, Magdalena è lasciua ad puram, sanctamque vitam redacta; Matthæus relicta turpi lucrandi arte, relictis cumulatis opibus, è publi- C cano ad piam, honestamque viuendi formam duobus Christi verbis adducto, nonne signa de cœlo erant? Septuaginta duo Christi discipuli, qui Iudæam peragrantes, iustitiæ, salutisque viam, sanctosque mores populos docebant, nonne signa de cœlo erant? *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates,* dicitur Dan. 12. Quod si è materiali cœlo signa Pharisæi petebant, neque hæc deerant. Stella, quæ orientales reges ad Christum in Bethleem adorandum duxit, profectò signum de cœlo erat. Quod si de stellæ visione vel deceptos, vel mentitos tres reges existimarunt; in hoc Herode peiores fuerunt, qui *clam vocatis Magis, diligenter* D *didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis* Præterea Matth. 3. dicitur. *Exibat ad Ioannem Ierosolyma; & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.* Inter quos multi etiam erant ex Pharisæis. Cum ergo adstante ad Iordanis ripas tanta hominum multitudine. *Aperti sunt Christo cœli; & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se; Et ecce vox de cœlo dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* nonne hoc fuit signum de cœlo? Et signum quidem ab adstantibus omnibus visum, & auditum. Signanter enim Matthæus de Christo dixit, *Aperti sunt ei cœli;* hoc est, propter eum aperti sunt; scilicet, vt erga eum tamquam Dei filium E honor, & debita veneratio ab omnibus audientibus, & videntibus exhiberetur. Signa de cœlo plura à Domino Iudæi habuerunt. Matth. 2.

*Ipse autem vidit cogitationes eorum.*

21. *P Luribus argumentis se diuina virtute non diaboli vi dæmones ejicere Dominus infra probauit. Id tamen hic duobus manifestis indicijs demonstrat. Primùm internæ cogitationis notitia se Dei filium ostendit. *Prauum cor omnium; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor,* dicitur Ierem. 17. Propterea Danielis 3. dicitur: *Benedictus es, qui intueris abyssos.* Christus secreta cordis cognoscendo se Deum esse ostendit: idem num. 22.

Tract. de inte- riori domo c. 44. Conscientia humana mare magnum, & abyssus multa. Ps. 103. 25.

Quas abyssos intueatur Deus, explicat S. Bernardus dicens: *Conscientia hominis est abyssus multa; sicut enim abyssus exhauriri non potest, sic cor hominis à cogitationibus suis euacuari non potest; sed continua volubilitate voluuntur. Mare magnum est, & spatiosum manibus; illic reptilia, quorum non est numerus. Sicut enim reptile latenter repit, & sinuosis anfractibus huc, & illuc deambulat; ita conscientiam hominis venenatæ cogitationes intrant, & exeunt; vt nesciat homo vnde veniant, aut quò vadant.* A

Athei occulta cogitatio Deū negans, Deum esse probat. Ps. 32.

22. Sicut solus Deus spiritualis animæ conditor est; ita soli Deo interiores animæ rationalis operationes notæ sunt. Quod Dauid Psalm. 32. significauit de Deo dicens: *Qui finxit singillatim corda eorum*, (hoc est mentem, & voluntatem, vt explicat Bellarminus) *Qui intelligit omnia opera eorum.* Idem Psalm. 13. significauit; *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Ex quo loco per ipsos atheos Deum intra se negantes, Deum esse ostenditur: Si enim Deus non foret, vtique quod intra se atheus cogitat, scire quispiam non posset: cum igitur ipsa athei interna cogitatio Deum negans cognoscatur, hinc Deum esse conuincitur. Quare Christus Dominus, vt se Deum esse probaret, ad internas Pharisæorum cogitationes respondit. Hieronymus in Matth. 12. *Dominus non ad dicta, sed ad cogitata respondit, vt vel sic compellerentur credere potentiæ eius, qui cordis videbat occulta.* Psalm. 93. 11. tamquam quid proprium Dei dicitur: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Nam cum cogitationes bonæ sunt, eas & ipse homo cogitans, & Deus cognoscit: cum verò vanæ sunt, tunc solus Deus quanta sit eorum vanitas, quàm irritus futurus exitus, agnoscit. Non nouit homo cogitationes Dei, qui vanas habet, ait Augustinus; nec suasmet addit Cassiodorus; cum probè tamen noscantur à Deo.

Christus mansuetè respondens falsissimā Pharisæorum calumniam ostendit. In Matth. hom. 42.

23. Secundum indicium, quo se Dei filium, non autem diabolo fœderatum Dominus ostendit, mansuetudo est, qua Pharisæis respondet, & ab illis illatam iniuriam non vlciscitur: *Non est dæmonij tanta clementia, mansuetudine, humanitateque viri*, ait Chrysostomus. Diabolus eò quòd ad vlciscendam iniuriam vehementissimè sit propensus, antonomasticè *Vltor* dicitur Psalm. 8. *Vt destruas inimicum, & vltorem*; id est diabolum iuxtà Theodoretum. At de Dei filij mansuetudine iam prædictum erat ab Isaïa: *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius; arundinem quassatam non confringet; & linum fumigans non extinguet:* hoc est hostes suos non vlciscetur, vt interpretatur Chrysostomus. Gregorius verò ait: *Quid calami nomine, nisi Iudaici populi temporale regnum denunciat: Virens quidem exterius, sed interius vacuum: & quia in eodem populo genus iam regale defecerat, & regnum eius alienigena possidebat; apertè hoc idem regnum calamum quassatum vocat. Quid verò per linum, nisi eius sacerdotium exprimitur, quod lineis nimirum vestibus vtebatur? quod quia in aduentu Domini charitatis ardorem perdidit, quasi amisso iam igne fidei, non ardens, sed fumigans fuit. Incarnatus autem Dominus calamum quassatum non confregit, & linum fumigans non extinxit; quia Iudææ regnum, quod penè destructum iam fuerat, eiusque sacerdotium, quod ignem fidei non tenebat, non potestate iudicij perculit; sed cum patientia longanimitate tolerauit.*

Diabolus antonomasticè Vltor dicitur. Isaias cap. 42. & Matth. 12.

Chrysostomus In Matth. 13. Gregorius 11 Moral. c. 5.

*Dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur; & domus supra domum cadet, si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? Quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia.*

Peccatum cōmitti, & peccatum regnare, diuersa sunt.

24. His verbis optimè contra Pharisæos sic Dominus arguit: Vos nisi ex perfidia voluntariè cæci sitis, cùm apertè videatis me Satanæ opera insectari damnando hypocrisim, inanem gloriam, superbiam, opum cupiditatem, aliaque, quæ suggerit diabolus vitia: cùmque ad ea, quæ doceo, & suadeo comprobanda, miracula adhibeam, & dæmonia ejiciam; si talia Satana operante fierent; profectò contra seipsum vitiosam vitam hominibus suadentem pugnaret. Quod de versuto humani generis hoste stultum est credere: cùm suum in hominibus per peccata regnum stabilire semper accerrimè nitatur. Quare aduersus diaboli regnum nos excitat Apostolus, cùm ad Rom. 6. ait: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Vbi Gregorius peccatum esse, & peccatum regnare tamquam duo diuersa distinguit. *Apostolus peccatum in mortali corpore non esse, sed regnare prohibuit; quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest. Hoc ipsum namque ei de peccato tentari peccatum est; quo quamdiu viuimus perfectè omnimodo non caremus.* Et subdit: *Appetitus illicitus, & si plerumque bonis nostris cogitationibus occultè se, quasi fur inserit, saltem si ingreditur, non dominetur.* B C

21. Mor. c. 5.

Diaboli contra tyrannidem acriter dimicandum.

25. Inter regem, & tyrannum, cùm vterque in populo dominetur, discrimen hoc est, quod scilicet regis imperio voluntariè ciues se subdant; imperio verò tyranni se subdant inuiti: ex quo fit, vt aduersus regem rarò, ac difficilè seditiones commoueantur; aduersus tyrannum verò frequentissimè. Propterea quoniam etiam *iustus septies in die cadit*, monet Apostolus, ne in nobis diabolus regnet, sed à nobis potius tamquam tyrannus habeatur; ita vt eius exosi imperium, frequentissimè in eum arma moueamus, eiusque iugum excutiamus. Propterea ait Theodoretus: *Regnum in hoc differt à tyrannide, quod existat quidem tyrannis inuitis subiectis; regnum verò ijs volentibus, quibus imperatur: suadet ergo Apostolus ne peccati potestate amplius assentiamur.* Porro, vt nobis incitamentum sit victoriæ celeritas, bellandique temporis breuitas, Apostolus consultò dixit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Sicut enim mortale corpus breui moritur; ita breui certamen diaboli terminatur. *In mortali vestro corpore: hoc declarat certamina ipsa temporaria quidem esse, statimque finem habere*, ait Chrysostomus. D E

Prou. 24.

Victoria celeris de diabolo est speranda.

*Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia; filij vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.*

Pharisæi iniqui spirituum ponderatores.

26. Spirituum ponderator est Dominus, dicitur Prou. 16. 11. Sed peruerso more immundorum spirituum, qui ejiciebantur, ponderatores Pharisæi erant. A suis enim, quos in Synagoga habebant, exorcistis diuina virtute immundos spiritus ejici iactabant: quos verò Christus Dominus ejiciebat: Satanæ operâ ejici asserebant.

Quare benè de hypocritis Pharisæis Ambrosius, A & Halberstatensis Episcopus Haymo intelligunt illud Psal.61.10. *Mendaces filij hominum in stateris;* cùm sua eleuent, & aliena deprimant. Ideò verè, vt dicitur Psal.13. *Abominabiles facti sunt in studiis suis.* Quare abominabiles? Quia vt dicitur Prou. 20.num.10.& n. 23. *Pondus, & pondus; mensura, & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum.* Quod explicans Greg.hom.4.in Ezechielem ait: *Scimus, quia in negotiatorum duplici pondere aliud maius, aliud minus est. Nam aliud pondus habent, ad quod pensant sibi; & aliud pondus, ad quod pensant proximo: ad dandum quidem pondera leuiora; ad accipiendum verò grauia præparant. Omnis itaque homo, qui aliter pensat ea, quæ sunt proximi, & aliter ea, quæ* B *sua sunt, pondus, & pondus habet. Vtrumque ergo abominabile est apud Deum: quia si sic proximum, vt se diligeret, hunc in bonis, sicut se amaret: & si sic se, sicut proximum aspiceret, se in malis, sicut proximum iudicaret.* Ideo Deuter. 25. 14. Præcepit Deus: *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor: pondus habebis iustum, & verum; & modius æqualis; & verus erit tibi.* Ideo *statera dolosa abominatio erit apud Deum,* vt dicitur Prou. 11. Dolosa statera erat in manu Pharisæorum; propterea iis dicendum erat cum Daniele cap. 13. 56. *Semen Chanaan, & non Iuda.* Quare semen Chanaan? Quia vt dicitur Oseæ 12. 7. *Chanaan, in manu eius statera dolosa, calumniam* C *dilexit.* Quam calumniam? Dicentes scilicet in Redemptorem: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

*Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.*

27. QVia digiti actionis sunt instrumenta; hinc est, vt aliquid efficiendi virtus digitus dicatur. *Digitus Dei intelligitur Dei potentia,* ait Clemens Alex. 6. stromatum. Ideo agnoscentes diuinam potentiam Ægyptij Magi dixerunt Exodi 8. *Digitus Dei est hic.* Et Isaïæ 40. 12. ad indicandam diuinę virtutis potentiam dicitur: *Quis,* scilicet, nisi Deus, *mensus est pugillo aquas*: seù vt D Aquila vertit: *Quis mensus est minimo digito aquas? & cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Hoc est, Quis vniuersum terræ orbem in medio aëre veluti pendulum librat, & sustinet tribus digitis, nempe potentiæ, sapientiæ, & bonitatis virtute? Rursus, quia cùm aliquid imperatur, vocis, spiritusque sono illud exprimitur; hinc est, vt imperium Spiritus dicatur. Ideo de Antichristo dicitur 2. ad Thessal. 2. 8. *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui,* hoc est iussu, & imperio, vt explicat Chrysost. & Theophylactus. Quod antea prædixerat Isaïas 11. 4. *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Eodem significatu dicitur Psal.32.5. *Verbo Domini cæli* E *firmati sunt; & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Ad ostendendam ergo Christus suam potentiam, diuinamque virtutem ad dæmones ejiciendos, iuxtà Matth.cap.12.dixit: *Si in spiritu Dei eiicio dæmones:* iuxtà Lucam: *Si in digito Dei eiicio dæmonia; profectò peruenit in vos regnum Dei:* & sensus est: Si vos Pharisæi perfidiam, & calumniandi studium rejicietis, meis rationibus, miraculisque frequentibus conuicti, fateri debetis peruenisse ad vos regnum Dei: nempe nouam, quam doceo Euangelicam legem; cuius vt verum Messiam, & legislatorem me credere debetis. Quod credentes, multò facilius, quàm in Mosaïca lege cœleste Dei regnum consequi poteritis.

Digitus significat potentiam aliquid efficiendi.

Tres Dei digiti, potentia, sapientia, & bonitas.

Spiritus significat imperium.

animæ detinebantur, apud Isaïam æternus Pater *Thesauros absconditos* vocat: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* (Cyrus iuxtà Chrysostomum, & alios, futurum Messiam præfigurabat) *Dabo tibi thesauros absconditos.* Ex quo quanti Deus homines faciat, arguere licet; cum vbi homines sunt, ibi suos esse thesauros dicat; *Thesauros absconditos, thesauros tenebricosos*, legit Chrysostomus, & addit: *Verè tenebricosi erant, donec descendit sol iustitiæ, eosque illustrauit; & ex inferno cœlum fecit; nam vbi Christus, ibi & cœlum. Thesauros autem nominat infernum; meritò, quia multæ diuitiæ isthic erant repositæ. Etenim tota hominum natura, quæ gaza quædam Dei est, ab eo qui primum hominem in fraudem impulit, spoliata, mortique subiecta est. Quod verò hominum naturam Deus diuitiarum loco habuerit, testatur his verbis Paulus: Diues in omnes, & super omnes, qui inuocant eum.* Idem Chrysostomus explicans Psal. 134. verba: *Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi*, ait: *Quid est in possessionem sibi? In opes, in facultates. Scit Paulus quoque appellare diuitias salutem hominum, cum dicit; Dominus, qui est diues in omnes, & super omnes, qui inuocant ipsum.*

Isaiæ c. 45.

Chrys. sup. citatus.

Ad Roma. 10.

31. Denique cum Christus Dominus Ioan. 14. dixerit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; quando Sanctorum Patrum animas in cœlestis regni sedibus collocauit; tunc ex inferno educta spolia distribuit.

*Qui non est mecum, contra me est: Et qui non colligit mecum, dispergit.*

32. QVi mecum in eadem doctrina, & viuendi forma non consentit; hic sine dubio contra me est. Si ergo vos Pharisæi, meam doctrinam, & viuendi formam non inuidis oculis consideratis; perspicere potestis in his à me maximè diabolum dissidere: cum ille in superbiam, in carnis voluptates, in honorum, opumque auiditatem humanos animos trahere conetur. Cum è contrario me humilitatem, voluptatis, inanis gloriæ, opumque contemptum docere, omnibusque verbo, & exemplo commendare videatis. Prætereà cum diabolus hominum animis, corporibusque nocere nitatur; afferte vos, si potestis, cui aliquando ipse nocuerim: immò benè perpendite quot è languoribus morbisque liberauerim; & quàm frequenter peccatoribus pœnitentiam, salutisque viam suaserim. Denique cum ego pacis, concordiæque documentis homines charitatis nexu congregem, cumque diabolus per contentiones, & rixas inter se discordes homines reddere, eosque dispergere conetur, ex his omnibus patet me dæmoniacos diaboli opera liberare falsò omninò, & per calumniam dici.

33. Secundus sensus est directè contra Pharisæos; ita vt ijs Dominus dicat: Nil mirum esse debet, quod vos mihi contrarios, & calumniatores habeam; cum mecum non sitis, hoc est, cum à meis operibus, doctrinaque dissentiatis: *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ; neque viæ vestræ, viæ meæ: quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Propterea Israëliticum populum, quem ego ad salutem congrego, vos illum à me segregando dispergere studetis.

Isa. 55.

34 Vltimò Domini sententia ad omnes vniuersè spectat. Quicumque autem cum Christo Redemptore bonis operibus merita colligere non conatur, hic dispergit: hoc est suas omnes operationes, laboresque disperdit; ita, vt ex ijs tandem

A fructum nullum colligere possit. Ideo benè à peccatoribus Paulus quærit: *Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis: nam finis illorum mors est*: mors quidem non temporalis tantùm, sed æterna. Quàm amaros, quàm venenatos fructus è peccatorum vita sua mors falce decerpit! Ideo Isaïas etiam à peccatoribus quærit: *Quare appenditis argentum, non in panibus; & laborem vestrum non in saturitate? Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, Dominus ait Ioan. 6. 27.

Ad Rom. 6. 21.

Isaias 55. 2.

35. Aggæi c. 1. peccatores ad resipiscentiam Dominus monens, ait: *Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* Quæ verba præcipuè Scribis, & Pharisæis, qui diuinæ legis notitiam profitebantur, eamque non seruantes alijs prædicabant dici videntur. Benè enim Gregor. hom. 10. in Ezech. ait: *Multum cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis cœlestibus vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit; sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit, & non satiatur, qui verba Dei audiens, lucra, vel gloriam seculi concupiscit. Benè autem non satiari dicitur, qui aliud mandit, & aliud esurit. Bibit, & non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum deuotus est; sed ea, quæ sunt huius seculi adipisci desiderat, bibit, & inebriatus non est. Si enim inebriatus esset, proculdubio mentem mutasset, vt iam terrena non quæreret, iam vana, & transitoria, quæ amauerat, non amaret. De electis namque per Psalmistam Psal. 35. dicitur: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Idem Greg. 3. parte pastoralis admonitione 22. ait: *In sacculo pertuso videtur, quando pecunia mittitur; sed quando amittitur non videtur.* Pharisæi ergo, de quibus Dominus dixit Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus*, veluti in sacculum pertusum pecuniam mittere videbantur; cum bona opera in meriti thesaurum mittere viderentur; eadem tamen, cùm ob hypocrisim amitterent, non apparebat. Benè ergo S. Remigius eos, qui virtutum opera faciunt ob ostentationem, & inanem gloriam, ea in sacculum pertusum mittere docet.

Operans ob inanem gloriã, opera in sacculum pertusum mittere dicitur.

B

C

D

36. Allatæ Domini sententiæ: *Qui non est mecum, contra me est.* Contradicere videtur alia eiusdem Domini sententia Marci 9. 39. & Lucæ 9. 50. *Qui non est aduersum vos, pro vobis est.* Vbi Ambrosius ait: *Benè Domine; nam & Ioseph, & Nicodemus occulti discipuli propter metum; in tempore tamen suum tibi officium non negarunt. Sed tamen, quia alibi dixisti: Qui non est mecum, aduersum me est; & qui mecum non colligit, dispergit; aperi nobis, ne videatur esse contrarium.* Respondetur, cùm Ioannes Domino dixisset: *Vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum*, scilicet te: respondit Dominus; *Nolite prohibere; qui enim non est aduersum vos, pro vobis est*; scilicet, quamuis me corpore non sequatur, sequitur tamen spiritu, & fide in me credendo; si enim in me non crederet, meo inuocato nomine dæmonia ejici posse non credidisset. De talibus benè dicitur Apostolis: *Qui non est aduersum vos, pro vobis est.* De Pharisæis autem, qui nec corpore, nec spiritu & fide Christum sequebantur, dicitur: *Qui non est mecum, contra me est.*

*Qui non est mecum, contra me est. Qui non est aduersum vos, pro vobis est.* Conciliantur.

Lucæ c. 9. 49

E

37. Notandum denique hîc est, non dari medium, vt neque cum Christo simus, neque contra Christum. Nam benè S. Bernardus serm. 1. de Conuersione S. Pauli ait: Quis seruus sufficere

Medium non datur inter esse cum Christo, & contra Christum.

*ſibi putat non perſequi dominum, ſed nec obſequi domino? Quam habiturus eſt gratiam, ſi vt non reſiſtit, ſic nec adſiſtit quidem? Si quis adeo puſillanimis eſt, vt ſatis ſibi reputet, nec perſecutorem eſſe, nec coadiutorem Dei, audiat quid ipſe loquatur: Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit.* A

### *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine.*

38. EXemplo dæmoniaci in peiora labentis, idem incredulis Iudæis euenturum Dominus prædicit: in peiora autem lapſus explicabitur infra.

39. Cùm ſpiritus abſolutè poſitus, bonum Angelum ſignificare poſſit, vt Act. 8. *Dixit Spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum iſtum*: de quo paulò poſt dicitur: *Cùm aſcendiſſent de aqua Spiritus Domini, rapuit Philippum.* Hinc eſt, vt ad ſignificandum dæmonem immundus ſpiritus dicatur. Sanctus Hieron. in Michæam cap. 2. hanc generalem regulam tradit: *Spiritus tam in nouo, quàm in veteri Teſtamento, vbicumque ſine additamento ponitur, in bonam partem intelligatur: & ſæpè diximus, & nunc ex parte ponemus, ne cui dubium ſit. Fructus autem Spiritus charitas, gaudium, pax: Et ſi Spiritu viuimus, Spiritu & ambulemus; & alibi: Si autem ſpiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis. Et in veteri Teſtamento: Dans flatum populo, qui eſt in ea; & ſpiritum his, qui calcant eam. Haud dubium, quin terram ſignificet: qui enim calcant terrena opera, & pedibus ſuis ſubjiciunt ea; non malum, ſed bonum Spiritum merentur accipere. E contrario malus Spiritus ſemper cum additamento legitur, vt ibi: Cum autem malus ſpiritus exierit ab homine: & in alio loco: Increpauit ſpiritum immundum: & ſpiritus malus inuaſit Saul, & cætera his ſimilia.* Contra hanc generalem Hieronymi regulam opponit Salmeron loca aliqua ſacræ Scripturæ. B C

Spiritus ſine alio addito, in bonam partem accipitur.

Ad Galatas 5.

Ad Rom. 13. 8.

Iſaiæ c. 42.

Matth. 12.

Lucæ 9.

1. Reg 16.

Prolog. i. Lucan. 5.

40. Primò, quòd ſpiritus abſolutè poſitus non ſemper bonos angelos ſignificet, citat Salmeron locum Pſal 103. *Quis facis Angelos tuos ſpiritus*: vbi ſpiritus, ventos, non bonos Angelos ſignificare aſſerit. Sed, vt Hieronymi regula defendatur, reſponderi poteſt, allatum Pſalmi locum ab Apoſtolo ad Hebr. 1. apertè de Angelicis ſpiritibus intelligi: *Ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* D

Soluuntur argumenta contra Hieronymum.

41. Opponitur Secundò, contra Hieron. illud Lucæ vltimò: *Conterriti putabant ſe ſpiritum videre*: & paulò poſt: *ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Vbi per ſpiritum cacodæmonem intelligi docet Salmeron. Sed Theophylactus ait eo in loco diſcipulos, non Angelum, ſed animam aliquam, quæ ex altera vita rediiſſet, putaſſe ſe videre, quam Lucas ſpiritum appellauit. Maldonatus exiſtimat nomine ſpiritus ibi intelligi ſpiritualem ſubſtantiam; & hanc putaſſe ſe videre diſcipulos; ignoraſſe verò, an humana anima, an Angelus foret; cum vtrumque nomine ſpiritus comprehendatur. Ex quo apparet ibi ſpiritus nomine cacodæmonem non intelligi. Et hoc eſt, quod aſſerere voluit Hieronymus, ſpiritum ſcilicet abſolutè poſitum, in bonam partem accipi, ſaltem negatiuè; ita vt poſitiuè, & determinatè dæmonem non ſignificet; ſed vel bonum Angelum; vel ſaltem ſubſtantiam aliquam ſpiritualem. Neque obſtat, quòd ibi diſcipuli exiſtimantes ſe ſpiritum videre, conturbati, & conterriti dicantur; veluti huiuſmodi terror ob ſuſpicionem de malo Angelo proueniſſet: nam Luc. vlt. de ſanctis mulieribus dicitur: E

*Ambulat per loca inaquosa.*

Dæmones ab hominibus expulsi, in loca deserta ablegantur.

46. DÆmones, qui ab hominibus nocendum extra infernum sunt, cùm inter homines versari prohibentur, in solitudines mandantur: ideo loca inaquosa benè Hieronymus solitudines interpretatur. Ideo, vt refert S. Athanasius in vita S. Antonij; Palladius in Lausiaca cap. 10. & Cassianus collat. 7. cap. 23. dæmones coram S. Antonio, Macario, aliisque Thebaïdis eremitis grauiter questi sunt; quòd ipsi suum locum inuasissent, & suam Thebaidem Monachis implessent. Ideo etiam dicitur Tobiæ cap. 8. *Raphaël Angelus apprehendit dæmonium; & religauit illud in deserto superioris Ægypti.* Quod desertum, vt docet Ioannes Leo lib. 8. de Africa cap. 2. est pars australis Ægypti, quæ alta, & montosa est; ex qua defluit Nilus, quæque Thebaïs vocatur. Cur ibi relegatus, & ligatus fuerit dæmon, rationem reddit S. Hieronymus in Ezech. cap. 30. *Quod ibi Nilus innauigabilis est, & cataractarum fragor, omnia inuia, plenaque serpentum, & venenatorum animantium.* Sed hinc difficultas occurrit: ex dictis enim, cum solitudines illæ iuxtà Nilum esse dicantur, *loca inaquosa* dici non possunt. Respondetur, dici *loca inaquosa*, seu vt Matthæus ait, *loca arida*, eò quòd infœcunda sint, & ad hominum victum omninò sterilia. Quamuis enim Nilum propinquum habeant, inde nil fœcunditatis trahunt; cum magno impetu per cataractas aqua præcipitet; neque ad irriganda loca adiacentia diffundatur. Præterea loca ab hominibus remota benè inaquosa dicuntur, cùm ipsi homines per aquas significentur: Apoc. 17. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes, & linguæ.*

Loca inaquosa diabolo sunt, vbi peccandi occasio nō est.

47. Secundò loca, vbi dæmon incitandi homines ad peccandum occasionem non inuenit, inaquosa dæmoni sunt; quandoquidem peccator, oblata à dæmone peccandi occasione, peccata veluti aquam deglutire videtur iuxtà illud Iob 15. *Qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Tertiò, cùm immundus spiritus exierit ab homine, inde scilicet per pœnitentiæ lacrymas eiectus; ambulare dicitur per loca inaquosa, & arida, nempe per hominum corda, ex quibus pœnitentiæ lacrymæ non effluant: non magis enim canes rabie correpti ab aquis, quàm diabolus à pœnitentiæ lacrymis, abhorret: *Aquam perhorrescit*, ait Nazianzenus. Propterea non immeritò Eusebius Cerberum rabidum inferorum canem diabolum esse dixit, explicans illud Psalm. 21. *Erue à framea Deus, animam meam; & de manu canis vnicam meam.*

Loca inaquosa diabolo sunt, vbi pœnitētiæ lacrymæ non emanant. Diabolus à pœnitentium lacrymis velut ab aqua rabidus canis abhorret. Nazianz. orat. 40. Euseb. lib. 10. demonstrat. Euang. Cerberus infernus diabolus est.

48. Quartò Hieronymus in cap. 12. Matth. ait: *Immundus spiritus exiuit à Iudæis, quando acceperunt legem, & ambulauit per loca arida quærens sibi requiem. Expulsus videlicet à Iudæis ambulauit per Gentium solitudines.* Gentilium autem populi loca arida, seu inaquosa dicuntur, iuxtà Nazianzenum orat. de sancto Baptismate, eò quòd nondum baptismi aquam acceperant. Sed cùm Dominus hanc dæmoniaci parabolam proponens, nondum sacrum baptisma instituisset; quoad hoc non magis Gentilium, quàm Iudæorum populi loca inaquosa dici poterant. Dicendum potius est Gentilium populos loca inaquosa dici ob diuinæ gratiæ defectum; de qua iuxtà Cyrillum Dominus Samaritanæ dixit Ioan. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam*; nempe gratiam supernaturaliter animam viuificantem.

Loca inaquosa Gentilium populi dicuntur; quod sacro baptismo, vel melius quod diuinæ gratiæ aqua careant.

*Quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam: & tunc vadit, & assumit secum septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.*

49. DÆmones ardentissimè animarum perniciem appetentes, in desertis locis procul ab hominibus, vbi in peccata pertrahendi homines occasio non est, requiem non inueniunt. Contra verò in irrequieta peccatoris anima, tamquam in propria sede libentissimè conquiescunt. Isaiæ 57. 20. dicitur: *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest*: seu iuxtà Vatablum: *Impij Euripi instar fremunt.* Euripus, qui est angustum maris fretum, septies per diem fluit, ac refluit. Ideo peccatores Euripi instar septem capitalibus peccatis in partes diuersas agitati fluere, ac refluere dicuntur. *Video meliora, proboque, deteriora sequor*, peccator ait. Cum meliora videt, & probat, à peccato refluit: cum deteriora sequitur, in peccatum fluit. Præterea peccator Euripo comparatur, quia inter vitiorum extrema fluit, ac refluit: fluens enim in tumidum fastum, ac superbiam, mox in pusillanimitatem refluit: fluens in prodigalitatem, deinde in auaritiam refluit, & rapacitatem; fluens in acediam, & pigritiam; deinde in immoderatam sollicitudinem refluit. Denique si *septies in die cadet iustus*; septies in die, sed multò grauius peccator cadit. Hinc illi benè huc, illuc septies per diem fluctuantis Euripi similitudo conuenit. Tam inrequieta peccatoris agitatio dæmoni quies est; quæ ab eo alibi non inuenitur. Sed si inaquosa loca, vt supra diximus, Gentiles populos significent; ibi quietem non inuenire diabolus dicitur; cùm ad illustriorem de fidelibus reportandam victoriam semper anhelet: eò quod fideles ob plura, & maiora à Deo accepta beneficia, & illustrationes in maiorem damnationis reatum incurrant. Ideo de diabolo dicitur Habacuc cap. 1. 16. *Cibus eius electus.* De quo plura Dominic. 1. Quadrag. Reliqua, quæ ad explicandum allatum Euangelij textum spectant, dicta sunt Feria 4. post Dominic. primam. Addendum tantùm hîc est, quod mirum sanè videri debet, cur immundos spiritus munda domus ad habitandum alliciat. Sed sicut à sanctis viris temporalia bona, veluti sordes habentur, quæ animæ habitaculum Deo dicatum coinquinant; & Propterea Paulus huiusmodi omnia arbitrabatur, vt stercora: ita è contrario spiritualia bona, veluti sordes diabolus abominatur; cumque spiritualibus bonis anima exuitur; tunc ea valdè munda diabolo est; adeoque ad eam fœdissima illa munditie illectus, quantocyus reuocatur. Quare benè de hac diaboli domo ait Eusebius Emissenus: *Inuenit eam malis scopis mundatam, & malis ornamentis ornatam. Mala scopa, quæ virtutes pellunt, & vitia relinquunt: malæ scopæ, quæ pauimenta dissipant, & pulverem non eijciunt. Luxuria verò, fornicatio, voluptas, superbia, auaritia, discordia, omnisque immunditia, ornamenta diaboli sunt.*

Dæmonis quietis sedes inquieta peccatoris anima est.

Peccator Euripo similis.

Prou. 24. 16.

Ad Philipp. c. 3.

Spiritualia bona diabolo sordes sunt: vitia verò eiusdem ornamenta.

*Et fiunt nouissima illius peiora prioribus.*

Peccatoribus ex Dei misericordia, vita præciditur, ne peiores fiant.

50. NE peccator in peiora labatur, sæpius ex diuina misericordia illi vita præciditur. Qua in re misericors Deus instar prudentis medici se gerit; qui frequenter putridas corporis partes secat, ne saniæ partes proximæ corrumpantur. Quare Psalm. 54. dicitur: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Breuiabantur* ait Hugo Card. *dies impiorum misericorditer, ne plus viuendo peiores fierent. Sicut aliquando medietas alicuius membri præscinditur, ne residuum corrumpat. Propterea Ecclesiastici 10. dicitur: Breuem languorem præcidit medicus; sic & rex hodie est, & cras morietur.* Regis nomine homo bestijs imperans significatur. De peccatore in peiora labente plura habentur Feria 4. & Feria 6. Domi. 1.

*Factum est autem cùm hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ tu suxisti.*

51. SAncta Dei genitrix verissimo huius piæ mulieris testimonio beata prædicatur. Fuit enim Deipara beata primò, eo quòd concepta sine originali macula fuerit: secundò, quia excepto sanctissimo filio, omnium prima aliquando claram Dei visionem habuerit: tertiò ob nouem alias prærogatiuas infra explicandas. Quartò eo quòd Sanctos omnes, & Angelos, sanctitate, & diuinæ gratiæ cumulo superauerit. Quintò eo quòd suo auxilio alios beatos reddere possit.

*Deipara beata, eo quòd sine originali labe concepta.*

B. Virgo sine labe originali concepta. Epiph. hæresi 69. contra Ariomanitas

52. ECclesia in Missa de Conceptione tribuit B. Virgini verba illa Prou. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Vbi S. Epiphanius per vias Domini operationes eius ad extra, non quascumque, sed eas, quibus humani generis redemptionem operatus est, significari censet. S. Bernardus de B. Virgine ait: *Virgo regia ipsa est via, per quam Saluator ad nos aduenit.* Initium ergo viarum, hoc est operationum reliquarum, quibus humana redemptio fieri debebat, conceptio B. Virginis fuit; è cuius vtero assumpta humana carne Dei filius ad humani generis redemptionem complendam prodijt: hoc initio non Diaboli per originalis culpæ labem sed Dei per gratiam præseruantem possessio fuit B. Virgo: ideo benè de se testatur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.*

Bernar. ser. 2. in aduentu.

B. Virgo initium viarum Dei, humanam redemptionem inchoantis.

B. Virgo ex fructu ventris sui, immaculata cognoscitur.

53. Psalm. 118. Illi dicuntur beati, qui in præsentis vitæ via immaculatos se custodiunt: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* At Dei mater ipso initio huius mortalis vitæ, ac viæ immaculata fuit; singulari scilicet priuilegio ab originali macula præseruata. Damascenus orat. 1. de Virginis natiuitate alloquens sanctissimæ Virginis parentes ait: *O beatum par, Ioachim, & Anna; ac profectò ex ventris vestri fructu immaculati cognoscimini: quemadmodum Christus quodam loco dixit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Quod si B. Virgo pura creatura immaculatam, & ab omni lethale labe liberam suorum parentum vitam reddere potuit; quantò magis ipsa Virgo omni ex parte immaculata erit, cùm eius virginalis vteri fructus Christus Deus, & homo fuerit. Quare ab homine genita, & tamquam hominis genitrix

Matth. 7. 16.

quod de Salomonis throno dicitur 3. Reg. cap. 10. de B. Virgine æterni Regis throno B. Petrus Damiani mysticè intelligit: *Non est factum tale opus in vniuersis regnis. Nam etsi multa magna facta sunt in creaturis mundi; nil tam excellens, tam magnificum fecerunt opera digitorum Dei. Virgo est Dei genitrix, cuius pulchritudinem sol, & luna mirantur.* Quæritur cur Psalm. 8. cœli dicuntur opera digitorum Dei: *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum*? Respondet sanctus Thomas, quia quæ digitis facimus, attentè, & distinctè facimus. Propter eamdem rationem opus Dei digitorum B. Virgo dicitur: cùm in ea formanda, atque ornanda, tamquam in singulari opificio Deus diuinam potentiam attentè, atque distinctè adhibuerit.

Petrus Dam. serm. de Natiuit. Virg.

B. Virgo cur opus digitorum Dei dicatur: Idem num. 57.

57. Genes. 1. in creando primo humani generis parente dixisse Deum legimus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Vbi Chrysostomus ait: *Prius cum cœlum, terramque formasset, audiuimus illum dicentem: Fiat lux, & fiat firmamentum in medio aquæ: & iterum: Congregentur aquæ in congregationem vnam, & appareat arida: & fiant luminaria: & educant aquæ reptilia animarum viuentium. Vidisti sermone solo, & præcepto omnem creaturam quinque diebus formari. Vide hodie quanta verborum diuersitas: non enim iam dicit: Fiat homo; sed quid? Faciamus hominem secundum imaginem nostram, & secundùm similitudinem. Quid hoc noui? Quid rari? Quisnam ille, qui formandus, ad quem faciendum Opifici tanto consilio, & circumspectione opus? Ne mireris, dilecte; Homo enim inter visibilia dignitate præcellit; propter quem condita sunt hæc omnia: Cœlum, terra, mare, sol, luna, stellæ, reptilia, iumenta, brutaque animalia omnia.* Quare si iuxtà Chrysostomum circumspectione, & consilio opus fuit in formando primo homine visibilium omnium principe, quantò magis id dicendum est in B. Virgine creanda, hominum, Angelorumque Regina; quæ imagini æterni Verbi incarnandi tamquam eius mater, omninò similis creanda erat? Benè enim ait Nicephorus de Christo Domino, *Persimilis per omnia fuit diuinæ immaculatæ suæ genitrici.* Præterea benè dictum est à Damiano Deiparam opus diuinorum digitorum fuisse. *Nam cum manu, & digitis omnia faciamus; tunc solent nominari, cùm in opere illo potentia, aut præstantia, ac denique perfectio commendatur*, ait Ribera. Sic Pharaonis Magi Dei potentiam admirati exclamauerunt. *Digitus Dei est hic*: sic Dominus dixit: *si in digito Dei eycio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Similiter Dei digitus in Beatæ Virginis creatione diabolum procul expulit; ne eam scilicet in suam captiuitatem redigeret.

Christus sex Genitrici persimilis.

Chrysostomus hom. 8. in Genes.

Niceph. lib. 1. hist. ec. l. cap. 40.

Lib. 1. de Templo cap. 31. num. 5. Exod. 8. 19

Luc. cap. 11.

58. Cum Deus Ægyptios, eorumque Regem Pharaonem in mare rubrum demersit; de quo iuxtà Theodoretum Psalm. 73. dicitur: *Contribulasti capita draconum in aquis: Tu confregisti capita draconis:* tunc quid futurum erat circa diabolum, non per maris aquam, sed per Mariæ communicatam gratiam præfiguratum est. Pharao enim diaboli typus erat iuxta Cyprianum. Diabolus Apocal. 12. dicitur *draco magnus habens capita septem*, hoc est septem capitalia peccata, quibus in humanum genus venenum aspergit. Quæritur igitur, cur vnum tantùm inferni serpentis caput à Beata Virgine conterendum Deus Genes. 3. prædixerit, iuxtà Augustinum, Ambrosium, & alios: *Ipsa conteret caput tuum?* Vno hoc inferni serpentis capite contrito reliqua omnia tartarei draconis capita B. Virgo confregit. Nam, vt ait S. Thomas 1. 2. quæst. 52. art. 2. ad 1. *In peccato originali virtualiter præexistunt omnia peccata actualia, sicut in quodam principio: vnde est multiplex virtute:* Benè ergo Dauidis vaticinio de B. Virgine ab omni culpa vel originali, vel actuali libera Deo dicitur: *Contribulasti capita draconum in aquis: Tu confregisti capita draconis.* Ideo B. Virgo in Græcis hymnis apud Butconem, & à Ioanne Geometra in catena Corderij: *Mare demergens mysticum Pharaonem* appellatur: Similiter S. Bonauent. ait: *Maria est mare amarum diabolo, & Angelis eius, per ipsam oppressis; quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægyptijs in ipso submersis.*

Pharao diaboli typus.

Cyprianus epist. 70.

August. lib. 11 de Genes. ad litt. cap. ... Ambros. de fuga sæculi cap. 7.

B. Virginem contrituram Deus dixit vnum serpentis caput, nempe originale peccatum, virtualiter peccata omnia continens.

Butcon p. 181.

Ioan Geom. in cap. 1. Luc.

Bonauent. in spec. B. Mariæ cap. 3.

59. Sed vt ad citata Prouerbiorum 8. verba, quæ in Conceptionis festo leguntur, redeamus: *Dominus possedit me initio viarum suarum.* Si nomine viarum, non externas, vt supra, sed internas Dei circa creaturas operationes intelligamus; nempe eius diuina decreta; eáque præcipuè, quæ circa supernaturalia dona versantur, quorum principium in electis diuina prædestinatio est; in hoc etiam sensu B. Virgo dicere potuit: *Dominus possedit me initio viarum suarum.* Ad quod intelligendum, notandum est, quod quamuis Electi omnes ab æterno à Deo ad cœlestem gloriam prædestinati fuerint; nihilominus in eadem electorum simultanea, & æterna electione secundùm rationis signum, nostrumque intelligendi modum, Christi Domini electio reliquorum electionem antecessit secundùm prioritatem signi à quo, per quod infertur aliorum dependentia, vt Theologi loquuntur. Christus enim constitutus est caput, & fons bonorum omnium spiritualium, quæ cæteris sunt communicanda, qui cum ipso futuri sunt æternæ beatitudinis cohæredes. Ideo Apostol. ad Rom. 8. 29. dixit: *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et ad Ephesios 1. 3. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, id est per Christum. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate: Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo*; id est per dilectum filium suum. Vbi S. Thomas expressè asserit electionem, & prædestinationem esse beneficia collata per Christum. Quod etiam docet 3. part. quæst. 24. art. 4. & in 3. sent. dist. 10. quæst. 3. Idem præterea ex Trident. colligitur Sess. 6. cap. 3. 4. 5. & 6. Denique idem significauit S. Ioan. cap. primo 16. dicens: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Hoc prænotato, Christus ab æterno prædestinatus fuit vt homo; atque adeo vt humanam carnem in materno vtero assumpturus; siue vt humani generis Redemptor, siue vt Glorificator adueniret. Consequenter in hac Christi electione, & prædestinatione B. Virgo futura eius mater ab ipsius filij electione, & prædestinatione disiuncta non fuit; sicut ergo filij electio, & prædestinatio aliorum electionem, & prædestinationem antecessit, iuxtà modum supra explicatum; ita etiam Deiparæ electio, & prædestinatio aliorum electionem, & prædestinationem antecesserit, oportet: *Elegit eam Deus, & prælegit eam.* Ideo benè B. Virgo pronunciare potuit: *Dominus possedit me initio viarum suarum*; tum per infallibilem electionem, & prædestinationem; tum per immaculatam con-

B. Virginis electio à filij electione non disiuncta, aliorum electionem rationis signo præcessit.

ceptionem, reliquamque vitam ab omni macula immunem ab æterno præcognitam.

B. Virginis ex vtero tamquam è terra non maledicta Christus secundus Adam formatus est.

60. Sed præter citatum ex Prouerb. 8. testimonium, ad B. Virginis immaculatam conceptionem probandam aliæ plures ex S. Scriptura, & ex Sanctis Patribus, & Doctoribus sententiæ afferri possunt. *Numquid Deo potest comparari homo?* dicitur Iob 22. At Dei filio sub humana carne comparare secum prælatione aliqua posset primus homo; si Dei filius ex matre originali labe aliquando coinquinata carnem assumpsisset: cum è contrario è terra nunquam antea maledicta primo homini corpus formatum fuerit. Ideo luculentum illud de B. Virgine testimoniũ S. Andreas Apost. protulit; quod in eius vita Achaiæ Presbyteri retulerunt: *Sicut primus Adam formatus fuit è terra antequam esset maledicta; ita secundus Adam formatus fuit è terra Virginea numquam antea maledicta.* Similiter Concilium Francofordiense epist. ad Episcopos Hispaniæ ait: *Licet Adam de terra virgine formatus fuerit; Christus tamen formatus fuit de B. Virgine Maria; quæ fuit longè purior, & magis immaculata priori illa terra, de qua formatus est Adam.* Similiter S. Bruno in Psalm. 101. de Deipara ait: *Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus; ab omni propterea contagione peccati libera.* Similiter Sanctus Dominicus: *Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & nunquam maledicta formatus; ita decuit in secundo Adamo fieri, scilicet Christo, cuius terra, id est mater Virgo nunquam fuit maledicta.* Quinimmo non solùm ex benedicta terra, sed ex mystico cœlo nulli vnquam maledictioni, & corruptioni obnoxio formatus Christus Dominus dici potest. *Virgo Mater Dei secundùm carnem fuit, cuius venter cælum est*, ait Damascenus; vt proptereа benè dicere potuerit Apostolus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* In hoc mystico cœlo cum æternum Verbum ad nos adueniens suũ solium collocasset, de eo mysticè Dauid dixit Psal. 102. *Dominus in cœlo parauit sedem suam.*

Tom. 3. Concilior.

S. Dominicus orat. de Corpore Christi contr. hæret. Albigens.

B. Virginis ex vtero tamquam è mystico cœlo, corruptioni non obnoxio, Christus formatus est. Damasc. Orat. 2. de Natiuit. B. Mariæ. 1. ad Cor. cap. 15. 47.

61. Dei mater ab Ecclesia *Virgo intacta* dicitur; quem quidem ei titulum meritò tribuere potuit, non solùm perpetua virginitas; sed etiam perpetua sanctitas, nullum vitæ instans, quo B. Virgo sancta non fuerit, excludens. *De fructu ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*, Euæ testimonio dicitur Genes. 3. Intactam ab humanis manibus arborem seruandam esse præcepit Deus, ex qua mors in genus humanum emanauit; multò magis à diaboli manibus intactam seruari voluit beatam illam arborem, ex qua benedictus fructus gigni debuerat, per quem ad æternam salutem genus humanum erat reparandum. Natura naturalibus legibus obstricta, & prægrauata, pedestris in terris graditur; gratia è cœlo descendens alata deuolat; ideo mora nulla impediri Gratia potest: *Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia*, ait Ambrosius. Cum ergo ad B. Virginis opificium natura, & gratia accurrerent; alata gratia pedestrem naturam præueniens locum originali maculæ non reliquit. Hinc Damascenus orat. 1. de Natiuitate B. Mariæ ait: *Quoniam futurum erat, vt Dei Genitrix, & Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ germen anteuertere minimè ausa est; sed tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset. O beatos Ioachim lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit.* In Virginis ergo opificio anteuertit, & præuenit naturam gratia occupando locum, alioquin ab originali macula occupandum. Ita tamen gra-

B. Virgo intacta non solùm à carnis corruptione, sed ab originalis labe peccati.

B. Virginis in opificio gratia naturam anteuertit.

Ambros. in Luc. lib. 2.

Ambrof. de Abrah. lib. 1. cap 2. Virginem inspiciamus, cum Ambrosio dicere possumus: *Minus est quod illa finxit, quàm quod ista gessit: maiorque est eloquentia mendacio simplex veritatis fides.* Nam Deipara in ipso matris vtero, cum primùm esse cœpit, tartarei serpentis guttur elisit, ne in ipsam originalis culpæ virus afflaret. Benè ergo Irenæus ait: *Serpentis prudentia deuicta est columba simplicitate.* Benè etiam de Deipara Origenes testatur: *Neque persuasione serpentis decepta, nec eius venenatis afflatibus infecta est.* Orig Hom. 1. in diuers.

64. B. Virgo sua in Conceptione vitalis flos; in natiuitate benedictus materni vteri fructus fuit. Sicut tamquam fructus, ita tamquam flos sine vlla peccati macula germinauit. Ad quod testandum S. Gregor. Thaumat: his verbis Deiparam consalutat: *Aue gratia plena, intelligibilis solis Oriens, flos vitæ immaculatus.*

B. Virgo in Conceptione flos immacu. latus, in Natiuitate fructus benedictus. Thaumat Hom. 1 de Annunc.

65. Cùm Deiparam sine dolore peperisse docuisset Cyprianus, subdit: *Innoxiam affligi non decuit: nec sustinebat iustitia, vt vas illud electionis communibus lassaretur iniurijs; quoniam plurimum à ceteris differens natura communicabat, non culpa.* At cùm Dei mater in instanti Conceptionis actualem rationis vsum habuerit, vt cum S. Bernardino ser. 51. de B. Virgine cap. 2. art. 1. docet Viguerius in instit. cap. 5. § 3. & Suar. 3. p. t. 2. q. 27. ar. 3. disp. 3. sect. 7. Profectò longè maior dolor Sanctissimæ Virgini fuisset tunc se cognoscere Diabolo subditam ob peccati originalis maculam; quàm postea partus ærumnas subire: fuissetque illi rationis vsus, non tam ad priuilegium, quàm ad cruciatum. Quare benè de B. Virgine S. Idelphonsus ait: *In qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis, vt cruciaretur, viguit.* Quantus autem cruciatus illi fuisset, se Deo inimicam cognoscere. Quare dicendum cum Scoto lib. 3. dist. 18 q. 1. §. Hoc viso: *Beata Virgo mater Dei nunquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis: fuisset tamen, nisi fuisset præseruata.* Dices rationis vsum datum fuisse B. Virgini ipso Conceptionis instanti, peccato originali contracto; vt deinde sanctificata præteritam maculam, à qua statim liberata fuit, cognoscendo, in ea grati animi incentiuum excitaretur erga Dei beneficentiam. Sed contra, quia maius grati animi incentiuum B. Virg. habuit cognoscendo diuinum beneficium, & priuilegium, per quod ex macula, quam incurrisset, diuina præueniente gratia præseruata fuit. Benè ergo sic arguere licet: Si sanctissimus Virginis filius à minoris doloris angustijs, nempe partus, matrem liberam reddidit; & ex pœnali illa lege vnicuique mulieri data exemit: *In dolore paries filios.* Multò magis è peccati originalis labe liberauit; & communi illi legi subiacere noluit, de qua Apostolus ait: *Omnes in Adam peccauerunt.* Quare, vt Cyprianus testatur, *Beata Virgo plurimum à mulieribus ceteris differens, natura communicauit, non culpa.*

Cyprian. ser. de Natiuit. Christi: vel alius antiquus, & eruditus auctor, iuxtà Bellarm. de script. Eccles. S. Bernardin ser. 51. de B. V. cap. 2. ar. 1. B. Virgo in primo Conceptionis instanti rationis vsum habens, se tunc Diabolo subditam cognoscere non debuit. Ser. 1. de Purificatione. Gen. 3. Ad Rom. 5.

66. Iuxtà Iustinum in Triphonem sanctissimæ Christi humanitatis sunt preces illæ Psalm. 21. *Erue de manu canis vnicam meam.* Canis nomine Diabolus iuxta Basil. & alios P.P. intelligitur: qui quidem canis inuidia actus in rabiem, rabido morsu in Adamo contentam eius omnem posteritatem infecit. At citato Psalmo quam *vnicam* suam Christus vocat? Profectò B. Virginem; cùm de ea Cant. 6. dicat: *Vna est columba mea.* Sanctissima igitur Christi humanitas diuinis oculis antequam nasceretur, per diuinam præscientiam præsens B. Virginem suam ipsius matrem ab originali labe, tartarei canis fraude in genus hu- A manum immissa liberari flagitauit, dicens: *Erue de manu canis vnicam meam.* Hinc Origenes ait: *Mater eius, mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta; mater eius, cuius eius? Mater Dei vnigeniti, Domini, & Regis omnium plasmatoris, & Creatoris cunctorum; illius, qui in excelsis sine matre, & in terra est sine patre. Huius itaque vnigeniti Dei dicitur hæc mater Virgo Maria, digna digni, immaculata sancti immaculati, vna vnius, vnica vnici.* Cùm à Christo pro sua resurrectione orante, iuxtà Cyrillum, æterno Patri dictum est: *Restitue animam meam à malignitate eorum; à leonibus vnicam meam:* Vnicæ nomine Christi carnem de Virgine sine peccato conceptam intelligi docet Cassiodorus. Quod Christus connaturaliter, & necessariò ex hypostatica cum Diuino Verbo vnione habuit; ex priuilegio B. Virgini concessum est: ad quod insinuandum benè eam *Immaculatam immaculati, Vnicam vnici,* Origenes appellauit. Porrò citato Psalm. vbi nos legimus: *Erue de manu canis vnicam meam,* Septuaginta legunt. *Vnigenitam meam.* Dicitur autem B. Virgo Dei vnigenita, eo quòd singulari priuilegio, alijs non concesso, per gratiam Dei filia in prima sui generatione fuerit. Quare iuxtà Apost. *Cum Deus introducit Primogenitum,* hoc est vnigenitum, *in orbem terræ,* scilicet per Diuini Verbi incarnationem iuxtà Chrysostomum, & Ambros. dicit: *Adorent eum omnes Angeli Dei:* congruum similiter erat, vt cum Deus B. Virginem vnigenitam suam per eiusdem Conceptionem in orbem terræ introduceret, eam similiter Angeli eius tamquam cæli Reginam adorarent: tantùm abest, vt tunc per originalem maculam sub rebellium Angelorum, eorumque principis Diaboli potestate foret. Quamuis autem de omnibus Adæ filijs naturali via conceptis dicatur Psalm. 140. *Cadent in retiaculo eius,* id est Diaboli, *peccatores:* de se tamen B. Virgo subdere potuit: *Singulariter,* seu vt legunt Augustinus, & Hilarius, *singularis sum ego, donec transeam,* hoc est, donec ex singulari diuinæ beneficentiæ priuilegio originalem labem euadam.

B. Virgo vnica dicitur de manu canis per præseruationem ab originali culpa liberata.

Origenes Hom. 1. ex varijs. B. Virgo fulcienda dicitur, quia in tabula retiaculum numquam cecidit. Cyrill. in Ioan. 17. Ps. 1 14. 17. B C Ad Hebr. cap. 1. 6.

67. Beata Virgo, ait Athanasius, *idcirco gratia* D *plena cognominata est, eo quòd adimpletione Spiritus sancti omnibus gratijs abundaret: & virtute Altissimi obumbraretur: quam virtutem per omnia tempora conceptus eam habuisse confido; & post conceptum etiam retinuisse. Neque id temporarium in Virgine accidisse opinor; sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse, quemadmodum & nunc in præsentia, & in æternum vsque habet hæc Virgo sibi obumbrantem virtutem Altissimi.* Dices in primo instanti non includi tempus: verificari ergo potest, quod Athanasius docet, toto tempore etiam in materno vtero, & deinceps B. Virginem Spiritus sancti plenissimam gratiam habuisse; quamuis primo Conceptionis instanti originalem maculam habuerit. Sed contra est, quia dicente Athanasio B. E Virginem per omnia tempora gratiam habuisse, sicut non excluditur, sed includitur omne consequentis vitæ instans: ita neque primum vitæ instans excludi, sed includi omninò debet. Prætere ex eo quod doceat Tridentina Synodus iuxtà Ecclesiæ sensum toto vitæ tempore B. Virginem neque venialiter peccasse: falsissimè quis diceret eam aliquo in instanti venialem maculam incurrisse; in tempore enim instans includi debet: Denique qui negant posse duas actiones indiuisibiles immediatè vnam post alteram fieri, sicut dari non potest instans post instans, coguntur asserere B. Virginis animam, si originalem maculam in prima sua

Athanas. t. 1. ser de Deipara. B. Virgo semper gratia plena fuit. Idem n. 68. Trident. Sess. 6. Canon. 2.

ma sua creatione contraxit, non potuisse immediatè post per gratiæ infusionem sanctificari; eo quòd infusio gratiæ similiter, ac animæ creatio indiuisibilis sit. Ex quo sequeretur Deiparam non in instanti solùm, sed per certam temporis moram propter originalem maculam diuina gratia caruisse.

68. Dices secundò Athanasium loqui non de Conceptione Virginis passiua, sed actiua; scilicet non quando ipsa concepta est, sed quando sanctissimum filium concepit. Respondeo: esto Athanasius loquatur de actiua Virginis Conceptione; nihilominus quia B. Virgo antequam assensum Angelo daret dicens: *Fiat mihi secundum verbum tuum*; & consequenter antequam æternum Verbum in carne conciperet; salutata est ab Angelo: *Gratia plena*: ex qua salutatione, & gratiæ plenitudine colligit Athanasius Deiparam per omnia tempora Spiritus sancti gratiam habuisse, consequenter eam per omnia tempora, incipiendo à primo suæ passiuæ conceptionis instanti, gratiam habuisse dicendum est. Quod luculentissimo testimonio sanctus Basilius Seleuc. Episcopus affirmat de B. Virgine dicens: *Hæc est, quæ fuit in vtero matris absque peccato originali concepta.*

Basilius serm. de Annunc.

69. In Isaiæ vaticinio illo cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* Nubis nomine B. Virginem intelligunt Hieronymus, Cyrillus, & Ambrosius exhortatione ad Virgines. Porrò de Israëlitis ex Ægyptia seruitute ad promissionis terram introductis dictum est Psalm. 77. *Deduxit eos in nube diei.* Idem mysticè dicitur de electis, qui ad æternam patriam Beatæ Virginis patrocinio deducuntur. Quare cùm ibi per diei nubem B. Virginem significari S. Hieronymum docuisset, subdidit: *Pulchrè dixit, diei; nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Si semper in luce, semper in gratia; & nunquam sub tenebrarum Principis potestate fuit.

B. Virgo dicitur Nubes diei, quia numquam fuit in peccati tenebris.

70. Apud S. August. serm. 20. de Natiuit. Domini ad Fratres in Eremo dicitur: *Propterea Maria mater electa est, & super omnes creaturas prælecta, omnibus gratijs fœcundata, omni virtute, & sanctitate in vtero repleta; vt de mundissima matre mundissimus filius nasceretur: & sicut in Cœlo filius habet patrem immortalem, & æternum; sic & in terra haberet matrem omni corruptione carentem.* In quo de B. Virgine testimonio notandum est primò, cum eam omnibus gratiis fœcundatam; omni virtute, & sanctitate in vtero repletam dixit; id non intelligi posse intensiuè; cùm B. Virgo vitæ progressu semper maiorem, & maiorem gratiam, & sanctitatis intensionem per crescentia merita acquisierit. Debet ergo id extensiuè intelligi; ita vt nullum tempus, & instans in B. Virgine vacuum sanctitate, & gratia intelligatur. Notandum secundo, cum tam mundissima mater, quàm mundissimus filius dicatur; sicut à filio peccati macula omnis excluditur; ita cum matri eadem mundities superlatiuo gradu tribuatur, ab ea etiam peccati labes omnis excludi debet: à filio tamen necessariò propter summam Diuinitatis sāctitatem ei hypostaticè vnitam à matre verò propter priuilegium Dei matri valde conueniens. Notādum est tertiò, cum Dei *mater omni corruptione carens* dicitur, his verbis, non tā corporis, quàm animę corruptioné per peccatū excludi: serm. enim ibi est de B. V. in materno vtero; in quo de corruptione per originalé labem, non de Virginei corporis corruptione suspicio esse poterat.

B. Virgo, eiusque sanctissima proles non munda solùm, sed mundissima dicitur ob exclusionem peccati originalis.

B. Virgo in materno vtero omni corruptione caruit.

71. Augustinus lib. 5. contra Iulianum cap 15. in illa Petri Apostoli verba epist. 1. cap. 2. de Christo: *Qui peccatum non fecit*, ait: Notandum

B. Virgo cum actuale peccatum nullum fecerit, originale peccatum non habuit.

è peccati tenebris excitandum afferebat: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens?* de B. Virgine dicitur Canticorum 6. Virgineæ, Conceptionis ergo illucescente aurora in Virginis animam dulcissimus gratiæ ros descendit; ita vt verè dici potuerit: *Gloria Libani data est ei*, Isaiæ 35.

B. Virgini data est mysticè gloria Libani in qua illucescente auro ra, dulcissimus ros descendit

B. Virgo Dei thronus.

73. B. Virgo regius thronus fuit, in quo Verbum diuinum assumpta humana carne, tamquam in regio solio considere voluit. Quare iuxtà Bonauent. & Hugonem de Diuini Verbi matre ait æternus Pater Psalm. 88. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum.* B. Virgo soli est comparata, cùm in vitæ lucem prodiit; lunæ verò similis dicitur, cùm intra materna viscera velut in nocte delituit. B Materialem lunam docet Beda creatam esse in plenilunio, eò quòd sit admodum credibile factam esse à Deo in statu perfecto, qui est plenilunij; neque enim conueniebat imperfectam creari primam lunam. Multò magis conueniens fuit, vt mystica luna, nempe B. Virginis anima, in plenilunio gratiæ crearetur ab originalis peccati obtenebratione remota; ita, vt propterea de ea dicatur: *Tamquam luna perfecta in æternum.* In æternum additum est; eo quod gratiæ plenilunium B. Virginis semper habuerit; immò intensius, & intensius auxerit: vt à materiali luna in hoc differens intelligatur, quòd illa lucis plenitudinem non retineat, luminisque defectibus obnoxia sit. C *Ex secunda Eua Christus, tamquam ex luna plena Maria, quæ nunquam imminuta fuit, aut defecit, natus est:* ait Anastasius Synaïta Episcopus Antiochenus.

Bonau. in speculo Mariæ lect. 8.

Beda in Hexã. & lib. de ratione temporum.

B. Virgo luna perfectæ similis quia gratia plena est concepta, sicut materialis luna in plenilunio est creata

Synaita lib. 4. Anagogicæ contemplationis.

74. Leuitici cap. 23. fidelibus Israëlitis præcipitur: *Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimæ.* Pulcherrimam arborem, vnde in Euangelica lege decerpendi nobis sunt fructus, Beatam Virginem esse docet Hesychius Episcopus Ierosolymitanus. Mystica hæc arbor sanctos habuit fructus. *Benedictus fructus ventris tui*, ei dixit Elisabeth: *Flores mei fructus honoris, & honestatis*, verissimè ipsa ait Ecclesiastici 24. Hinc est, vt non solùm sancti fuerint eius rami, nempe vitæ D progressus, vt ibidem dicitur: *Rami mei honoris, & gratiæ*; sed etiam prima radix, nempe conceptio. Nam manifestum est, quod Gregorius docuit 1. Moral. 38. *Hostis, nempe diabolus, totam sibi arborem fructus facere conspicit, quàm veneni dente in radice vitiauit.*

B. Virgo vt mystica arbor Conceptionis radicem vitiatam non habuit: quia fructus eius honoris, & honestatis: quia benedictus fructus ventris eius.

Luc. 1.

75. Canticorum 2. de Beata Virgine cœlestis sponsus ait: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ex lilio contra venenum antidotum fieri Dioscorides, alijque docent. Sed quod ad rem nostram egregiè facit, illud est quod aduersus venenum præcipuè in lilij radice efficacitatem esse experientia probat: *Lilij radices multis E modis florem suum nobilitauêre contra serpentium ictus*, ait Plinius lib. 21. cap. 19. Beatæ Virginis conceptio veluti prima radix fuit, ex qua reliquæ vitæ incrementum emanauit: Quare quod prima hæc Beatæ Virginis radix tartarei serpentis ictum, venenumque repulerit, ea satis aptè lilio comparatur: Lilium hoc habet proprium, vt certo colore radice imbuta, in eiusdem coloris folia germinent. *Sic fiunt purpurea lilia*, ait Plinius; *mirumque ita tingi aliquid, vt nascatur infectum.* Cum ergo candidissima fuerint mystici Virginei lilij folia, nempe sanctæ Beatæ Virginis operationes, nulla peccati labe infectæ; candidissima fuit etiam eiusdem radix, nempe

B. Virgo lilio similis: Lilij radix est contra serpentium virus antidotum; Deiparæ radix nempe conceptio, originalis peccati venenum repulit.

B. Virgo lilio similis quia qualiter coloratur lilij radix, talia folia germinant: immaculata fuẽ ac B. V. opera, talis etiam eius Conceptio.

Lib. 21. cap. 5.

A immaculata Conceptio. Præterea citato Canticorum loco legunt cum Chaldæo Vatablus, & alij: *sicut rosa inter spinas, sic amica mea inter filias.* Vbi sensus est, ait Galatinus: *Quemadmodum rosa speciosa, & odorifera nascitur inter spinas; ipsa tamen spinis caret: ita amica mea nata est inter fœminas originali peccato conceptas, tamquam rosa inter spinas; ipsa tamen eiusdem peccati omninò expers fuit.* Ideo benè mystica rosa Deipara ab Ecclesia appellatur. Hinc Dionysius Carthusianus ait: *Quamuis fuerint multæ Virgines sanctæ, tamen respectu huius vnicæ Virginis singularis amicæ sponsi, quasi spinæ fuisse videntur, in quantum aliquid culpæ habebant. Porro hæc vnica Dei delectabilissima Virgo totius superbeatissimæ B Trinitatis media, & amica, & socia ab omni culpa fuit prorsus immunis.* Similiter Sanctus Fulbertus Episcopus ait: *Aue Maria electa, & insignis inter filias; quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis; quia paritura eras Creatorem omnis sanctitatis.*

Lib. 7.

B. Virgo inter alias mulieres sicut rosa inter spinas spinis carens, nempe originalis labis expers.

Dionys. in Cantica c. 6.

Fulbertus in salutat. Angelica cap. 7.

76. Platani folijs vespertiliones arceri in iis, quæ de agricultura scripsit testatur Africanus apud Pierium lib. 25. At de seipsa Beata Virgo testatur Ecclesiastici 24. *Quasi platanus exaltata sum iuxtà aquam in plateis.* Vespertiliones ergo: qui ab amœnissima, beataque hac Platano sunt fugati, dæmones sunt, qui in eam nullam peccati labem aspergere potuerunt. Basilius in Isaiam cap. 2. ait: *Est vespertilio animal nocturnæ C caliginis appetens, versans in tenebris, solis splendorem non ferens, in desertis locis perlibenter conuersatur. Quid autem dæmones? An non tales? Nempe vastitatis opifices, lucem eam auersantur, quæ vera est lux totius mundi. Vespertilio pennis præditum animal est; nec tamen pennis præteruolat; sed membrenula carnea per aërem volitat. Eiusmodi sunt & dæmones: incorporei quidem sunt nullo accersi Dei desiderio alis peruolant: sed materialium rerum affixi desiderijs, & intabescentes, carnis instar concretioris obduruerunt. Vespertilio animalculum est, & volatile, & quadrupes; pedum alioqui firmitate non D satis tutò fulcitur, & infimi est volatus. Eiusmodi sunt & dæmones: neque enim Angeli; neque homines sunt: illorum quidem dignitate sunt olim perfruiti; non item hominum assecuti naturam. Dentes habet vespertilio, non item alites aliæ. Dæmones autem expetendæ vindictæ appetiores sunt, non autem Angeli. Vespertilio nequaquam aliarum auium ritu gignit oua; sed animalcula parit ipso partus initio: tales sunt & dæmones; ac tutum, & quàm ocyssimè malignæ suæ operationi finem imponunt.*

B. Virgo sicut platanus exaltata dicitur; quod platanus vespertiliones fugat, B. Virg. dæmones.

Vespertilionum, & dæmonum comparatio.

77. Isaïæ 11. Vaticinium est: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Vbi Ambrosius ait: *Radix familia Iudæo- E rum, Virga Maria, Flos Mariæ Christus est.* De hac mystica virga iuxtà Petrum Damiani dicitur Psalm. 44. *Virga directionis, virga regni tui*: seu vt cum Romano psalterio legit Cassiodorus: *Virga recta est virga regni tui.* Hinc Petrus Damiani ait: *Germinat Virga Iesse de tortuosa generis humani radice; & de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens; omnem ignorat nodositatem, Adæ filiorum tenebras nescit. Caro Virginis ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit; sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.* Virgam Aaronis aduersus Ægyptios dracones præualuisse

B. V. dicitur virga recta, virga regni Dei, cũ è tortuosa humani generis radice concepta peccati curuaturam, nodosque non habuerit.

Ambros. lib. de Benedict. Patriarchar. cap. 4.

Damian. serm. de Assumpt. B. Virg. idem serm. de Assump.

legimus Exodi 7. Vt hinc sub mystica figura Ialæxam virgam, hoc est B. Virginem adversus tartareum draconem, ne originalis peccati veneno eam inficeret, prævaluisse intelligeremus. Hinc benè Rupertus ait: *sicut Virga illa virgas, maleficorum, & incantatorum devorauit; & omnium superbiam Ægyptiorum obtriuit; ac deinde germinauit, fronduit, floruit, & fructum protulit; non plantata, non succo terræ animata, sed virtute cælesti supra vsum naturæ prouecta: sic tu pulcherrima mulierum, superbiam diaboli deiecisti conceptu florida, partu fructifera.*

B. V. tanquam Aaronis virga contra tartareum draconem, ne eam originali veneno inficeret, prævaluit.

Rupertus lib. 1. in Cantic. circa medium.

78. Matthæi 11. testatus est Christus Dominus: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Surrexisse dicitur is, qui antea cecidit. *In casu primi parentis cecidimus omnes: cecidimus autem super aceruum lapidum, & in luto: vnde non solùm inquinati, sed etiam vulnerati, & grauiter quassati sumus*, ait Bernard. & S. Leo serm. de ieiunio decimi mensis ait: *Quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.* Ioannes ergo, vt Adæ filius, cecidit in maculam originalem; surrexit deinde in matris vtero sanctificatus: & ita surrexit, vt inter Adæ filios lapsos in originalem maculam nemo Ioanne surrexisse maior à Domino dicatur: Sed ex hoc Domini testimonio de Ioanne non sequitur ipsum Dominum Ioanne non esse maiorem, cùm Christus, vt certissimum est, nunquam ceciderit; atque adeo ex nullo peccati lapsu resurrexisse dici possit. Quare cum Deipara etiam, vt omnes fatentur, Ioanne sit maior; atque adeo in ea cum Ioãne comparatione non includatur; eam nunquam in peccati labem cecidisse, & inde resurrexisse dicendum est. *Sola illa mater, & filia Creatoris, neque descendit, neque cecidit; sed de virtute in virtutem ascendens consummatione virtutum vestita est*, ait B. Petrus Damiani. Et ideo perperam dixit Chrysippus presbyter Ierosolymitanus de B. Virgine: *Cum omnibus surgat de lapsu, in quo illam constituit Eua cognatio, seu contagio.*

B. V in comparatione Ioannis, qui surrexit maior inter natos mulierum non includitur, quia cum non ceciderit, non surrexit.

Bernard. serm. in Cœna Domini de Baptismo & Sacr. altaris.

Damian. serm. de Assumptione.

Tom. 7 Bibliotheca Patrum.

79. Dices primò in illa cum Ioanne comparatione ad Christum Dominum excipiendum, non opus esse recurrere ad peccati originalis maculam non contractam; cum satis sufficienter iuxtà SS. Hieronymum, & Paschas. Dominus ex illa cum Ioanne comparatione se excludat dicendo: *Inter natos mulierum*: Dominus enim non ex muliere, sed ex Virgine natus est. Sed contra, quia Apostolus ad Galat. cap. 4. ait: *Misit Deus filium suum, factum ex muliere.* Et à sanctissimo eius filio mulieris nomine B. V. est appellata Ioan. 2. *Quid mihi, & tibi est mulier?* & Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus. Dicta est mulier*, ait Augustinus, *secundùm fœmineum sexum, non secundùm corruptionem integritatis: & hoc ex lingua ipsius Scripturæ: nam & Eua statim facta de latere viri sui, nondum contacta à viro suo, nostis, quia mulier appellata est: & formauit eam in mulierem.*

Mulieris nomen etiam virgini tribuitur.

Tom. 9 tract. 10. in Ioan. Augustinus

Genes. 2.

80. Dices secundò in allato textu non comparari Ioannem cum aliis omnibus secundùm sanctitatem; sed comparari tantùm cum antiquis Patriarchis, & Prophetis, iuxtà prophetiæ donum, vt legitur Lucæ 7. *Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est.* Quare ex hoc capite B. Virgo in comparatione illa est excludenda. Sed contra, quia comparatio fit cum omnibus iuxta verba apud Matth. & propterea Hieronymus ibi notat: *Non cæteris Prophetis, & Patriarchis, cunctisque hominibus Ioannem prætulit, sed Ioannem cæteris exæquauit.* Præterea benè notat Euthymius apud Lucam Prophetæ nomen non

Prophetæ nomen sæpè non va leinandi officium, sed sanctitatem significat.

Luc. 7.

eſt. Similiter ergo dicendum eſt in præcedente comparatione vtrumque ſexum comprehendi, quamuis *inter natos mulierum*, non inter natas dicatur. A

83. Magna puritas eſt omni mortalis peccati ſorde carere; puritas maior eſt carere etiam venialium defectuum maculis: maxima tandem eſt originali inſuper labe non fœdari. Quæ quidem cum maxima puritas ſit, ea maior excogitari non poteſt. Hæc profectò puritas Dei matris eſt tribuenda. Hinc Anſelm. ait: *Decens erat, vt ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret; cui Deus Pater vnicum filium ſuum, quem de corde ſuo æqualem ſibi genitum, tamquam ſeipſum diligebat, ita dare diſponebat; vt naturaliter eſſet vnus, idemque communis Dei Patris, & Virginis filius.* Similiter Dionyſius Carthuſianus art. 25. in Areopagitæ Eccleſiaſticam Hierarchiam, de Dei filio ait: *Nec in peccato conceptus eſt in Virginis vtero, nec vnquam contraxit culpam; ſicut Iſaias 53. prædixit: Iniquitatem non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Hinc ad Galatas 4. ait Apoſtolus: Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ſub lege, factum ex muliere, id eſt natum ex ſupermundiſſima Virgine, quæ nec ipſa vnquam ſubiacuit culpæ:* Culpæ quidem, non ſolum actuali, ſed neque originali; cùm dicatur: *Nec ipſa ſubiacuit culpæ*; nempe, ſicut neque ſubiacuit filius. Ad quod indicandum Dionyſ. B. Virginem non ſolùm mundam, vel mundiſſimam ob peccatorum actualium carentiam; ſed ſupermundiſſimam appellauit; quòd neque originalem maculam in Conceptione contraxerit.

B. Virgini puritas à peccato, quæ maior ſub Deo intelligi nequit, eſt tribuenda

Anſelmus opuſc. de concepta Virginali cap. 18.

B

B. Virgo quod actualem culpam non habuerit, munda dicitur; quòd originalem non contraxerit, dicitur ſuper mundiſſima.

C

84 Næuus eſt nota, ſeu macula proli in matris vtero congenita: hinc originalis macula, veluti næuus Adæ ſtirpem in prima conceptione notare dicitur. Huiuſmodi næuum B. Virgo non contraxit, cùm de ea cœleſtis ſponſus teſtetur; *Macula non eſt in te. Caro Virginis ex Ada aſſumpta maculas Adæ non admiſit*, ait B. Petrus Damiani. Clarius Iuo Carnotenſis Epiſcopus de Dei filij ſuam erga matrem beneficentia ait: *Omnem næuum, tam originalis, quàm actualis culpæ in ea deleuit; non tollendo, ſed præſeruando.*

Cant. 4. 7.

B. Virgo originalis peccati næuum non habuit.

Damian. ſerm de Aſſumpt.

Iuo Carnot. in ſermone de Natiuitate Domini.

D

85. Iſaias cap. 9 prophetico ſpiritu exultans ait: *Populus, qui iacebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Cum in noctis tenebris verſamur, nobiſque lux oriri incipit, lux ea aurora dicitur. Aurora autem appropinquantis diuini Solis nuncia Deipara fuit; de qua ab Eccleſia cum iubilo, & admiratione dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens*; aurora adeo lucida, vt Soli comparari poſſit: *Electa, vt ſol?* Hoc igitur tempore, quo beata hæc Aurora ad nos aduenit, tria miranda à Deo patrata fuiſſe teſtatur idem Iſaias Deum alloquens humano generi clementiſſimè beneficum: *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti.* Triplici enim peccatorum generi humana natura obnoxia eſt, nempe originali, & actuali peccato: quod actuale, vel leue eſt, adeoque veniale: vel graue, adeoque mortale, quia ſupernaturali vita, hoc eſt gratia animam priuat. Per mortale peccatum diabolus iugo hominem ſubdit veluti beſtiam. Propterea de homine mortalis culpæ reo dicitur Pſalm. 48. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Per veniale peccatum Satan veluti virga animam percutit; cuiuſmodi ictu, quamuis vita, hoc eſt gratia non auferatur; languidior tamen anima redditur ad ſupernaturaliter operandum. Per originale verò peccatum homo diaboli ſceptro, regnoque ſubditus naſcitur. Huiuſmodi peccato, cùm vniuerſaliter filij Adæ ſubiaceant; hinc eſt vt Satan ſub primo vitæ aditu, hoc eſt in ipſa hominis conceptione ab hominibus ſingulis originalis culpæ vectigal exigens, duriſſimi exactoris munere fungi dicatur. Sed per Virginis aduentum, cùm ſcilicet iuxtà Iſaiæ oraculum humanum genus, hoc eſt *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*; tunc mirabiliter Deus per Virginem Deiparam diaboli iugum, virgam, & ſceptrum ſuperauit. Sceptrum ſcilicet per immaculatam Virginis Conceptionem; iugum, & virgam per immaculatam eiuſdem ſanctiſſimæ Virginis vitam: quandoquidem Beata Virgo neque in originale, neque in actuale peccatum, ſeu graue, ſeu leue vnquam incurrit.

Cant. 8.

B. Virgo ſine actuali, & originali peccato iugum, virgam, & ſceptrum diaboli ſuperauit.

E

86. Ex Pſalm. 90. habetur triplex nocendi modus, quo diabolus contra homines vtitur: *A ſagitta volante in die; à negotio perambulante in tenebris; ab incurſu, & dæmonio meridiano.* Sæpius Satan hominem manifeſtè non tentat; & tunc, quia peccati malitia claro rationis lumine non aduertitur; propter aduertentiæ defectum in leuem culpam incurritur; & ideo dicitur: *A negotio perambulante in tenebris.* Rurſus ſæpè Satan audaciùs humanam voluntatem ad graue peccatum incitat; cuius turpitudo per rationis lumen, tamquam in meridiana luce clarè cognoſcitur: & tunc mortalis culpa committitur; ad quod ſignificandum dicitur, *Ab incurſu & dæmonio meridiano.* Sed originale peccatum, quia vulnus eſt, quod in nos Satan è longinquo direxit; ſcilicet ab origine mundi ex primi parentis tranſgreſſione; ideo ad hoc explicandum dicitur, *A ſagitta volante in die*, die ſcilicet humanæ vitæ primo, primoque conceptionis inſtanti. Ab his omnibus Satanæ inſidiis libera fuit Deiparæ Virginis anima: cuius tantæ gratiarum plenitudinis ratio illa redditur à Propheta: *Scuto circumdabit te veritas eius.* quæ inexpugnabilis ſcuti protectio Beatæ Virgini exhibita myſticè etiam explicatur Cantic. 4. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Per hoc clypeorum millenarium diuinæ protectionis perfectionem ſignificari docet Hugo Cardinalis ſub hac efficacis protectionis perfectione Beata Virgo fuit; cum nulla ex parte diaboli inſidiis fuerit obnoxia: ſi enim aliqua ex parte Satanæ ictum excepiſſet; tali ex parte extra efficacem Dei protectionem fuiſſet; atque adeo protectionis perfectionem, illoſque mille myſticos clypeos non habuiſſet; & vndique diuinæ protectionis ſcuto efficaciter circumdata non diceretur.

B. Virgo actuali, & originali culpa carens libera fuit à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano.

87. Rupertus aſſerens primam mulierem extra Paradiſum cum ſerpente eſſe collocutam ait: *Paradiſus non niſi hominis habitatio credendus eſt. Nam ſi ſerpentibus communis eſſet Paradiſus; conſequitur, quod & lupis, atque leonibus, cæteriſque beſtiis non careat ille deliciarum locus; & proinde nec tantæ beatitudinis exiſtimabitur, vt merito paradiſus voluptatis, vel ab ipſo Domino Deo plantatus fuiſſe dicatur.* Hoc poſito Damaſcenus Beatam Virginem, *animatum Paradiſum vocat.* In præſtantiorem hunc Paradiſum multò minus tartareo ſerpenti per originale peccatum ingredi licuit. *Ad hunc Paradiſum ſerpens aditum non habuit*; ait idem Damaſcenus. Cur in terreſtrem Paradiſum ſerpentibus aditus non

Rup. in Gen. lib. 3. cap. 2.

B. Virginis ad animam tamquam ad animatum paradiſum tartareus ſerpens aditum non habuit.

Orat. 1. de dormit. B. V.

Orat. 1. de Natiuitate B. Virginis.

fuit? Iuxta Rupertum, quia peculiari opificio à Deo plantatus fuerat. Similiter aditus nullus ad B. Virginem tartareo serpenti est datus; eò quod B. Virgo peculiaris diuinæ dexteræ structura fuerit, tamquam Spiritus sancti templum: *Templum Domini sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est.* Quare de B. Virgine iuxta SS. PP. dictum est Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum. Sapientia, quæ Dei erat, & Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens ædificauit sibi domum, ipsam scilicet matrem suam Virginem Mariam,* ait Bernardus ser. 9. inter paruos.

88. Spinæ post primorum parentum præuaricationem è maledicta terra prodierunt, dicente Domino Adæ: *Maledicta terra in opere tuo: spinas, & tribulos germinabit tibi.* B. Virgo, quòd non maledicta, sed benedicta terra fuerit, cœlestiumque deliciarum hortus; in ea tartareæ spinæ radicem locum habuisse per originale peccatum negandum est. Hinc bene Ambrosius ait: *Hortus clausus es Virgo; non ascendant in te spinæ, sed vuæ tuæ floreant:* Vuæ, hoc est meritoriæ operationes, quæ in B. Virgine rationis vsum habente statim à prima conceptione effloruerunt. Hæ autem vuæ è peccati originalis spinis non colliguntur, vt Matth. 7. 16. mysticè indicatur, dicente Domino: *Numquid colligunt de spinis vuas?* Præterea B. Virginis animæ creatio rosæ inter flores pulcherrimæ plantationi comparatur Ecclesiastici 24. *Quasi plantatio rosæ in Iericho.* Electa hæc rosæ plantatio Dei manu consita in Iericho, hoc est in luna, scilicet in Virgineo corpore, ex quo *Pulchra vt luna* dicitur, spinarum, hoc est peccatorum omninò expers fuit. *Sunt spinis post peccatum rosis additæ; sed id probabilius extra paradisum,* ait Basilius. Similiter quamuis post Adæ transgressionem, originalis peccati spinæ in humano genere pullularint; ab huiusmodi tamen infelici spinarum germine libera omninò fuit Dei genitricis anima; quippe quæ intra immaculatum illud corpus creata fuit, quod meritò *animatum paradisum* Damascenus appellat.

89. Iustinus Martyr, Tertullianus, Epiphanius, Damascenus, & alij docent ab vniuersali diluuio intactum diuina ope seruatum fuisse terrestrem Paradisum. Si originale peccatum diluuium fuit, vniuersum genus humanum inundans; à tali generali diluuio B. Virginem, tamquam animatum Paradisum terrestri longè nobiliorem, diuinò beneficio præseruatam fuisse, multò rationabiliùs est dicendum: ita, vt verè Deipara dicere potuerit: *Flagellum inundans non venit super me.* Quare quamuis de diluuij aquis dicatur Genes. 7. *Vehementer inundauerunt, & omnia repleuerunt in superficie terræ: opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cœlo:* Nihilominus per hæc vniuersalia verba citati Patres, terrestrem paradisum non includi affirmant. Et Caietanus inter montes diluuij aqua opertos non includit montes superantes mediam aëris regionem, vt Olympum, & Atlantem. Cur ergo multò magis per vniuersales sententias infra citandas, quibus Adæ posteris omnibus originale peccatum tribuitur, B. Virginem non includi, saluis sacrarum scripturarum testimonijs, dici non potest? Quamuis enim per vniuersale peccati originalis diluuium, *operti sint omnes montes excelsi;* hoc est omnes, licet sanctissimi viri; non tamen huiusmodi diluuio subiacuit B. Virgo; cum *mons esset præparatus in vertice montium; & fundamenta eius in montibus sanctis;* atque adeò excederet Sanctorum omnium sanctitatem. Ideo Greg. 1. Reg. cap. 1. ait: *Potest montis nomine Beatissima*

Marginal notes: Gen. 3. — B. V. originalem culpam non contraxit; sicut nec rosæ in paradiso spinas habuerunt. — Ambros. de Virginitate c. 9. — Cantic. 4. 12. — Cantic. 6. — Hom. 5. in Hexam. — Orat. 1. de B. V. — Apud Viegam in Apoc. c. 11. sec. 3. — Isaiæ 28. c. 1. — B. V. ab originali labe præseruata, sicut terrestris paradisus à diluuio. — Isaiæ c. 2. Psal. 86.

Section letters in the margin: A, B, C, D, E

Right-hand column, cut off at the page edge (line beginnings only): sem / quip / elct / llim / tinge / chore / mont / nans / mus. / tice / sa.ct / 90. / fuer / intu / stra: / beat / Nan / art. / medi / miser / hanc / modi / cælo / erat / sola / subst / rò in / specu / batu / ma e / per / mini / hom / S. T / The / man / aper / tem / suæ / para / Locu / Co / Dor / voc / tic. / cora / go C / rose / vt i / aliq / & / myf / se c / prin / ben / ferr / 91. / Fun / so o / de r / dari / mu / II p / phir / habi / go / gra / dun / sani / gin / D / S

In vitæ porta aditus in inferno hosti pateret.

murale significat Vallum, & munimentum, quod præcipuè ante vrbis portam fit; vt eo ingressus hosti prohibeatur. B. Virginis conceptio porta fuit, per quam ex animæ cum corpore vnione, ei primus ad vitam aditus est reseratus Huic portæ æternum Verbum humani generis saluator antemurale fuit; ne in eam diabolus hostis per originalem maculam ingrederetur. Quàm benè de vtraque Ierosolyma æthetea, & mystica decretum à Deo est: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Quare benè ab Augustino Christus Dominus dicens inducitur: *Si potuit inquinari mater mea, cum eam facerem; potui inquinari ego, cùm ex ea nascerer.*

Apoc. 21. 27

Lib. de Heres. cont. Manich.

92. Vulgares mensas canes frequentant: è regio autem conuiuio procul arceantur. S. Bonauentura Deiparam vocat *Totius Beatissimæ Trinitatis nobile triclinium.* Quare, cùm Dei filio sub humana carne nascituro ad quietem, & ad cibum triclinium hoc regium in Deiparæ Conceptione parari inciperet, à Sanctis Angelis Dei nomine malignis spiritibus dictum est: *Foris canes, & venefici:* Venefici nimiùm, quia peccati veneno vniuersum humanum genus inficiunt.

Bonau. in Psalt. iuxta Cant. Te Deum laudamus.

Apoc. vlt. vers. 15.

93. Salomon cum regnare cœpit, iuxtà diuinam legem benè vixit: de eo enim dicitur 3. Reg. 3. *Dilexit Salomon Dominum ambulans in præceptis Dauid patris sui.* Et quamuis ibi subdatur: *Excepto, quòd in excelsis immolabat:* nihilominus in Excelsis Deo sacrificare ante templi fabricam, vel peccatum tantùm veniale erat, iuxtà Theodoretum, Procopium, & Abulensem; vel iuxtà Lyranum, & Serarium licitum fuit, & à Deo permissum. Quare S. Augustinus quæst. 36. in lib. Iudicum ait: *Tanta consuetudo præter Tabernaculum sacrificandi crebuerat, vt etiam Salomon in Excelsis sacrificasse inueniatur, nec eius sacrificium fuisse reprobatum. Ita Deus consuetudinem populi sui, qua præter eius Tabernaculum, tamen non dijs alienis offerebant, sed Domino Deo suo, sustinebat potiùs, quàm vetabat, etiam sic exaudiens offerentes.* Rursus Salomon anno primo iuxtà Abulensem Cedrenum, & Salianum *affinitate coniunctus est Pharaoni regi Ægypti; accepit namque filiam eius.* Quæ Pharaonis filia ab Ethnicismo ad Mosaicam fidem, legemque conuersa licitum cum Salomone coniugium reddidit; vt fusè probat Abulensis 3. Reg. cap. 3. quæst. 14. Et colligitur ex Deuter. cap. 21. Hoc posito legitur 2. Paralip. cap. 8. *Salomon filiam Pharaonis transtulit de ciuitate Dauid in domum, quam ædificauerat ei. Dixit enim Rex: Non habitabit vxor mea in domo Dauid regis Israel, eò quòd sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini.* Vbi quæritur, cur peculiariter de hac vxore id dicatur? Respondent interpretes, quamuis Pharaonis filia Salomoni nupta veram Dei religionem iam fuerat amplexa; quia tamen antea in paterna domo ethnica fuerat, adeoque plures annos sub diaboli potestate vixerat; hinc piè indicasse Salomonem non solùm simul, sed neque diuerso tempore decens esse, vt Pharaonis filia commune domicilium cum Domini arca haberet; immò neque domicilium arcæ loco proximum: docet enim Abulensis 2. Paralip. cap. 8. quæst. 19. in Dauidis domo duo habitacula fuisse; & in vno illorum habitasse quondam cum Pharaonis filia Salomonem; & in altero Domini arcam olim fuisse repositam. Quòd si id valdè piè Salomon iudicauit; multò magis censendum est noluisse Deum non solùm simul, sed neque diuerso tempore filium suum per incarnationem, & diabolum per originale peccatum in eadem Dei-

3. Reg. 3.

para communem domum habere.

94. Dei mater ob eximiam erga peccatores commiserationem, ab Ecclesia meritissimo titulo *peccatorum refugium* appellatur. Ideo de ea per figuram à Dauide dictum est Psalm. 103. *Petra refugium herinacijs:* vbi herinacij nomine peccatores intelligit Augustinus. De hac mystica petra Salomon dixit Prou. 30. *Viam colubri super petram* inueniri non posse. Ambrosius lib. de Salomone cap. 2. ait: *Serpens ex ipso nomine, quòd sit callidior omnium bestiarum, quæ sunt super terram, apparet, quod est diabolus; qui ideo serpens dicitur, quod occultè serpat; eò quod sensus hominis occultè illudendo pertentat. Æstatis tempore cùm terra soluitur in puluerem, de latibulo suo egressus serpens impressione corporis sui in terra corrupta potest designare semitam: sed cùm ad petram peruenerit, non facit in lapide, quod fecit in puluere* Ex quibus Ambrosij verbis constat ijs in hominibus serpentis vestigia, hoc est, peccata imprimi; quibus sub Adami persona dictum est: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* A quo reatu iuxtà S. Augustinum serm. de Assumptione, & communem Ecclesiæ sententiam, cum ex singulari Dei priuilegio libera fuerit sanctissima Dei mater; cùm scilicet tamquam firmissima petra puluis non fuerit, nec in puluerem reuersura; consequens etiam fuit, vt in ea nulla omninò imprimere vestigia tartareus serpens potuerit. Nam S. Bernardus serm. 35. in Cantica benè infert carnem Christi à corruptione fuisse liberam, eò quòd carnis vitio caruit. Ex quo licet nobis similiter inferre, sanctissimam Dei matrem, carnis vitio, hoc est originali labe caruisse, eò quòd post mortem corruptioni non fuerit obnoxia

Ambros. l. de Salom. c. 2.

Gen. 3.

B. Virgo post mortem à corruptione libera fuit, quia originali vitio caruit.

95. De peccati morte, quæ supernaturali gratiæ vita animam priuat, mysticè dicitur Ierem. 9. 21. *Ascendit mors per fenestras: eò quòd ad animæ interitum mors introeat peccatorum,* ait Hieronymus. Similiter de peccatis mysticè dixit Ioel 2. *Per fenestras intrabunt, quasi fur.* At, vt B Virgo ab omni peccato libera intelligatur, *Cœli fenestra* ab Ecclesia dicitur; & à S. Fulgentio: *Facta est Maria fenestra cæli.* Cœli, inquam, *quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit* iuxtà Domini testimonium. Sicut furis, ita tineæ nomine diabolus intelligitur, teste Hieronymo, cùm *in præuaricatione Adæ pretiosos quosque, & claros viros vt terram, & lutum viles constituit;* inducendo scilicet originale peccatum. Hic fur in cœli fenestram ingredi nequijt: Huic tineæ animatum cœlum, qualis B. Virgo iuxtà Damasc. est, corrumpere non est datum: *Quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

B. V. animatū cœlum, quò fur non appropiat, neque tinea, nempe diabolus & peccatum.

B. V. cœli fenestra, per quam [illegible] ascendit

Ser. de laudib. Mariæ

Luc. 12. 33.

Hieron. in Iob c. 27.

Damasc. orat. 1. de dormit. B. V.

96. De Christi Domini sepulchro Ioannes 19. 41. ait: *Erat in loco, in quo crucifixus est, hortus; & in horto monumentum nouum, in quo nondùm quisquam positus erat. Ibi ergo posuerunt Iesum* Monumentum nouum, in quo Dominus sepeliri voluit, Hieron. & August. cum Deiparæ Virgineo vtero comparant. Porrò si suo in monumento Dominus munditiem tantam esse voluit, vt nulli vnquam cadaueri ibi locum fuisse voluerit; quantò magis B. Virginis animam, numquam tamquam cadauer per originale peccatum supernaturali gratiæ vita priuatam esse voluit: cùm in eius vtero, non triduum diminutum exanimis, vt in monumento; sed menses nouem integros viuus commoratus esset. *Potest nouum sepulchrum Mariæ Virginalem vterum demonstrare,* ait Hieron. Nouum ergo Domini sepulchrum fuisse dicitur, quòd cadauer nullum admiserit: Similiter vir-

Hieron. Apol. l. 1. ad Pammachium

August. tract. 120. in Ioan.

B. V. Domini monumentum, in quo nullū vnquam cadaueri locus fuit comparatur.

Hieron. in Matth. c. 27.

gineum vterum numquam *spirituale* cadauer, A nempe animam supernaturali *gratiæ vita* priuatam habuisse dicendum est. Origenes similiter cum B. Virginis puritate Domini monumentum comparans ait: *Debuit Domini sepultura insignem puritatem habere.* Quare sicut Domini tumulus insignem puritatem habuit; quòd in eo nemo antea, neque post sepultus fuerit: ita tam insignem puritatem B. Virginem habuisse decuit; vt in ea neque antea, neque post, anima ex peccato mortua fuerit.

Origen. l. 11. contra Celsum

97. Iuxtà Athanasium, Damascenum, Methodium, & Thomam Aquinatem, B. Virgo Dei tabernaculum appellatur: ideo Ecclesiastici 24. dicitur: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* B Huius nominis ratio desumitur ex Hugone Card. in Psalm. 45. *Quia scilicet tabernaculum militare tentorium significat; & Christus Dominus è materno vtero, tamquam è militari statione armis benè munitus contra diabolum prodijt,* iuxtà Psalm. 34. *Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi: effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me:* & Psalm. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum, Potentissime.* De hoc igitur mystico tabernaculo nempe de B. Virgine, ex qua Dominus ad bellandum prodijt, dicitur Psalm. 90. *Non accedet ad te malum; & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Vbi flagelli nomine diabolum, & peccatum Chrysostomus in- C telligit. Ad Deiparæ igitur immaculatum tabernaculum accedere nequijt diabolus; cùm Sanctissima Virgo ab omni prorsus peccati macula libera fuerit.

B. V. Domini tabernaculum, ad quod pec cati malum, & flagellum numquam appropinquauit.

Chrysost. hom. 5 ex varijs in Math. & hom. in 1 Cor. 14

98. De B. Virgine Ecclesia intelligit verba illa Prou. 31. *Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit.* Illud autem *spolijs indigebit*, non ad virum, sed ad viri sponsam refertur, iuxtà Rodulphum. Quæritur igitur, cur Spiritus sancti sponsa, nempe B. Virgo, spolijs non indigere dicatur? Vestium indigentia in primis parentibus ex amissa innocentia propter inobedientiæ culpam ex diaboli suggestione prouenit. E contrario, eo quòd nullam B. Virgo subierit culpam, vt id significetur, nulla in ea spoliorum indigentia D esse dicitur. Primi parentes corruptibilium foliorum prima sibi operimenta habuerunt; cùm iam peccati corruptionem subjissent; è contrario Deipara incorruptibilem Solis amictum habuit; eò quod nulli vmquam peccati corruptelæ subiecta fuerit. Quare de B. Virgine iuxtà Bernardum serm. *Signum magnum*, dicitur Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole.* Hunc Solis amictum tamquam innocentiæ vestem tunc primùm Deipara habuit, cum sanctissima eius anima in sui corporis animato cœlo per immaculatam Conceptionem extitit. Tunc Dei filius in Sole posuit tabernaculum suum, vnde temporali natiuitate ad nos prodire digna- E tus est. Meritò autem in B. Virginis Conceptione *signum magnum*, hoc est eximium prodigium apparuisse dicitur: nam iuxtà Chrysostomum apud Metaphrasten in natiuit. B. Virg. *Magnum re vera miraculum fuit B. semper Virgo Maria.* Vbi particula illa, *semper*, non solùm vt ad Virginem, sed etiam vt ad Beatam referenda est. Quare si semper beata fuit per gratiam Sanctissima Virgo, immaculata semper fuerit necesse est. Maneat igitur satis benè ad immaculatam B. Virginis Conceptionem testandam dici: *Spolijs non indigebit.* Quid enim spolijs indigeret ea, è cuius sanctissimo vtero ad humanum genus operiendum incorruptibilitatis prodijt indumentum?

B. V. mulier fuit, quæ spolijs non indiguit, quæ indigentia ex peccato prouenit.

B. V. amicta sole dicitur, quòd peccati expers corruptibilibus spolijs non indiguerit.

B. V. fuit semper beata quia numquam sine gratia.

B. Virgo Dei agnum pariens, ex eius vellere nobis incorruptibile indumentum exhibuit.

*Ser. 5. de Assumpt. B. V. mystic. cælum, à qua primum vita virginalis vita fluxit.*

Ildelfonsus: ergo B. Maria, à qua primum Virginalis vita manauit, animatum cœlum fuit, quò terrenæ peccatorum sordes nullæ peruenire potuerunt. *Quid, ergo, vitij in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum; quæ ad instar cæli plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium?* ait Petrus Damiani serm. 3. de Natiuit. Beatæ Mariæ.

*Gen. 3. B. V. quòd libera ab originali labe fuerit, libera à carnis concupiscentia fuit.*

101. Quòd in peccati labem incurrerit Eua, ei in supplicium dictum est: *Sub viri potestate eris*: vbi ex Hebræo legitur: *Tibi ad virum concupiscentia erit.* Contra verò, cum in B. Virgine carente omni peccati fomite, ex Virginali voto, & vita ad virum concupiscentia numquam fuerit; ea à peccati labe, quam Eua contraxerat, & per Euam, eiusque virum ad posteros transmissa est, planè immunis esse debuit. Quæ virum non cognouit; *nec cognouit tyrannum*, vt dicitur Iob 34. 19. Quem tyrannum? Respondet S. Bernardinus: *Virgo Maria sine tyranno concupiscentiæ peccati originalis fuit, quia sine eo concepta.* Non solùm B. Virgo à se innatam alijs concupiscentiam exclusit; sed insuper eius parentes in sanctissimæ prolis generatione, & conceptione, non concupiscentiæ, sed obedientiæ imperio obtemperarunt. Quare l. 6 cap. 49. reuelationum S. Brigittæ, ita ei B. Virgo locuta legitur: *Mater Dei loquitur. Si alicui volenti ieiunare, qui desiderium haberet comedendi, sed voluntas resisteret desiderio, præciperetur à superiori, cui obediendum esset, quod propter obedientiam comederet; & ille propter obedientiam contra velle suum comederet; illa comestio maiori remuneratione digna esset, quàm ieiunium. Per similem modum coniunctio parentum meorum fuit, quando ego concepta fui. Et ideo veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato. Quia sicut filius meus, & ego numquam peccauimus; ita nullum coniugium fuit, quod honestius esset, quam illud, de quo ego processi.* Notandum est autem præclarum testimonium, & approbationem circa S. Brigittæ reuelationes legi in prologo illi operi præscripto à doctissimo Cardinali de Turre Cremata ordinis Prædicatorum, antea sacri palatij Magistro: est autem testimonium huiusmodi: *Quibus inspectis, & omni diligentia sæpius transcursis, attenteque intellectis; nihil in eis reperiri potuit reprobum, aut suspectum, aut orthodoxæ nostræ fidei dissonum, vel aduersum; sed totum, quòd ibi continebatur, Domini extitit veritate conspicuum, & sanctitate præclarum, plenum, perlucidum, & perfectum.*

*S. Bernardin. tom. 2. ser. 4. B. V. ex parentum obedientia, non ex eorum concupiscentia concepta.*

*B. V. sine originali labe concepta ex reuelatione S. Brigittæ, & approbatione Cardinalis Turrecremata.*

*Diabolus malleus nomine significatur. Ierem. 50.*

102. In scriptura sacra ait Gregor. 34. mor. cap. 7. *Mallei nomine diabolus designatur. Nam quia appellatione mallei antiquus hostis exprimitur, Propheta testatur dicens: Quomodo confractus est, & contritus malleus vniuersæ terræ?* Porro de Ierosolymitano templo 3. Reg. 6. dicitur: *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* Si à materiali templo, ex Salomonis industria procul fuit mallei sonitus; multò congruentius B. Virgo *Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti*; cùm à prima sui conceptione ædificari cœpisset, diuina præseruante gratia, ab omni diabolici mallei ictu exempta fuit. Malleus ergo vniuersæ terræ diabolus dicatur; sed maledictæ terræ, non benedictæ, qualis B. Virgo fuit. Benè etiam Origenes ait: *Dicendum est Zabulum vniuersæ terræ malleum esse, non cæli malleum.* Fuit autem B. Virgo ob vitæ puritatem tamquam *animatum cælum*, teste Damasceno. Quare si in Ierosolymitano templo nullus, non modo ictus, sed neque mallei sonitus auditus est; à mystico B. Virginis templo, ipse peccati sonus procul esse debet. Ideo Augustin. ait: *De sancta Virgine Maria nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem.*

*B. Virginis in mystico construendo templo sicut in Ierosolymitano neque mallei, neque peccati ictus, neque sonitus fuit. Origenes tom. 2. hom. 3. in Ieremiam. Orat. 2. de Dormit. B. M.*

*August. lib. de natura, & Gratia c. 36.*

103. Prima ara, in qua Christus Dominus se Deo Patri obtulit in holocaustum pro humani generis redemptione, Deipara fuit; intra cuius vterum, cum primùm mortalem vitam viuere cœpit, teste Apostolo ad Hebræos 10. verba ex Psalm. 39 protulit: *Ingrediens in mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi*; corpus autem passibile, adeoque aptum, vt sacrificaretur. *Tunc dixi: Ecce venio.* Huius mysticæ aræ, scilicet B. Virginis figura fuit ara, in qua vetera sacrificia immolabantur. Sed de antiqua illa ara ita præcipitur Deuteron. 27. *Ædificabis altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Quare altaris lapides ferro tangi in veteri lege vetuit Deus? *Ferrum peccatum est, quod est penetrabile*, hoc est penetratiuum, ait Ambrosius. Quoniam verò, vt testatur Apostolus: *Omnia in figura contingebant illis*; adeoque vetus ara mysticæ aræ, nempe B. Virginis figura erat; ideo ferrum veterem illam aram tangere non debebat; quia ara per illam figurata nulli ferri, hoc est peccati ictui, nec momentaneæ punctiunculæ quidem futura erat obnoxia. Vt autem illud ipsum conceptionis instans, in quo originalis macula contrahitur, à Beata Virgine excluderetur, de sacrificiorum ara per figuram dicitur: *Ædificabis altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Non dixit: *Quos ferrum non percussit, non secuit*; sed, *Quos ferrum non tetigit*: vt ipse momentaneus peccati ictus excludendus à mystica nostra ara significaretur. De eadem veteris aræ constructione præcipitur similiter Exodi 20. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus; Si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur.* Vbi Theodoretus ita aptissimè disserit: *Nemo, credo, negabit, quin vterentur ferro, qui ligna tabernaculi concinnabant; itidem, qui aurum, argentum, aut æs fabrefaciebant. Quod autem & sacerdotes gladiorum auxilio victimas immolabant, excoriabant, & diuidebant, nemo in dubium reuocat. Quærendum ergo nunc est, quo pacto ferrum non non polluebat hæc vniuersa; lapides autem sectos polluebat?* Respondet idem Theodoretus: *Cum Israelitæ quadraginta annos permanserint in deserto, continenter abeuntes, & loca mutantes; ideo vetat è lapidibus fabrefactis altare construi; ne cùm hi terram promissam obtinuissent, in aris illi vicini, nempe idololatræ dæmonum sacrificia celebrarent. Quamobrem præcipit ex terra, aut è lapidibus, quales natura produxit, altaria construi: nam vtrumque facilè dissoluitur.* Si igitur iniuriam sibi fieri Deus existimabat, si aræ olim suæ, sed destitutæ, deinde dæmonum sacrificiis polluerentur: quantò maior iniuria Deo facta fuisset, si mystica Deipara ara, antequam in ea Deus homo in sacrificium offerretur, à diabolo originalis peccati labe fuisset contaminata. Porro in veteri altari construendo prohibebatur non solùm, ne lapides ferro secarentur, aut tangerentur, sed etiam ne in lapides illos culter eleuaretur: *Si leuaueris cultrum super eo, polluetur.* Eleuare cultrum, non est incidere lapides, aut tangere, sed tantùm intentare ictum: dum enim eleuatur culter, dum intentatur ictus, adhuc sectio in actu primo est. Sed hoc ipsum vetitum fuit; vt significaretur mysticam aram, nempe Beatam Virginem, non solum ab actu secundo, sed etiam ab actu primo contra-

*B. V. prima ara, in qua Dei filius se sacrificauit; ideo solum peccati ictum, sed neque tactum se intentatum [illegible] lege vetus ara figurauit.*

*Ambros. epist. ad Constant.*

*B. Virginem originali labe Deus pollui noluit, sicut ne antiqua sacrificiorum altaria idololatria vnquam pollurentur, prouidit.*

contrahendi maculam originalem liberam fuisse; ita vt propterea contra eam neque eleuare cultrum, neque intentare, seu con minari ictum diabolus potuerit. Hoc autem prouenit ex eo, quod B. Virgo proximum debitum contrahendi originale peccatum non habuerit. Quandoquidem ex singulari Dei priuilegio, & Christi Domini Redemptoris meritis excempta fuit à lege, qua Adam & in eo, tamquam in capite posteri omnes alligati fuerunt: vt docent Catharinus disput. de Conceptione B. V. 1. parte cap. 1. Turrianus epist. de peccato originali pag. 43. & Suarius tom. 2. in 3. par. quæst. 27 Quod benè confirmari videtur auctoritate S. Anselmi in 1. ad Corinth. cap. 5. vbi ait: *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Ergo cum eximi non solùm ab originali peccato, sed etiam ab eius proximo debito sit puritas maior: sine dubio hæc B. Virgini est tribuenda. Quòd si negetur cum Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis citata Commentaria in epistolas Pauli esse Anselmi, sed potiùs Heruæi; non multùm refert; cùm satis sit ad verborum auctoritatem, quod verba illa in Officio de Conceptione B. Virginis olim à summo Pontifice approbato reperiantur: cumque non modicæ auctoritatis sit doctissimus Thelogus Heruæus Generalis magister Ordinis Prædicatorum.

B. V. proximũ debitum contrahendi originalem labem non habuit; sicut ad sacrificiorum altare construendum non solùm lapides ferro nõ tangendi, sed neque culter eleuandus erat.

104. Amos 7. *Visus est Propheta Dominus stans super murum litum: super murum adamantinum*, legit cum Septuaginta Origenes. Adamantinus murus hic, in quo Dominus insistere visus est, Beatam Virginem mystice figurabat; quæ ideo de se ipsa iuxtà Gulielmum Abbatem ait Cant. 8. *Ego murus, & vbera mea sicut turris.* Sed cur adamantinus murus B. Virgo? Scilicet, vt à nullo peccati ictu, ex quo primùm ædificari cœpit, damnum subijsse intelligatur: ita vt numquam diabolus *Malleus vniuersæ terræ* adamantinum talem murum lædere potuerit. Ex Xenocrate ait Hieron. *Adamas sui nominis lapis est, quem Latinè indomitum possumus appellare; eò quod nulli cedat materiæ, nec ferro quidem. Nam si ponatur super incudem, & graui ictu feriatur mallei; antea incus, & malleus vulnus accipiunt, quàm adamas conteratur.* Talis fuit B. Virgo, de qua iuxtà diuinum vaticinium *diabolo dictum est: Ipsa conteret caput tuum:* potius diabolum *malleum vniuersæ terræ* contriuit, quàm ab eo vlla in parte Deipara contereretur. Addit Hieron. *Solus adamas non atteritur, & nulla lima imminui potest; sed è contrario limam terit. Lima peccatum est, limatus gladius est diabolus*, iuxtà eumdem Hieron. in illud Ezech. 21. *Gladius exacutus est, & limatus.* Huiusmodi limatum gladium eiusque limam B. V. ab omni diaboli potestate semper libera adamantis more contriuit.

Origenes Homil. 3. in Ierem.

B. Virgo velut adamus malleo, limæque id est diabolo, & peccato nõ fuit obnoxia.

Hieronym. Amos 7.

Gen. 3.

105. De fortissimo Iuda Machabæo ad carnales victimas in templo offerendas dicitur: *Elegit sacerdotes sine macula.* Multò magis Deum B. Virginem sine vlla peccati macula elegisse dicendum est; vt per eam sæpius ante passionem, & deinde in passione ipsa Diuinus filius pro humani generis salute æterno Patri offerretur. *Dubitandum non est*, ait S. Bonauentura, *quin virilis B. Virginis animus, & ratio constantissima voluerit tradere filium suum pro salute generis humani; vt mater per omnia conformis esset Patri. Et in hoc miro modo debet laudari, & amari; quòd placuit ei, quòd filius suus pro salute generis humani offerretur.*

Machab. l. 1. c. 4.

B. V. vt diuinũ filium æterno Patri in sacrificiũ offerret, sacerdos sine macula esse debuit

3. Sent. dist. 48. qu. vltima

106. A Nabuchodonosore Assyriorum rege imperatum est, *vt introducerent de filijs Israël, & de semine regio pueros, in quibus nulla esset macula, qui*

Danielis c. 1.

B. V. in Dei domicilium sine macula

prisci ædificandæ vrbis locum designare per sulcum ab aratro circumacto impressum; cum autem ad vrbis portam deueniebant suspenso aratro portæ locum inaratum, intactumque relinquebant. B. Virgo porta est, per quam in sanctam Ecclesiæ ciuitatem cœlestia dona inferuntur. Hinc *Felix cœli porta* dicta est: porta hæc intacta est relicta nullo peccati sulco signata.

Iustificatio impii an miraculosa dicenda sit.

110. Cùm illud miraculum dicatur, quod totius naturæ vires excedit; quæritur, an iustificatio peccatoris, quæ quidem supernaturalis effectus est, miraculum dici possit? Respondet S. Thomas prima par. quæstione 105. artic. 7. ad primum iustificationem impij & si à solo Deo fiat, non tamen propriè dici miraculum; redditque rationem: *Quia non contingit præter ordinem naturæ; quia impij iustificatio ad facultatem naturæ non pertinet.* Sed contra est, quia omnia supernaturalia opera ad facultatem naturæ non pertinent; ergo ex his nulla essent miracula. Respondet idem S. Doctor 1. 2. quæst. 113. art. 10. in corpore, *Iustificationem impij absolutè sumptam non esse miraculosam; quia quamuis excedat vires naturæ, non tamen excedit consuetum agendi modum, quo Deus vtitur: consuetum enim Deo est, vt ipso interius animum mouente homo conuertatur ad Deum. Miraculum autem dicitur aliquid arduum, & insolitum præter facultatem naturæ*, vt ipse S. Thomas citato loco primæ partis ait: Hinc deducitur ad rationem miraculi requiri, vt à Deo fiat præter ordinariam, & communem legem.

Miraculum quid sit.

Chrysost. ser. de natiuit. B. M. apud Metaphrasten.

Cum ergo SS. Patres, & præcipuè Chrysostomus serm. de Virgine dicant: *Magnum miraculum fuisse Beatam semper Virginem Mariam*; hinc eam extra communem legem fuisse dicendum est. Cumque Damascenus orat. prima de Natiuitate Mariæ eam *Miraculorum abyssum* appellet; sicut in aquarum abysso descendendo versus aquæ scaturiginem, finis non reperitur: ita descendendo vsque ad Deiparæ Conceptionem, numquam in ea miraculorum finem reperiemus. Quoniam verò Conceptio considerari primò potest vt primum corporis formandi initium: Secundò, vt animæ in corpore infusio: Prima Deiparæ Conceptio miraculosa fuit, cùm intra parentis, alioquin sterilis vterum contigerit. Secunda itidem miraculosa fuit, cùm originalis peccati maculam non contraxerit. Prima miraculosa fuit, quia naturæ legem excessit: Secunda itidem miraculosa, quia ex singulari priuilegio præter ordinariam à Deo latam legem fuit: cumque in ipsa immaculata Conceptione tanta gratiæ plenitudo Beatæ Virgini diuinitus communicata fuerit, quantam vix omnes simul Sancti consecuti sunt; iuxtà illud Psalm. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*: hinc est, vt in ipsa Virginis Conceptione miraculosæ, & extraordinariæ plenitudinis gratiæ finis, tamquam in abysso non videatur. Porro sicut in aquarum abysso talis colligitur esse prima eius scaturigo, qualis superefluens aqua videtur: ita vt, si superfluens aqua dulcis sit, salsa scaturigo esse nequeat: similiter miraculosa Deiparæ Conceptio fuit, cum talis similiter eiusdem sanctissima vita semper fuerit.

B. Virginis in corpore formando sterilitas parentum; in animæ infusione originalis macula repulsa est.

B. Virgo miraculorum abyssus in qua talis scaturigo qualis superfluens aqua, talis conceptio; qualis vitæ progressus.

111. Plures alij Sancti Patres, Sanctique Doctores immaculatam B. Virginis Conceptionem docent. Inter quos non desideratur S. Thomas, qui eamdem sententiam docuit prima sentent. distinct. 17. art. 4. & clarius primo sentent. dist. 44. artic. 3. ad 3. dicens: *Potest aliquod creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.* Quamuis autem 3. par. quæst. 27. artic. 2. ad 2. oppositam sententiam doceat; nihilominus neque ibi, neque alibi, quod antea asseruerat, signanter retractat.

B. V. Redemptionis primogenita fuit.

112. Sed contra immaculatam Virginis Conceptionem opponitur primò; quòd si B. Virgo originalem maculam non contraxisset; consequenter neque redempta per filij passionem dici posset: redemptio enim peccati captiuitatem necessariò supponere videtur. Quod autem B. Virginis redemptio negari non possit, patet ex vniuersali Apostoli sententia: *Si vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quare S. Bernardinus serm. 51. capite 5. asserit *Christum magis venisse in carne mortali pro B. Virgine redimenda, quàm pro omnibus hominibus; etiam si omnes simul cum illa conferantur: ex quo Redemptionis primogenita est vocanda.*

2. Ad Cor. 5.

1. Ad Cor. 15.

Redemptio duplex altera liberans altera præseruans: hæc secunda B. Virgini competit.

113. Respondetur Beatam Virginem ab originali labe immunem adhuc verè redemptam per Christi Domini passionem dici posse. Duplex enim est redemptionis modus; vnus à captiuitate liberat; alter captiuitatem subeundam præueniendo impedit. Hic secundus modus B. Virginis redemptioni competit; quippe quæ per singularem gratiam ex Christi meritis præuenta fuit, ne in originalis peccati captiuitatem incurreret. Quòd autem posteriori hoc modo verè quis redimi dici possit, probatur primò: nam quamuis Dauid in nullum vnquam gladio inflictum vulnus incurrisset; adhuc tamen Deo gratias agens ait Psalm. 143. 10. *Qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno.* Sic, qui à medico pharmacum præseruatiuum accipit; verè medico gratias agere potest, quod eum à morbo liberauerit. Sic capite damnandus, si principis viri intercessione liber dimittatur; per eum se à morte ereptum verè fateri potest. Danielis cap. 14. dicuntur Babylonij fuisse causa perditionis Danielis. Quare Rex, vt ibi dicitur. *Illos, qui perditionis eius causa fuerant, misit in lacum.* Sicut igitur Daniel liberatus dicitur à perditione, in quam diuina ope seruatus non incurrerat; ita B. Virgo ab originali labe, quam non contraxit, diuino beneficio liberata, & redempta dici potest.

Redemptio præseruatiua, vt vera redemptio, probatur ex sacris litteris: Psalm 143. 118. 10. 187.

114. Secundò, Psal. 118 vers. 134. Dauid Deum precatur: *Redime me à calumnijs hominum.* Vbi iuxtà Euthymium S. Dauid à Deo petit non solùm ab alienis calumnijs liberari; sed ne ipse alios calumnietur. Hac posita interpretatione, quamuis sibi conscius S. Propheta foret in calumniæ peccatum non incidisse; ab huiusmodi tamen peccato redimi per præseruationem poscit. Vbi in Vulgata dicitur: *Redime me à calumnijs hominum.* Legit Caietanus: *Redime me à lite Adam.* Quam benè verba hæc B Virgo ab originali peccato libera vsurpare potest; dum ei adhuc, quasi à tali labe exempta non fuisset, lis tamquam Adami filiæ à negantibus immaculatam eius Conceptionem intentatur.

115. Tertiò, ex Israëlitico populo in promissionis terram introducto, duo tantùm Caleb, & Iosue ex actuali Ægypti captiuitate redempti fuerunt. Nam Deuteron. cap. 1. num. 35. cum Deus dixisset: *Non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimæ terram bonam, quam sub*

iuramento pollicitus sum patribus vestris, præter Caleb filium Iephone. Subdit ibi Moses: *Nec miranda indignatio in populum; cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc, sed Iosuë filius Nun. Paruuli vestri, de quibus dixistis, quòd captiui ducerentur; & filij, qui hodie boni, ac mali ignorant distantiam; ipsi ingredientur; & ipsis dabo terram, & possidebunt eam.* Idem habetur. Num. 14. 29. & 30. *Omnes, qui numerati estis à viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem: præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun. Paruulos verò vestros, de quibus dixistis, quòd prædæ hostibus forent, introducam, vt videant terram, quæ vobis displicuit. Fuerunt omnis numerus filiorum Israël per domos, & familias suas à vigesimo anno, & supra, qui poterant ad bella procedere sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta.* Ingentem hunc Israëlitarum numerum murmurasse, & omnes à promissionis terra exclusos in deserto periisse, docet Abulensis. Similiter S. Thom. in Psalm. 28. ait: *Nullus eorum, qui exierunt de Ægypto, & venerunt in desertum, intrauerunt terram promissionis; nisi Iosuë, & Caleb.* Nihilominus Exodi 15. Deo Moses ait: *Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti, & portasti eum ad habitaculum sanctum tuum. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo.* Vbi populus introductus in Promissionis terram, vniuersaliter redemptus dicitur; non quòd in actuali Ægypti captiuitate fuerit; sed quòd in eam incurrisset, nisi talem captiuitatem præuenisset Dominus, educendo scilicet talis populi patres ex Ægypto, ex quo factum est, vt eorum filios non in Ægypto, sed in deserti via nasci voluerit.

Num. c. 1. 45. 46.

116. Quartò idem patet Esther 13. 18. vbi Assuero regnante Mardochæus ad Deum orans dixit: *Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto.* Et tamen inter Israëlitarum libertatem ex Ægyptia seruitute, & inter Assueri regnum mille annorum spatium, & eo amplius intercessit; vt constat ex Saliano tomo 5. Anno mundi 3590. & consequenter nullus ex eo populo, qui sub Assuero viuebat, sub actuali Ægyptia seruitute fuit; quamuis ex ea redemptus Israëlitarum populus dicatur.

117. Quintò idem patet ex Psalm. 102. 4. vbi de Deo dicitur: *Qui redimit de interitu vitam tuam.* Quam redemptionem, seu liberationem, non de actuali interitu, sed de mortis periculo Caietanus intelligit. Eadem interpretatio est Treueti, Lyrani, Aiguani, Iansenij, Genebrardi, Vatabli, & aliorum, qui allata verba explicant de Dauide, cum Saül, vt eum occideret, obsedit, & Dauid fugiens se morti eripuit; vt legitur 1. Reg. capite 19. 12. & cap. 23. 13.

Angeli boni quamuis in peccatum non incurrerint, redempti dicuntur.

118. Sextò Chrysostomus, & Hieronymus, seu Sophronius de Assumptione B. Virginis, & Bernardus serm. 62. in Cant. docent bonos Angelos, ne cum Lucifero corruerent, à peccato fuisse redemptos: à peccato quidem, non in quod boni Angeli incurrerunt, sed in quod incurrissent. Quare Anselm. lib. 2. cur Deus homo benè ait: *Indiguit B. V. redemptione, & Christi passione; non propter peccatum, quod infuerit, sed per peccatum, quod infuisset, nisi ipse met ex speciali priuilegio eam præseruasset.* Ideo cùm Augustinus ex Zosymo Papa docet epist. 157. & lib

3. con / nisi is / non de / dum e / 119. / sacræ S / genus / pra cit / ergo om / riuntur / Præter / runt. / num a / contra / nocens? / nid: In / qui non / piscent / carnem / 120. / etiam / quam / ficiens / tio, S / Immac / fundar / illis de / Quare / August / non in / meritò / mation / gnitatis / stas pos / tia, M / cum d / peribus / excipi / tem p / Hiero / lem, n / rialis / cùm n / reant. / quam / senten / cumqu / guis i / nes, q / tamen / homi / non e / ctum / præu / subie / na os / tando / optin / mult / præs / sed h / erat / quo / æter / ne c / iden / in / tis c / den / ma / bo

Chriſti corpus carnis retia oppoſita diaboli retiaculis.

dicitur: *Cadent in retiaculo eius peccatores*: aliâ retia ad ſuos capiendos electos Deus extendit; nempe filium ſuum ſub humano corpore: Chriſti enim corpus *carnis retia* vocat Auguſtinus 13. Confeſſ. cap. 15. Hæc ſanctiſſimæ carnis retia vnà cum Spiritu ſancto Deipara ſupra omnem artem excellens intexuit: & propterea tamquam inſignis in arte, à lethali originalis peccati veneno eſt præſeruata.

B. Virginem excipit S. Thomas aduerſus illam ſancti Auguſtini ſententiam dicentis: Nemo renaſcitur, niſi prius naſcatur.

121. S. Thomas 3. p. quæſt. 27. art. 1. docet B. Virginem in materno vtero fuiſſe ſanctificatam. Obijcit autem ſibi Auguſtinum epiſt. 57. ad Dardanum, vbi ait: *Sanctificatio, qua efficitur templum Deî, non niſi renatorum eſt: nemo autem renaſcitur, niſi prius naſcatur. Ergo B. Virgo non fuit prius ſanctificata, quàm ex vtero naſceretur.* Cui obiectioni ſanctus Doctor respondet: *Dicendum, quod Auguſtinus loquitur ſecundùm legem communem; ſecundùm quam per ſacramenta non regenerantur aliqui, niſi priùs nati. Sed Deus huic legi ſacramentorum potentiam ſuam non alligauit, quin aliquibus ex priuilegio gratiam ſuam conferre poſſit antequam naſcantur ex vtero.* Quare hac Sancti Thomæ regula vti etiam poſſumus, ad B. Virginem à communi originalis peccati lege eximendam.

B. V. ab originalis peccati lege excipienda eſt, quemadmodum ab vniuerſali mortis lege excipiat Caietanus.

122. Similiter dicente Apoſtolo 1. ad Theſſ. 4. *Nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aera*; Caietanus ſequens Iuſtinum Quæſt. 109. aſſerit in mundi fine, qui viui reperientur, excipiendos eſſe à communi mortis lege; adeoque non perſoluturos eſſe commune naturæ & originalis peccati debitum, cui omnes obſtringimur. Quidquid ſit de veritate huius ſententiæ, quæ communiter improbatur, eamque ſecutus Auguſtinus lib. 2. de peccato, & merito, Retractat lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 20. cùm ex Adamo originale peccatum, & mortis debitum trahamus; cumque de vtreque vniuerſalis lex ſit; ſicut ex vna lege plures excipit Caietanus; ita idem ex altera B. Virginem excipere multò rationabiliùs potuiſſet. Quòd autem humano generi mortis lex vniuerſalis ſit, patet ex eodem Apoſtolo dicente ad Hebræos 9. 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori*, & 1. ad Cor. 15. *Omnes reſurgemus. Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.*

123. Præterea ad vniuerſales propoſitiones exceptionem iuxtà rationabilem interpretationem pati poſſe probandum; Pſalm. 62. dicitur: *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* Vbi excipiuntur vanè vel etiam mendaciter iurantes. Prima ad

Ab vniuerſalibus ſententiis exceptiones.

Cor. 9. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*; ex his omnibus excipitur cibus ad vires in palæſtra ſeruandas requiſitus, à quo certè palæſtritæ, & pugiles non abſtinebant: quare Græcè legitur: *Per omnia temperans eſt.* Matthæi 13. 57. à Domino dictum eſt: *Non eſt propheta ſine honore, niſi in patria, & in domo ſua*: quod licèt veriſſimum ſit; hinc tamen non fit, vt, interdum extra propriam patriam, vel domum propheta, ſeu doctor, & prædicator deiectus non fuerit: vt Elias Theſbites, qui extra Theſben ſuam patriam Iezabelis perſecutiones ſuſtinuit. Lucæ 4. 24. eadem Domini ſententia ſic refertur: *Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua*, & tamen legimus apud Iudæos magno in honore habitum

Ioannis c. 1.

fuiſſe Ioannem Baptiſtam; de quo idem Lucas capite 3. ait: *Exiſtimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus.* Quare circa hoc ad eum honorificam ſacerdotum, & Leuitarum legationem miſerunt. De quo vide Orig. tom. 7. Cyrill. lib. 1. capite 7. & Auguſtin. tract. 4. in Ioan. Præterea Matthæi 24. à Domino Apoſtolis dicitur: *Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Et Lucæ 21. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Ex quo tamen non ſequitur à nullis Apoſtolos dilectos, & benè exceptos fuiſſe. Ruſus Lucæ 13. 33. Dominus dixit: *Non capit prophetam perire extra Ieruſalem*: ſeu ex Græco textu: *Non conuenit, non contingit*: & iuxtà Syrum: *Fieri non poteſt.* Et tamen Iezabel in Samaria prophetas multos occidit, vt patet ex 3. Reg. cap. 18. & 19.

124. Sic cùm ſæpius in ſacris litteris omnis caro dicitur, homo tantùm includitur, bruta excluduntur. Quare Hieronymus explicans capite 2. Zachariæ verba. *Sileat omnis caro à facie Domini*, ait: *Quòd omnis caro, non abſolutè hominum, & beſtiarum, & volatilium, & piſcium; ſed ſpecialiter hominum accipiatur, illa ſcriptura ſignificat: Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.* Pſal. 64. *Neque enim ad Dominum omnis caro irrationabilium ventura eſt animantium; ſed illa quæ donum Sancti Spiritus acceptura eſt, & de qua dicitur: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* Ioelis c. 2. Rurſus Pſalm. 115. cùm Dauid dixit: *Omnis homo mendax*; ex hac vniuerſali ſententia ſine dubio B. Virgo excipienda eſt.

125. Prima ad Corinth. 13. cùm dicitur: *Charitas omnia credit*: Vniuerſalis illa propoſitio limitanda eſt tantùm ad ea, quæ prudenter credenda proponuntur. Geneſ. 3. *Vocauit Adam nomen vxori ſuæ Eua, eò quod mater eſſet cunctorum viuentium*: vnde tamen viuentia bruta excipiuntur. Eua ergo, ſicut vniuerſaliter dicitur mater cunctorum viuentium; ita vniuerſaliter etiam dicitur peccati origo in omne genus humanum. Sed ex illa vniuerſali ſententia Eua non extendere dicitur maternitatem in viuentes rationis non participes: ergo ex vniuerſali itidem ſententia neque peccatum extendere debet in Deiparam ob maternam dignitatem culpæ omnis expertem.

126. Similiter certum eſt vniuerſales illas propoſitiones 2. Paralipp. 6. *Non eſt homo, qui non peccet*, & Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*: per exceptiones aliquas eſſe intelligendas. Apoſtolos enim poſt Spiritus ſancti aduentum in gratia confirmatos, in multis offendiſſe, negandum eſt. Idemque dicendum de Sancto Ioanne Baptiſta in matris vtero ſanctificato; qui petijt *antra deſerti teneris ſub annis, ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſet.* Quare Ioannem Baptiſtam numquam neque venialiter peccaſſe aſſerit Galatinus lib. 7. de Arcanis capite 9. & Ambroſius Catharinus opuſc. de eximia Chriſti prædeſtinat. Quibus aſſentitur Driedo lib. 1. de Gratia, & libero arbitrio capite 5. par. 2. Hinc Beda ait: *Quis noſtrûm dicere audeat B. Ioannem actu, vel dicto, vel habitu, vel motu peccaſſe? Quis in eius præcordijs peccato poterat eſſe locus, quem & ante natiuitatem Spiritus ſancti conſecrauit aduentus?* Quæ quidem ſententia valdè probabilis eſt, ſaltem quoad veniales culpas ex deliberatione, & plena libertate commiſſas.

Beda hom. de decollat. Ioannis.

127. S. Ioannes in Euangelio capite 1. 18. & epiſt. 1. cap. 4. 12. ait: *Deum nemo vidit vnquam.*

Apostolus Paulus 1 ad Timoth. cap. 6. 17. *Quem nullus hominum vidit; sed nec videre potest* Et tamen ex hac vniuersali sententia excipit ipsum Apostolum Paulum S Thomas 2. 2. quæst. 175. art 5. sequens S. Augustinum epist. 112. cap. 13. & S. Clementem 5. stromatum asserentes Apostolum vidisse Diuinam essentiam, cum raptus est in Paradisum; de quo raptu loquitur 2. ad Corinth. cap. 12.

128. Genes. cap. 1. 29. Quamuis primis parentibus à Deo dictum sit: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui; vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum:* nihilominus ex cunctis, & vniuersis animantibus, de quibus vniuersè Deus loquitur, Caietanus excipit animalia carniuora, quæ non herbis, vel arborum fructibus, sed carne vescuntur. Sicut etiam excipiendi sunt pisces, quamuis pisces in his, in quibus dicitur esse anima viuens, comprehendi videantur.

129. Actorum 10. dicitur Petrus vidisse *Vas quoddam, velut linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli.* Vbi quamuis omnia, non ad singula omnium generum, sed ad genera singulorum extendas; adhuc tamen intra linteum omnia prorsus animalium genera fuisse non videtur. Saltem Iustinus qu 89. ad Orthodoxos ex illo animalium numero munda animalia excipit. Quare ex immundis per originalem labem mundissima B. V. salua vniuersali regula, excipi etiam benè potest.

130. Daniel cap. 2. Nabuchodonosori dixit: *Deus Cæli dedit tibi omnia, in quibus habitent filij hominum, & bestiæ agri: sub ditione tua vniuersa sunt posita.* Et tamen ex Nabuchodonosoris ditione excipienda erat Europa, saltem secundùm magnam partem, & India; aliæque orbis terræ prouinciæ plures, & regna. Ibidem de Alexandri monarchia dicitur: *Regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ.* Et tamen Alexander non solùm remotissimos populos Sinenses, Iaponicos, Peruanos, Mexicanos, non subegit; sed neque Gallia, Hispania, & Italia Alexandri Imperium subiit.

Omnes pro multis interdum dicuntur.

131. Isaïæ 2. de Messia prædicitur: *Fluent ad eum omnes gentes.* Hinc, vt ait Galatinus lib. 5. cap. 4. *Iudæi inferunt Iesum Dominum nostrum non fuisse Messiam, eò quod ad eum omnes gentes non fluxerint.* Respondet Galatinus: *Dictio Hebraïca Col, quæ idem est, quod omnis, vel cunctus, vel totus, vel vniuersus, non ita strictè sumitur apud Prophetas, & Theologos, sicut apud Dialecticos.* Lib. 2. Reg. c. 16. *Ingressus est Absalom ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël.* Ibidem cap. 17. *Dixit Absalom, & omnis viri Israël: melius est consilium Chusai. Ecce quomodo Scriptura vtrobique hoc nomen Omnis, vel vniuersi ponit. Non ideo tamen tam insulsus quisquam esset, qui diceret neminem de Israël ibi defuisse; vel qui Absalom, cum flagitium illud perpatraret non viderit; vel qui consilium Chusai non approbauerit. Licet enim omnis Israël, & omnis vir Scriptura dicat; credi tamen par est multò plures de Israël absentes ibi fuisse, quam præsentes; iis consideratis, qui cum Dauide erant; & qui in cunctis finibus Israël remanserant. Hoc autem ex ipsius Chusai dicto manifestè patet; cùm ibidem ad Absalom dixit: Congrega ad te omnem Israël à Dan vsque ad Bersabee. In Psalm. quoque 41. ita dicitur: Omnes confractiones tuæ, & fluctus tui super me trans-*

A *sierun* *me* ; *non s* *ctione.* *tionum* *aliun* *di gen* *dicere* *dictio* *lis*, *libro* omni *quotie* *nes pr* B *in He* *Reg.* *cum m* *rum e* *nis*, *pro m* *cæteris* *aliqua* *quod* *ipsius* *mus.* regul. festo *suos e* *qui.* C co qu do pr manif 131. gio h inter nos p *stitia* *li corp* lib. de *rarum* *uenten* *ne pe* *seruo* D *omnis* alios tibus prob *Non* *do* ; *secund* *rum* : *filium* valdè quoad dimu pecca cata t Trid. E tione uilegi *posse* *tare*, *de B.* 133. cente pa ex Trid *hæc* *hend* *Bea* *nit* ci

eius constitutionibus contentis, quas innouat.

B. Virgo ex priuilegio exempta fuit ab originali labe: Christus ex intrinseca dignitate personæ.

134. Adde Augustinum, aliosque sanctos PP. similiter loquentes, explicari posse de exemptione ab originali peccato, non ex priuilegio; sed ex intrinseca personæ dignitate; quod solùm Christo Domino competit. Sic August. tract. 4. in Ioan. cum dixit: *Quis innocens? Omnes ex illa radice veniunt, de qua Dauid: In iniquitatibus conceptus sum. Solus ille Agnus, qui non sic venit.* Solus scilicet ille Agnus ex intrinseca personæ diuinæ dignitate, non ab extrinseco priuilegio. Sic ab Ecclesia Christo Domino dicitur: *Tu solus sanctus*; non quod alij etiam sancti non sint: alioquin Deus non dixisset Leuit. 11. 44. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*; sed quòd solus Christus ex intrinseca, & substantiali perfectione diuinitatis humanæ naturæ vnitæ sanctitatem habeat. Quod clariùs indicatur 1. Reg. 2. *Non est sanctus, vt est Dominus: quia nec habet, nec habere potest vllam culpam*, vt explicat Beda. Ideo benè Origenes ibi comparans Dei, & hominis sanctitatem ait: *Ille largitor sanctitatis est, iste susceptor; ille fons, iste potator; ille lux, iste inspector.* Hinc sanctus Leo citans locum Iob 15. iuxtà Septuaginta lectionem de Christi natiuitate ait: *Alienum ab hac natiuitate est, quod de omnibus legitur: Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram.* Propter quod tamen testimonium non est negandum B. Virginem, & Ioannem Baptistam iam antea fuisse mundos à peccati sorde, cùm ad primum vitæ diem prodierunt. Tribuitur tamen purissima natiuitas Christo solummodo, necessario ex intrinseca diuinæ personæ dignitate, B. Virgini, & Ioanni Baptistæ non necessariò, sed ex diuino priuilegio, & beneplacito: Beatæ insuper Virgini ex peccati originalis macula non contracta.

Psalm. 50.

S. Leo serm. 1. de Natiuitate.

ad Hebr. 7. 26.

B. V. excelsior cœlis facta, ideo omnimodè impolluta.

135. *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus*, de Christo Domino ait Apostolus. Similiter de B. Virgine dici potest: Talis decebat, vt esset Dei mater sancta, innocens, impolluta, segregata à peccatoribus, & excelsior cœlis facta. Si enim excelsior facta est cœlis; consequenter sancta, innocens, impolluta, segregata à peccatoribus dici debet. Est autem cœlis excelsior iuxtà Augustinum, qui ad B. Virginem exclamat: *Quid dicam pauper ingenio; cum de te quicquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur? si cœlum te vocem, altior es: si formam Dei appellem, digna existis.* Est Dei filij sui forma, & imago Deipara: nam sicut Dei, Beatæque Virginis filius maculam omnem excludit ex intrinseca, & essentiali sanctitate; ita eiusdem Dei filij mater ab omni macula immunis est ex ipsius filij priuilegio, & erga matrem beneficentia. Quare cùm iuxtà Bonauenturam B. Virgo in sacris litteris *Dei thronus* dicatur; de hoc mystico throno tegum Regi Christo tamquam regio solio in Virginis Conceptione præparato allegoricè Isaias 16. dixit: *Præparabitur in misericordia solium*: quod scilicet solium non ex necessario iustitiæ debito, sed ex diuinæ misericordiæ priuilegio, & erga matrem beneficentia, immaculatum in prima sui præparatione, & constitutione fuit. Non est ergo cur, vt propugnatores simus Christi Domini singularitatis & incomparabilis sanctitatis, Beatæ Virginis immaculatam Conceptionem negemus: cum ea concessa, adhuc Christi Domini sanctitatis singularitas maculam omnem excludentis aliunde, vt explicatum est, habeatur. Similiter ex eo quòd S. Petrus epist. 2. cap. 2. 9. iustos viros

Tom. 10. ser. 2. in festo Assumpt.

B. V. Dei filij sui forma consimilis, ideo immaculata.

Bonauentura in speculo M. Lect. 8.

B. V. tamquam Dei solium in Conceptione in misericordia præparatum, ideo originalem labem non incurrit.

A vocet pios dicens: *Nouit Dominus pios de tentatione eripere*: non propterea sequitur Deum non esse singulariter pium; ob quam singularem, & illimitatam pietatem ei dicitur Apoc. 15. *Solus pius es*: seu iuxtà Græcum textum: *Solus sanctus es.* Quamuis enim alij sint sancti; nihilominus sicut dicitur 1. Reg. cap. 2. *Non est sanctus, vt est Dominus*, sanctitate scilicet substantiali, & infinita. Secundo, Quamuis sancti honorandi, & glorificandi sint, adhuc benè Apostolus dicere potuit epist. 1. ad Timoth. cap. 1. 17. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili, soli Deo honor, & gloria*; honor scilicet, & gloria latriæ, quæ singulariter soli Deo debetur. Tertio, quamuis Angeli, & rationales animæ immortales sint: adhuc

B. Virginis immaculata Conceptio non derogat Christi singulari, & incomparabili sanctitati.

B tamen, vt ab Apostolo dicitur 1. ad Timoth. 6. 16. *Solus Deus habet immortalitatem*; scilicet à seipso, ab aliis prorsus independentem, quam amittere vnquam nequit; & eodem sensu ibidem dicitur *solus potens*.

136. Ad Apostoli verba 1. ad Cor. 15. *Sicut in Adam*, id est per Adam, *omnes moriuntur*; *ita & in Christo*, id est per Christi merita *omnes viuificabuntur.* Respondetur, quoniam ibi de mortuorum in mundi fine resurrectione Apostolus agit; talia verba non de morte per peccatum, & viuificatione per gratiam; sed de morte, & viuificatione corporali esse intelligenda: quæ viuificatio etiam reprobis est concedenda; eaque etiam in

C Christo gloriam redundabit; vt diceiur Feria 6. Dominica 4. in illa verba: *Ego sum resurrectio, & vita.*

137. Dices: si Beata Virgo per Adæ peccatum spiritualiter mortua non est; ergo neque per idem peccatum corporaliter mori debuisset. Mors enim corporalis ad spiritualem tamquam pœna ad culpam consecuta est. *A muliere* nempe ab Eua præuaricante, *initium factum est peccati; & per illam omnes morimur*, ait Ecclesiasticus 25. vbi Cyprianus ait: *Mortis conditio non aliunde surrexit, nisi de muliebri substantia.* Quare August. expressè ait: *Pati mortem sine meritis ac vno solo mediatore Catholica fides nouit.* Quod clarè patet ex Apostoli verbis ad Rom. cap. 5. 12. *sicut per vnum hominem*

Cyprianus de singular. Cleric.

August. lib. 4. cap. epist. Pelag. cap. 4.

D *peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.*

138. Respondetur Augustinum, & alios locutos esse de morte, quam ex communi lege homines subeunt, scilicet de morte pœnali; quæ cum in pœnam detur, demeritum culpæ supponit: pœna enim correlatiua culpæ est. At B. Virginis mors pœnalis non fuit; nec in demeritum culpæ data; cum ab omni culpa libera semper fuerit. Quare mortua quidem est Virgo; sed propter filij imitationem subeuntis ex æterni Patris obedientia mortem; & propter nostrûm omnium exemplum, vt nos ipsam Dei matrem, eiusque sanctissimum filium nulli peccato obnoxios à morte

B. V. mortem subiit, sed non pœnalem ex culpa prouenientem: Idem num. 140.

E exemptos non fuisse cognoscendo, patienter, & libenter mortem etiam subiremus. Benè exclamat Damascenus orat. de dormit. Beatæ Virginis; *ô quonam pacto fons vitæ ad vitam interiecta morte migrat? O quimodo ea, quæ in partu naturæ leges excesserat, nunc ipsius legibus subest, atque immaculatum corpus morti subijcitur! Oportebat enim illud exuta morte incorruptionem induere; præsertim cum ne ipse quidem naturæ Dominus mortis periculum facere recusarit.*

139. Caietanus explicans citata Apostoli verba docet ibi tantùm Apostolum asserere, quòd omnes Adæ posteri incurrunt debitum, seu necessi-

tatem contrahendi peccatum originale, & mortem; non autem quod de facto omnes incurrant ipsum peccatum: *Nam probabile*, inquit, *est B. Virginem non incurrisse peccatum originale: rursum probabile est non omnes Adæ posteros incurrisse mortem. Nam Chore, Dathan, & Abiron viui descenderunt ad inferos.* Quamuis ergo alij omnes ex debito & necessitate originalem labem contrahant; benè Caietanus non obstantibus Apostoli verbis B. Virginis exemptionem ab originali peccato docet: quod in interprete S. Thomæ est valde notandum. Illud tamen negandum est Chore, Dathan, & Abiron mortem non incurrisse: eos enim verè mortuos esse benè probat Tostatus cap. 16. Numero Quæstione 20. Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysi. Num. cap. 16. & Ribera Apoc. 19. vers. 10.

B. Virginem non incurrisse peccatum originale, probabile censet Caietanus.

Dathan, & Abiron mortuos esse asserit Caietanus, sed refellitur.

140. Porro ad indicandum B. Virginis mortem ex peccati pœna non fuisse; ea mortem quidem incurrit, sed à corporis corruptione immunis fuit. Nam ob peccatum Adamo, eiusque posteris à Deo dictum est: Gen 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ob hanc Dei in genus humanum maledictionem vniuersaliter homo cum Iob dicere cogitur: *Quasi putredo consumendus sum; & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea. Homo putredo, & filius hominis vermis.* Posita hac generali in homines pœna, à putredine, & corruptione B. Virginis corpus post mortem liberum fuisse constat, vt infra videbimus. Quare si à corporali putredine exempta Deipara fuit; multò magis à spirituali corruptione liberam fuisse dicendum est: cùm corporalis non nisi ex spirituali peccati putredine manauerit.

Iob. 13. 28 & Iob. 25.

141. Quæres, cum B. Virginis mortem pœnalem non fuisse dictum sit, an Christi mortem pœnalem fuisse sit dicendum? Respondeo Christi mortem fuisse quidem pœnalem, non tamen ex propria culpa, cum teste Apostolo Petro. *Peccatum non fecerit, nec inuentus sit dolus in ore eius*: sed ex generis humani delictis, pro quarum satisfactione subeundo mortem, se hostiam æterno Patri obtulit. Ideo de Christo Redemptore idem Apostolus ibidem ait: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*: Et Paulus prima ad Cor. 15. *Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas*: Et Isaias 53. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra.* Adde præterea ad cooperandum humani generis redemptioni mortem etiam B. Virginem subijsse: nam cum Christus ad humanum genus redimendum mori debuisset, consequenter possibilis, & mortalis nasci debebat: filius autem passibilis, & mortalis, non nisi ex matre passibili, & mortali prouenire naturaliter debuit. Quamuis ergo B. Virgo ex omnimoda innocentia ab omni peccato libera, morti non foret obnoxia; fuit tamen morti subiecta, vt filium pareret, qui mortem ob humani generis redemptionem subire posset. Ideo Bernardus de B. Virgine ait: *Per hanc homo redemptus est.* Quare si Adamo non peccante æternum Verbum, non vt generis humani redemptor, sed vt glorificator, & exemplar imitandum humanam carnem assumpsisset; tunc sicut & filius, ita & mater, nempe B. Virgo immortalis fuisset, ea scilicet immortalitate, quam Adamo non peccante homines iusti habuissent, antequam ad beatam vitam transferrentur.

Christi mors pœnalis dici potest, sed ex alieno demerito.

Epist. 1. cap. 2. num. 24.

Serm. in Salue Regina.

142. Opponuntur tertio plures sancti Patres, & Doctores, negantes Immaculatam Virginis Conceptionem, inter quos primò citatur Anselmus

Anselmo testimonium contra immaculatam B. V. Conceptionem f. 6.

originale actu fuisse significauit.

Bernardus tributum testimonium contra immaculatam B. Virg. Cõceptionem soluitur: Idem num. 41.

144. Citatur tertio S. Bernardus epist. 174. de Conceptione sanctæ Mariæ, dicens: *Vnde conceptionis sanctitas? An forte inter ipsos amplexus maritales sanctitas se ipsi Conceptioni immiscuit; vt simul & sanctificata fueris, & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante; aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit? Aut certè quomodo peccatum non fuit, vbi libido non defuit? Nisi fortè quis dicat de Spiritu sancto, & non de viro conceptam fuisse: sed id hactenus inauditum.* Confirmat Bernardi argumentum S. August. tom. 3. lib. de fide ad Petrum cap. 26. seu potius S. Fulgentius dicens: *Firmissime tene, & nullatenus dubites omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subiectum, & ob hoc natura iræ filium nasci.* Quæ Augustini, seu Fulgentij sententia legitur etiam in Decretis de consecratione distinct. 4. cap. firmissimè.

B. Virg. fine inordinata parentum concupiscentia concepta.

145. Respondetur circa allatam obiectionem duo esse expendenda: primò auctoritatem Bernardi: secundo vim argumenti, quod affert. Circa primum multi non Bernardi, sed supposititiam epistolam censent, probantque non improbabilibus coniecturis Petrus Hojeda cap. 14. paragraph. 2. & 3. Ægidius Lusitanus de Conceptione, & alij. Quod certé valdè confirmat infirmitas argumenti ibi allati. Supponit enim argumentum prolis generationem absque aliquo coniugum peccato contingere non posse; & ita in SS. Coniugibus Ioachimo, & Anna contigisse, quod est falsum. Quia coniugium à Christo Domino in sacramentum institutum non esset; si ad actum ex se semper peccaminosum, & ex inordinata libidine prouenientem ordinaretur. Præcipuè B. Virginis generationem peccati, & inordinatæ libidinis expertem fuisse dicendum est. Quare in historia de Natiuitate sanctæ Mariæ, quæ habetur apud S. Hieronym. tom. 9. in epist. ad Chromatium, & Heliodorum Episcopos, refertur Angelus sanctum Ioachimum, sic allocutus. *Ego sum Angelus Domini missus ab ipso ad te; vt annunciem preces tuas esse exauditas, & eleemosynas tuas ascendisse in conspectum eius. Videns quippe vidit pudorem tuum, & audiuit sterilitatis opprobrium non recte tibi obiectum: peccati namque non naturæ vltor est Deus: & ideo cum alicuius vterum claudit, ad hoc facit, vt mirabilius denuo aperiat; & non libidinis esse, quod nascitur, sed diuini muneris cognoscatur.* Similiter apud Germanum Archiepiscopum Constantinopolitanum in Encomio de Virginis præsentatione dicitur de sancta Anna: *Non ante diuinam gratiam, sed cum illa accessisset, matrix, quæ prius erat clausa, à Deo acceptum depositum apud se detinuit.* Contigit autem hoc, vt ibidem dicitur, post 40. dierum ieiunium à S. Ioachimo seruatum; scilicet, vt omnis inordinatæ libidinis suspicio tolleretur. Ideo benè à Damasceno orat. 1. de Natiuitate sanctæ Mariæ dicitur: *O beatos Ioachim lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit.* Idem probat reuelatio supra allata sanctæ Brigittæ. Præterea Magister sententiarum in 2. distinct. 19. ait: *Si primi homines non peccassent, absque omni peccato, & macula in paradiso carnali copula conuenissent, fuissetque ibi tactus immaculatus, & mistio sine concupiscentia.* Quod accepit ab Augustino in Genesim. Simili ergo modo conceptam fuisse Beatam Virginem dicendum est. Porrò ad dictum Augustini, seu Fulgentij iam supra responsum...

De auctoritate huius historiæ benè differit Chrystophorus Castro in histor. Deiparæ in Catal. Scriptorum sub finem operis.

A dimus ex communi lege excipiendam esse Beatam Virginem propter rationem, & sanctorum testimonia ibi allata; præsertim cùm B. Virginis parentes simul conuenerint, non ex concupiscentia, sed ex inspiratione, & Angeli verbis supra allatis.

B. Virginis Conceptionis nomine, eiusdem corporis animatio debet intelligi, quæ à primo generationis initio aliquod tempus distat.

146. Rursus ad argumentum allatum in ea putata? Bernardi epistola, Respondetur secundo, cùm dicimus B. Virginem conceptam fuisse immaculatam, & sanctam; intelligimus tunc, cùm primùm eius anima corpori vnita est. Corporis autem animatio per rationalem animam à primo generationis initio distat in maribus 40. ferè dies: B in fœminis 80. Ideoque totidem dies purificationi post partum præscribuntur Leuitici 12. Hippocrates lib. de alim. & alibi fœtus formationem, & organizationem, ad quam consequitur animatio, in maribus trigesimo die, in fœminis quadragesimo secundo ferè absolui docet. Quamuis autem tale tempus ad B. Virginis corpus formandum non intercesserit; sed extra naturalem ordinem, eius organizatio ad animam recipiendam breuissima mora fuerit: Celebratur enim eius immaculata Conceptio, atque adeo organizati corporis cũ sanctitate animatio initio nouem mensium, qui ab octauo die Decembris C vsque ad octauum Septembris diem numerantur: Nihilominus B. Virginis organizationem, & animationem non inter maritales amplexus, vt citata epistola supponit; sed post dies aliquot fuisse dicendum est. Nam post debitam seminis, & sanguinis commistionem, & coagulum septimo ferè die formationem, & organizationem inchoari docet Galenus lib. 1. de semine cap. 9. & Hippocrates lib. de Carnibus num. 10. Quare Arist. lib. 7. de historia animalium cap. 3. conceptus disperditionem, si ante diem septimum acciderit, appellat effluxionem, id est concepti seminis lapsum; si verò post septimum diem, vocat abortum, id est fœtus formari incipientis D emissionem.

147. Ad extremum ex allata epistola, quam S. Bernardi esse demus, dico colligi nunc B. Virginis Conceptionem piissimè esse celebrandam: ibi enim Bernardus ait ad huius festi celebritatem prius consulendam esse Apostolicæ sedis auctoritatem. Cum ergo in præsentia Apostolicæ sedis auctoritate immaculata Virginis Conceptio celebretur, eam ab omnibus celebrandam esse ex Bernardo decernitur.

148. Citatur quartò S. Fulgentius serm. de Laudibus Virginis dicens: *Cum dixit Angelus: Gratia plena; ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Si iuxta Fulgentium gratia Virgin. restituta E est; ergo in ea gratiæ priuatio præcessit. Respondeo imminente amittendi periculo aliquid posse dici restitui, quamuis actu eius amissio, seu priuatio non præcedat. Sic Psalm. 34. 17. ad litteram iuxtà Euthimium Dauid Saulem, aliosque insidiatores ei mortem machinantes fugiens, Deum precabatur: *Restitue animam meam à malignitate eorum; à leoribus vnicam meam.* Vbi animam, hoc est vitam sibi restitui Dauid flagitabat; quam quidem non amiserat, sed tantùm eam amittendi periculum imminebat. Eodem significatu gratiam Virginis restitutam fuisse ex Fulgentij sententia dici potest.

B. Virgo cum mundata, & purgata à peccato dicitur, præseruatiuè intelligendum est, eodé modo quo absolutus à ... ta est Ioan. Bapt. dicitur à ...

149. Citantur quintò ex Patribus aliqui, qui, vt B. Virginis sanctificationem significent, Virginem per gratiam mundatam, vel purgatam fuisse dicunt: mundatio verò, & purgatio peccati maculam

maculam supponit. Respondetur mundationem, vel purgationem eodem modo in B. Virgine esse intelligendam, ac de eius redemptione diximus. Sicut enim redempta fuit à diaboli captiuitate non actuali, sed incurrenda, ita mundata, & purgata dicitur per præseruationem à macula non contracta, sed contrahenda. Quare Iuo Carnotensis Episcopus supra citatus de Deo erga B. Virginem ait: *Omnem nauum tam originalis, quàm actualis culpæ in ea deleuit; non tollendo, sed præseruando.* Similiter quamuis consueto nobis modo absolui dicantur peccata contracta, non contrahenda; nihilominus per gratiæ præseruationem à peccatis alioqui contrahendis absolutus fuisse Ioanne Baptista dicitur, adiutus scilicet gratiæ auxilio, ne in ea laberetur. *Neque enim dubitandum est, quin Spiritus sanctus, qui eum repleuit, etiam à peccatis omnibus absoluerit*, de Ioanne ait Beda. Ex his patet, cum apud Nazianzenum orat. 38. & 42. dicitur: *Christus conceptus ex Virgine animo, & corpore à Spiritu sancto purgata*: rejciendam esse Nicetæ Glossam, vbi de B. Virgine ait: *Per Spiritum sanctum ab eo peccato expurgata est, quod ex natiuitate secum trahebat, nimirum à primo parente profluxum, atque ad vniuersum ipsius genus fusum, & propagatum.* Nam si bene à Bernardo iuxtà vniuersalem Ecclesiæ sententiam dicitur: *Fuit proculdubio mater Domini ante sancta, quàm nata*: malè à Niceta dicitur: *Ab eo peccato expurgata est, quod ex natiuitate secum trahebat.* Quòd si per Natiuitatem, Conceptionem Nicetas intellexit: neque ex Nazianzen. verbis, vt ostendi, Nicetæ interpretatio habetur: cum à Nazianzeno purgata dici potuerit Virgo per præseruationem à macula.

Iuo serm. de Natiuitate Domini.

Nicetæ sententia de B. Virgine refellitur.

S. Bernard. epist. 174.

150 Respondetur secundo in subiecto aliquo duplicem posse dari munditiem: alteram negatiuam per maculæ carentiam; alteram positiuam per formam aliquam nitorem subiecto communicantem. Dicitur à sanctis PP. B. Virgo per Spiritus sancti gratiam mundata; quia præter originalis peccati carentiam, positiuam munditiem per gratiæ nitorem habuit.

Munditiesduplex altera negatiua, altera positiua, vtraque B. Virgini tribuenda.

151. Objicitur 6. B. Virginis testimonium de seipsa dicentis Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa*; nigra scilicet originali peccato, vt Adami filia; formosa, vt Dei sponsa in materno vtero sanctificata. Respondetur eadem Scripturæ verba non solùm mysticos, sed etiam litterales plures sensus habere posse; vt patet ex æterni Patris verbis diuino filio dicentis Psalm. 2. *Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Quæ verba Augustinus, & alij de æterna Christi generatione intelligunt: & ad eam probandam verba illa citat Apostolus ad Hebr. 1. Rursus eadem idem Apostolus de gloriosa Christi resurrectione interpretatur Act. 13. Hac posita regula Cant. verba illa tum de B. Virgine, tum de cuiuslibet iusti anima intelligi possunt. Si de iusti anima intelligantur, tunc talis anima benè cum Ambrosio ait: *Fusca per culpam, decora per gratiam: fusca per vitium, decora per lauacrum: fusca, quia peccaui; decora, quia iam me diligit Christus.* Similiter Augustinus: *Nigra per naturam, formosa per gratiam. Vnde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Vnde formosa? Asperges me hysopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor. Vnde nigra? Apostolus dicit: Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati. Vnde formosa? Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Similiter Nyssenus: *Cum nigra essem*

Litteralis sensus multiplex esse potest.

Serm. 2. in Psalm. 118.

August. serm. 20. de tempore.

Psalm. 50.

ad Rom. 7.

verba esse intelligenda; talem enim nigredinem, seu decolorationem non diuinus sol, sed tenebrarum princeps diabolus in humanum genus inuexit; cum primis parentibus vetiti pomi comestionem suasit. Quòd si iuxtà Nyssenum solis nomine intelligamus feruidam concupiscentiam, & tentationum æstum; noxio huiusmodi sole reliquorum quidem animas, non autem Deiparam decoloratam esse dicere possumus. Vel si dicatur, vt ait Theodoretus: *Denigrata sum, dum creaturas adoro prætetito Creatore; & solem hunc visibilem colo pro Sole iustitiæ; sed breui candidabor per Christi gratiam*, talia verba non à B. Virgine, sed a Gentilitate prolata, intelligenda esse satis patet. Remoueatur ergo à Deipara non modo actualis peccati, sed etiam originalis maculæ suspicio: & hinc ab ea præmium illud expectemus, quod ipsa Ecclesiastici 24. 31. pollicetur dicens: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Quomodo Deiparam, quæ pulchra, vt sol dicitur, elucidare, seu emaculare possumus? Scilicet, si quæ ei tribuitur, originalem maculam procul à nostra sententia remoueamus.

¶ *Deipara Beata, eò quòd Sanctorum omnium prima aliquando claram Dei visionem habuerit.*

B. Virg. ante omnes alios sanctos Deum clarè vidit: Idem cum sequentib.

155. Psalm. 24. dicitur: *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas:* id est fidelitas, qua se Deus verum, adeoque fidelem promissorem ostendit. Iuxta sanctum Thomam Dei misericordia ostenditur per gratiam in iustificatione; veritas in glorificatione; cum iustificatæ per gratiam animæ tamquam debita merces corona iustitiæ datur: in quo Dei veritas, hoc est veracitas, & fidelitas ostenditur: Quod ad vtramque Dei viam spectat, scilicet misericordiæ, & fidelitatis; iustificationis, & glorificationis, Beata Virgo ante omnem puro creaturam ab æterno diuinis in decretis prælata fuit, vt supra vidimus: atque adeo hinc benè dicere potuit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Hoc autem satis non fuit ad Deiparæ prærogatiuam; voluit præterea Deus, vt actualis glorificatio in clara Diuinæ essentiæ visione consistens, ante omnes humani generis sanctos Beatæ Virgini concederetur, & propter hoc etiam *in initio viarum suarum*, quibus electos alios Deus glorificauit, Beata Virgo Dei possessio fuit. Qui enim Deum vident, sicut per visionis actum Deum possident; ita per intensissimum actum amoris ex beatifica visione prouenientem a Deo possidentur. Quod autem ante sanctos alios Beata Virgo Deum clarè viderit, pietas auctoritas, & ratio persuadet.

S. Thom. in Psalm. 24.

Abraham Iacob, Moses, & Isaias in hac vita claram visionem non habuerunt.

156. Ex antiquis Patriarchis, & Prophetis neminem, neque Abrahamum, neque Iacob, neque Mosem, neque Isaiam clara visione Deum vidisse; sed tantùm in specie aliqua, & similitudine, vel Angelo Deum repræsentate docent SS. Patres, Chrysostomus hom. 14. in Io. Cyrillus in Io. lib. 1. cap. 22. Nyssenus lib. de beatitudinibus in illud: *Beati mundo corde*, & Gregorius infra citandus. Post Christi aduentum, hominumque redemptionem Apostolum Paulum in hac vita ad Deum clarè videndum eleuatum fuisse docent sancti Patres Augustinus epist. 112. cap. 13. Clemens lib. 5. stromatum, Anselmus in illud Pauli secunda ad Cor. 12. *Raptus est in paradisum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Idipsum expresse docet sanctus Thomas secunda

Anselm. vel Heruæus cui Commentaria illa à Bellarmino tribuuntur.

Paulus Apost. adhuc viuens ad Deum clarè videndum non est eleuatus.

A secundæ quæst. 175. art. 3. 4 & 5. art. autem 3. sic ait: *Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt Paulum in raptu non vidisse ipsam Dei essentiam, sed quamdam refulgentiam claritatis ipsius. Sed cõtrarium, manifestè Augustinus determinat, non solùm in libro de videndo Deum; sed etiam 12. super Genesim ad litt. vbi ait: Cur non credamus, quod tanto Apostolo, doctori gentium rapto vsque ad ipsam excellentissimam visionem voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam viuendum est in æternum. Sed in illa vita futura sancti post resurrectionem videbunt Dei essentiam*, subsumit S. Thomas art. 4. *ergo eamdem vidit Apostolus.* Rursus art. 5. ad primum ait: *Paulus in raptu illo peregrinabatur à Domino quantum ad statum; quia adhuc erat in*

B *statu viatoris: non autem quoad actum, quo videbat Deum.* Præterea Augustinus loco citato epist. 112. ait: *Non est incredibile quibusdam sanctis non in vita defunctis, vt sepelienda cadauera remanerent, etiam istam excellentiam reuelationis fuisse concessam:* vt scilicet viderent Deum per essentiam, sicut explicat sanctus Thomas art. 5. Posita ergo clara Dei visione eximiis quibusdam sanctis in hac vita ad tempus communicata: Subsumo verissimam Bernardi propositionem dicentis: *Quod vel paucis mortalium constat esse collatum, non est fas suspicari tantæ Virgini fuisse negatum.* Quamuis ergo ascendente Christo Domino in cœlum cœlique aditu ad æternam beatitudinem hominibus reserato, B. Virgo non sanctorum omnium prima in cœlum

S. Bernard. epist. 174.

C ascenderit; sed ad fidelium regimen, & solamen, meritorumque maiorem cumulum aliquot annos in terris remanserit: nihilominus pium est credere, & à ratione, & sanctorum auctoritate non alienum, B. Virginem omnium primam, non quidem in cœlo, vt diximus; sed in terra claram Dei visionem interdum habuisse. *Forte in ipso conceptu, vel partu illi datum est ad horam, vt videret mysterium huiusmodi, vt in patria, sicut Paulus vidit Deum in raptu*, ait S. Antoninus quarta part. tit. 15. cap. 77. *Si quispiam dixit raptum se fuisse in Paradisum; quantò magis tu, Regina cœlorum, persæpè cœlestibus interfuisti*, ait Rupertus lib. 3. in Cantica. De

D huiusmodi tam eximio priuilegio Dionysius Carthusianus ait: *An & aliis sit concessum quis nouit? De supermundissima Virgine non existimo dubitandum.*

Dionys. Carthus. art. 14. in cap. 4. Areopagitæ de cœlesti Hierarchia.

157. Opponi possunt contra allatam sententiam plures graues auctores, & sancti PP. & sacræ scripturæ verba, à quibus vniuersaliter negatur sanctorum quempiam ante mortem, Deum intuitiuè vidisse. Inter quos Chrysostomus Apostoli Pauli amantissimus Christum Dominum, non autem Diuinam essentiam à Paulo in raptu visam esse indicat, dicens: *Quare raptus es? vt mihi videtur, ne haberetur aliis Apostolis minor; quoniam illi simul fuerant cum Christo; propter hoc in gloriam raptus*

Chrysost. hom. 26. in 2. ad Cor. cap. 12.

E *est, hoc est in paradisum.* Ne ergo videretur Paulus suis Coapostolis minor; satis fuit vidisse sanctissimam Christi in paradisi gloria humanitatem; non autem intuitiuè eiusdem Diuinitatem vidisse; quare ipse Paulus post raptum scribens ad Tim. de Deo ait: *Quem nullus hominum vidit; sed nec videre potest:* scilicet in mortali vita. Præterea Ioannes teste Hieronymo, vltimus omnium Euãgelistarum scripsit Euangelium: & consequenter post raptum Pauli, qui quatuordecim annos antequam ad Corinth. scriberet, contigerat, ait: *Deum nemo vidit vnquam.* De quo fusius audiatur Gregor. 18. Moral. cap. 37. dicens: *Cum testamenti veteris Patres intueor, multos horum teste ipsa sacra lectionis historia Deum vidisse cognosco. Vidit Dominum Iacob, qui ait: Vidi Dominum facie ad faciem, &*

1. ad Tim. c.

Hieronym. de script. Ecclesiasticis.

Ioan. cap. 1. 18.

Genes. 32.

Exodi 33. *salua facta est anima mea. Vidit Moyses Dominum, de quo scriptum est: Loquebatur Deus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum.* A

Iob 42. 5. *Vidit Iob Dominum, qui dicit: Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.*

Isaiæ 6. *Vidit Isaias Dominum, qui ait: Anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.*

3. Reg. 22. 19. *Vidit Michæas Dominum, qui ait: Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris. Quid est ergo, quod tot testamenti veteris Patres Deum se vidisse testati sunt; & tamen de sapientia, quæ Deus est, dicitur: Abscondita est ab oculis omnium videntium: &* B

Iob 28. *Ioannes ait: Deum nemo vidit vnquam: nisi quod patenter datur intelligi; quia quandiu hic mortaliter viuitur, videri per quasdam imagines*

Ioan. 1. 18. *Deus potest; sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest: vt anima gratia spiritus afflata per figuras quasdam Deum videat; sed ad ipsam*

Patet Oseæ 12. 4. In Angelum, dicitur de Iacob. *vim Dei essentiæ non pertingat. Hinc est enim, quod Iacob, qui Deum se vidisse testatur, hunc non nisi in Angelo vidit. Hinc est, quod Moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquebatur,*

Exodi 33. *sicut loqui solet homo cum amico suo, ei inter ipsa verba suæ locutionis dicit: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè vt videam te. Certè si Deus non erat, cum quo loquebatur, Ostende mihi Deum diceret;* C *non ostende temetipsum. Si autem Deus erat, cum quo facie ad faciem loquebatur; cur petebat Deum videre, quem videbat? Sed ex hac etiam petitione colligitur; quia eum sitiebat per incircumscriptæ naturæ suæ claritatem cernere; quem iam cœperat per quasdam imagines videre; vt sic superna essentia mentis eius oculis adesset.*

158. Respondeo iuxtà Dionysij supra citatà verba de priuilegio Deum ante obitum videndi, *An aliis sit concessum quis nouit? De super mundissima Virgine non est dubitandum.* Fundamentum, quare non sit dubitandum præter D auctoritates supra citatas est; quòd valdè rationi congruum fuit, vt Beata Virgo, quæ post consensum Gabrieli Archangelo datum concipiendo incarnatum Verbum cœlestis beatitudinis nobis aditum reserauit; ipsa ante electos omnes cœlestis beatitudinis fruitionem prælibaret; & tamquam Dei primogenita cœlestis hæreditatis particeps fieret. Quare sicut optima ratio est negandi antiquos Patriarchas Deum clarè vidisse; eo quod clara Dei visio esset ante omnes Dei filio sub humana carne concedenda: ita etiam rationi consonum est; vt post filium, Dei filij mater quoad beatificam visionem aliis omnibus præferretur. Porrò, quod clara Dei visio aliis ante Christum Dominum, eiusque E sanctissimam matrem concessa non fuerit, benè à pari arguendo probari videtur ex S. Thoma, qui similiter propter Christi respectu aliorum prærogatiuam ante ipsius resurrectionem neminem ad immortalem vitam resurrexisse docet. *Ante immortalitatem carnis Christi resurgentis nullus adeptus fuit carnis immortalitatem*, ait 3. parte quæst. 27. art. 3. Et quamuis Matthæus cap. 27. num. 5. cum dixisset: *Iesus clamans voce magna emisit spiritum*: postea num. 27. dicat: *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*: nihilominus Origenes, Hieronymus, & Beda non nisi post Christi resurrectionem eos resurrexisse docent. Quare dicendum est, quan-

gloriæ: reuelante per fidem; si intelligamus præparata beneficia, & charismatum dona per Dei filij incarnationem, & Euangelicam legem iuxta Chrysostomum, Hieronymum, & Theophylactum in primam ad Corinth. 2. Seu per lumen gloriæ; si iuxta Tertullianum lib. de resurrectione carnis cap. 26. sanctum Cyprianum epist. 16. & sanctum Thomam prima ad Corinth. 2. præparata in æterna vita intelligamus. Porrò, quamuis Scotus in 4. distinct. 49. quæst. 8. & cum eo alij affirment naturaliter cognoscibilem esse possibilitatem Dei visionis: nihilominus vniuersaliter omnes conueniunt possibilitatem visionis beatificæ, qualis est in patria, per quam clarè sanctissimæ Trinitatis mysterium repræsentatur, nullum creatum intellectum naturalibus viribus cognoscere posse. Benè ergo dicere potuit Apostolus: *Nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Similiter de naturalibus viribus etiam intelligenda sunt Apostoli verba primo ad Timoth. 6 de Deo: *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest:* nullus enim, quamuis perfectissimus intellectus dari potest, cui connaturale sit nomen gloriæ, & beatifica visio, vt communiter Theologi docent. Præterea Dominicus Alset Louaniensis doctor de oculo corporeo Apostolum ibi locutum esse docet.

162. Dices transfigurati Domini claritatem in monte Thabor sanctus Thomas 3. part. quæst. 45. art. primo docet fuisse vnam ex quatuor dotibus glorioso Beatorum corpori attributis. Quod si art. sequenti idem sanctus Thomas ait; Claritatem illam fuisse quidem claritatem gloriæ, non autem corporis gloriosi claritatem; id dixit, non vt claritatem gloriæ, & gloriosi corporis claritatem in duas species distingueret; sed tantùm, vt significaret gloriosi corporis claritatem esse stabilem, & permanentem, qualis est ipsa beatitudo, cui conuenit. Talis autem claritas in Christo cessante transfiguratione non fuit. Claritatem illam non permanentem fuisse supernaturalem, docet Riccardus in 4. distinct. 49. art. 4 quæst. 6. & Suarius 3. parte quæst. 45. art. 4. sect. prima. De claritate eadem Damascenus oratione de transfiguratione ait: *Hodie Diuinæ naturæ radius in monte Thabor Apostolorum oculos perstringit.* Idem docet Nazianzenus oratione de fide prope finem: & Epiphanius hæresi 69. prope finem. Idem ab Ecclesia in eius solemnitatis hymno indicatur: *Illustre quiddam cernimus, quod nesciat finem pati. Sublime celsum, interminum, antiquius cælo, & Chao.* Talis ergo claritas non visa est ab Apostolis naturalibus viribus: & tamen cum eam Apostolis verè fuisse conspicuam asseruisset. Sanctus Leo, subdidit: *Nam illam ipsius Deitatis ineffabilem, & inaccessibilem visionem, quæ in æternam vitam mundis corde seruatur, nullo modo mortali adhuc carne circundati intueri poterant, & videre.* Ergo iuxtà sanctum Leonem Diuinitatis visio in hac vita absolutè, non autem solùm respectu naturalium virium impossibilis est dicenda.

S. Leo homil. de Transfiguratione.

163. Respondetur iuxtà ea, quæ diximus Dominica 2. Quadragesimæ ex sancto Thoma in distinct. 44. quæst. 2. art. 4. vbi ait: *Quidam dixerunt, quod claritas corporis gloriosi non potest videri à corpore non glorioso, nisi fortè per miraculum: sed hoc non potest dici, nisi claritas æquiuocè diceretur; quia lux secundùm id, quod est, nata est mouere visum: & visus secundùm id, quod est, natus est recipere lucem. Vnde si esset aliquis visus, qui*

A *non posset percipere aliquam lucem omninò; vel ille visus diceretur æquiuocè, vel illa lux; quod non potest in proposito dici. Et ideo dicendum est, quòd claritas corporis gloriosi naturaliter à corporeo oculo non glorioso videri potest. Dicendum ergo, quòd claritas gloriæ erit alterius generis, quàm claritas claritas naturæ quantùm ad causam, sed non quantum ad speciem. Vnde sicut claritas naturæ ratione suæ speciei est proportionata visui, ita claritas gloriosa.* Sed quia corporis gloriosi claritas, qualis fuit Christi Domini in Monte Thabor, fuit valde intensa; ideo subdit sanctus Doctor: *Claritas intensa non offendit visum, in quantum agit actione animæ; sed secundùm hoc magis delectat: offen-*
B *dit autem in quantum in agit actione naturæ calefaciendo, & dissoluendo organum visus, & disgregando spiritus: & ideo claritas corporis gloriosi, quamuis excedat claritatem solis; tamen de sui natura non offendit visum, sed mulcet: propter quod claritas illa comparatur claritati iaspidis. Apoc. 21.* Præterea Suarius 3. parte quæst. 44. art. quarto, sectione prima ait: *Mihi videtur claritas gloriæ non esse extra latitudinem obiecti visibilis; quamquam corruptibilis oculus propter imbecillitatem non possit fortasse in illam intendere; vt ideo verisimile sit confortatos fuisse discipulorum oculos, vt possent eam intueri.* Confortatio autem hæc fuit non eleuando oculos, cum illorum naturalis potentia esset ad videndum suf-
C ficiens; sed impediendo dissolutionem organi, & spirituum disgregationem ex magna lucis intensione alioqui causandam, vt supradixit sanctus Thomas. Et hæc oculi confortatio requiritur, eo quòd talis claritas magnam intensionem, & supernaturalitatem quamdam habeat. Qualis autem sit ista supernaturalitas indicat sanctus Thomas in tertio distinct. 16. quæst. 2. art. primo ad quartum dicens: *Claritas illa est alterius generis, quàm ista claritas naturalis; prouenit enim ex claritate spirituali animæ.* Quod autem non proueniat ex naturali temperie corporis, sed ex claritate spirituali animæ; hinc sequitur, quod sit alterius generis, quam claritas naturæ quantùm ad causam, non quantùm ad speciem, vt supra
D idem sanctus Doctor asseruit: & in 4. distinct. 44. quæst. 2. art. 4. prope finem id explicans ait: *Claritas corporis gloriosi prouenit ex merito voluntatis; & ideo voluntati subderur; vt secundum eius imperium videatur, vel non videatur.* Quare cum Damascenus transfigurati Domini claritatem diuinæ naturæ radium fuisse dixit; per huiusmodi verba, aliaque similia, quæ in sanctis Patribus reperiuntur, non aliud significatur, nisi quod per talem claritatem latens in Christo diuinitas se tamquam per signum manifestauerit. Et iuxtà hunc sensum Damascenus de Iuda à transfigurati Domini visione excluso ait: *Indignus erat, qui diuinitatem spectaret.* Ideo *signum perennis gloriæ* transfigurati Domini splendorem Ecclesia in hymno vocat:
E atque adeo in tali signo Apostolos vidisse *sublime, celsum, interminum, antiquius cælo, & chao, voluit indicare.*

Oratio. de Transfiguratione.

164. Ex dictis benè patet disparitas, quæ inter corporeæ claritatis visionem, & visionem Diuinitatis intercedit: illa enim à naturali animæ potentia corpori vnitæ videri potest; cum corporeus oculus talis obiecti debeat esse visiuus. Contra verò Diuinitas naturalibus viribus est omninò inuisibilis; cùm requiratur vt intellectus per lumen gloriæ, & obedientialem potentiam ad Diuinitatem intuendam eleuetur. Rursus cùm ad Deum videndum sola intellectiua

165. Respondet Augustinus tom. 2. epist. 112. cap. 15. ad supracitatum Exodi locum dicens: *Quomodo ipsa Dei essentia videri potuerit à quibusdam in hac vita positis, propter illud, quod dictum est ad Moysen: Nemo potest faciem meam videre, & viuere? Nisi quia potest humana mens diuinitus rapi ex hac vita ad Angelicam vitam, antequam per istam communem mortem carne soluatur. Sic enim raptus est ille, qui audiuit illic ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui: vbi vsque adeo facta est ab huius vitæ sensibus quædam intensioris auersio; vt siue in corpore, siue extra corpus fuerit; id est, vtrum sicut solet in vehementiori extasi mens ab hac vita in illam vitam fuerit alienata, manente corporis vinculo; an omnino resolutio facta fuerit, qualis in plena morte contingit, nescire se diceret. Ita sit, vt & illud verum sit, quod dictum est: Nemo potest faciem meam videre, & viuere: quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem, quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur; & non sit increabile quibusdam sanctis nondum ita defunctis, vt sepelienda corpora remanerent, etiam istam excellentiam reuelationis eius concessam fuisse. Quod existimo cogitasse illum* (nempe S. Ambrosium) *qui noluit dicere: Nec Apostoli Christum videbant: sed ait: Nec Apostoli omnes Christum videbant; credens quibusdam eorum Diuinitatis quoque ipsius visionem, de qua loquebatur, etiam tunc potuisse donari*: Hoc si Apostolorum alicui concedi potuisse cum Ambrosio asserit Augustinus; multò magis B. Virgini concessum fuisse dicendum est. Quod indicare videtur Cyprianus dicens: *Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria; quæ carnis, & mentis integritate insignis, spirituali, & corporali intus, & extra Christi præsentia fruebatur*: non semper tamen, sed diuini filij natiuitatis hora, de qua Cyprianus ibi loquitur. Sententia igitur Augustini est neminem posse videre Deum, & viuere: ita vt anima Deum clarè videns, vel omninò à corpore separanda sit; vel per æquiualentiam; scilicet sensuum, & phantasmatum, corporisque functiones alias in ea visione relinquendo. Quamuis enim Philosophus dicat: *Oportet intelligentem phantasmata speculari*: ad intellectiuam Dei visionem phantasmata nulla concurrunt; etiam si in mortali vita talis visio haberi supponatur.

Ambros. lib. in Luc. de Apparitione Angeli.

Cyprian. ser. de Natiuit.

166. Respondet præterea Gregor. 18. Mor. c. 38. *Sin verò à quibusdam potest in hac corruptibili carne viuentibus, sed tamen inæstimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri; hoc quoque à B. Iob sententiâ non abhorret, qui ait: Abscondita est ab oculis omnium viuentium; quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt; huic vitæ funditus moritur; ne iam eius amore teneatur: Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter viuit: quia nemo potest Deum simul amplecti, & seculum. Qui enim Deum videt, eò ipso moritur; quò vel intentione cordis, vel affectu operis ab huius vitæ delectationibus toto corde separatur. Vnde adhuc ad eumdem quoque Moysen dicitur: Non*

Iob 17. 21.

167. QVamuis omnia Deus summo ordine disposuerit: *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, ei dicitur Sap. 11. In
B B. Virginis tamen opificio, vt ei supra naturas omnes excellentiam communicaret: specialem, & præstantiorem ordinem adhibuit; hinc sanctissima Dei mater specialiter dicere potuit Prou. 8. *Ab æterno ordinata sum*; in æterna scilicet Dei cognitione, & prouidentia. Quamuis enim communi prouerbio dicatur: *Vbi multitudo, ibi confusio esse solet*; & quamuis in Deiparam gratiarum multitudo congerenda esset; & eidem communicandæ forent prærogatiuæ, & munera alioquin pugnantia; fuerunt tamen hæc omnia diuinitus ita inter se connexa, & coordinata in diuinis ideis, æternisque decretis; vt meritò dicere B. Virgo potuerit: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis. Per Mariam naturam omnem creator com-*
C *mutauit, & innouauit*, ait Damascenus: *Collectrix malè consonantium; coniunctrix iam olim disiunctorum*, à S. Germano Deipara appellatur: Eamdem *cœli, terræque mysterium* vocauit Epiphanius. Quare de ea dicere possumus: *Magnum mysterium: templum Dei factus est vterus nesciens virum: innouantur naturæ*. Quamuis ergo cum generatione ex Adamo gratiæ puritas repugnet; B. Virginis tamen generationem ita ab æterno Deus præordinauit; vt cum ea diuinæ gratiæ puritas simul locum haberet. Sed de hoc priuilegio iam diximus supra. Præter hoc autem nouo rerum ordine decem nouem alias prærogatiuas sanctissima Dei mater habuit.

Damasc. or. 1. de Nat. B. Virg. Epiphan. de laudibus Virginis. Ecclesia in Officio Circumcision. S. Germ. orat. de Præsent.

D 168. Primò in humana natura, iuxtà Apostoli testimonium: *Caro concupiscit aduersus spiritum; spiritus autem aduersus carnem; hæc enim sibi inuicem aduersantur*. In B. Virgine tamen ita Deus ista duo ordinauit; vt caro, seu concupiscentia perfectè spiritui subjiceretur: neque vnquam contra rationem non solùm mortali, sed nec leuissima veniali culpa rebellaret. Fomes ex S. Thoma 3. par. quæst. 27. art. 1. *Est habitualis inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, inclinans ad malum; vel difficultatem faciens in bono*. Addit S. Augustinus 8. Confessionum cap. 5. huiusmodi concupiscentiam, seu inordinatam inclinationem reperiri etiam non solùm in sensibili, sed etiam in
E rationali appetitu, nempe in voluntate; prout excitat appetitum excellentiæ, curiositatis, aliorumque similium. Vniuersaliter ergo huiusmodi fomitem in B. Virgine vel impeditum, vel sublatum fuisse, ne inordinatos motus rationi contrarios causaret, probat S. Thomas loco citato: *Virgo immaculata nullis terrenis inquinata est affectibus*, ait Damascenus orat. 2. de dormit. B. Virg. & quia huiusmodi concupiscentiæ fomes ex originali peccato prouenit, S. Bernardinus ait: *Virgo Maria sine tyranno concupiscentiæ fuit, quia sine eo concepta*. Ex quo deducitur B. Virginem in nullam vnquam vel leuissimam culpam incurrisse. Ideo Bernardus epist. 174. ait: *Ego*

Ad Galat. 5. 17. Irritamenta fomitis, & inordinatæ concupiscentiæ B. Virgo fuit expers.

Concupiscentia inordinata non in sensibili solùm, sed etiam in rationali appetitu reperitur.

B. Virginis appetitus nunquam contra rectam rationem rebellauit.

supra.

B. V. nulli vel leui illitæ culpæ fuit obnoxia.

*puto quòd copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit; quæ ipsius non solùm sanctificauerit ortum; sed & vitam ab omni peccato deinceps custodierit immunem.* Damascenus supra citatus Deiparæ animam ab omni reprehensione alienam fuisse asserit. Tandem Tridentinum sess. 6. cap. 2. statuit: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare; nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

169. De Deo rerum omnium opifice B. Virgo ait Prou. 8. *Quando præparabat cælos aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyssos.* Vbi per abyssos elementa cœli gyro conclusa significari benè censet Iansenius: Quo etiam significatu dictum est Genes. 1. *Tenebræ erant super faciem abyssi:* hoc est super aquas terram operientes. Cum ergo inferiorem orbem continentem elementa, aliaque ex elementis composita corruptioni, & vicissitudini obnoxia Deus conderet; eaque cœli gyro concluderet, & certo ordine, & lege disponeret; tunc præcipuè diuinæ menti B. Virgo obuersabatur. Nam, vt ait Bernardus: *Dominus altissimus Mariam quasi mundum specialissimum creauit;* mysticus ergo hic, & præstantissimus mundus, licet non in cœlo, sed in inferiori orbe creandus; eximendus tamen erat à corruptione, & vicissitudinibus, quibus inferior orbis subiacet: propterea diuinæ menti, à qua talis prærogatiua B. Virgini præparabatur, ea tunc specialiter adfuisse dicitur. Inferior orbis ex accessu, & recessu solis, vicissitudines diei, & noctis, æstatis, & hyemis experitur. Sed diuinus iustitiæ Sol, cum à B. Virgine numquam recessurus esset; consequenter in ea semper diuinæ gratiæ dies, numquam peccati nox, semper feruentissimæ charitatis æstas, numquam hyemales peccati procellæ locum habere debuerant. Quare ad stabilem diuini Solis in B. Virgine stationem significandam, de ea iuxtà Damascenum, Athanas. Hieron. Methodium, Thomam Aquin. & Hugonem dicitur Psalm. 45. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio eius non commouebitur.* Propter quam etiam stabilem Dei in B. Virgine mansionem iuxtà Hieronymum, ei ab Angelo dictum est: *Ne timeas Maria:* hoc est, ne Virginei corporis, animæque labem timeas: ne diuini Solis recessum; ne noctis vicissitudines metuas; cum in te semper diuinæ lucis dies radiare debeat. De Christo Domino æternus Pater Psalm 88 dixit: *Ponam thronum eius sicut dies cæli.* Christi Domini thronus B. Virgo fuit: Thronus mystici Salomonis iuxtà B. Petrum Damianum; *thronus verè regius, thronus gloriosus, thronus sanctus,* ait Chrysippus. Huius beatissimi throni dies non fuerunt sicut inferioris nostri orbis dies, quibus nox superuenit; sed sicut dies cœli. *Diem cæli nox omnino non sequitur: semper enim dies cæli splendet, lucet, & fulget; neque aliqua potest obscuritate concludi,* ait Ambrosius. Tales B. Virginis dies fuerunt, corruptionis, & peccati noctem non habentes. Propterea Deus, cum certa lege, & gyro vallabat abyssos; cum scilicet inferiorem mortalium orbem certa lege dierum, & noctium inuicem succedentium sub cœli gyro concluderet; in B. Virginem diuinos oculos intendit; cuius animam à simili vicissitudine obscuritatis, & lucis per diuini Solis perpetuam illustrationem planè liberam esse voluit.

Ser. de B. Virg. Maria.

Damasc. in Car. Athan. tract. de Deipara Method. in homil. reliqui in Psal. 41.

Lucæ c. 1.

Dam. ser. 1. de Natiu. B. V. Chrysip. or. de B. V.

Ambr. ser. 51.

170. Præterea eodem Prouerb. cap. 8. diuinæ menti præsentem se fuisse B. Virgo testatur: *Quando æthera firmabat sursum;* vbi quia æther ἀπὸ τοῦ αἴθειν, id est flagrare dicitur; benè cum Lyrano Iansenius ætheris nomine ignis elementum significari docet. Cum ergo elementaris ignis sphæram Deus conderet, in B. Virginem inspexit. Sicut enim ignis elementum lunari quidem cœlo proximè supponitur, & quamuis elementum maximè actiuum sit; nihilominus circa proximum lunare cœlum nihil actiuitatis habet: ita quamuis humanæ naturæ proximus, vel etiam intimus concupiscentiæ ignis sit; nihilominus circa B. Virginem per inordinatos affectus vim nullam habuit: vt propterea Cant. 6. 9. Deipara *pulchra vt luna* esse dicatur: cùm ei nihil vnquam spiritualis pulchritudinis ex humanæ concupiscentiæ ardore fuerit imminutum.

B. V. cur lunæ comparetur.

171. Secundò, perpetua Virginitas maternitatem excludit: diuina tamen omnipotentia has inuicem ita ab æterno subordinare statuit; vt in sanctissima Dei matre maternitas virginalem puritatem nihil omninò læderet; nec virginitas fœcunditatem excluderet. August. serm. 9. de Natiu. *O miracula, ô prodigia! naturæ iura mutantur; in homine Deus nascitur: Virgo sine viro grauidatur: viri nesciam sermo Dei maritat: simul facta est mater, & Virgo: mater facta, sed incorrupta: Virgo habens filium, nesciens virum: semper clausa, sed non infœcunda.* Idem Augustinus tom. 9. de symbolo lib. 15. 4. *Virginis filius, & Virginum sponsus attulit matri fœcunditatem, sed non abstulit integritatem.*

B. V. fœcunda simul, & virgo

172. Tertiò, Corpus ex quatuor contrarijs qualitatibus, & humoribus conflatum cum complexione ab omni languore, & morbo libera repugnat: hæc tamen duo nouo naturæ ordine Deus in B. Virgine concordem nexum habere ab æterno decreuit. Quare Galatinus de B. Virginis excellentia, & prærogatiuis disserens, addit: *Vnde nec legimus eam aliquando ægrotasse, aut aliquo dolore laborasse.* Similiter Caietanus ait: *Dissonat quidem rationi B. Virginem ægritudinem aliquam passam fuisse: tum quia similis debeat credi filio per omnia quantùm fas est; de filio autem docent S. Chrysostomus, & S. Thomas, quòd non fuisset conueniens ipsum aliquo morbo languescere: tum quia hoc præstitum videtur fuisse Ioanni Euangelistæ, dicente Hieronymo in prologo Euangelij eiusdem Ioannis; quòd appositus est ad Patres nostros tam extraneus à dolore mortis, quàm à corruptione carnis inuenitur alienus.*

Galatin. l. c. 10.

B. V. nulli corporali morbo obnoxia

Caietan in opuscul. tom. 2. tract. 13.

173. Quartò Partus, & dolor ita naturaliter inter se coordinantur, vt hîc illum semper præcedat, & comitetur. At in Deipara mutato naturæ ordine dolor nullus partum præcessit, nec cum partu fuit; sed potius summum gaudium, & spiritualis voluptas. Quod ex sacra scriptura, & ratione Nyssenus probat dicens: *Ab Isaia edoctus es de innupta matre; de carne carente Patre; de parturitione doloris experte; de partu non inquinato, sic dicente Propheta: Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuël, quod est Nobiscum Deus. Quod autem absque dolore parturitio fuerit, primùm quidem ipsa te veri similitudo doceat. Quandoquidem omnis voluptas,* (carnalis scilicet ex carnali copula prouenniens) *coniunctum habet dolorem; omninò necesse est in ijs, quæ coniunctim considerantur, non extante vno, nec alterum quidem esse. Vbi igitur voluptas partum non antecessit, nec dolor quidem subsecutus est. Deinde verò Propheta quoque dictio sermonem confirmat, ita se habens: Priusquam venisset, dolorem parturitionis sua effugit, & peperit masculum; aut quemadmodum alius Interpretum dicit: Priusquam laboraret ex do-*

B. V. à partus dolore planè libera.

Orat. 1. de resurrectione. Deiparam Nyssenus innuptam vocat in ordine ad partum, non autem excludendo castum Iosephi coniugium.

B. V. dicitur innupta in ordine ad partũ, non excludendo purissimum Iosephi coniugium.

Isai. c. 7.

Isa. 66.

*loribus partus*, peperit. Similiter Cyprianus ait: *Genitrix est obstetrix, & deuotam dilectæ soboli exhibet clientelam: attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam; totum negotium plenum gaudio; nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio: nec locus ibi erat lauacris, quæ solent puerperis præparari; quippe nec aliqua naturæ iniuria Matrem Domini læserat; quoniam sine tormento peperit, quæ in Conceptione carnis voluptate caruit. Vltrò maturus ab arbore baiula fructus elapsus est; nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat. Nihil in hoc repetijt vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetijt pœnarum vsuram*. Similiter Petrus Damiani ait: *Quæ sine contaminatione concepit, & sine dolore filium procreauit: non secutus est dolor partum; quia non præcessit libido conceptum: dictum namque fuerat: Ecce in dolore paries filios. Quæ sententia in alijs matribus viguit; in Maria verò modum sui iuris amisit. Quæ enim Virgo permansit concipiendo, dolorem sentire non potuit pariendo.*

Cypr. ser. de Natiuit.

Damian. ser. 3. de Natiuit.

Gen. 3.

174. Dices: Eusebius iuxta communissimam sacrorum interpretum sententiam probat Psalmum 21. sine controuersia ad alium nullum referri posse, quàm ad Christum. In hoc ergo Psalmo Christus Dominus de sua in carne natiuitate loquens iuxtà Cyrillum Ierosolymitanum ad æternum Patrem ait: *Tu es, qui extraxisti me de ventre*: seu vt Tertullianus legit: *Tu es, qui euulsisti me ex vtero matris meæ*. Extractio autem, & euulsio, renitente vteri claustro, violentiam quamdam, atque adeo dolorem importare videtur. Respondetur, extrahendi verbum in eo Psalmo vsurpari, non ad significandam violentiam afferentem dolorem; sed ad significandam extraordinariam, supernaturalem, diuinamque vim, qua opus fuit, vt nullatenus violato virginali claustro per miraculosam penetrationem foras diuinus partus educeretur. Quare diuinitus vis quidem illata est naturæ ordini, non vtero virginali. Nam, vt Euthymius ait: *Progressio fœtus supra naturam extitit: ipsa scilicet diuina vi fœtum extrahente, & virgineis claustris nullatenus apertis*. Quare apud Eusebium Christus Dominus ita æternum Patrem alloquitur: *Ex parturientis vtero me, tu ipse Deus meus, & Pater meus, tamquam obstetricis fungens officio, pro ea, quæ mihi de Spiritu sancto comparata erat, carne, extraxisti*. Ex quo quanta B. Virginis dignitas fuerit, habetur; cùm in diuini filij partu obstetricis munus ipsa B. Virgo, & æternus Pater simul partiti fuerint. *Nulla ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit: ipsa pannis inuoluit infantem; ipsa est mater, & obstetrix fuit*, ait Hieronymus. Porrò Arias Montanus docet extrahendi verbum Hebraicè quietem magnam significare: ideo ex Hebræo in eo psalmi loco ipse legit; *Tu es quies mea*. Potest enim in Hebræo radix esse נחה nachach significans deducere placidè, & sensim; ita vt dolor nullus in huiusmodi extractione, seu deductione interueniat.

Cyrill. cathech. 11.

B. Virginis partientis sine dolore ex vtero quomodo extractum, seu euulsum Dominus dixerit: Idem n. 175. 176.

Tertull. l. de Carne Christi, c. 20.

Euseb. l. 10 Demonstrat. c. 8.

B. Virginis in partu obstetricis munus æternus Pater simul & ipsa B. Virgo præstitit.

Hieron. cont. Heluid. c. 4.

175. Respondetur secundò, cùm Christus Dominus iucundissima quiete in virginali matris vtero, tamquam in animato paradiso frueretur; vt propterea Deiparam *Thalamum, in quo potentissimus requieuit*, Ioan. Geometra vocet: & ipsa B. Virgo de se testetur: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*: ideo æternum Verbum incarnatum dixit se ex vtero materno extractum; eo quòd inde exiens iucundissimam quietis sedem deserere, & huius mortalis vitæ ærumnas subire debebat. Hinc benè S. Ambrosius serm. 28. ait: *Sinus Christi erat in Deo Patre* Diuinitas, *in*

In cap. 1. Luc.

Eccl. 24. 12.

*strum salutem B. Virgo peperit.* Sicut in partu sanctissimi filij decens fuit, vt ab omni planè dolore eximeretur; ita è contrario, cum inimicos peccatores Deo pareret, Deiparam oportuit ingenti dolori subjici, qui scilicet peccatorum partui conueniret. Huius tamen tam ingentis doloris vim, vt Sancti Patres testantur, summa constantia B. Virgo pertulit; ita vt maius miraculum fuerit tam acerbo dolore Deiparæ cor non diuidi, quàm durissimos lapides in Domini passione scindi. De hac Virginis constantia S. Anselmus ait; *Stabat Maria in fide Iesu constantissima, & patientissima. Nam discipulis fugientibus, cunctisque viris recedentibus, in gloriam totius fœminei sexus, inter tot pressuras filij sui, constanter ipsa sola stabat in fide Iesu firma; & pulchre stabat, vt decet pudicitiam Virginalem: non se laniebat in tanta amaritudine; non maledicebat, non murmurabat; nec vindictam hostium à Deo petebat; sed stabat disciplinata verecunda Virgo patientissima, lacrymis plena, doloribus immersa.* Similiter Ambrosius ait; *Stabat ante crucem mater, & fugientibus viris stabat intrepida. Videte vtrum pudorem mutare potuerit mater Iesu, quæ animam non mutauit. Spectabat pijs oculis filij vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem; pendebat in cruce filius, mater se persecutoribus offerebat. Non ignara fuit mysterij, quòd genuisset resurrecturum.* Cùm igitur in acerbissimo dolore inordinatum animum B. Virgo numquam ostenderit, benè dicere potuit singulari Dei prouidentia. *Ab æterno ordinata sum.* Propterea etiam potuit Cant. 2. dicere de diuina prouidentia; *Ordinauit in me charitatem.* Quare apud Rupertum B. Virgo ait; *Iam dudum docuerat me charitatis ordinem; vt dolorem quidem, & iusti doloris gladium in mente, vel anima portarem: non tamen auerti Dei propositum cuperem, prouenturum ipsi ad gloriam, & honorem, & humano generi ad perpetuam salutem.* De B. Virginis imperturbata constantia in sanctissimi filij passione benè disserit Caietanus tomo 2. opusc. vltimo.

(Ser. in Euang. Stabat iuxta crucem. — Ioan. c. 19. — Lib. de institut. Virg. c. 7.)

178. Ad ostendendam Dei potentiam in cœli creatione Iob. 9. dixit; *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas.* Vbi benè Gregorius ait; *Iuxta litteram non mirum aliquid dicitur, quòd Deus Arcturum, Oriona, & Hyadas fecit; de quo nimirum constat, quia omninò in mundo nihil sit, quod ipse non fecerit. Sed sanctus vir hæc fecisse Deum dicit, per quæ signari propriè ea, quæ spiritualiter geruntur, intelligit; Arcturus semper versatur, & numquam mergitur; quia & sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat; sed tamen vsque ad mundi terminum sine defectu perdurat.* Similiter B. Virginis summa constantia in sanctissimi filij cruciatibus, intensissimi doloris fluctibus obrui non est visa; eiusdem etiam fides semper lucida, nullis vnquam ambiguitatis vndis fuit obnoxia. Ad id insinuandum quæritur à sacris interpretibus, cur B. Virgo sanctissimi filij amantissima, eiusque obsequio addictissima, ad tumulatum filij corpus aromatibus vngendum vnà cum alijs pijs mulieribus iuisse non legatur? Respondet Bernardus lib. de passione Domini cap. 2. *Propterea Mater, quæ plus habuit pietatis, cum alijs ad vngendum non venit corpus Christi sepultum; quia frustrà putabat eum vngi, quem resurrecturum sciebat.* Idem docet Metaphrastes orat. de vita & dormitione Deiparæ. Quarè ambigentibus alijs de Christi Domini resurrectione, B. Virginis fides incertitudinis fluctua-

(B. V. propter crucem patiens, & pene exanimis mansit. — B. Virgo cur ad sanctum filij corpus in tumulo vngendum cum pijs mulieribus non iuerit.)

tioni nulli subiacuit. Cùm ergo Deus cœlos præpararet, & in eorum orbe inter stellas reliquas Arcturum accenderet; in B. Virginem inspexit, quæ Arcturi instar numquam mergi, semperque in mystico Ecclesiæ cœlo splendere debebat; ita vt propterea benè de se Deipara dixerit Prouer. 8. *Quando præparabat cœlos, aderam.*

179. Sextò, noto martyrij genere præter consuetum ordinem B. Virgo sine nece, sine sanguinis effusione, inflicta à carnifice, adhuc viuens martyr fuit; & post obitum martyrum aureolam est consecuta. Testatur id Sophronius dicens: *Alij sancti, & si passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima, quia immortalis est, pati non potuerunt. Beata verò Dei genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur; ideo, vt ita fatear, quia spiritualiter & caro eius passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit. Vnde constat, quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit; in tantum, vt animam eius totam pertransiret, & possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis. Quæ quia mente passa est, plusquam martyr fuit; nimirum, quod dilectio eius amplius fortis, quam mors fuit; quia mortem Christi suam fecit.* Similiter S. Ildelphonsus de B. Virgine ait: *Candidior inter Martyres; quia, & si illi martyrio coronati dealbauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni; nihilominus hæc Beata, & venerabilis Virgo candidior dignè prædicatur; eò quod & si corpora martyrum pro Domino supplicia pertulerunt; nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima passa, teste Domino, comprobatur; ait enim Simeon, vel Dominus ad eam: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quod si gladius vsque ad animam peruenit, quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis, cùm videris Dominum pendentem, etiam plusquam martyr fuit: quia in anima non minus amoris, quàm mœroris est intus gladio vulnerata: parata enim stetit, si non deesset manus percussoris.* S. Anselmus lib. de Excellentia B. Virginis sic eam alloquitur: *Verè pertransiuit animam tuam gladius doloris; qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cuiusuis corporis. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leue fuit; aut potius nihil comparatione tuæ passionis; quæ nimirum sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima.* Concauum speculum è regione in solis conspectu positum, quia solares radios vndique diffusos suo in centro vnitos excipit, vehementissimum, igneumque calorem concipit. *Cor Virginis clarissimum passionis Christi speculum effectum erat,* ait B. Laurentius Iustinianus. Cruciatus ergo omnes per diuersas Domini corporis partes diffusi, in sanctissimæ matris corde, veluti medio in speculo vniti, eam vehementissimo dolore cruciarunt, martyremque amoris, dolorisque reddiderunt. S. Anselmus quàm ingens Beatæ Virginis amor in filium fuerit ex eo colligit; quod in filios alios, quippe ex patre, & matre generatos ambo parentes sibi amorem partiantur; secus verò B. Virgo, cum sanctissimum filium sine patre generauerit, totum sibi in filium amorem vendicat. *Sicut, inquit, alij filij nascuntur ex patre, & matre; ita filius natus est ex ea sola matre. Excedit itaque omnes amores parentum in filios amor istius matris in filium suum.* Similiter verè dici potest, omnium reliquarum matrum dolores in filiorum morte dolentium dolorem B. Virginis superasse, ex hoc etiam capite, quòd patrem, cum quo dolorem partiretur, non haberet: cum æternus Christi Pater doloris incapax sit; & ipse putatiuus pater S. Ioseph

(B. V. sine sanguinis effusione martyr, martyrum aureolà meruit. — Sophron. de Assumptione B. M. — Serm. 1. de Assumptione. Apoc. c. 7. 14. — Lucæ 2. — Anselm. de Excellentia B. V. c. 4. — Lib. de triumphali Christi agone c. 23. — B. Virginis in corde veluti in speculo filij cruciatus omnes vniti amore. — B. Virginis in filium summus amor, quod cum creato patre amorem non diuideret. Similiter in filij passione summus dolor, quod dolorem cum patre non diuiserit.)

Oriona, ait: *Post Arcturum protinus Orionas subdit. Oriones quippe in ipso pondere temporis hyemali oriuntur. Quid igitur post Arcturum per Orionas, nisi Martyres designantur? Qui dum sanctam Ecclesiam ad statum prædicationis erigunt, pondus persequentium, molestiasque passuri ad cæli faciem, quasi in hyeme venerunt. Orionas ergo cælum edidit, cum sancta Ecclesia Martyres misit.* Cum ergo B. Virgo in Christi Domini passione verè martyr fuerit; hinc bene sequitur per Orionis sidus hyemali tempore inter tempestates assurgens B. Virginem figurari. Quare cum Deus cœlos præpararet, & in eorum orbe Orionem accenderet, præcipuè B. Virgo diuinæ menti præsens fuit: quippe quæ in Dominicæ passionis tempestate veluti mysticus Orion, & Martyrum Regina eximiæ charitatis, & claritatis fulgorem emittere debebat: ideoque de se verè Deipara dixit: *Quando præparabat cælos aderam.*

180. Septimò B. Virgo nouo sacrificij genere, & ordine simul sacerdos, & victima fuit. Offerendo enim in holocaustum æterno Patri pro generis humani redemptione sanctissimum filium, seipsam, suamque carnem in crucis ara immolandam obtulit: *Caro enim Iesu caro est Mariæ*; vt apud Augustinum legitur. Quare B. Petrus Damiani serm. 1. de natiuit. S. M. cùm docuisset Deum tribus modis esse in creaturis, nempe per essentiam, potentiam, & illuminationem, ait: *Quarto modo inest vni creaturæ, videlicet Virgini Mariæ, identitate; quia idem est, quod ipsa*: cum scilicet ex ea carnem susceperit. Ideo *Coadjutrix Christi in passione, & redemptione humani generis* Deipara dicitur iuxtà Richardum à S. Laurentio lib. 2. part. 184. Ideo etiam altare animatum B. Virginem vocat S. Methodius orat. in Hypap. quòd exteriùs in Crucis ara, interiùs suo in corde velut in animato altari sanctissimum filium æterno Patri in sacrificium obtulerit. Fuit ergo B. V. in tam admirabili sacrificio, simul sacerdos, victima & altare.

B. V. in filij passione sacerdos simul, & victima.

Caro Iesu caro Mariæ. Aug. ill. tom. 9. de Assumpt. B. V. a Deo est in ea Aug. ... B. V. coadiutrix Christi in passione & redemptione.

181. Octauò Quamuis mulierem magisterij, & doctoris officio fungi prohibeatur iuxtà Apostolum: *Docere mulieri non permitto*: nihilominus in B. Virgine nouo ordine cum muliebri sexu magisterium, doctorisque munus vniri Deus voluit. Atque hinc non immeritò diuinitus ei inditum fuit Mariæ nomen, quod Hebraicè *Magistram*, vel, vt S. Isidorus ait *Illuminatricem* significat. Quare S. Ignatius Martyr epist. 1. Deiparam *nostræ religionis magistram* vocat. Sapiens Idiota lib. contemplationis de V. M. cap. 3 ait: *O Beatissima Virgo Maria, doctrix fuisti doctorum, & magistra Apostolorum; unde & B. Lucas, cui inter ceteros Euangelistas descriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur, Euangelij seriem à te Virgine Maria didicisse traditur.* S. Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 7. ait: *Erat vtilis, & necessaria fidei nostræ conuersatio Virginis, post ascensum Domini, inter Apostolos eius: quia licet ipsi per reuelationem Spiritus sancti edocti in omnem fuerint veritatem; incomparabiliter tamen eminentius, & manifestius ipsa per eum*

1. Ad Tim. 2.

B. V. magistra ... B. V. Apostolorum magistra.

ginis encomia eximium quidem est, quod illi hic tribuit Rupertus. Nam æternum Verbum sibi, & æterno Patri, à quo generatur, verbum est: Spiritus sanctus nec Verbum est, nec Verbum producit; sed vt in terris verbum, & vocem haberet, B. Virginem elegit; quæ illi verbum, & vox foret: hinc *Vox Virginis vox fuit Spiritus sancti*, ait Rupertus. Quare ex hoc etiam capire benè pronunciare Hesychius potuit: *B. Virgo totius Trinitatis complementum habebat*: complementum quidem extrinsecum, sed eximium; sanctoque Spiritui iucundissimum. Idem Rupertus in caput 2. Matth. ait: *Maria conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Tempus tacendi, ait Salomon, & tempus loquendi. Discretionem huiusmodi Virgo sapiens, & prudens non ignorauit. Quamdiu filius hominis manere debuit minoratus paulo minus ab Angelis Fere tamdiu fuit B. Virgini tempus tacendi & tamdiu tacuit, & tamdiu in silentio fuit, velut hortus conclusus. Vbi autem gloria, & honore coronatus est filius hominis resurgendo, & in cœlum ascendendo, vbi sedet ad dexteram Patris, ex tunc B. Virgini fuit tempus loquendi; & hoc amicis, id est S. Apostolis; & talia loquendi, qualia prius portare non potuissent. Quod sciens ipse filius hominis dixerat quodam loco; Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Vbi venit spiritus veritatis, primus quidem, & Princeps, ipse illos omnem veritatem docuit: sed & ipsa B. Virgo testimonium suæ vocis attribuit: & taliter locuta est auribus fidelibus; vt proinde rectè dicat Dilectus eius Deus; Fauus distillans labia tua: mel, & lac sub lingua tua; emissiones tua paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.* Quàm benè B. Virginis sermo Paradisus, seu pomarium malorum punicorum, cum pomorum fructibus dicitur! Mala punica hoc singulare habent, vt ipse floris calix, seu folliculus non decidat, sed in fructum euadat. Similiter Beatæ Virginis sermo talis erat, vt verborum iucunditate bonorum operum fructus in auditorum animis gigneret. Hinc benè de se pronunciauit: *Flores mei fructus honoris, & honestatis.*

totius Trinitatis complementum habuisse dicatur.

Hesych. to. 2. Biblioth. PP.

Lucæ 2. 19. Ecclesiastæ c. 3. 7.

Psal. 8.

Cant. 4.

Ioan. 16.

Cant. 4.

B. Virginis sermo est Paradisus malorum punicorum.

Ecclesi. 24. 23.

182. Rupertus in Ioannis Euangelistæ encomium distinguit in Dei filio esse intelligibile, & visibile: esse visibile à sanctissima matre accepisse docet, esse verò intelligibile à Ioanne: *Qui, inquit, de corde suo Verbum bonum eructauit in vterum Virginis, vt Deus inuisibilis visibilis fieret: ipse castis complexibus suis dilecti Ioannis animam eodem Verbo grauidauit; vt Verbum ineffabile per vocem, litteramque eius audibile, & intelligibile procederet.* Ioannes enim mirificam æterni Verbi notitiam humanis animis indidit dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. & Deus erat Verbum*, &c. Sed si veritatem benè inspiciamus, Beatam Virginem æterno Verbo incarnato vtrumque esse dedisse reperiemus: esse quidem visibile, cum ipsum Dei filium suo in vtero humana carne induit; esse verò intelligibile, cum eius arcana mysteria alijs, & præcipuè Ioanni clarius manifesta reddidit. Quare S. Ambrosius de Deipara ait: *Ioanni Euangelistæ est tradita; vnde non*

Rupert. in Ioan. lib. ...

B. Virginis ex vtero Christo Domino esse visibile, ex eiusdem magisterio esse intelligibile ...

Ioan. 1.

Ambros. de Institut. Virg. cap. 7.

*mirum præ cæteris locutum mysteria diuina, cui præsto erat aula cœlestium sacramentorum.* Similiter S. Bernardus de B. Virgine testatur: *Ita tum ab Angelo Gabriele, tum à Christo filio in sacris litteris est edocta; vt rerum Euangelicarum tempus, & ordinem tenens, melius postmodum Scriptoribus, & prædicatoribus Euangelij veritatem reseraret; quæ plene de omnibus à principio cœlitus fuerat instructa mysterijs.* Ex dictis patet B. Virginem inter prærogatiuas reliquas Doctoris aureolam in cœlesti patria esse consecutam. *Veritatem fidei in alijs diffundere, huic actui debetur Doctorum aureola*, ait S. Thomas in 4. distinct. 49. quæstione 5. artic. 5. in corpore. Veritatem autem fidei in alios à Beata Virgine fuisse diffusam, iam supra vidimus.

Bernard hom. 4. super Missus est.

B. V. Apostolos fidelesque docendo Doctoris aureolā est consecuta: Idem n. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 194.

183. Ex dictis patet, quàm benè suam in diuina mente ideam fuisse B. Virgo testetur Prou. 8. quando Deus conditor *Adhuc terram non fecerat; & flumina, & cardines orbis terræ.* Quatuor orbis terræ cardines, quatuor sanctæ Ecclesiæ Euangelistas mysticè significant. Ante hos B. Virgo in mente diuina fuit; quia ab ea, tamquam à fonte Euangelicæ historiæ series, & doctrina in ipsos Euangelistas deriuanda erat. Ideo S. Ildelfonsus sermone 2. de Assumptione B. Virginem Euangelistam appellat. Præterea 1. Reg. 2. vbi dicitur: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*, Gregorius ait: *Super cardines terræ Deus orbem posuit; quia Prædicatores ad hoc sanctæ Ecclesiæ proponuntur, vt eorum infirmitatem releuent, & debiles quosque ad cœlestem patriam, velut superimpositum onus portent.* Euangelicæ autem legis Prædicatores vnde annunciandi diuinum verbum, & sacræ nostræ fidei mysteria explicandi lumen habuerint, benè docet Eusebius Emissenus serm. de Natali Domini: *O mater sapientissima; ô sola talis filij dignissima; quæ omnia verba in corde suo ideo conferebas, nobisque conseruabas, & memoriæ commendabas: vt postea ipsa docente, ipsa narrante, & nunciante scriberentur; & in vniuerso mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nunciarentur.* Propterea ergo in mente diuina *ante cardines orbis terræ* concepta Deipara dicitur.

B. Virgo Euangelistæ titulum meruit.

184. S. Gregorius explicans supra citata verba Iob 9. *Qui facit Arcturum, Oriona, & Hyadas*, ait: *Qui post Orionas, Hyadum nomine, nisi Doctores S. Ecclesiæ designantur? Qui subductis martyribus, eo iam tempore ad mundi notitiam venerunt, quo fides clarius elucet; & repressa infidelitatis hyeme altius per corda fidelium sol veritatis calet: qui remota tempestate persecutionis; expletis longis noctibus infidelitatis, tunc sanctæ Ecclesiæ orti sunt; cum ei iam per credulitatis vernum lucidior annus aperitur. Græco eloquio hyetos pluuia vocatur; & Hyades nomen à pluuijs acceperunt, quia ortæ proculdubio imbres ferunt. Benè ergo Hyadum appellatione expressi sunt, qui ad statum vniuersalis Ecclesiæ, quasi in cœli faciem deducti, sanctæ prædicationis imbres fuderunt. Si enim prædicationis sermo pluuia non esset, Moyses minimè dixisset: Expectetur sicut pluuia eloquium meum.* Cùm ergo S. Ignatius martyr B. Virginem *nostræ religionis magistram* vocet: Rupertus, *Magistram religionis, & fidei*: & *Magistram magistrorum.* Augustinus sermone 6. de tempore *Magistram Gentium.* Iustinus sermone de Natiuit. B. Mariæ *Magistram virtutum*: Cum denique B. Laurentius Iustinianus sermone de Annunciat. dicat: *Maria fide docuit Gentes, vitiisque finem imposuit; humanæ vitæ instituit ordinem, atque spiritualem edidit moribus disciplinam*: hinc est, vt cum Creator Deus cœlos præparet; in ijsque Hyadas imbribus terras fœcundantes splendere iussisset; in B. Virginem præcipuè diuinæ mentis aciem intenderet; quippe quæ veluti vniuersalis Ecclesiæ magistra Euangelicæ doctrinæ imbribus fidelium cordibus, Hyadum instar, cœlestem fœcunditatem allatura erat: & propterea benè Deipara ait: *Quando præparabat cœlos, aderam.*

Deut. 32.

S. Ignat. ep. 1.

Rupert. in Cant. c. 1. & 4. & in Matth. c. 1.

August. ser. 6. de tempore.

185. Sed quid dum Deiparæ prærogatiuas enumeramus, inter stellas, minoresque cœli faces immoramur? Cum cœlos Deus præpararet, & ad eos illuminandos Solem irradiare statueret; tunc præcipuè in Beatam Virginem inspexit, quæ ad fidelium mentes illuminandas Solis instar futura erat. Quare Hieronymus explicans Psalm. 18. verba: *In sole posuit tabernaculum suum*, ait: *In sole, in vtero S. Mariæ Virginis sol iustitiæ Dominus, vt ait Propheta: Orietur vobis sol iustitiæ, qui est Christus. Illuminauit sol iste stellam, id est Mariam; vt esset sicut sol. Ideo posuit tabernaculum suum in sole, quando corpus assumpsit de vtero suo.* S. Thom. 3. par. quæst. 45. artic. 1. ad ostendendum in benè ordinatis operibus finis intentionem debere præcedere, similitudinem addit dicens: *Sicut sagittator non rectè iaciet sagittam, nisi prius signum conspexit, in quod iaciendum est.* Hoc posito, Andreas Cretensis Episcopus sermone de Assumptione, de Deipara ait: *Hic est scopus, qui excogitatus est ante secula*: Omnem ergo cœli ornatum, cœlique luminaria cùm Deus præpararet, ea ad B. Virginem, tamquam ad scopum direxit [illegible], quicquid in cœlis pulchritudinis foret, quicquid claritatis, velut adumbratio, & rudimentum quoddam foret pulchritudinis, & claritatis B. Virgini communicandæ. Benè ergo cum Deus præparabat cœlos, aderat, tamquam scopus, ad quem Deus cœlestium ornatum orbium dirigebat.

Malach. 4.

186. Cœlorum nomine Hieronymus, Augustinus, Gregorius, & alij mysticè Apostolos intelligunt, de quibus dicitur Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei. Cœli, id est Apostoli conscij secretorum*, ait Hugo Card. *Sicut cœlum, quia cœlat secreta Dei, dicitur cœlum; sic isti. Quæ tamen secreta reuelata sunt eis? Ioan. 15. Quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Hi cœli enarrant gloriam Dei, nempe potentiam, sapientiam, & bonitatem Dei. Cùm ergo mysticos cœlos, hoc est Apostolos præpararet; per quos Dei gloria, & in humanum genus beneficentia in Euangelica lege erat enarranda; tunc potissimùm diuinæ menti B. Virgo præsens erat; quippe quæ Apostolos ad Apostolicum munus instruere debebat: & ideo Deiparam S. Brigitta *Apostolorum magistram* appellauit.

Greg. hom. 30. [illegible]

187. Psalm. 28. inter diuinæ potentiæ, & prouidentiæ effectus à Dauide celebratur *Vox Domini præparantis ceruos.* Vbi à Hieronymo legitur, *Vox Domini obstetricantis ceruis.* Cerui difficilè pariunt; ceruæ enim, vt dicitur Iob 39. *Incuruantur ad fœtum & pariunt, & rugitus emittunt.* Sed earum pariendi difficultatem valdè iuuat tonitrui fragor, quo concussæ faciliùs fœtum emittunt. Ideo *Vox Domini*, id est tonitru ceruis, veluti obstetricantis, partumque adiuuantis munere fungi dicitur. *Qui sunt isti cerui, nisi inimici serpentibus, qui super aspides ambulant, & venena non sentiunt?* ait Ambros. in Psal. 118. Quare benè ceruorum nomine viri Apostolici significantur; cùm ceruorū instar serpentes, hoc est homines humo repētes, & peccati veneno infectos è peccatorū cauernis extrahāt. *Ceruus*, ait Origenes,

Ceruus halitu è cauernis serpentes extrahit.

Origenes.

Hom. 10. in Cantic. apud Hieron. tom. 3.

Matth. 28.

Ceruorum nomine Apostolici viri cur significentur.

*serpenti inimicus, ac debellator est; ita vt spiritu narium eos extrahat à cauernis, & superata pernicie veneni, eorum pabulo delectetur.* Propterea Hieronymus in Isaïam 34. ait: *Allegoricè interpretabimur ceruos, id est Apostolos, & sanctos quosque Doctores, quibus Dominus mandauit: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, Spiritus sancti: & spiritus illius congregauit eos, deditque eis sortes, atque diuisit, vt alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Graciam pergeret.* A

Act. 2.

Act. 1. 41. Act. 4. 4. Act. 21. 10.

Quare cum Pentecostes die *factus est repente de cœlo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis*, benè dicere possumus tunc diuinam vocem tonitrui instar mysticos ceruos, hoc est Apostolos, ad spiritualem animarum partum præparasse; ita vt paulò post hominum tria millia; deinde quinque millia; postea etiam plures ad cœlestem vitam per gratiam Deo pepererint. B Sed ad Apostolos in animarum conuersionem præparandos, & instruendos, vnà cum Spiritus sancti sono iungenda erat B. Virginis vox: nam, vt supra ex Ruperto diximus, *Vox Virginis, vox fuit Spiritus sancti.* Propterea de Apostolis in Ierosolymæ cœnaculo congregatis, & Spiritus sancti aduentum expectantibus dicitur. *Omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu.*

Act. 1. 14.

B. Virgo sapientiæ domus.

188. S. Hieronymus in illud Psalm. 32. *Ponens in thesauris abyssos*, ait: *O magna Creatoris potentia recondens in thesauris abyssos. Hìc abyssos mysteriorum cœlestium altitudinem intelligimus, iuxtà illud Apostoli ad Rom. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. In thesauris, id est in absconditis Dei, thesaurus, id est largitas, hoc est profunditas Scripturarum. Nam quantum voluit per seruos suos nobis demonstrare, tantùm per nos intelligere potuimus; ipsam profunditatem Scripturarum nequaquam possumus.* C Hinc B. Virgo se speciatim diuinæ menti præsentem fuisse testatur, cum Deus *certa lege, & gyro vallabat abyssos.* Nam cum suæ sapientiæ Deus, sacræque scripturæ abyssos, hoc est mysteria certa lege, D & gyro, id est limite concluderet; ne omnia omnibus manifesta forent; tunc in B. Virginem inspexit, vt eam sub tali scientiæ limitatione non concluderet. Ideo Deipara supernaturalis fidei, & infusæ scientiæ lumine ad arcana Dei mysteria cognoscenda Sanctos omnes superauit. Propterea ab excellenti intelligentiæ lumine Maria meritò vocata est, quod nomen illuminatam significat, iuxtà Eucherium Lugdunensem Episcopum: propterea cum iuxtà Hieronymum de nominibus Hebraïcis: Cherubim *scientia multiplicata* interpretetur; Deipara *thronus verè Cherubicus* à S. Gregorio Neocæsariensi appellatur. E *Thronus Cherubinis sublimior* à S. Damasceno: propterea *sedes sapientiæ* ab Ecclesia nominatur: & à sancto Bernardo sermone 9. ex paruis, *sapientiæ domus.* Sanctissimam hanc domum frequentare debent, qui fidei mysteria, & Euangelicæ legis arcana sibi nota esse volunt; quod Apostolos, aliosque fideles in primitiua Ecclesia fecisse dubium non est.

Prou. 8.

Eucher. l. 1. in stitut.

Gregor. 1. orat. de Annunciat.

Damasc. or. 1. de Natiuit.

Rup. l. 5. in Cant.

B. V. ostium veritatis, & Spiritus sancti oraculum.

189. Propterea benè Rupertus Beatæ Virgini ait: *Pulsandum erat ad ostium veritatis, & consulendum oraculum Spiritus sancti; scilicet sacrarium pectoris tui; vt viua voce omnem necessario tenendam demonstrares regulam fidei, cum testimonio Scripturarum, quas memoriter tenebas, pro-*

*replenit illos; creauit illis scientiam spiritus*; hoc est rerum spiritualium; nempe Dei, Angelorum, virtutum, gratiæ, & gloriæ notitiam. *Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum.* Sed quantò vberius horum omnium notitiam Deiparæ, à qua humani generis salus aduersus primorum parentum perniciem prodijt, diuinitus communicatam fuisse dicendum est. De primis Parentibus Ecclesiastici 12. dicitur: *Deus iudicia sua ostendit illis. Iudicia tua abyssus multa* Deo dicitur à Dauide Psal. 35. Hæc inscrutabilia Dei iudicia parcius primis parentibus; largius B. Virgini manifesta fuerunt. Et propterea Deus cum *certa lege, & gyro vallabat abyssos*, in B. Virginem inspexit, cui vberiorem diuinorum iudiciorum notitiam tribuere decreuit.

192. Nutritio ex melle, & butyro, vt medici docent, temperiem in corporeis organis efficit valde aptam ad acutas, & dilucidas ingenij operationes. Ideo ad indicandam Domini sapientiam, de eo vaticinatus est Isaïas cap. 7. *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Quæ verba parabolico significatu intelligenda esse docet Abulensis dicens: *Redemptorem nostrum comedisse butyrum, & mel, vt sciret reprobare malum, & eligere bonum, non est conueniens; quia tunc videretur, quòd Christus indigebat aliquibus dispositionibus naturalibus ad hoc, vt haberet ingenium acutius, quod falsum est. Nam Christus Deus erat, & nihil vnquam addiscere poterat, cum omnia sciret. Quare sensus propheta est, quòd Christus futurus esset valdè intelligens. Vt hoc significaretur, posita sunt de eo quedam signa, secundùm quæ alij homines ad sciendum disponuntur; scilicet comedere mel, & butyrum; id est valdè erit sciens eligere bonum, & reprobare malum; ac si comedisset multum de melle, & butyro.* Planius S. Ambrosius, vel alius grauis auctor lib. posteriore de fide resurrectionis ait: *Butyrum, & mel manducabit; id est Spiritu sancto repletus erit, cuius doctrina nobis dulcior super mel, & fauum.* Præterea mel sapientiæ est symbolum: ideo Salomon Prouer. 24. 13. ait: *Comede fili mi, mel, quia bonum est; & fauum dulcissimum gutturi tuo. Melli est similis aperta doctrina sapientiæ; fauo verò, quæ ab abstrusioribus sacramentis, tamquam de cellis cereis exprimitur*, ait Augustin. in Psalm. 118. Rursus, sicut mel, ita lac etiam diuinæ sapientiæ symbolum est: hinc cœlestem sapientiam, quam addiscendam suis fidelibus Dominus reliquit, *lac rationabile*. Petrus Apostolus ep. 1. cap. 2. appellat. Hinc recens baptizatis lac, & mel dabatur, vt his Christianæ sapientiæ haustus significaretur. *Ter mergitamur; inde suscepit, lactis, & mellis concordiam pregustamus*, ait Tertullianus lib. de corona capite 3. Hinc S. Agnes diuina sapientia à cœlesti sponso imbuta dixit: *Mel, & lac ex eius ore suscepit*, vt de ea ex Ambrosio Ecclesia testatur. Quare benè ad indicandam Christi sapientiam de eo dictum est. *Butyrum, & mel comedet.* Similiter ad Deiparæ sapientiam indicandam, ei à cœlesti Sponso Deique Sapientia dicitur Cantic. 4. *Mel, & lac sub lingua tua.* Hoc est iuxtà Rupertum; *Fauus tuus ego sum: mel tuum, & lac tuum ego sum; quia Deus tuus, & filius tuus ego sum.* Benè etiam Augustinus in Psalm. 30. ait: *Dominus sapientiam suam, vt lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos.* Cum ergo tale diuinæ sapientiæ lac in Virginis vtero factum sit; certum esse debet præ cæteris inde vberiores haustus Deiparam accepisse.

Nutritio ex melle, & butyro tēperiem efficit ingenio valde vtilem Christum comesturū mel & butyrum quo Isaias prædixerit.

Mel sapientiæ symbolum.

Lac cœlestis sapientiæ symbolum.

Mel, & lac recens baptizatis dabatur.

Ambrosius lib. de Virg.

193. Sed contra ea, quæ diximus de Deiparæ sapientia aliorum omnium sapientiam superante obijci potest, quod 3. Reg. 3. Salomoni à Deo dictum est: *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens; ita vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Benè respondet Peterius lib. 5. in Gen. quæst. 3. Excelsum hunc Salomonis sapientiæ intelligi debere respectu scientiæ acquisitæ, non infusæ. Respondet Abulensis: *Ab isto dicto possumus excipere Deiparam nostram, propter reuerentiam filij sui; dicendo, quòd ipsa fuerit sapientior Salomone, quantùm ad res naturales, & omnes considerationes scientificas. Sed hoc non est nimis necessarium: Vnde possumus dicere Salomonem fuisse sapientiorem quantùm ad considerationem scientificam, quàm Domina nostra: quia non erat necesse ipsam esse valde eminentem circa cognitionem rerum naturalium. Dicendum tamen necessario Dominam nostram fuisse sapientiorem Salomone, quantùm ad cognitionem Deitatis, & secretorum Theologicorum.* Sed Iacobus Christopolitanus tract. in Magnificat, & S. Antoninus 3. part. tit. 15. cap. 19. paragrapho 2. vnà cum Alberto asserunt Beatam Virginem naturales omnes scientias habuisse diuinitus infusas; quas certè perfectiores naturali Salomonis scientia, fuisse dicendum est; cùm B. Virgo subiecta non fuerit passionibus turbantibus, & obtundentibus ingenij acumen; quales carnales passiones sunt, quibus maximè obnoxius Salomon fuit. Præterea si Adam Salomone sapientior fuit, vt benè contra Abulensem probat Peterius supra citatus; id multò magis de B. Virgine dicendum est. Concedendum tamen est naturalis scientiæ vsum frequentiorem in Salomone fuisse, de quo dicitur 3. Reg. 4. *Precedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum; & erat sapientior cunctis hominibus: & disputauit super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendum sapientiam Salomonis.* E contrario Beatæ Virgo in supernaturalium contemplatione assiduè versabatur, omissa naturalium consideratione; nisi quatenus ea ad supernaturalium notitiam aliquid conferebant. Benè ergo dicitur, quando Deus suæ sapientiæ hominibus communicandæ, *certa lege, & gyro vallabat abyssos*; tunc B. Virgo diuinæ menti præsens fuisse, tamquam alijs omnibus præferenda.

B. V. Salomonis sapientiam superauit.

B. V. naturales scientias omnes infusas habuit.

Adam Salomone sapientior.

194. Præterea per abyssos vetus, nouumque testamentum, Mosaïca, & Euangelica lex significari potest. Ita Psalmus 41. dicitur: *Abyssus abyssum inuocat*, id est *Scriptura veteris testamenti, noui aduocat seriem testamenti ad consummationem sanctificationis, & plenitudinis gratiæ*, ait Ambrosius. Quare cum Deus ab æterno primam legem per Mosem Israëlitis promulgare decreuit; eamque vt imbecillem Euangelicæ legis auxilio indigentem præuidit, tunc specialiter in Beatam Virginem inspexit; in cuius vtero æternum Verbum Euangelicæ legis auctor humanam carnem sumpturus erat; & ipsius Virginis magisterio fideles Euangelicæ legis mysteria; & obseruantiam addiscere debebant. Ideo Deipara dicitur diuinæ menti specialiter præsens fuisse, *quando certa lege, & gyro vallabat abyssos*; hoc est, cum Deus certa temporum mensura Mosaïcæ legis finem, & Euangelicæ legis principium fore decerneret.

Ambrosius in Psal. 41.

195. Apocal. 9. de Lucifero dicitur: *Data est ei clauis putei abyssi; & ascendit fumus putei; & de fumo putei exierunt locustæ.* Vbi sacri interpretes per fumum ex abyssi puteo exhalantem hæresum caliginem; per locustas inde prodeuntes hæreticorum colluuiem intelligunt. Hinc Bellarminus tom. 3. in præfatione ait: *Locusta sordidum, atque vt ita dicam, ventrosum est animal; totum siquidem eius corpus nihil ferè est nisi venter. Quocirca nec incedere, nec volare rectè potest: sed saltitando erigit se in sublime, quasi volatura; & mox nimio ventris pondere ad terram depressa turpiter cadit: Tales omnino sunt hæretici, præsertim Lutherani, homines ventri addicti, hostes ieiuniorum, continentiæ inimici: & ea de causa nec possunt rectè viuendo incedere; neque pennis contemplationis sese ad res cœlestes, ac diuinas intuendas erigere. Habent locustæ illud etiam proprium, quòd cum Rege careant, tamen turmatim incedunt: sic enim legimus in Prouerbijs Salomonis: Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: sic etiam Regem hæretici, præsertim Lutherani, non habent; nullum enim esse volunt, qui toti Ecclesiæ cum potestate præsit.* Quare cum Deus aduersus hæresum pestem antidotum sanctæ Ecclesiæ dare statueret; eumque certa lege, & temporum gyro infernam abyssum vallare, & coërcere decerneret; ne hæreticam prauitatem emouere, diuque fouere pergeret, in B. Virginem inspexit, tamquam optimum aduersus hæreses omnes antidotum. Cui propterea sancta Ecclesia vnà cum Athanasio serm. de Deipara, Sophronio serm. de Assumptione; & Ruperto lib. in Cantica ait: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti.* Quod verissimè dicitur, tum quia sanctissimæ Dei matris merito, & intercessioni hæresum depressio, & extinctio est tribuenda; tum quia ad hæreticas fallacias dissoluendas Catholicorum illuminatio à B. Virgine prouenit, cum ea, vt supra cum S. Ignatio Martyre diximus, *Catholicæ religionis magistra fuerit.*

Hæretici locustis similes.

B. Virg. Catholicæ fidei magistra, & in hæresum pestem antidotum.

Prou. 30. 17.

196. Quòd ad hæresum monstra prosternenda suo magisterio fidelibus iacienda fulmina B. Virgo dederit, ea benè ab Epiphanio orat. de Laudibus Deiparæ, *Nubes tonitruiformis* dicitur. Dicitur præterea ibidem: *Nubes fulgur in vtero gestans; nubes, quæ fulgur de cœlo lucidissimum deduxit.* Quamuis fulgur, vt Seneca docet, tantùm erumpentis ignis coruscatio, & splendor in aëre sit: nihilominus nonnunquam, vt ait Gregorius 15. Moral. 13. *Fulgaris nomine splendor exprimitur cum percussione.* In secundo aduentu Christus Dominus iudex ad peccatores damnandos adueniens, veluti fulgur percutiens erit; *sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem; ita erit aduentus filij hominis.* In primo tamen aduentu Dominus tamquam innoxium fulgur sine ictu Euangelicæ legis lucem, & diuinæ charitatis ignem è materno Virginis vtero prodiens ad nos detulit: ideoque Lucæ 12. 49. dixit: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi vt accendatur?* vt accendatur scilicet, non ad puniendum; sed ad illuminandum, & diuini amoris ardore humanum cor inflammandum. Hactenus de Beatæ Virginis sapientiæ prærogatiua dictum est, ad aliam transeamus.

B. Virg. nubes tonitruiformis aduersus hæreses.

Lib. 2. natur. Quæstionum.

Christus in primo, & secundo aduentu tamquam fulgur, sed diuersimodè.

Matth. 24.

197. Nono cum summa exaltatione summam humilitatem in Deipara nouo ordine diuina bonitas iunxit: ita vt propterea hinc etiam dicere potuerit: *Ab æterno ordinata sum.* Hinc benè Bernardus ait: *Cum Maria, quantò maior erat, humiliaret se, non modo de omnibus, sed præ omnibus; meritò facta est nouissima prima; quæ cum prima esset se se nouissimam faciebat: meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam.* Rupertus l. 3. in Matth. c. 4. quærit: Quare pauperes potius quàm diuites Deus elegit? Respondet *Quantò plura sancti dona Dei percepturi erant, tantò maioris conscientiæ paupertatis indiguerunt; vt eadem dona portarent stabiles, & firmi, fundati in spiritu humilitatis. Nam Domini sunt cardines terræ: pro quo in Hebræo scriptum est, vt ait B. Hieronymus, afflicti terræ, & posuit super eos orbem. Afflictio hæc, humilitas est; quæ ad portandum orbem constantes eos facit, & fortes. Hoc facit in mentibus humilitatis virtus; vt succedentibus prosperis spiritualibus non extollatur animus, pristinæ paupertatis sibi conscius. Orbis, quem super huiusmodi afflictos Dominus posuit, Ecclesia ipsius est, quam illis regendam commisit.* Quare cum ab æterno Deus Apostolos, eorumque successores humiles esse debere decerneret; quando *adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ,* hoc est viros humiles spiritu; tunc diuina mens Beatam Virginem, vt humilitatis magistram, præcipuumque tantæ virtutis exemplar delineauit. Ideo *sicut per Euæ superbiam mors in mundum intrauit; ita per B. Virginis humilitatem vera vita introitus est reseratus,* ait Beda in Luc. cap. 1.

Beatæ Virg. cum summa exaltatione, summa humilitas.

Bernar. serm. signum Magnum.

1. Reg. 2.

198. Prouerbiorum 8. B. Virgo se præcipuè diuinæ menti præsentem fuisse ait, quando *Necdum fontes aquarum eruperant.* Vbi de fontibus ex imis terræ venis erumpentibus sermo est iuxtà Molinam, & alios. Prius autem quàm elementarium aquarum fontes Deus creandos decerneret, alios gratiarum fontes in B. Virginem deriuandos decreuit. Subterraneæ scaturigines, vt sursum in fontes ascendant, innata aquarum grauitate deorsum delabuntur; ita vt ascendendi mensura aquarum descensui proportionatè respondeat. Ideo Psalmus 103. enarrans Dauid diuinæ sapientiæ opera ait, *Qui emittis fontes in conuallibus; inter medium montium pertransibunt aquæ.* Similiter cælestium gratiarum scaturigines, vt in maximam sublimitatem ascenderent, in profundissimam B. Virginis humilitatem diuina sapientia deriuauit. Quare S. Ildelfonsus *Beatam Virginem humilitatis abyssum vocat*: vt ex huius tam profundæ humilitatis abysso dignosceremus, in quam sublimem altitudinem cœlestis gratiæ fons in Deipara assurrexerit. Cuius sublimitatem Ambrosius explicans ait: *Hæc nubes, aëra, Angelos, sideraque transgrediens Verbum Dei in ipso sinu Patris inuenit.* Benè ergo suo in Cantico de Deo B. Virgo cecinit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Propterea Deipara, quæ ex humilitate Deo inspirante sub se coniugium non despexerat; *Dum desponsaretur fabro, cæli nupsit Architecto,* vt ait Augustinus tomo 10. serm. 17. de tempore.

Molina tract. de operib. sex dier. disp. 10.

B. Virg. humilitatis abyssus.

Ildelph. de partu Virg.

Ambros. lib. 1. de Virginib.

Lucæ cap. 1.

199. Decimò, mortalis vitæ conditio talem ordinem poscit; vt vitam mors cum dolore, mortemque corporis corruptio consequatur. Hinc Psalm. 17. dicitur: *Circumdederunt me dolores mortis: dolores inferni circumdederunt me.* Dolores inferni, hoc est sepulchri, iuxtà Vatablum, quia moriens subeundum sepulchrum sibi præuidet, mox in corruptionem vertendus. At in Deiparæ vitæ exitu alius futurus ordo ab æterno præuisus, & decretus à Deo est: scilicet, vt eius mortalis vitæ finem dolor nullus præcederet; corruptio nulla consequeretur. Quare ex hoc etiam capite B. Virgo dicere potuit: *Ab æterno ordinata sum*; nouo scilicet mortalis conditionis ordine. Sicut

B. Virginis mortem dolor non præcessit; nec corruptio subsecuta est.

*non fuit corruptus parientis vterus ; ita mortua caro non interiit. O miracula! Partus effugit corruptionem, & ſepulchrum non admiſit interitum*, ait Andræas Cretenſis Epiſcopus. Similiter de Deipara Damaſcenus ait : *Sicut antequam vllo partus dolore afficeretur, peperit; ita etiam ipſius è vita diſceſſus doloribus caruit.* Nam, vt idem Damaſcenus ait: *Natura artifex, ac Dominus arbitratu ſuo naturæ leges immutat. O miraculum ſanè natura præſtantius! ô res ſummæ admirationis plenas? Mors, quæ odio, & execrationi prius erat; nunc commendatur, ac beata cenſetur. Quæ olim luctum, & mœrorem, lacrymaſque, & triſtitiam afferebat; nunc gaudijs, ac lætæ celebritatis cauſa extitit.* Porrò ſicut Deipara in morte dolori non ſubiacuit; ita neque poſt mortem corruptioni. Quare ſic eam idem Damaſcenus alloquitur : *Etiam ſi vndique ſacra, ac beata tua anima naturæ more, à beatiſſimo, ac immaculato tuo corpore diſiungatur, ac corpus legitima ſepulturæ mandetur; non tamen in morte manet, nec à corruptione diſſoluitur. Nam cuius in partu incolumis virginitas manſit, eadem e vita migrante corpus ita conſeruatum eſt, vt non diſſolutum, ſed ad præſtantiorem, & diuiniorem vitam translatum ſit. Quonam pacto mors abſorbebit; quonam pacto corruptio corpus illud, quo vita ſuſcepta eſt, aggredietur? Abhorrent omninò hæc, atque aliena ſunt à Deifera illa anima, & corpore: eius enim aſpectu mors quoque ipſa pertimuit. Si quidem ipſius filium adorta ex his, quæ pertulit erudita, periculoque facto prudentior reddita eſt.* Idem habetur apud Auguſtinum tom. 9. lib. de Virginis Aſſumptione cap. 2. *Si Ieſus voluit integrum Mariæ Virginitatis ſeruare pudorem; cur non velit incorruptam à putredinis ſeruare fœtore? Numquid non pertinet ad benignitatem Domini matris ſeruare honorem, qui legem non ſoluere venerat, ſed adimplere? Lex enim ſicut honorem matris præcipit, ita inhonorationem damnat. Potuit à putredine, & puluere alienam facere, qui ex ea naſcens potuit virginem relinquere. Putredo namque, & vermis humanæ eſt opprobrium conditionis; à quo opprobrio cum Ieſus ſit alienus; natura Mariæ excipitur, quam Ieſus de ea ſuſcepiſſe probatur : caro enim Ieſu caro eſt Mariæ. Tronum Dei, & thalamum Domini, domum, atque tabernaculum Chriſti dignum eſt ibi eſſe, vbi ipſe eſt. Tam pretioſum enim theſaurum dignius eſt cœlo ſeruari, quàm terra. Tantam integritatem meritò non corruptibilitas, non putredinis aliqua reſolutio ſequitur.* Auguſt. ſimiliter lib. 5 contra Iulianum c. 15. ait : *Sine dubio caro Chriſti non eſt caro peccati* : ergo ſi, vt ſupra dictum eſt, *caro Ieſu eſt caro Mariæ*; conſequenter neque caro Mariæ eſt caro peccati actualis, vel originalis; & ideo peccati pœnæ nempe corruptioni ſubiacere non debuit.

Orat. 1. de Aſſumpt. — Orat. de dormitione B. Mariæ. — Ibid. infra. — Damaſcenus ſupra. — Damaſcenus orat. 2. de Aſſumptione. — Lib de Aſſumptione vel eſt Auguſtini, vel Auguſtino non ingenuus, iuxta Bell. in. de ſcriptoribus eccleſ.

200. Tot ergo prærogatiuis extra naturæ legem in B. Virgine diuinitus coordinatis; benè ei à cœleſti ſponſo dici potuit: *Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata*: *Velut admiratio ordinata*, legit Ambroſius: eò quòd admirationi ſit omnibus intuentibus eam. Admiranda quidem B. Virgini Deus priuilegia tribuit; & ita admiranda; vt in eorum ordine, ac nexu Diuina, æternaque Dei Omnipotentia, ac ſapientia opus fuerit: ideoque verè de ſe Deipara teſtatur : *Ab æterno ordinata ſum.*

B. Virg. ob eius prærogatiuas velut admiratio ordinata. — Cant. 6. 3. — Lib. de Virginibus.

*Deipara beata, cum Sanctos omnes, & Angelos ſanctitate, meritorum cumulo, & ſupremo gloriæ gradu ſuperauerit.*

201. GEneſ. 49. cùm dicitur: *Deſiderium collium æternorum*, *ſignificatur Chriſtus deſideratus à Sanctis, qui dicuntur colles æterni propter virtutum eminentiam*, ait Hugo. Similiter Beda : *Sancti dicti ſunt colles æterni propter excellentiam ſanctitatis; qui etiam vocantur æterni, quia vitam conſequentur æternam.* Cum ergo Beata Virgo à Deo ante Sanctos omnes prælecta fuerit ad gratiæ, & gloriæ faſtigium Sanctorum omnium ſanctitate ſublimius, verè de ſe dixit Prouerb. 8. *Ante colles ego parturiebar.* Propterea, vt ſupra diximus B. Virgo ab Iſaïa dicitur iuxtà Gregorium : *Mons præparatus in vertice montium.* Similiter Damaſcenus orat. 1. de Mariæ natiuitate ait: *Clariſſimus Dei mons paritur, mons, inquam, ille, qui collem omnem, & montem, id eſt hominum, & Angelorum ſublimitatem exuperat.* Sanctus Auguſtinus cum Sancto Cypriano legit: *Ante omnes colles genuit me.* Porro Pſalm. 2. cum Chriſto Domino ab æterno Patre dicitur: *Ego hodie genui te*; de Chriſti reſurrectione interpretatur S. Paulus 13. Act. 33. Similiter B. Virgo paulò poſt obitum ad immortalem vitam reſurgens, & ad cœleſte ſolium tamquam cœli Regina aſſumpta, verè dicere potuit : *Ante omnes colles genuit me*: hoc eſt, me ad beatam vitam reſurgentem, ante Sanctos omnes, & Angelos gratia, & gloria præeminentem conſtituit. Ideo ad Beatam Virginem Auguſtinus ait: *Tu in cœleſti regno prælata es cunctis Virginum choris. Tu in illa Beatorum feliciſſima Regia primi Ordinis dignitatem adepta. Tu in cubiculo Regis beatitudine, gemmis, ac margaritis ornata adſiſtis. Tibi thronus regius ab Angelis collocatur in aula æterni Regis; teque ipſe Rex regum, vt matrem veram, & decoram ſponſam præ omnibus diligens amoris amplexu ſibi aſſociat.* S. Anſelmus lib. de excellentia Virginis cap. 8. ait: *Stipatus mille millibus, immo innumerabilibus Angelorum agminibus Deus ipſe piiſſimæ matri ſuæ de hoc mundo migranti occurrit; eamque ſupra omnes cœlos exaltatam cunctæ ſecum creaturæ perenni iure dominaturam in throno gloriæ collocauit.* Sanctus Ildelfonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Hodie collocatur in throno à dextris Dei, ſicut canitur in Pſalmis: Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Et ſerm. 2. *Et ſi impertit præmia iuſtus Iudex Chriſtus Dominus ſecundùm Apoſtolum, vnicuique iuxta opera ſua; huic tamen ſanctiſſimæ Virgini genitrici ſuæ, ſicut incomparabile eſt, quod geſſit, & ineffabile donum, quod percepit, ita & ineſtimabile, atque incomprehenſibile præmium, & gloria, non dico inter cæteras ſacras Virgines, verum etiam vltra omnes Sanctos, quam promeruit. Peruenit namque ad cœli palatium beata, & glorioſa, vbi Chriſtus ſponſus Eccleſiæ intra thalamum collocauit eam in dextera Maieſtatis. Ibi ſiquidem eam aſſumpſit præcellentiſſimam inter primas.* Idem ſerm. 7. *O beata Maria, gaudens ingredere paradiſum; quæ de terris ad cæleſtem vitam læta es ab Angelis; & inter choros Virginum ſicut Sol fulgens ſuſcepiſti principatum ſuper Archangelos in cælo.* Sophronius ſerm. de Aſſumpt. *Hæc eſt dies præclara, in qua meruit exaltari ſuper choros Angelorum; & peruenire vltra quam noſtræ humanitatis eſt natura. Vbi non ſubſtantia tollitur, ſed gloria ma-*

B. Virg. Sanctos omnes, & Angelos ſanctitate meritorum cumulo, & gloria ſuperauit. — Idem num. 201. 203. 204. 205. — Iſaiæ cap. 2. — Auguſtinus lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 12. — Auguſtinus ſerm. 35. de Sanctis. — Auguſt. ſerm. 35. de Sanctis. — Pſalm. 44. 10. — ad Rom. 2.

*gnitudo monstratur; cum eleuatur in dextera Patris: Vbi Christus pro nobis introiuit Pontifex factus in æternum ad cœli palatium. Hæc est, inquam, dies, in qua vsque ad throni celsitudinem intemerata Mater, & Virgo processit; atque in regni solio sublimata post Christum gloriosa resedit. Sic itaque vbi confidenter sancta canit Ecclesia; quod de nullo alio Sanctorum fas est credere; vt vltra Angelorum, & Archangelorum dignitatem meritò transcenderit.*

202. Quare bene Psellus apud B. Theodoretum in illa Cantic. verba: *Vna est columba mea, perfecta mea* ait: *Inter tot animas hominum omnium, qui saluantur, vt electa columba est vna illa sola, quæ Christum genuit Virgo Mater, puella Maria; quæ puritate profectò Cherubim, & Seraphim antecellit.* Bernardus denique serm. 1. de Assumptione B. Mariæ ait: *Quantum gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quam super omnes Angelorum Choros, super Cherubim quoque, & Seraphim exaltatam, nefas est dubitare.*

Cant. 6. 8.

Bernard. serm. 1. de Assumptione.

Idem serm. signum magnum.

203. B. Virgo à Damasceno orat. 1. de Natiuitate Beatæ Mariæ dicitur, *Cœlum viuum, cœlis ipsis latius.* Ab Epiphanio, *Cœlum splendidum incomprehensum cœlis continens Deum.* A Gregorio Neocæsariensi Episcopo. *Palatium animatum Regis Angelorum. Paradisus immortalitatis semper vigens; Paradisus Dei ratione præditus.* A Ruperto, *Paradisus nouus, Paradisus cœlestis: Cœlum Dei, vnica sedes Domini.* Hinc benè patet nobilius hoc cœlum supra materialis cœli fastigium meritò fuisse collocandum.

B. Virg. cœlum viuum, Paradisus nouus.

Epiph. orat. de Deipara.

Gregor. orat. 1. & 2. de Annunciat.

Rupert. lib. 4. & 5. in Cant.

204. Periti artifices antequam eximium aliquod opus moliri aggrediantur, rudiorem formâ adumbrare solent; vt ex eius delineatione perfectum opus postea elaborent. Sic architecti ex asseribus modulum prius effingunt, quo ars, vel regia, vel templum excitandum repræsentetur. Sic ex argilla sculptores statuam prius componunt, vt deinde marmoreum simulacrum perfectius moliantur. Non dissimiliter Deus cœlestes orbes, veluti rudiorem delineationem effecit; vt deinde B. Virginem, veluti nobilius cœlum crearet. Hinc factum est, vt in hoc perfectius cœlum Deus mentis oculum intenderet; cùm materiale cœlum, veluti rudiorem modulum efformauit. Propterea de se B. Virgo benè dicere potuit Prouerb. 8. *Quando præparabat cœlos aderam.* Benè ergo Damascenus de B. Virginis Natiuitate ait: *Hodie ex terrena natura cœlum in terra condidit ille, qui olim firmamentum ex aquis finxerat, atque in altum extulerat. Et sane hoc illo longè diuinius est; nam qui in illo solem effecerat, in hoc institiæ sol ortus est.* Hoc ergo diuinius cœlum supra omnes Angelorum choros in suprema materialis cœli sublimitate erat collocandum.

Damascenus orat. de B. Virg. natiuitate.

205. Præterea peritus architectus ad regium ædificium moliendum regię maiestatis sibi ideam proponit, vt regiæ dignitati regalis ædificij constructio benè respondeat. B. Virgo ab Ecclesia, & à SS. Patribus cœli Regina meritissimo titulo nominatur; in quam dignitatem ab æterno à Deo fuit electa. Quando ergo diuina Omnipotentia cœlos præparabat, diuinæ menti Deiparæ dignitas obseruabatur; vt cœlorum Reginæ cælestium orbium extructio benè congrueret. Nam, vt Damasceni verbis vtamur. *Oportebat prius palatium parari, atque ita Reginam adesse.* Sed iuxta lectionem Septuaginta Interpretum, quam sequuntur SS. Cyprianus, & Hilarius, *Quam se*

B. Virg. Empyrij illuminatrix.

S. Gregor. septimus lib. 8. cap. 44.

Damasc. orat. 1. de Natiuitate B. Mariæ.

Prouerb. 8. textu legitur: *Cum secerneret sedem suam, aderam:* aderam scilicet B. Virgo ait, cum Deus sedem suam, hoc est Empyreum cœlum, vbi se Beatis manifestat, ab inferioribus cœlestibus orbibus secerneret. Sed cur in Empyreo cœlo creando præcipuè diuina mens in Beatam Virginem inspexit? Quia scilicet reliqui cœlestes orbes à Sole, Luna, & stellis erant illuminandi; Empyreum verò à sanctissima Christi Domini humanitate. Nam de cœlesti Ierosolyma scriptum est: *Ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea; quia claritas Dei illuminat eam; & lucerna eius est Agnus. Non alternat luna vices, sol, vel cursus siderum. Agnus est felicis vrbis lumen in occiduum, ait Augustinus.* Augustissimum hoc luminare, nempe sanctissimam Christi humanitatem quisnam ipsi Empyreo exhibuit? Profectò B. Virgo, quæ æterno verbo humanam carnem, ex qua in Empyreum clarissima lux diffunditur, dedit. Propterea diuino præsagio B. Virgo, Mariæ; id est *Illuminatricis* nomen accepit iuxtà Hieronymum, & Isidorum. Nam supra citato libro de Assumptione Beatæ Mariæ tom. 9. Augustini, qui liber vel Augustini est, vel Augustino auctore non indignus iuxtà Bellarminum: *Caro Iesu, caro est Mariæ. Caro enim Christi quamuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes cœlos ascensione glorificata; eadem tamen carnis mansit, & manet natura, quæ suscepta est de Maria.* Si ergo ex sanctissima Christi carne lumen vndique diffunditur Empyreum totum illuminans; ex carne Deiparæ mediatè tale lumen diffundi dicendum est. Meritò ergo supra choros omnes Angelorum ad sanctissimi filij dexteram supremo gloriæ, & beatitudinis gradu Deipara est exaltata.

Apoc. 21. 23.

August. meditat. cap. 6.

Hieron. de nominib. Hebraicis in Exodum.

Isidor. lib. 7. Etym. cap. 10.

*Deipara beata, eò quod alios è peccatis, mortalisque vitæ miserijs liberando, ijsque cœlestium donorum, & diuinæ gratiæ affluentiam largiendo, ad æternam beatitudinem ducere possit.*

206. Deipara ita in se beata est, vt alios etiam ad eius tutelam confugientes beate possit: ipsosque peccatores mortis reos, resipiscentes ad æternæ vitæ beatitudinem ducere possit. Abiatharo capitis reo Salomon dixit: *Equidem vir mortis es; sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram Dauid patre meo.* Si Abiathar capitis reus mortem euasit; quia semel sub Israëlitica arca humeros subiecerat; quantò facilius æternæ mortis peccatores rei æternum exitium euadere, cœlestemque beatitudinem consequi poterunt; si sub Deiparæ tutela, hoc est sub fœderis arca per pœnitentiam se subiicient. *Arcam quid, nisi sanctam Mariam dixerimus?* ait Ambrosius: *Siquidem arca intrinsecus portabat testamenti tabulas; Maria autem ipsius testamenti gestabat heredem. Illa intra semet legem, hæc Euangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc Verbum. Veruntamen arca intus, forisque auri nitore radiabat; sed & sancta Maria intus, forisque virginitatis splendore fulgebat: illa terreno ornabatur auro, ista cælesti.*

B. Virg. beando beata.

3. Reg. cap. 2.

B. Virg. cum arca veteris testamenti comparata.

Ambrosius serm. 10.

207. Pia Christiani cordis propensio erga B. Virginem consequendi cœlestem beatitudinem pignus est, sicut contrarius affectus damnationis est argumentum. Quare Virgini matri à diuino eius filio dicitur Ecclesiastici 24. *In electis meis mitte radices;* hoc est in eorum cordibus, quos ad

æternam beatitudinem elegi, pietas erga te firmiter radicetur. E contrario reproborum principi diabolo dictum est Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, scilicet Dei matrem, vt explicat Rupertus: ita vt diabolo, eiusque sectatoribus conueniens pœna sit, debita erga B. Virginem pietate priuari. Damascenus orat. 2. de dormitione B. Virginis, eam *animatum paradisum* appellat. Par igitur est, vt diuinæ legis transgressores vtriusque Paradisi, mystici scilicet, & materialis simul consortione priuentur. Oecolampadius alioquin hæreticæ impietatis sectator dixit: *Erga Beatam Virginem minus benè affici, reprobatæ mentis certum existimem indicium.* Qui quidem, quod viuus docuit, mortuus nunc in inferis experitur. Iulianus apostata Arsacio suo Galatiæ Pontifici scripsit: *Quid patiatur, aut quod mereatur auxilium, qui matrem Deorum propitiam habere noluerit? Suade, vt si mea volunt frui tuitione, omnes matri Deorum velint offerre culturam.* Si non erga Deorum, sed erga Dei matrem pium cultum exhibendum esse Iulianus scripsisset: nunc, vt impius apostata in inferis non torqueretur.

Rupertus lib. 2. de Victoria Verbi Dei cap. 10.

Oecolampad. serm. de laudanda Maria in Deo.

B. Virginem erga pietas beatitudinis pignus.

B. Virginem erga minus bene affici reprobæ mentis indicium.

Lib. 6. histor. tripartitæ cap. 25.

208. Lignum vitæ in medio Paradisi fuisse Genes. 2. dicitur: Ex eodem autem Paradisi medio, nempe è radicibus viuificæ illius arboris fons in fluuium emanabat, de quo ibidem dicitur *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* Ideo dixit Ambrosius: *Inter alia ligna lignum vitæ Deus produxit in medio Paradisi, vt cætera ligna eius viriditate florerent.* Quare cùm S. Ephrem B. Virginem vocet *Paradisum deliciarum, totiusque amœnitatis, & immortalitatis.* Eamdemque Damascenus vocet *Animatum paradisum, in quo plantatum est lignum vitæ*; hinc benè indicarunt omnem cælestium gratiarum participationem ab ea esse in humanum genus deriuatam: quandoquidem Beata Virgo suo ex vtero tamquam animato è paradiso Dei filium sub humana carne, veluti vitæ lignum eduxit; vt eius viriditate, & gratiarum plenitudine iusti reliqui virtutibus, meritisque florerent. SS. Ambrosio, & Damasceno consonat Beatus Petrus Damiani dicens: *Fluuius, ait Scriptura, egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam vniuersam superficiem terræ. Fluuius iste est Deus meus Iesus, qui è duobus locis voluptatis egreditur; ex vtero Patris, ex vtero Virginis.* Ideo à Sophronio Beata Virgo *Fons, ex quo vitæ fons manat*, appellatur. A Damasceno dicitur: *Fons vniuerso orbi medicinam afferens.* A Beato Ephremo *Deipara gratiæ, & totius consolationis fons.* Cassiodorus lib. 7. Variarum formula 6. celebrans limpidissimi Romani fontis scaturiginem ait: *Currit aqua Virgo sub delectatione purissima: quæ ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur.* Similiter Deipara veluti aqua Virgo nullis vnquam peccati sordibus polluta cælestium gratiarum latices in vniuersum genus humanum diffundit.

B. Virg. Paradisus deliciarum, in quo plantatum est lignum vitæ.

Ambrof. in Psalm. 35.

B. Virg. fons mundo medicinam afferens.

S. Ephrem de Laudibus B. Virginis. Damascenus ...

B. Virgo consolationis fons.

B. Virginis symbolum aqua fons Virgo nullis sordibus pollutæ.

B. Damiani serm. de Assumpt.

Sophron. hom. de Assumpt.

Damasceno orat. de Natiuitate beatæ Virg.

B. Ephrem. orat. de Laudibus Virginis.

209. Prouerbiorum 8. Beata Virgo ait: *Nondum fontes aquarum eruperant, & ego iam concepta eram.* Scilicet, nondum gratiarum fontes in sanctos alios deriuandi in diuina mente, æternisque Dei decretis eruperant; cum signi, non temporis prioritate ad Beatam Virginem vberrimus cælestium gratiarum fons deriuandus decernebatur; vt ex ea cælestes gratiæ in alios defluerent. Propterea Bernardus serm. de Natiuitate B. Mariæ, Christum Dominum gratiæ fontem, eius sanctissimam matrem gratiæ aquæductum vocat: *Quis fons vitæ, nisi Christus Dominus? Deriuatus est fons vsque ad nos: descendit per aquæductum vena illa cælestis. Aduertitis, ni fallor, quem velim dicere aquæductum, qui plenitudinem fontis de corde Patris excipiens, nobis edidit illum. Nostis enim cui dictum sit: Aue gratia plena. Propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt; quòd nondum intercederet is, de quo loquimur, tam desiderabilis aquæductus*, nempe Beata Virgo.

B. Virginis gratiæ aquæductus Christus fons.

210. *Flumen Dei repletum est aquis gratiæ*, de Beata Virgine ait Richardus à sancto Laurentio lib. 9. Eamdem *Fluuium clementiæ.* Sanctus Bernardus: *Gratiarum pelagus* vocat Damascenus. Ex hoc gratiarum Pelago, dulcissimoque cælestium deliciarum fluuio ad Ecclesiam vniuersam irrigandam riui, & fluenta deriuantur. Quare Psalm. 45. cam dicitur: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Hæc Psalmi verba de Beata Virgine intelligunt SS. Athanasius, Damascenus, & Methodius. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus; cùm Beatæ Virginis animam, & vterum, in quo concipiendus erat, Deus sanctificauit*, ait Iacobus Episcopus Christopolitanus. *Deus in medio eius non commouebitur*, propter confirmationem in gratia, & Virginitatem perpetuam: *Adiuuabit eam Deus mane diluculo:* eò quòd in ipso primo suæ creationis instanti Beatæ Virginis anima gratiam receperit, & originalis peccati maculam non contraxerit. Ideo cum dicitur: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, nomine vehementis fluminis largissimam gratiarum plenitudinem B. Virgini communicatam idem Iacobus Christopolitanus intelligit. Quæ gratiæ plenitudo, veluti exundantis fluminis impetus, vt interpretatur Dionysius Carthusianus, à ciuitate Dei, hoc est à Deipara originalis peccati incendium procul expulit. Rursus sub nomine Ciuitatis Dei Gregorius, Anastasius Sinaita, & alij sanctam Ecclesiam intelligunt. Quam ciuitatem suarum gratiarum fluentis B. Virgo lætificat. Nam, vt ait Bernardus: *Deus totius boni plenitudinem constituit in Maria; vt proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare.*

Psalm. 64. Richardus à S. Laur. lib. 9. Bernard. in Salue Regina. Damascen. orat. de Natiuitate.

B. Virg. flumen Dei quia gratia plenum ... gratiarum pelagus.

Athanasius tract. de Deipara.

Damascen. in carmine ... ho ... in homilia.

Dionys. 1 de dignitate B. Virginis art. 8.

Gregor. in cap. 4 Cantic. Anastas. lib. ... Hexam.

Bernard. serm. de Natiuitate B. Mariæ.

211. Præterea Beata Virgo à sancto Ephremo *Spirituale mare* appellatur. Similiter S. Bonauentura ait: *Maria dicitur mare propter affluentiam, & copiam gratiarum. Vnde scriptum in Ecclesiaste cap. Omnia flumina intrant in mare. Flumina sunt Charismata Spiritus sancti: vnde Ioannis cap. 7. dicitur: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum. Omnia flumina intrant in mare; id est omnes gratiæ intrant in Mariam. Vnde ipsa optimè dicere potest illud Ecclesiastici: In me omnis gratia viæ, & veritatis; in me omnis spes vitæ, & virtutis. Quid mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad nos defluxit? Ait enim Beatus Augustinus: Gratia es plena, Maria, quam apud Dominum inuenisti; & hanc per totum mundum effundere meruisti.*

Ephrem ibidem.

Bonauent. in speculo B. Mariæ cap. 1.

B. Virg. spirituale mare, in quod gratiarum flumina intrant.

Eccli cap. 24

212. Cum Beata Virgo de se testatur Prouerbiorum 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Dei viæ non solùm accipi possunt in sensu effectiuo pro Dei operibus vt supra diximus; sed etiam in sensu terminatiuo; ita vt Dei viæ ea intelligantur, quæ hominem ad Deum ducunt.

Prou. 8.

B. Virg. via regia ad cælum ducens.

ducunt. Ad Deum autem cùm plures viæ esse possint iuxtà gratiarum diuisiones; in iis præcipua via ad Deum, atque adeo ad æternam salutem ducens, singularis erga Beatam Virginem pietas est, eiusque auxilij imploratio. Propterea hinc etiam verè Beata Virgo dicere potuit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, hoc est, vt Septuaginta legunt: *Dominus creauit me principatum viarum suarum.* Ideo nos Bernardus hortatur: *Virgo, regia ipsa est via, per quam Saluator aduenit. Tenentes ergo viam, studeamus & nos, dilectissimi, ad ipsum per eam ascendere, qui per eam ad nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad filium, O benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis; vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Vt qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ; te quoque intercedente particeps faciat nos gloriæ, & beatitudinis suæ.*

Bernard. serm. 2. in Aduent.

B. Virg. gratiarum thesauraria.

Gregor. hom. in Euang.

213 Cum ergo Beata Virgo via sit, qua ad cœlum ascendimus, reuocemus in memoriam, quod Gregorius dixit: *Deprædari desiderat; qui thesaurum publicè portat in via.* Deus cœlestes thesauros in Beata Virgine tamquam in via reposuit, vt eos facilè deprædemur: *Beata Virgo thesaurus Domini est, & thesauraria gratiarum ipsius,* ait Sapiens Idiota. Quare Psalm. 32. vbi Deus dicitur, *Ponens in thesauris abyssos,* docet Sanctus Basilius magis congruum videri, si dicatur, *Deus ponens thesauros in abyssis.* Thesauros ergo cœlestium gratiarum in abyssis Deus posuit, cum eos in Deipara collocauit: quam proinde *Gratiæ abyssum, & abyssum miraculorum*, meritò sanctus Damascenus vocat: *Abyssum sapientiæ, & luminum abyssum*, sanctus Bernardus; *Humilitatis abyssum*, sanctus Ildelfonsus. In his abyssis suos Deus thesauros reposuit. Ideo *Thesaurum vitæ immortalis* Deiparam vocat Andreas Cretensis. *Christus Dominus redempturus humanum genus pretium vniuersum contulit in Mariam*, ait Bernardus serm. de Natiuitate Mariæ.

Thesauros suos libenter vult Deus à nobis rapi.

Idiota lib. de Contemp. it. Mariæ initio.

B. Virg. gratiæ, & miraculorum abyssus.

Dam. se. orat. de dormit. B. Virg.

Bernard. serm. Signum magnum.

Ildelfons. de partu Virg.

Andreas Cret. in salutationem Angelicam.

214. Præterea, quod Beata Virgo ad cœlestem gratiam acquirendam via sit, ait ibidem Bernardus: *Ad Patrem verebaris accedere, Iesum tibi dedit mediatorem. Aduocatum habere vis ad ipsum, ad Mariam recurre: exaudietur & ipsa pro reuerentia sua: exaudiet vtique matrem filius; & exaudiet filium Pater. Filioli hæc peccatorum scala; hæc mea maxima fiducia est; hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potest-ne filius aut repellere; aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri filius potest? Neutrum planè.* Sanctus Fulgentius serm. de Laudibus Mariæ ait: *Facta est Maria fenestra cœli; quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines mereantur ascendere ad cœlum.* Quoniam mors fenestras habuit, per quas ex diaboli regno ad nos ascendit: *Ascendit mors per fenestras nostras*, ait Ieremias: per fenestras scilicet, quas primùm Eua reserauit, oculis vetitum pomum cupidè intuendo: *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*: Propterea fenestram aliam nobis Deus aperuit, per quam fugata morte ad beatam vitam ascendere possimus. Huiusmodi fenestra nobis beata Virgo est: *Facta est Maria fenestra cœli, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlum.* Sed ne quis ad sublimem hanc cœli fenestram ascendere se posse diffideret; eadem Deipara ad ascensum se nobis veluti scalam exhibet. Ideo *Peccatorum scala* Beata Virgo à Bernardo dicitur: *Scala polum penetrans, & sidera tangens* à Ioanne Geometra vocatur in hymno primo de Beata Virgine: *Scala omnes è terra ad gratiam subleuans* in Græcis hymnis apud Buteonem appellatur. *Excelsi brachium viuam scalam sibi condidit; cuius ima pars in terra firmata est, summa autem ad cœlum vsque porrigitur, in qua Deus requieuit*, ait Damascenus. Cum summa inter Deum, & peccatorem distantia sit; quàm multis meritorum gradibus Beata Virgo, tamquam mystica scala compacta est, per quam ascendens peccator ad Deum peruenire potest?

B. Virg. veniententium peccatorum vt ad cœlum ascendant, scala est plurimis meritorum gradibus compacta.

B. Virg. Cœli fenestra oppositæ fenestræ per quam mors ascendit.

Ierem. 9. 21.

Genes. 3.

S. Fulgentius supra.

Bernard. supra.

Buteon Psal. 121.

Damasc. orat. 1. de Natiuitate B. Mariæ.

215. Elias corporea mole onustus, vt in cœlum ascenderet, currum igneum habuit: *Ecce currus igneus, & equi ignei, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Huiusmodi igneum currum, vt in cœlum ascendere possit, non est cur Eliæ pœnitens peccator inuideat; cum longè nobilius vehiculum ei Deus per Beatæ Virginis patrocinium dederit. De quo patrocinio loquens Bernardus ait: *Deus tibi vehiculum voluit prouidere*: exhibendo scilicet nostri itineris B. Virginem & comitem, & adiutricem. Quare benè idem Bernardus ait: *Studeamus ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit.*

4. Reg. 2. 11.

B. Virginis patrocinium vehiculum ad cœlum est igneo Eliæ curru nobilius.

Bernard. serm. 2. in aduentu sub finem.

216. Præterea quàm facilè hominibus, etiam peccatoribus, ad Diuinam gratiam per Virginem accessus sit, indicatur Psalmus 102. 12. vbi de Deo dicitur: *Quantùm distat ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* Distantiam inter Ortum & Occasum, quam nonnisi magno temporis spatio inferiores orbes percurrerent; iidem à primo Mobili rapti, vnius diei spatio facillimè pertranseunt. Sic ingentem distantiam, quæ inter peccatum, & gratiam intercedit, facillimè superant peccatores, si Beatæ Virginis ductu rapi se sinant. Propterea B. Virgo cœli mobili à sanctis Patribus comparatur. Guerricus Abbas præter Empyreum octo tantùm cœlestes orbes cognoscens, octauum orbem, qui in eius sententia primum Mobile est, Beatæ Virginis vtero comparat, dicens: *O vterum septem cœlis sublimiorem, atque latiorem. O vterum, qui es octauum cœlum, septem firmamentis celsiorem.* Similiter Ioannes Gerson ait: *Videre erat in organo Mariæ corporeo motum proportionatum primo Mobili cœlesti.*

B. Virg. primum cœli Mobile.

Gerson. tract. Cantic. cordi.

217. Hugo Cardinalis, & alij, cum in scriptura dicuntur *Cardines orbis terræ*, quatuor mundi terminos significari docent; nempe Ortum, Occasum, Austrum, & Aquilonem. Ab his quatuor mundi terminis, seu plagis, congregandos esse electos. Matth. 24. 31. Dominus dixit. Cum ergo in quatuor mundi partibus Deus suis electis sedem decerneret; sibi prius sub humana carne venturo in mundi medio sedem elegit. Quare de eo dicitur Psalm. 73. *Operatus est salutem in medio terræ*; hoc est in Iudæa, & Ierosolyma: Iudæa enim in medio orbis habitabilis sita est: Ierosolyma verò ipsius Iudææ meditullium, & veluti vmbilicus est. Quare Ezechielis 38. Israëliticus populus dicitur *habitator vmbilici terræ*: & cap. 5. à Deo dicitur: *Ista est Ierusalem; in medio Gentium posui eam; & in circuitu eius terras.* Nam, vt ibi Hieronymus ait: *A partibus Orientis cingitur plaga, quæ appellatur Asia; à partibus Occidentis eius, quæ vocatur Europa; à Meridie, & Austro Libya, & Africa; à Septemtrione Scythis, Armenia, atque Perside, & cunctis Ponti nationibus. In medio igitur*

Iudæa in medio terræ habitabilis sita; in Iudææ medio sita Ierusalem.

*gentium posita est, vt quia erat notus in Iudæa Deus, & in Israël magnum nomen eius; omnes in circuitu nationes illius sequerentur exempla.* Similiter Genebrardus ait: *Iudæa est terra habitabilis medium; vt eam Deus idcircò delegisse videatur; quò ex ea, veluti Orbis corde salutem in omnes transmitteret. Orientales Occidentalibus iungit per mare Mediterraneum; Septemtrionales Meridionalibus per idem mare excurrens vsque ad Mæotidem paludem valde Septemtrionalem; & per mare Rubrum in Austrum profundissime descendens.* Sed ad rem nostram melius S. Bernardus ait: *Operatus est Deus salutem in medio terræ; in vtero videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur.* Sicut enim è corde in medio pectore sito vitale robur in reliquas corporis partes transmittitur; ita à Beata Virgine in reliquum corpus spirituale gratiæ robur transfunditur. Et sicut teste Plinio in cordis formatione natura ante reliqua omnia elaborat; ita inter electorum, cœtum, in B. Virginem, veluti in cor Deus primùm intendit: & ideo Prou. cap. 8. Deipara in mente diuina concepta dicitur *ante cardines orbis terræ*; hoc est ante quatuor mundi plagas, & electorum sedes, vnde postea ipsi ad beatam vitam aduocandi erant.

Genebrardus in Psalm. 33. 24.

B. Virg. in Ecclesia veluti cor, vnde in reliquos vitale gratiæ robur transmittitur.

Bernardus serm. 2. de Pentecoste.

Plin. lib. 10. cap. 53. & lib. 11. cap. 37.

Natura in corde formando ante reliqua elaborat.

218. Præterea cum cardinis proprium sit huc, illuc inquieta vertigine agitari, per cardines terræ intelligi peccatores possunt, de quibus Psalm. 11. dicitur: *In circuitu impij ambulant.* Hinc benè Gregorius ait: *Cardines terræ hi accipi possunt, in quibus per inepta desideria sæculum circuit; & de alio ad aliud ducit. Qui diu in rota rerum transeuntium per mundi concupiscentiam retinentur.* Ante tales impetu circumactos cardines; nempe antequam homines in peccati reatum incurrerent, B. Virginem Deus elegit; ex qua languentium peccatorum medela proueniret, & eorumdem ipsa Virgo clementissima aduocata foret. Ideo speciali titulo *peccatorum aduocata* ab Ecclesia Deipara dicitur; & ab Innocentio Papa *Consolatio peccatorum.* Cumque genus humanum originali peccato, & ex hoc actualibus peccatis commaculandum in Eua prima parente contineretur; Euæ, atque adeo peccatorum omnium aduocatam B. Virginem S. Irenæus appellauit: & subdit: *Vt quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem,* nempe per Euam adhuc à viro non cognitam; *ita soluatur per Virginem.* Similiter B. Virgo à S. Anselmo *peccatorum absolutio* appellatur: *Medicina mundi* à S. Bonauentura: *Miserorum mater* à Richardo Victorino. Quare Germanus Patriarcha ita Beatam Virginem alloquitur: *Quis post tuum filium ita generis humani curam gerit, sicut tu? Quis nos ita defendit in nostris afflictionibus? Quis tam citò praeueniens nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeo pugnat pro peccatoribus? Nullus enim est, qui saluus fiat, ô sanctissima, nisi per te? Nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima. Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ô castissima. Nemo est, cui misereatur gratia, nisi per te, ô honestissima.*

Gregor. primo Reg. cap. 2.

Cardines terræ peccatores in quieta vertigine circumacti.

B. Virg. peccatorum absolutio, mundi medicina, miserorum mater.

B. Virgine non intercedente, nemo est qui saluus fiat.

219. Eodem 8. Prouerb. capite B. Virgo in diuina mente concepta dicitur: *Quando liberabat fontes aquarum.* Vbi, quia antea de fontibus è terræ visceribus erumpentibus dictum erat; postea per aquarum fontes, quos in aëre Deus suspensos librare dicitur, nubes intelligi benè censet Iansenius: Cui consonat Iob. 26. 8. Vbi dicitur *Deus ligare aquas in nubibus.* Cum ergo Deus materiales nubes in aëre ad solares radios temperandos, & ad terram imbribus fœcundandam suspendit; tunc specialiter diuinæ mentis obtutum in Beatam Virginem direxit; quippe quæ clarissima nubes futura erat, de quo Ezech. 32. mysticè prædicti potuit: *Solem nube tegam,* cum institiæ Solem humanæ carne contexerit. Cum autem de Æterno Verbo sub humana carne venturo Dauid Psal. 71. prædixisset: *Descendet sicut pluuia in vellus*; salutaris hæc pluuia, diuinusque imber à B. Virgine, tanquam à cœlesti nube in vellus descendit: per vellus autem Iudaïcum populum Chrysostomus, Ambrosius, & alij benè intelligunt: Fuerunt autem velleris instar Iudæi, cum in extima parte tantùm, non in intimis cordis visceribus diuinam beneficentiam excipere voluerint.

B. Virg. nubes, ex qua ad nos diuinus imber descendit; Idem num. 220.

Iudæi cur velleri, in quos pluuia descendit, similes.

Chrysostom. tom. 1. hom. in hæc verba. Ambros. lib. de Spiritu sancto initio.

220. Si ad terram fœcundandam, & ad animantium sitim sedandam nubes aquam attrahunt, vt ad nos imbrem demittant; Hesychius B. Virginem vocat, *Nubem pluuias incorruptas continentem.* Chrysippus Ierosolymitanus Deiparam salutat dicens: *Aue nubes, quæ pluuiæ potum animis Sanctorum exhibes.* Porrò Æterni Verbi sub humana carne aduentum efflagitari docet S. Thomas, & Hispalense Concilium canone 13. cum Isaiæ 45. 8. dicitur: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Sed quibus à nubibus beneficium hoc expetebatur? à Spiritu sancto, & à B. Virgine: *Spiritus sanctus est lucida nubes obumbrans Sanctos,* ait Origenes: *Ideo Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi,* B. Virgini ab Angelo dictum est. A gemina igitur nube, nempe à Spiritu sancto, & à B. Virgine Incarnationis beneficium vnà cum cœlestium gratiarum imbribus erat expetendum: ideò benè petitur: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Sed cur additur: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem?* Benè respondet Forerius Vlyssiponensis, dicens: *Christus Dominus, & dona ipsius dici possunt germen cæli, & terræ; vt qui de Spiritu sancto conceptus, & de Virgine natus sit. Et cum per totum orbem cæli mellislui fierent, tota terra replebatur misericordia Domini; & eadem erant diuitiæ cælestes, atque terrestres; cælo, terraque in vnum regnum redactis.*

B. V. & Spiritus sanctus geminæ nubes, vnde gratiarum imber demittitur.

Hesyc. tom. 2. Biblioth. orat. 2. de Deipara. Chrysip. ibid. orat. de Deipara.

Origen. in Matth. tract. 1.

221. Eodem Prouerbiorum capite specialiter præsens diuinæ menti Beata Virgo fuisse dicitur, *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Termini, quibus mare circumdatur, ne exundet, terramque obruat, sunt eminentiora terræ littora, montium, & rupium altitudines; sunt etiam portuum ostia, quæ angustis faucibus maris fluctus coërcent, tutamque ab intumescentibus vndis stationem nauigantibus præbent. De portubus enim dicitur Iob 38. *Quis conclusit ostijs mare?* & apud Latinum Poëtam: *Pleno subit ostia velo.* Porro exundantis maris fluctus mortalis vitæ ærumnas, calamitates, tentationes, & tribulationes significari in sacra Scriptura notum est. Ideo Psalm. 68. iuxtà Euthymium, & alios sacros interpretes dicitur: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Libera me ab iis, qui oderunt me, & de profundis aquarum:* & Psalmo 17. *Assumpsit me de aquis multis.* Hinc benè cum Hieronymo Gregorius ait: *Aquarum nomine nonnunquam solent tribulationes intelligi; sicut per Psalmistam dicitur: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Contra huiusmodi Maris instar exundantes tentationum, & ærumnarum aquas, vt limites, & repagula figerentur; & vt incolumes ad

Aquarum nomine tribulationes significantur.

beatæ patriæ portum perueniremus, Beatæ Virginis merita, preces, & patrocinia Deus constituit. Propterea sanctissima Dei mater *Murus inexpugnabilis, & munimentum salutis*, in Græcorum Diurnalis. dicitur: *Murus refugij, & omnibus modis animarum salus, & in anxietatibus munimentum*, à Theostericto in Canone Conciliatorio: *Portus tranquillissimus; & à fluctibus; procellisque agitatorum liberatrix desideratissima; portus naufragantium tutissimus*, à sancto Ephremo: *Portus sine tempestate*, à Theototio: *Portus securus Christianorum*, à sancto Theodoro Studita ode 8. Cantic. 5. imagin.

B. Virg. munimentum salutis; portus tranquillissimus; procellarum liberatrix. — Ephrem. de Laudibus B. Virg. — Theotorius Græcus apud ... — Psalm. 23. — Prou. 8.

222. Præterea, *Quando preparabat cœlos aderam*, B. Virgo de se ait: Nam cum cœlo Deus Cynosuram affixit, vt procellosum mare nauigantibus stella illa dux foret, tunc præcipuè in B. Virginem inspexit, vt eam similiter, dum irrequietum mortalis vitæ pelagus nauigamus, fidelem nobis ducem proponeret. *Maria Hebraicè stella maris vocatur*, ait Beda. Similiter Bernardus ait: *Loquamur pauca super hoc nomine Maria, quod interpretatum maris stella dicitur; & matri Virgini valdè conuenienter apponitur. Ipsa namque aptissimè sideri comparatur: quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parturiit filium: nec sideri suam radius minuit claritatem; nec Virgini suam filius integritatem. Ipsa est ergo nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat; cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans; & calefaciens magis mentes, quàm corpora: fouet virtutes, & coquit vitia: ipsa, inquam, est præclara, & eximia stella super hoc mare magnum, & spatiosum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis.* Idem Bernardus de Virginis Natiuitate: *Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris vbique magni, & spatiosi; quid, nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* Denique Bonauentura in speculo Beatæ Mariæ cap. 3. ait: *Maria interpretatur stella maris. Nautarum mos est, vt cùm in aliquam terram nauigare disponunt, vnum sidus eligant, cuius signo luce radiante, in eam, quam desiderant partem, possunt sine errore adduci. Tale certè officium est stellæ nostræ Mariæ; quæ nauigantes per mare mundi in naui innocentiæ, vel pœnitentiæ dirigit ad littus cœlestis patriæ. Propter hoc benè Innocentius ait: Quibus auxiliis possunt naues inter tot pericula pertransire vsque ad littus patriæ? Certè per duo; scilicet per lignum, & stellam; id est per fidem crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis Maria maris stella.*

B. Virg. mortalis vitæ pelagus nauigantibus ... — Beda in Luc. cap. 3. — Bernard. hom. 2. sup. missus est. — B. Virg. sicut sidus radium emittens sua ... — Idem de Virg. Natiuitate. — Bonauent. in spec. B. Mariæ cap. 3.

223. Post egressos ex arca Noë, eiusque filios, ijs Deus dixit Genes. 9. *Statuam pactum meum vobiscum; & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij; neque erit deinceps diluuium dissipans terram. Arcus meus apparebit in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum.* Similiter cum ex diuina clementia Deus in hac mortali vita, ærumnarum, calamitatum, & tentationum pelago terminos præfigit; ne veluti exundante aquarum diluuio humanum genus obruatur; in Beatam Virginem, veluti in cœlestem arcum misericordiæ oculos conuertit. Idem sanctus Bonauentura docet Deiparam figuratam fuisse per arcum, quem Deus Noë in signum fœderis dedit: quod sic pio carmine concinit.

B. Virg. veluti arcus diuinæ misericordiæ figurat. — Bonauent. in Laud. B. Virg.

*Pactum suum antiquitus Deus promisit Patribus*
*Arcum suum diuinitus ostendendum in nubibus;*
*Qui fœderis est omnibus signum promissum cœlitus;*
*A Deo pax hominibus datur in eo penitus.*
*Labor, & timor, fugiunt arcu monstrato fœderis:*
*Spes, & gaudium veniunt peccatoribus miseris.*
*Qui de reatu sceleris flentes arcum conspiciunt;*
*Per promissum de superis se consolatos sentiunt.*
*Est in arcu cæruleus color, qui virginitatis*
*Typum gerit; & rubeus, qui charitatis*
*Formam notat. Puritatis tuæ demonstrat aqueus*
*Notam, & humilitatis, quam elegit in te Deus.*
*Nubibus cœli cerneris arcus, qui nos illuminas.*
*Arcus insuperabilis, arcus potens, arcus fortis,*
*Arcus dulcis, amabilis, arcus patens cœli portũ,*
*Post præsentis metam mortis nobis ineuitabilis,*
*Fac consortes tuæ sortis nos, Virgo venerabilis.*

224. Ad extremum, vt certa fiducia ad Beatam Virginem confugiamus; eiusque patrocinio è terræ miseriis ad cœlestem beatitudinem peruenire speremus; ea specialiter diuinæ menti præsens fuisse dicitur, *Quando certa lege, & gyro vallabat abyssos*. Abyssi nomine tum humanæ miseriæ, tum diuinæ misericordiæ immensitatem intelligere possumus. Hinc Deo Propheta ait: *Abyssus abyssum inuocat*, hoc est, vt Euthymius interpretatur: *Immensitas peccatorum nostrorum immensitatem inuocat misericordiarum tuarum.* Cum ergo Deus humani generis calamitatum abyssis per diuinæ misericordiæ abyssum limites decerneret, erga B. Virginem misericordiæ oculos intendit; ab ea enim ad nostram miseriam tollendam per humani generis redemptionem initium sumi debebat. Ideo *Misericordiæ mater* à sanctis Patribus Anselmo, Ephremo, Damiano, vnà cum Ecclesia Deipara appellatur. *Gaudeamus, & exultemus in natiuitate beatissimæ Dei genitricis Mariæ; quæ nouum mundo nunciauit gaudium; & totius extitit humanæ salutis exordium. Hodie nata est, per quam homo, qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit*, ait Beatus Damianus.

B. Virg. humanæ miseriæ limitem statuit. — Psalm. 41. — Anselm. alloquio cel. 13. Ephrem in deprecat. ad B. Virg. Damian. serm. 1. de Natiuitate.

225. Præterea cùm rerum Conditor elementares abyssos *certa lege, & gyro vallabat*; tunc specialiter benignitatis oculos erga Beatam Virginem direxit; cui veluti mysticæ gratiarum, & misericordiæ abysso longè ampliores limites decreuit. Ideo S. Bonauentura ait: *Abyssus est Maria in bonitate, & misericordia profundissima: vnde etiam profundissimam misericordiam filij sui cum pro nobis interpellat, quasi abyssus abyssum inuocat. Cœlum est Maria, terra est Maria, abyssus est Maria. Quis huius cœli altitudinem; quis huius terræ latitudinem, quis huius abyssi profunditatem, quis, inquam, Mariæ immensitatem dimensus est; nisi ille solùm, qui ipsam non solum in gratia, & in gloria, sed etiam in misericordia tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est? Vnde specialiter de eius misericordia ait Bernardus: Quis misericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem, & latitudinem, & sublimitatem, & profundum queat inuestigare? Nam longitudo vsque ad nouissimum diem inuocantibus eam subuenit vniuersis: Latitudo eius replet orbem terrarum; vt sua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sed & sublimitas eius supremæ ciuitatis inuenit restaurationem: & profundum eius sedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem.*

B. Virg. misericordiæ, & gratiarum abyssus. — Bernard. serm. 4. de Assumpt. ...

226. Abyssi etiam nomine *miserrimum peccatoris* statum significauit Dauid Psalm. 70. dicens: *De abyssis terræ iterùm reduxisti me*: hoc est, vt interpretatur Augustinus: *Reduxisti me à profunditate, & subuersione peccati.* Rursus abyssus inferni voraginem significat: ideo Lucæ 8.

Abyssus tum miserrimum peccatoris statum, tum inferni voraginem significat.

dæmones Christum rogabant, ne eos in abyssum compelleret. Cum ergo Deus huiusmodi abyssos, ne humanum genus omne obruerent, *certa lege, & gyro vallabat*; tunc specialiter diuinæ menti Beata Virgo obseruabatur; cuius precibus, & auxilio è peccatorum abysso miseri mortales resipiscentes emergere debebant; ne à tali abysso irreuocabiliter in Gehennæ abyssum detruderentur. Ideo sanctus Bonauentura affirmat: *Gratia Mariæ liberat à morte æterna vniuersos, qui liberantur. Beata Maria tantam gratiam coram Rege æterno impetrauit; quod per hunc non solùm ipsa ad coronam peruenit; sed etiam humano generi morti addicto subuenit. Vnde Anselmus ait: Quid dignè referam Genitrici Dei, & Domini mei? Per cuius fœcunditatem captiuus sum redemptus; per cuius partum de morte æterna sum exemptus; per cuius prolem perditus restitutus sum; & de exilio miseriæ ad patriam æternæ beatitudinis sum reductus. Ergo; ô Mater gratiæ; fac nos filios gratiæ; fac, vt per gratiam tuam verissimam colligamur ad veniam remissionis; impinguemur per gratiam deuotionis, liberemur à morte damnationis.* Ideo præclarissimo elogio Beata Virgo *Inferni mortalitas* in Græcis hymnis appellatur.

B. Virg. peccatores ex imminentibus inferni pœnis liberat.

Bonauent. in Specul. Beatæ Mariæ cap. 5.

B. Virg. inferni mortalitas dicitur.

227. Sanctus Hieronymus Ionæ cap. 2. per abyssos spiritus immundos æternis cruciatibus addictos intelligit. Cum ergo Deus rebelles Angelos, ne in humani generis perniciem efferati insurgerent, certa lege, & gyro coërcendo vallauit; tunc specialiter diuinæ menti Beata Virgo præsens fuit; cui dæmones fugandi, & opprimendi potestas est data. Ideo Sanctus Bonauentura ait: *Maria est mare amarum diabolo, & Angelis eius per ipsam oppressis; quemadmodum mare rubrum amarum fuit Ægyptijs in ipso submersis. O quam amara, & timenda est Maria dæmonibus! Vnde Beatus Bernardus: Non sic timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam; sicut aëriæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, & exemplum. Fluunt, & pereunt sicut cera à facie ignis vbicumque inueniunt crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, sollicitam imitationem.*

Abyssi nomine immundi spiritus significantur.

Bonauent. in Specul. B. Mariæ cap. 3.

B. Virg. dæmonum terror.

Exod. 15.

228. Rupertus Abbas abyssi nomine sanctorum Patrum Limbum intelligit. Hanc etiam abyssum cum Deus certa lege, & gyro vallauit; vt scilicet statuto tempore Sanctorum animas ibi detentas liberaret, in Beatam Virginem misericordiæ oculos conuertit: ab ea enim Christus Dominus sub mortali carne in lucem dandus erat; vt per ipsum Sanctorum animæ in Limbo detentæ ad cælestem patriam educerentur. Ideo Habacuc 3. cum Christus ad inferos descendit dicitur: *Dedit abyssus vocem suam.* Vbi Rupertus ait: *Qui in tali abysso erat Sanctorum populus, dedit vocem suam. Illa vox huiusmodi fuit: Aduenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris; vt educeres hac nocte vinculatos de claustris.* Nisi æternum Verbum antea se in virginali matris claustro conclusisset; postea electus populus de abyssi claustris eductus non fuisset.

Abyssi nomine sanctorum Patrum limbus significatur.

*Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmo, beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

229. Cantic. primo, cœlesti sponso, hoc est Christo Domino ab Ecclesia dicitur: *Meliora sunt vbera tua vino.* Vbi vbera commendantur, non quæ sponsus ipse habet; sed ea è quibus sponsus maternum lac suxit: tum quia matribus propriè lactantia vbera tribuuntur: tum quia eadem ferè verba expressè de sponsæ, hoc est, Beatæ Virginis vberibus reperiuntur cap. 4. *Quàm pulchra sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! Pulchriora sunt vbera tua vino.* Tum denique, quia tali modo sequentium, & præcedentium verborum connexio sibi congruit: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* Quasi dicat: Ideo à cœlestis sponsi ore osculum efflagito, quia eius os materni lactis suauitatem retinet vino longè præstantiorem. Quæritur autem quænam sit ista excellentia, quam materna sponsi vbera præ vino habeant? Maxima vini excellentia fuit eligi, vt in Christi Domini sanguinem conuerteretur; excellentiam hanc ante vinum Deiparæ vbera habuerunt: eius enim lac, ante vinum, in Christi Domini sanguinem meruit transmutari. Ad quod Virginis priuilegium indicandum ex Hebræo legitur, *Bona sunt vbera tua ante vinum.* Propterea quòd Dominum lactauerint, eorumque lac in Domini sanguinem transmutatum sit, meritò Deiparæ beata vbera dicuntur: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Psalm. 92. exultans Dauid diuini Verbi Incarnationem propheticè cernens ait: *Dominus regnauit, decorem indutus est.* Idemque Psalm. 96. reperit. Vbi si quæratur, quomodo decorem, & pulchritudinem diuinum Verbum assumendo carnem induerit; cum in Incarnatione abiectionem, humilémque passibilitatem potius, quàm decorem & pulchritudinē assumpsisse Dominus videatur. Respondet Epiphanius Hæresi 69. id à Dauide Propheticè dictum esse: *Quò ostendat in gressum Dei Verbi à Cælestibus in Mundum induisse decorem; hoc est carnem ex Virgine natam. Quandoquidem videbatur vilis videntibus introductus; ipsi verò decor reputabatur.* Tanti ergo Dominus æstimauit tantoque honori sibi duxit humanam carnem ex purissimo Beatæ Virginis vtero assumpsisse. Ideo de assumpta à Diuino Verbo ex Virgineo vtero humana natura in Domini ad Cælum ascensione Ecclesia canit; *Omnis pulchritudo eius exaltata est super sidera.* Ideo Isaïæ 33. de iustorum cœtu ait: *Regem in decore suo videbunt oculi eius.* Ideo Psalm. 49. dicit; *ex Sion*, nempe ex Ierusalem *species decoris eius.* Cum enim Beatæ Virginis Canticorum 6. à Cælesti sponsæ dicatur: *Pulchra es, amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem*: Ex hac mystica Ierusalem species duxit eius, nempè diuini Verbi prouenit.

B. Virginis vbera cur præ vino meliora.

230. Sed contra Maternitatis in Deipara dignitatem occurrit difficultas, ex verbis Augustini tractat. 10. in Ioannem vbi ait: *Cum Dominus in turba admirabilis videretur, faciens signa, & prodigia, & ostendens quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt: Felix venter, qui te portauit & ille; Immo felices, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Hoc*

est dicere: *Et mater mea, quam appellatis fœlicem, inde felix, quia verbum Dei custodit; non quia in illa Verbum caro factum est; sed quia custodit ipsum Verbum Dei, per quod facta est, & quod in illa caro factum est.* Videtur igitur primò negare Augustinus Virginem ex maternitate tantùm posse dici beatam. Sed dicendum est hîc, Augustinum Scripturæ sacræ more esse locutum. Solet sacra Scriptura quasdam loquendi formas, quæ negatiuæ videntur, pro comparatiuis vsurpare. Talis illa est Matth. 9. ex Osea 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*: Cum enim Deus in veteri lege sacrificia non reiecerit, sed præceperit; sensus potius comparatiuus est, quàm negatiuus; id est: *Misericordiam volo magis, quàm sacrificium.* Patet primò, quia immediatè post apud Oseam aperta comparandi forma habetur, non negandi, cùm subditur: *Et scientiam Dei magis, quàm holocaustum.* Patet secundò, quia Oseæ verba ita Chaldæus vertit: *In iis, qui exercent misericordiam, voluntas coram me est magis, quàm in sacrificio.* Patet tertiò, quia allata verba ita citat Irenæus: *Misericordiam volo plusquam sacrificium*: & S. Ambrosius, *Misericordiam malo, quàm sacrificium.* Similiter intelligenda est Augustini sententia, ita vt sensus sit: *Mater mea, quam appellatis felicem, inde magis felix est, quia verbum Dei custodit, quàm quia in illa Verbum caro factum est.* Sensus hic confirmatur, quia sæpè in scriptura positiuum pro comparatiuo ponitur; sicut Ioan. 20. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, & crediderunt* id est beatiores, ita. *Beatus venter, qui te portauit*, cum diceretur; respondit Dominus: *Quinimo beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud*, id est beatiores. Beatior autem fuit ex hoc capite Virgo Deipara; quia sistendo tantùm in maternitatis priuilegio beatitudinem, hoc claram Dei visionem ex merito consecuta non esset: custodiendo autem toto corde Dei verbum per eximiam diuinæ legis obseruantiam, sanctificantis gratiæ cumulum est consecuta; cui immediatè eximius gloriæ, & beatitudinis gradus respondit. Ideo Augustinus ait: *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quàm carne gestasset. Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.*

*Negatiuæ sententiæ pro comparatiuis vsurpantur.*

*Irenæus lib 4. c. ... Ambr. c. ... Potuit.*

*August.*

231. Rursus iuxtà Scripturæ etiam phrasim sæpè particula, *Non*, accipienda est pro *Non solum*: vt Marci 9. *Quicumque me susceperit, non me suscepit, sed eum qui misit me*: id est, non solùm me suscepit, sed eum, qui misit me. Et clarius Ioannis 12. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me*; id est non solùm credit in me, sed in eum, qui misit me: Alioquin hæc non benè concordaret cum alia Christi sententia Ioannis 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Quare cum ex Augustino Christus dicit: *Mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia verbum Dei custodit; non quia in illa Verbum caro factum est*: idem est, ac si diceretur: *Non solum, quia in illa Verbum caro factum est.*

*Particula, non, interdum, non solum, significat. Marci 9.*

232. Secunda difficultas ex citatis verbis Augustini est, quòd affirmat plures exclamasse verbis illis: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*: cum tamen Euangelista vnam tantùm mulierem ita exclamasse referat. Sed respondetur vnam quidem mulierem

*Exempli boni vis: Idem n. 233. 239.*

A primò verba illa protulisse; eius tamen exemplo plures deinde similiter dixisse. Quod quidem insinuat quantùm in multitudine vnius exemplum valeat. Similiter quamuis ad Christum infantem adorandum Magi reges venerint cum regio comitatu: nihilominus Isaiæ 60. dicitur: *Inundatio camelorum operiet te: Dromodarij Madiam, & Epha: omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Vbi, *Omnes*, non tantùm ad prius dictos, sed ad alios etiam, qui in Saba remanserant, referri potest. *Omnes de Saba venient, id est omnia genera hominum de omni statu peccati cordis, oris, operis, & consuetudinis*, ait

B Hugo. Quæritur igitur, quomodo salua veritate Sabæi omnes ad Christum venisse aurum, & thus deferentes, laudemque Domino annunciantes dicantur? Respondetur venisse tantùm ad Christum adorandum Reges magos, cum regio comitatu; quia tamen ipsorum regum exemplo, & testimonio eorum populi Christo Domino crediderunt; & Euangelicam fidem amplectentes Deo laudem annunciarunt; Deique filio Redemptori thus intenderunt; & delubra auro exornata dedicarunt; ideo non solùm de Regibus, sed etiam de populis dicitur: *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annun-*

C *ciantes.*

233. Simili modo ad vim boni exempli significandam dicitur à Dauide Psalm. 50. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Vbi iuxtà Augustinum, Ruffinum, & Bedam duo peccatorum genera distinguuntur: alij enim peccatores rectam fidem retinentes peccant, & hi iniqui appellantur; alij fide carent, & impij nominantur. Ait igitur Dauid: Docebo fideles vias tuas, vt post diuinæ legis transgressionem in viam salutis reuertantur, & horum exemplo etiam impij, nempe idololatræ ad rectam fidem, & sanctæ viæ nor-

D mam conuertentur. Tribuant igitur suis prauis moribus, & discordijs fideles, quod Ethnici veræ fidei lumen non sequantur; & in verum Dei cultum blasphemi sint. Testatus est hoc Nathan Dauidem adulterum, & homicidam alloquens: *Blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc.*

*2. Reg 12*

234. Mirum est, quod præsciti ouibus comparentur à Dauide Psalm. 48. cùm potius oues propter innocentiam, & mansuetudinem prædestinatos significent iuxtà Domini verba Matthæi 25. *Statuet oues à dextris suis.* Sed quia, cum huiusmodi pecudes gregatim procedunt, facillimè postremæ, quò primæ tendunt, fe-

E runtur: ideo ad significandum damnatos, plerumque æternam mortem subire, quòd aliorum prauum ductum, & exemplum secuti sint, dicitur de ijs: *Sicut oues in inferno positæ sunt*; seu, vt legit Ambr[o]sius: *Sicut oues in infernum deducentur.* Cum i[tem] [dic]itur de Deo dicitur Psalm. 106. *Posuit sicut [ou]es familias*; insinuatur patribus-familias, iisque, qui multitudini præsunt, vt bono exemplo alijs præluceant; quandoquidem multitudo eis commissa, eorum ductum sequitur, sicut ouium grex.

*Exempli praui vis quantum noceat: Idem n. 236. 237. 238.*

*Psal. 48.*

235. Libro tertio Reg. 17. de Elia dicitur: *Corui deferebant ei panem, & carnes mane; similiter panem, & carnes vespere.* Vbi quæritur, cur ad pascendum Eliam non alias aues, quàm coruos Deus miserit? Ad rem nostram ratio illa redditur; quia

*3. Reg c. 17.*

Corui potius, & nō alij aues ad Eliam pascendum missi.

nimirum maiorum prauum exemplum non imitandum, sed corrigendum esse docere nos Dominus voluerit, coruorum proposito exemplo. Nam cùm olim ex eorum specie vnus infidus fuerit Patriarchæ Noë, non redeundo ad arcam; alios illius defectum non imitantes, sed corrigentes, fidos se ministros Eliæ præstare Deus voluit. Hinc apud Augustinum lib. 2. cap. 17. de mirabilibus sacræ scripturæ legitur: *A coruis ministrari prophetæ præcipitur; vt scilicet culpam, quam in diluuio commiserat in terra, purgare auis illa videretur; dum fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens, & fallax erat ante Noë.*

Exemplum malum corrigendum, non imitandum. Gen. 8.

Praui exempli vis.

236. Visio pacis Ierosolyma interpretatur; & tamen turbato Herode propter Christi nati nuncium, ex prauo exemplo Ierosolyma vniuersa turbatur, testante Matth. *Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.* Bis Angelus sanctum Iosephum de Christi infantis persecutione monuit; primò ante fugam in Ægyptum, *Futurum est,* ait, *vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Deinde cùm ex Ægypto Ioseph reuocaretur, ait: *Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri. Ex hoc loco intelligimus non solùm Herodem, sed & sacerdotes, & Scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos,* ait S. Hieronymus. Sæuities igitur Herodis exemplum Iudæis prætulit, vt infantis Saluatoris neci inhiarent: *cum potius gaudere deberent de Rege nato ex regio Iudæorum semine,* ait Hugo, & subdit: *Solet plebecula illorum principum studiosius captare beneuolentiam, quorum importabilem sustinet violentiam.*

C. 2. C. 2. Hugo.

Praui exempli vis.

237. Quid magis, quàm mortem refugiunt homines? Praui tamen regis exemplo in seipsum impius sibi mortem consciuit Saulis armiger. Primo Reg. 31. *Arripuit Saul gladium suum, & irruit super eum; quod cum vidisset armiger eius, videlicet, quòd mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.* Hinc certè praui exempli vis clarè cognoscitur. Is enim, qui prius alteri id efflagitanti mortem inferre recusauit: *Euagina gladium tuum, & percute me,* dixit Saul; & subditur: *Noluit armiger eius.* Idem tamen proposito prauo exemplo sibi ipsi audacter mortem intulit: *Cum vidisset armiger eius, quòd mortuus esset Saul; irruit etiam ipse super gladium suum.*

Praui exempli vis.

238. Sapientiæ cap. 10. de diuina Sapientia dicitur: *Mendaces ostendit eos, qui maculauerunt illum,* nempe innocentem Iosephum. Prius vna mulier Putipharis vxor, Iosephum; quòd eam ad adulterandum incitasset, mendaciter accusauit: plures tamen postea falsum testimonium contra Iosephum, vt in impudicum mendaciter protulerunt; eò quòd lasciuæ mulieris ministri eius falsitatem ad mentiendum contra Iosephum secuti sint. *Oportet episcopum testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt; vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Vbi prauam Episcopi vitam meritò Apostolus diaboli laqueum vocat; prauo. nom. Prælati exemplo plurimos ad peccandum diabolus facilè trahit, vt benè hîc Hugo Card. notat. Propterea Oseæ 5. dicitur. *Audite hoc Sacerdotes, quia vobis iudicium est; quoniam laqueus facti estis speculationi;* id est vestra opera speculantibus, & considerantibus.

Ep. 1. ad Timoth. cap. 3.

Exempli boni vis.

239. E contrario, vt constet quantam in bonum vim habeant piorum Principum exempla, Psal. 101. dicitur: *Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.* Vbi ex Hebræo legitur: *Timebunt gentes nomen tuum, Domine, quia omnes reges terræ gloriam tuam,* scilicet timebunt. Quo significatur à Principibus Deum timentibus, Dei timorem in populos deriuari. Hæc, inquit Sanctus Vates, erit causa, cur gentes nomen Domini timeant; quia eorum reges Dei gloriam, hoc est maiestatem verebuntur. Quod vaticinium apertius protulerat Psalm. 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes gentes seruient ei.* Regum adorationem statim populorum seruitus consequetur. Ad idem confirmandum eodem Psal. dicitur: *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Iuxtà Augustinum montes superiores significant, colles inferiores. Si igitur maiores pacis, & charitatis christianæ exemplo præluceant; statim minores exactæ iustitiæ normam sequentur. *Excellenti sanctitate,* ait Augustinus, *eminentes in Ecclesia montes sunt, qui idonei sunt & alios docere; sic loquendo, vt fideles instruantur; sic viuendo, vt salubriter imitentur. Colles autem sunt illorum excellentiam sua obedientia subsequentes.* Propterea Danielis 3. aduocantur ad Dominum benedicendum prius montes, deinde colles: *Benedicite montes, & colles Domino.* Similiter, vt citato Psal. notat Augustinus, cum propter fidelis populi liberationem ab huius seculi seruitute montes, hoc est pij principes *exultassent sicut arietes; colles etiam,* id est populi, *sicut agni ouium exultarunt.* Denique ad idem significandum Iosuë 10. cum ex diuino nutu sol luminare maius cursum sistendo Iosuë imperio obtemperasset; obedijt similiter & Luna luminare minus: *Steterunt Sol, & Luna.* Quamuis alioquin Iosuë solius Solis mora ad hostes Amorrhæos debellandos indigeret.

240. Denique ab exempli vi in bonum ad exempli vim in malum ostendendam reuertamur: Cum ad illuminandum, & conuincendum impium Regem Achaz ei Isaïas cap. 7. dixisset: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo;* Cumque iuxta Hieron. impius, & idololatra Rex à Deo auersus, eique diffidens, sua Idola consulere, eorumque opem implorare statuisset, respondit: *Non petam, & non tentabo Dominum;* seu, vt ex Hebræo legit idem Hieron. *non exaltabo,* seu, *non glorificabo Dominum.* Hinc diuino Zelo indignatus Isaïas ad populum sermonem conuertit dicens: *Audite ergo Domus Dauid: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Vbi iure quæritur cur incredulo Rege recusante Dei signum, Isaïas ad populum obiurgandum sermonem direxerit? quia scilicet iam nouerat ex impij regis exemplo Hebræum populum etiam in idololatriam incidisse; ita vt vere dici potuerit: *Regis ad exemplum totus componitur Orbis:* seu potius; *totus corrumpitur orbis.* Ad idem confirmandum Psal. 21. Dominus de suis persequutoribus dixit: *Circumdederunt me vituli multi; tauri pingues circumdederunt me.* Vbi iuxtà Hieron. tauri Annam, Caïpham, reliquosque Iudæorum Principes; vituli verò ipsos Iudæos significant. Tales ergo vituli Dominum calumniando, & persequendo circumdederunt; quia eumdem Dominum Iudæorum Principes persequebantur, & calumnijs impetebant. Ita vt bene ille cecinerit: *A boue maiori discit arare minor.*

Exempli praui vis. Ouid.

FINIS.



# INDEX RERVM, ET VERBORVM,

## CVIVS VLTIMVS NVMERVS marginalem numerum indicat.

### A

C

D

F

L

M

N

P

Q



R

T





# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HOC COMMENTARIO EXPLICANTVR, SIVE CITANTVR.

Vltimus numerus marginalem numerum indicat.

## *EX GENESI.*

T





# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HOC COMMENTARIO EXPLICANTVR, SIVE CITANTVR.

Vltimus numerus marginalem numerum indicat.

## *EX GENESI.*

*EX EXODO.*

b

### EX LEVITICO.



### EX LIBRO NVMERORVM.

*EX LIBRO IOSVE.*



*EX LIBRO IVDICVM.*

## *EX LIBRO IV. REGVM.*

*EX PSALMIS:*

Ps. 106. Po-

*EX ECCLESIASTE.*

## *EX CANTICIS CANTICORVM.*

*EX IEREMIA.*

## *EX THRENIS IEREMIÆ.*

### *EX BARVCH:*



### *EX EZECHIELE.*



### *EX DANIELE.*

*EX OSEA.*

*EX IOELE.*



*EX AMOS.*



*EX ABDIA.*



*EX IONA.*



*EX MICHÆA.*



*EX HABACVC.*

## EX S. MARCO.



## EX S. LVCA.

*EX ACTIBVS APOSTOLORVM:*

*EX EPISTOLA SANCTI PAVLI*

*ad Romanos.*

*EX EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.*

*EX EPISTOLA II. AD CORINTHIOS.*

*EX EPISTOLA AD GALATAS.*



*EX EPISTOLA AD EPHESIOS.*

*EX EPISTOLA S. IACOBI.*



*EX EPISTOLA I. S. PETRI.*

*EX EPISTOLA S. PETRI II.*



*EX EPISTOLA S. IOANNIS I.*

FINIS.